2

Octaua Centuria ECCLESIASTICAE HISTORIAE, CONTINENS DESCRIPTIONEM AMPLISSIMARVM RERVM IN REgno Christi, quæ Octauo post eius natiuitatem seculo acciderunt: cum Imperium Romanum gubernarent, Absimarus, Iustinianus, Philippicus, Artemius, Theodosius, Leo Isaurus, Constantinus Copronymus, Leo filius eius, Constantinus & Irene: & Doctores in Ecclesia præcipui excellerent, Beda, Iohannes Damascenus, Albinus, Aponius, Bonifacius Moguntinus episcopus, Paulus Aquileiensis, & alij quidam: eodem ordine, diligentia & fide, ut superiores Centuriæ, ex uetustis & probatis Historicis, Patribus, & alijs Scriptoribus,

IN DVCATV ILLVSTRISSIMORVM PRINCIPVM AC DVCVM MEGALOPOLENSIVM, *in ciuitate Vuismaria*,

PER AVTORES CONTEXTA.

Accessit rerum uerborumq; in hac Centuria præcipuè memorabilium, tum locorum Scripturæ obiter explicatorum INDEX.



BASILEAE, PER IOANNES
Oporinum & Heruagium.

AMPLISSIMIS, ORNATISSIMIS,
ET HONESTISSIMIS VIRIS,

D. IOANNI BAP. HEINCELIO *Consuli Reip. Augustanæ:*
D. ACHILLI GASSARO *Medicinæ Doctori & Augustanæ Reip. Physico:*
D. CHRISTOPHORO HARSDORFFER:
D. IOHANNI MEIENSCHEIN:
D. IACOBO PECK:
D. THOMAE IRTENBERGER:
D. ANDREAE ORTEL: *Ciuibus Reip. Nornbergensis.* & D. BARTOLOMEO SCHOBER, *exuli Christi:*

Dominis suis reuerenter & amanter colendis:

G. & P. per Christum.



VLTAE sunt causæ, propter quas politicarum rerum historię, auidius expetuntur, & libentius leguntur, quàm ea quæ sunt in Ecclesia Dei gesta: uerùm tres uidentur esse potissimæ. Primùm, quòd ipsa hominum natura tam est deprauata, & à rebus sacris abalienata, ut eas naturali quodam fastidio abhorreat: mundanas uerò impēsè amet, ac maximi faciat. Deinde, quòd illæ gubernationes amplissimarū Rerumpublicarum, periodicæ mutationes regnorum, collisiones fortissimorum exercituum, & similia, magis in hominū oculos incurrunt, eos'que explent, quàm Ecclesię Dei conseruatio, ac mirifica gubernatio: quæ uerbo & quibusdam obsignationibus gratiæ tantum conspicua est, ac potissima eius uis in interiori homine regenerando ac sanctificando consistit, bellaq; gerit oris confessione, fide & oratione aduersus diabolum, propriā carnis maliciam, & omnes hominum uanitates & idolomanias. Imò putatur uera Ecclesiæ Dei religio, cōmodis & tranquillitati Imperiorum obstare & nocere. Tertiò, multo suauius, elegantius & ornatius, res illæ prophanæ literis sunt mandatæ, quàm sacræ. Id quod accipi uolumus de ijs, ne in calumnias incidamus, quę post Biblicam ac diuinam illam historiam descriptæ, posteris'q; relictæ sunt. Accedit & hoc incōmodi, quòd monachi à cultioribus literis, & ab usu rerum alieni, horridè pleraq; annotarunt, ac ueluti rudera quędā passim dispersa reliquerūt, quæ primo statim intuitu nauseā adferunt.

Etsi autem uerborum splendori & suauitati, in hac tanta rerum mole & cura, uacare nobis non licet: tamen in istis disiectis ruderibus historiæ sacræ post Christum, summa fide colligendis, optimo ordine contignandis, & perspicuo sermone in conspectum & usum producendis, operā nostram, uti speramus, & probauimus hactenus: & deinceps, si Deo uisum fuerit, probabimus. Solent autem nō tam pictæ fucis quibusdam, quàm amplæ, firmæ, ad habitationem

& usum hominum singulari artificio comparatæ & adornatę ædes expeti. Substantia enim commodæ habitationis, imò etiam ornatus maxima ex parte, non tam aulæis, tabulis, cælatis columnis, & armis ex pariete suspensis constat: quàm in robore, ordine & munitione totius ædificij sita est. Hæc prudenti spectatori longè maiorem admirationem, & dulciorem uoluptatē adferunt, quàm crusta parietis, uarijs coloribus ad uisum oblectandum tincta. Non igitur dubitamus, ordinem, quem in opere Ecclesiasticę historiæ hactenus Deo benedicente obseruauimus, inuitare plurimos, ut res Ecclesiæ Dei libentius & studiosius cognoscant, partesq́ istius amplissimæ domus optimè dispositas, cum admiratione & iucunda uoluptate contemplentur.

Quod uerò ad ipsam rerum considerationem attinet, extra omnem controuersiam poni necesse est, nullas esse in orbe terrarū maiores, nullas magis necessarias, nullas utiliores generi humano, quàm eas, quæ in Ecclesia Dei gestæ sunt. Hæc longiorem explicationem requirerent, si de monarcha istius regni, Domino nostro IESV CHRISTO, de subditis, quos habet in uniuerso mundo, de animarum gubernatione, de uictorijs aduersus diabolos & homines, alijsq́ grauissimis rebus, oratio instituēda esset. Verùm ista alibi explicantur uberius.

Excutienda igitur est illa naturę corruptæ nausea, in rebus sacris ante cognitionem earum fastidiendis: ac potius assuefaciendi sunt animi omnium nostrûm, ut uero iudicio, quæ potiora, quæ'que magis nobis, non modò ad istam momentaneam, sed ęternam quoque uitam salutaria sunt, expetamus & sequamur. Non autem hoc in loco, de toto corpore historiæ Ecclesiasticæ disputationē seu declarationem adornamus: sed tantum uno aut altero capite, ex præsenti octaua Centuria prolato, strictim commonefaciemus, quàm serias, graues, necessarias res, quæ ad pietatem, & uniuersam hominum uitam plurimum emolumenti adferunt, ex ista sacra historia cognoscere omnes possint.

Vides Antichristum Romanum, à Daniele, Christo, Paulo, & Iohanne prędictum, in immensum propemodum hoc seculo creuisse: totamq́ Europam, ut de alijs terrę partibus nihil dicamus, miris artibus, atq́ stupenda audacia & potentia, sub suum iugum coegisse. Etsi enim in superioribus quoque Centurijs, Antichristus ille quasi cuniculos quosdam agens, subindè magis magisq́ ad suam illam, supra Ecclesias omnes, & imperia omnia mundi eminentiam aspirauit: tamē uigilātia doctorum, & gubernatorum grauitate, in suas tenebras aliquo modo retrusus fuit: donec parricidijs, multis'que alijs tetris facinoribus infamis, uere'que ipsius diaboli mancipium & uicarius Phocas, monstrum illud horrendū & ingens, in cathedram illam pestilentiæ (excellentiæ supremæ in orbe terrarum, debebamus dicere) subleuaret. uerùm postea caput suū altius extulit,

suaq́

ſuaq́ꝫ cauda, ut Iohannes eum pingit, ipſas cœli ſtellas tetigit, easq́ꝫ deturbare molitus eſt.

Vides igitur, inquimus, in hiſtoria præſentis Seculi, quomodo Papa Romanus ſibi nō tãtum ius in Eccleſias circa Romam, & in Italia paſsim ſibi propinquas uſurpet: uerùm etiam longè diſsitis Eccleſijs, ueluti Cæſar, leges dictet: & epiſcopos non aliter, atque Monarcha prætores aut præfectos diuerſarum prouinciarum, pro ſuo arbitrio creet atque conſtituat, ſibiq́ꝫ non idoneos expellat: iungat Eccleſias remotas ſub alicuius præfecti Eccleſiaſtici, hoc eſt titulo Epiſcopi dominio, alias uerò diſgreget. Vides quãta animoſitate loca imperiorum ſeu regnorum Eccleſiaſticorum, pro libidine tranſponat, modò hiſce adimens, mox alijs attribuens dominãdi ſuper alios principatum: quem archiepiſcopatum ſuo more nominat. Vides quanto faſtu mandet politicis Dominis, ut ſuis iſtis Eccleſię dynaſtis, prædia, agros, ſyluas, montes, pagos, oppida cedant, poſſeſſionemq́ꝫ integrã tradant. Quo uerò iure? non ſanè alio, quàm quia papa Romanus id uult. eſt enim ei pro ratione uoluntas. Deinde uerò, quia fulmen excommunicationis uibrat in omnes ſibi morem non gerentes.

Hanc ad rem habet ſuos Dromones egregios, peritiſsimos eiuſmodi aucupiorum, audaces & temerarios, qui præmijs & honoribus illecti & irretiti, ſedulam operam in omnibus nationibus & regnis nauant, ut Romano Antichriſto loca, facultates, & ipſos quoque homines ſubijciant atque mancipent.

Talis fuit Dromo, Bonifacius ille, Germanorum apoſtolus dictus: qui in hoc unum ſummo ſtudio, arte ac ui incubuit, ut uniuerſam Germaniam in poteſtatē papæ Romani redigeret. Etſi autem in nonnullis locis Ethnicam idololatriam aboleuiſſe narratur, tamen religionem Chriſtianam non ſeminauit puram & incorruptã. Nam cardinem iſtum uniuerſæ pietatis, de iuſtificatione gratuita per ſolam in CHRISTVM fidem, inuertit atque eliſit: omnibus perſuadens publica uoce & inſtitutione ceremoniarum, homines ſuis operibus ac ſtudijs uitam æternam adire & conſequi poſſe. Neuos itaq́ꝫ Antichriſti, hoc eſt articulorum fidei corruptelas, paſsim inculcauit. Etſi autem à quibuſdam bonis & integris uiris, officio docendi in Eccleſia rectè fungentibus, moneretur, ne iugum illud cæremoniarum Romanarum, quibus doctrinę cœleſtis lux obſcuraretur, Eccleſijs Germaniæ inijceret: tamen ea fuit inſolentia inflatus iſte pſeudoapoſtolus, ut non modò eos monitores omnes ex alto deſpiceret, uerùm etiam apud tyrannum illum Romanum inuidioſè deferret, tanquã hæreticos & turbatores Eccleſiæ Dei, ut qui corruptelas eius ex uerbo Dei arguerēt. Eſt & hoc prodigioſum, quia nullum Apoſtolum CHRISTI id feciſſe ullis in hiſtorijs legimus: quòd iſte Dromo, non modò ſpiritualibus armis uſus eſt in propaganda ſua doctrina, ſed conducto exercitu (quam ad rem un

dique absque dubio magnas opes, neruos bellorum gerendorum, corrasit) in Thuringiam hastis, clypeis, ferro impetū fecit, id quod absque cæde plurimorum abire non potuit. Hæc, inquimus, apostolus Romani pontificis ausus est, quod neque CHRISTVS, neq; eius discipuli moliti sunt unquam. Etsi autem iudicia Dei miranda, hac in parte exhaurire non possumus: tamen res ipsa uidetur loqui, Deum ultum esse impietatem & idololatriam Ethnicam, cui longo tempore istę nationes fuerunt deditæ. Iam igitur eo ipso tempore, quo ueritas Euangelij debebat eis prælucere, non datur ipsis eo iubare incorruptè, plenè & integrè frui: sed ueluti nubes quædam opaca pręstigiarum & traditionum humanarum interponitur. Interea tamen Biblica monumenta, in hominum manus perueniunt, cognoscunt homines aliquid de passione CHRISTI, qua peccata totius mundi sunt expiata, & aliqui simpliciores noticia & fide CHRISTI salutem consequūtur. Præterea Baptismo, quo fit regeneratio, homines initiantur.

Vides insuper Antichristum Romanum hisce in partibus, quod summa audacia in politicum imperium irrumpit, sibiq; regna mundi, ut Matth. 4. uiuis coloribus depingitur, arrogat atq; attribuit. Vult Imperatores à sese regnorum possessionem atque autoritatem dominandi petere. Sumit sibi potestatem distribuendi regna, quibus sibi uidetur. Leges præscribit regibus ac principibus, quas citra ullam tergiuersationem seruari præcipit. Causarum politicarū cognitionem & determinationem ad sese deriuat. Attrahit opulentissimas quasq; ciuitates in Italia ad sese, partim artib. miris, partim etiam manifesta ui atque armis. Nam eò res deuenerat, ut successores Petri (sicuti præter omne meritum haberi uolebant) non uno tantum accincti essent gladio (quo Petrus Malcho auriculam temerario motu pręciderat: qua de causa reprehensus à Domino, iubetur strictum ensem rursum in uaginam abscondere) sed plurimis gladijs & hastis stipati procederent, ad arces atque ciuitates occupandas & subiugandas: qua quidem in re cohorti Iudæ proditoris similiores fuerunt, qui, ut historia testatur, cum lampadibus & hastis contra CHRISTVM aduentabat, quàm Petro in horto temerarium bellum suscipienti, & postea fuga sibi consulenti. Exempla igitur istorum characterum Antichristi, quàm plurima tibi suggerit præsens historia: ut uideas, quomodo subinde altius conscenderit, dominatumq; hæc tetra bestia (ut erat prædictum) tum in Ecclesia, tum in politia, nimirum toto Romano Imperio adepta sit: mirando quodam Dei iudicio, iuxta Pauli prophetiam, quæ extat 2. Thess. 2. Pro eo, inquit, quòd charitatem ueritatis nō receperunt, ut salui fierent: ideo mittet illis Deus efficacem imposturam, ut credant mendacio, ut iudicentur omnes qui non crediderunt ueritati, sed consenserunt iniquitati.

Hæc quàm clarissimè perspecta & cognita habere, permagni refert.

fert. Nam discernenda sunt opera diaboli & Dei: cuilibet attendendum est, ut sit in Ecclesia uera Dei, & non sit membrum Ecclesię malignantium. Exeundum est ex mandato omnipotentis Dei, è regno Antichristi, doctrina, inuocatione, & publica confessione, sub pœna temporalium & æternorũ suppliciorum. Clara est enim ista uox Iohannis: Exite ex illa populus meus, ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis. Apocalyp. 18. Item: Si quis adorauerit bestiam & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua, hic bibet de uino iræ Dei, quod mixtum est mero in calice iræ eius. Et cruciabitur igni & sulphure in cõspectu angelorum sanctorum, & ante cõspectum agni, & fumus supplicij eorum ascendet in secula seculorum. Apocalyp. 14.

Secundò ad dextrè iudicandas controuersias, spectantes ad pietatem, quæ omnibus mortalibus debet esse certa & incontaminata, lectio historiarum istarum plurimum adiumenti præstat. Exorta est hoc Seculo publica concertatio, de statuarum in templis potissimùm positarum cultu atque adoratione: ut de alijs multis rebus scitu pernecessarijs, quas Lector pius ipsemet inspiciet, nihil in præsentia dicamus. In hac parte plurimùm refert cognoscere, quid rei in disceptationem uenerit, qui nam falsam, qui uerbo Dei congruẽtem sententiam tutati sint, qualis rerum progressus, & tandem qui euentus fuerit. Causa enim hæc est maximi ponderis: præsertim cum adhuc hodie iconolatria in pontificio regno duret, publicos'que patronos, impudentia, garrulitate & potentia corporali armatos habeat.

Res ipsa ita crassè hoc Seculo tractata est, ut sine omni pudore, statuas manu hominum effictas, asseuerarint non simplici duntaxat honore, sed etiam adoratione colendas esse. Reprehẽderunt istum abusum non modò Ecclesiæ doctores, sed etiam nonnulli magistratus politici & Imperatores, qui adorationem & uenerationem statuarum cum uerbo Dei manifestè pugnare testati sunt: & confessiones suas ediderunt, eiusmodi iconolatriam esse notam Antichristi, ex Ecclesia CHRISTI explodendam. Coactæ sunt rectè hac in parte sentientium Synodi, & iuxta normam uerbi diuini pronunciatum est, statuas non colendas, neque adorandas esse: & si quæ statuæ eiusmodi superstitioni seruirent, eas satius esse remoueri, quàm retineri. Nam multo leuius damnum esse, statuam abijci: quàm pati, ut tali occasione honor inuocationis, Deo soli conueniens, trunco mortuo, uel etiam defunctæ creaturæ attribueretur. Ipsi etiam Saraceni testabantur, se eo magis abhorrere à Christianorum religione, quòd idola colerent, cum quidem Deus in ueteri Testamento id planè prohibuerit. Romanus uerò Antichristus, cum suis quibusdam superstitiosis & fanaticis mancipijs, hic sese præbuit egregium & truculentum iconolatrarum patronum, iuxta illam picturam Matthæi 4. Si pro-

cidens adoraueris me,dabo tibi regna huius mundi. Nam singulari ardore Romani pontifices, uenerationem & adorationem statuarum in templis asseruerunt & propugnarunt:idq; nō fecerunt perspicuis sacrę Scripturæ testimonijs(licet aliqua dicta crudeliter crucifigerent,crinibusq;,quod dicitur, molirētur ad suam opinionem pertrahere) sed prætendentes usum passim receptum, & quædam patrum dicta allegantes : deinde proferentes quasdam apparitiones ac uisiones,quibus sancti iussissent, se in statuis quibusdā coli. Insuper cum non obscurè animaduerterent,eiusmodi putridis ac fœtentibus rationibus, sese parum apud rectè sentientes obtenturos esse,euestigiò ad uim confugiunt:ac primùm damnant sine omni fronte Synodos iconolatriā ex uerbo Dei euertentes,dirisq; execrationibus eas anathematizant, pios & sinceros doctores è suis sedibus exturbant: politicos magistratus,ipsos'que adeò Imperatores,gladio excōmunicationis non tantum territant, sed ueluti thronum Dei possidentes,præcipiunt subditis, ne eiusmodi magistratibus,uenerationem & inuocationem statuarum abolentibus, politicum honorem,obedientiam,tributa præstent. Concitant non modò iuramentis obligatos magistratibus,uerùm etiam alios reges,ut motis seditionibus & cruentis bellis,eiusmodi pios conatus, nimirum in gloria Dei uindicanda, quæ consistit in solius Dei inuocatione,quamq; alteri dare nō uult,impediant & ulciscantur. Memorabilis sanè causa est,quòd pontifex ob cultum deorum alienorum, in Ecclesijs statuendum & conseruandum, Imperium Occidentis à legitimo magistratu auulsit,id'que sibi arripuit,& translationem in Francos simulauit. Vnde liquet,eum statim cum adoratione deorū alienorum,regna huius mundi,& gloriam eius, hoc est potestatem transferendi accepisse. Multa sine omni dubitatione ex liuore,& diabolica sycophantia,in Leonem Imperatorem conficta,posteritati'que sunt tradita, quòd ille erga molientes seditionem passim in suo imperio,paulò maiori seueritate coactus est uti. Nam pontifex Romanus omnibus uiribus id agebat,ut non modò clandestinis artibus:sed etiam aperta uiolentia,nempe proditionibus, seditionib. cædibus, iconolatria assereretur atque obtineretur. Hæ circumstantiæ si essent dilucidè in literas relatæ,omnium aspectui exponerent, in seditiosos turbatores & grassatores pro grauitate animaduertendum fuisse. Sed si quis hac etiam in parte,ex præcipitanti ira(ut fieri non rarò solet) exorbitauit,id nos nequaquam defendendum suscipimus. Illud uerò in cōfesso est,quod hic præcipuè extare uolumus: Romanos pontifices, hoc est ipsissimum Antichristum, uoce Dei prædictum, publicam hoc seculo defensionem cultus & adorationis statuarum,contra Deum,contra uerbum eius, contra plurimarum Ecclesiarum iudicia,contra magistratum rectè sentientē, suscepisse:idq; nō modò uerbis,sed fulminib. excōmunicationis, & Mauortijs armis,tāquam Antichristum crudelē & immanem decebat.

Etsi autem Deus suum exiguum coetum, ab hac peste incontaminatum eo tempore conseruauit: tamen quia imperium Romanum, istum sessorem superbum admiserat, ac subinde magis magisque recipiebat, ideo suo freno, calcaribus atque flagellis, tandem omnem accipit principatum: atque in hac etiam causa, oppressis bonis triumphat. Licet enim aliqui uoces suas, hoc est confessiones & apologias obijcerent, inter quas etiam Caroli Magni adhuc extat: tamen FORTIS ille atrium suum ut occupauerat semel pro uotis suis, ita etiam ualidè tenebat ac tutabatur.

Istas historias modò tantum stringimus: speciem uerò ipsam seu res gestas, in hoc ipso opere inspiciēdas & euoluendas esse cēsemus. Satis enim nobis in præsentia est, ueluti digito cōmonstrasse, quantum referat, istas historias & conseruari & cognosci.

Discent igitur lectores, quibus honor Dei, & uera inuocatio, quæ unicum est asylum & sacra anchora Ecclesiæ Dei, curę cordique sunt, ipsum Antichristum ex hoc ipsius insigni nęuo cognoscere, ueluti ex rapaci ungue truculentum leonem. Discent hanc ipsam controuersiam de Iconolatria, quæ quidem adhuc palàm in foro totius Ecclesiæ CHRISTI agitatur, prudenter & rectè dijudicare. Nam pingunt hodie Pontificij, illam statuarum quantumuis foedam adorationem & uenerationem miris fucis & præstigijs, ac manibus pedibusque eam retinere nituntur. Cultu enim statuarum adempto, existimant defunctorum inuocationem, & exinde suos illos amplissimos reditus, sine quibus existere non possunt, corruere atque euerti. Interest igitur Ecclesiæ Dei, ueteres illas Ecclesiæ luctas & pugnas scire: ut quid fugiendum, quid'ue sequendum sit, dilucidè uideant omnes.

Discant Ecclesiæ Dei uigiles & præcones, tam tetras & detestandas idolomanias Pontificiorum non modò abhorrere, sed etiā maiori cura & zelo refutare: præsertim quia hoc nunc in clara luce uersatur, pontificem Romanum ipsissimum esse Antichristum, quem CHRISTVS spiritu oris sui patefecit. Abominentur quoque nonnullorum post tantam liberationem, impias ad Antichristum inclinationes, quibus hoc tempore Ecclesia Dei non parum turbata & deformata est.

Discant magistratus, qui seriò cogitant sibi coram iudice CHRISTO breui reddendam esse uillicationis suæ rationem, quòd ipsi quoque Caroli Magni & aliorum præclara exempla, in idolomanijs & reliquis corruptelis ac blasphemijs Papisticis palàm, & absque ulla trepidatione arguendis & conuincendis & abrogandis, sequi teneantur. Nam & magistratus est pars Ecclesiæ Dei: atque omnem suam operam, non ad dedecorandum & opprimēdum, sed potius ad ornandum gloriam Dei conferre debet. O quam sunt amentes illi homines, qui coram Antichristo, tam diro portento, genua flectunt, seque illi iuramentis deuouent, ut imperia huius mundi nanciscan-

ciſcantur. Matth. 4. Etſi autem prætextus fingãt,& poſtea quędam ueræ pietati,quod quidem ad externam ſpeciem attinet, ſimilia faciant: tamen ea ratione ſeſe iugo Antichriſti non exoluunt, ac multo minus ab ira iudicis CHRISTI ſeſe liberabunt.

Vobis autẽ,uiri ampliſsimi & ornatiſsimi,hoſce noſtros labores inſcribere & nuncupare uoluimus, quia exiſtimamus uos tantarũ rerũ lectione delectari,& rebus Eccleſiæ Dei ſeriò affici. Vtinã uerò plurimi mortales in hanc etiã curã incũberent,ut quæ nam ſemper uera Eccleſia Dei extiterit, & quæ nũc ea ſit,tum ex uerbo Dei, tum etiam ex hiſtoria omnium ætatum conſiderarent: ſeſeq́ꝫ fide, inuocatione & confeſsione ad eam adiungerent. Vtinam plures præſentia clementiſsimi Dei dona agnoſcerent, & gratis pectoribus celebrarent, quæ tanta liberalitate & ubertate,præſertim in Germaniam noſtram effuſa ſunt. Fruimur libris Propheticis & Apoſtolicis, qui tam dilucidè in uernaculam linguam ſunt transfuſi, ut uideantur quaſi ex Paleſtina ad nos commigraſſe Prophetæ & Apoſtoli omnes. Articuli doctrinæ cœleſtis omnes, tanta ſunt dexteritate illuſtrati,tam perſpicuè explicati,ut iuniores cum ſenioribus,quaſi in ipſo cœlo, ubi omnia diuina omnium oculis expoſita ſunt,uerſentur. Nunc etiam ſingulari Dei conſilio & fauore (nam ſoli Deo hoc opus adſcribendum eſt) Hiſtoriæ ſacræ poſt Apoſtolos ex terris remotos, continuatio accedit, ueſtigia Dei & diaboli machinationes proponens. Hæc Dei beneficia, etiamſi potiſsima hominum pars, ſuis mundanis curis obcæcata, non attendit, neque obſeruat: tamen ſtatuimus,à uobis magnifieri & prædicari, in gloriam altiſsimi Dei, & bonum exemplum aliorum, quorum corda Deus Spiritu ſancto ſuo accendit. Altera cauſa eſt, quòd agnoſcimus, nos eam ſignificationem gratitudinis & publicum honorem uobis debere, cum ueſtra munificentia etiam iſta hiſtoria CHRISTI hactenus ſuos progreſſus fecerit. Decet igitur, uos aliquam partem honoris iſtius hiſtoriæ ad poſteritatem ferre. Etſi autem non ignoramus,uos id minimè deſiderare:tamen id nobis non eſſe negligendum putauimus. Erit autem locus, ubi iſta opera , longè excellentiorem encomiaſten & remuneratorem accipient. Vtinam autem Dominus Deus ſuam benignè aſpiret benedictionem, ut quod præclarè cœptum eſt, debita continuatione ad finem uſque deducatur. Hæc ſcimus optare & precari omnes bonos in Eccleſia Dei. Nos quoque,Deo uolente & gubernante, ſi neceſſarijs ad eam rem adiumentis non deſtituti fuerimus, Eccleſiæ Dei operam noſtram prompto ac lubenti animo præſtabimus. Monemus etiam omnes in Domino IESV CHRISTO confratres, qui hunc laborem Eccleſiæ Dei utilem & neceſſarium iudicant, ut nos ſuis pijs precibus adiuuent: & inter alia hoc etiam orent, ut calumniatoribus & obtrectatoribus, qui impulſu diabolorum, hoſce ſalutares conatus impedire mani-

bus

bus pedibus'que, quod dici solet, nituntur, ipse Dominus Deus resistat. Sed ad uos, Amplissimi & ornatissimi uiri, reuertimur: atque rogamus, qua possumus reuerentia, ut hanc dedicationem pijs animis, uti speramus, accipiatis: uestro'que fauore nos, & istos labores amanter complectamini.

Bene ualete.

V. P.

Add.

Matthias Flacius Illyricus.
Iohannes Uuigandus.
Matthaeus Iudex.

ERRATA, OPERARVM INCVRIA COMmissa, sic emendabis.

Pag. 10 *uersu*, 11 Gabriel 42. 56 *arma ademit* 43. 16 Madys 207. 15 *gratias* 302. 39 *uoluntatis* 334. 38 *suas* 325. 27 *Secundæ* 341. 44 *patriarchij* 345. 24 *unusquisq;* 346. 50 *Copronymus* 347. 46 Coislam 347. 52 Romani 357. 16 *ipse* 371. 49 *respondet* 372. 12 *obseruationem* 375. 34. *libri 3. capite 8.* 377. 43 & Damiani 423. & 424 *numeri emendentur, pro 323 & 324 in octaua pag. ternionis s primi alphabeti* 425. 60 *Irenæ,* 438. 2 Dei hodie, qui 446. 43 *inunxerunt* 489. 4 *episcopis* 498. 13 *Caßinense* 511. 37 *decimooctauo* 512. 18 *iurisdictioni* 519. 33 Aquisgrani 520. 44 Bonifacium 548. 24 Nicena 554. 30 Stephano 556. 28 corporisq; 557. 28 *inhonorata* 40 *scilicet* 558. 12 *placuerunt* 20 *obumbrauit* 559. 57 *uirtutum* 562. 42 *indistinctim* 578. 10 *ne sit* 583. 52 *animo* 55 *oblata* 584. 29 *obsecramus, ut* 590. 12 *libellos* 611. 16 *quam sibi* 617. 55 προσκυνεῖν 612. 6 *anathematizamus* 666. 50 *licere* 673. 14 *aliàs* 675. 49 *intemeratæ* 677. 5 *fornicatricem* 8 *in qua* 679. 55 *infecta* 683. 6 *ad Imperatorem* 16 *Constantinopolitanum* 696. 51 *superbientibus* 700. 44 *adiunxerant* 709. 17 *Christianitatem* 721. 40 *de parte* 781. 25 *effecit. Helimandus* 819. 37 *susceperis* 826. 55 *ecclesiasticam* 830. 28 *à Saracenis captus* 833. 36 *pontificem* 845. 54 *monasticam* 851. 50 *uirtutum* 867. 44 *penuriam* 872. 27 *conto,* 45 *iniungant* 877. 24 *in hunc modum* 882. 6 *sub durißimis.*

Octauæ Centuriæ Histo- riæ Ecclesiasticæ

CAPVT I.



CTAVO seculo, cuius historiā nunc, Deo benedicēte in manus sumimus, Imperatores uixerūt Absimarus, Iustinianus, Philippicus: Artemius, qui & Anastasius dicitur: Theodosius, Leo Isaurus, Constantinus Copronymus, Leo filius eius, Constantinus & Irene.

Ecclesiæ Dei facies eo deformior & tristior est, quòd à duobus Antichristis, uno intus, altero foris grassante, miserè affligitur et dilaniatur. Saraceni enim, Mahometi blasphemijs addicti, Asiam & Africā opprimūt, atq; in ipsas etiam Hispanias & Gallias sese effundunt, Grçciam & Thraciam atq; ipsam Italiam infestant, ac bene constitutas Respublicas & urbes euertunt, ipsasq; ecclesias Dei horribiliter destruunt, ac Christi religionem passim extirpant: eaq; ratione partim nouitatis studio, partim ui & tyrannide, ad impietatem suam, numerosissimā Christianorum multitudinem pertrahunt.

Pontifices uerò Romani, Antichristi in tēplo Dei sedentis mancipia seu uicarij, cultū deorum alienorum instituūt: & Christo æterno nostro pontifice remoto, Sanctos mortuos intercessores pro genere humano decernunt: eosq; inuocatione, statuarū & imaginum erectione, templorum & altariū extructione & consecratione, reliquiarū translatione, auro, argento, gemmis, Missis, candelis, suffitu, geniculatione, honorari & coli præcipiunt. Doctrinam cœlestem corrumpunt: Sacramenta, ut baptismum & cœnam, à Domino instituta, traditionibus humanis contaminant, & in alios usus transferunt.

Ritus Ecclesiasticos ad ædificationem institutos, in superstitiosum Baalismum conuertunt: abiecto & neglecto munere, purè & syncerè doctrinam cœlestem propagandi.

Dæmoniorum doctrinam de nuptijs uetitis, & ciborum discrimine, uenditāt, sub prætextu insignis pietatis & cultus: & cœnobijs uirorum atq; mulierū complent uniuersum mundum, qui fœdis suis libidinibus omnia contaminant, & iram Dei orbi terrarum accersunt.

Ab obedientia Imperatorū et legitimi magistratus, totius Occidentis populos, ut seditiosi spiritus, auellunt: & uectigal, censum & tributum Cęsari dare uetant: & oppressis Longobardis per Francos, Italiam & regna huius mundi ac gloriam eius, hoc est potestatem transferendi Imperium, sibi rapiunt: ac dominos eius hoc modo sese, diabolico ausu, contra Christi edictum (VOS AVTEM NON SIC) constituunt: et maiestates nō modò contemnunt, sed adeò dementant & sibi subijciunt, ut pedes suos osculentur. Hæc cum Ecclesiæ & ueræ pietatis irrecuperabili damno, atq; adeò cum omnium Deum uerè timentium, & calamitates istas animaduertentium, luctu & mœrore facta esse, quis nō intelligit?

Cōtra hæc infinita mala, parū præsidij humani spōsa Christi habuit. Nā episcopos, pastores, doctores & ministros paucos synceros, fideles & cōstantes, hoc seculo est uidere: qui hostes illos, ut decebat, inclamassent: & gregē Domini de uera pœnitentia, de Deo rectè placādo, deq; lupis cauendis monuissent, & irā Domini auertissent. Nā præter Iohannē Damascenū, qui tamen & ipse ualde parū in ea re præstitit, haud alterū reperias, qui Mahometi errores refutasset, & miseras ouiculas Christi contra illa tetra uenena prę munijsset. Qui uerò apertè indicassent, idolatria sanctorū mortuorum, corruptelis doctrinæ cœlestis, ueritatis oppressione, Romanorum pontificum & aliorum sacerdotum sceleribus, monachorum & monialium libidinibus, & aduersum Magistratum rebellione, cædibus innocentū & similibus facinoribus impijs, Deum offensum, Saracenis largiri uictoriam, paucissimi fuerunt.

¶ Alterum uerò intestinum hostem, propemodum uniuersum uulgus episcoporum & monachorum, in Deo alieno Maosin erigendo & colendo, traditionibusq; humanis coaceruandis, adiuuit. Pauci quidam in Asia & Thracia sese opposuerunt, & imaginum cultum improbarūt: sed oppressi sunt multitudine errantium, & tyrannide patronorū Antichristi. Fuerunt etiam in Germania & Britannia quidam syncerius sentientes, qui Antichristi superstitionibus & corruptelis contradixerūt: sed & illi calumnijs

& ui à pontificijs deformatoribus oppresſi ſunt, eaq; ratione efficacia errorũ iuſto Dei iudicio uicit. Deinde etiam Magiſtratus, qui debuiſſent Eccleſiam tueri contra Mahometum & Babylonicam meretricem, parum prçſtabant. Nam Imperatores Conſtantinopolitani, Deo irato cum Saracenis cõfligentes, prædæ ſe illis exponebant:& uictoria amiſſa, potentiam & tyrannidem eorum augebant. Leo Iſaurus, & Conſtantinus Copronymus, & Leo iunior, ſtrenuè quidẽ contra imaginum cultum & ſanctorum adorationem & intercesſionem, contra reliquiarum uenerationem, & impuram monaſticæ uitæ caſtitatem, aliasq; pontificias corruptelas pugnabant: ſed eam ob rem, ſuorum perfidia & impietate bene uexati, & ab Antichriſto Romano, imperio Occidentis priuati: imò etiam à poſteris ſuis Irene fœmina ſuperſtitioſa & crudeli, & à Conſtantino filio eius damnati, omnesq; eorum conatus irriti facti ſunt. Longobardorum reges, pontificio iugo repugnantes, per Frãcos regno ſuo prorſus exuuntur: quas quidẽ exuuias pontifex capit. Pipinus periurus regnũ Francorum, & Carolus Magnus Imperialem dignitatem à pontificibus accipiunt, & gratitudinis ergò meretricem adorant, & characteres eius ſuſcipiunt, eamq; exaltant. Iuas Britanniç rex, ſuum regnum ultro ei facit tributarium. Neq; quiſquam rex, aut pontifex, aut opulentus Dominus in toto occidente fuit, qui nõ regno pontificio ſuis bonis inſeruijſſet. Atq; ita uerè orphana, & ab omnibus humanis præſidijs orba fuit Eccleſia Chriſti, & quaſi ouis in medio luporum conſtituta, miniſtris & tutoribus in hoſtium ſuorum caſtris contra ſeſe militantibus. Sed tamen Dominus noſter IESVS CHRISTVS, qui eã flagrantiſſimo complectitur amore, non recesſit ab ea, neq; planè ſterilem illã fieri permiſit: ſed ſemen aliquod ſanctũ, ſparſim & diffuſe ſeruauit, qui genua ſua ad idola pontificia, & Mahometicas blaſphemias nõ inflexerũt: ſed inter tot ſtipulas & cõmunes errores, fundamẽtũ retinuerũt: aut ab eo aliquãdiu auerſi, in agone tamẽ extremo, ſingulari Dei beneficio in uiã reducti ſunt. Quç quidẽ omnia, in ſequẽtibus ordine, perſpicuè & optima fide, Deo aſpirãte, cõmemorabimus.

CAPVT II.

DE LOCO ET PROPAGAtione Eccleſiæ.



Tſi Deus iuſto ſuo iudicio, ob contemptum ſuæ ueritatis, et perſequutionem rectè docentium, abiectis & uaſtatis Eccleſijs in Aſia & Africa, in Europam, & maximè ad Occidentem & Septentrionem, ſuam ſedem & domicilium tranſtulit: tamen etiam in illis ipſis locis reliquias quaſdam ex immenſa ſua bonitate pasſim ſeruauit. id quod teſtãtur dicta Patrum, quibus referunt, hoc ſuo ſeculo Eccleſiam fuiſſe per totum orbem terrarũ diffuſam. Nam Tharaſius Conſtantinopolitanus in tertia actione ſynodi Nicenæ inquit: Oriens & Occidens & Septentrio & Meridies, ſub iugum unum inclinant, & unam concordiam acceptant. Et Daniel quidam epiſcopus, in epiſtola ad Bonifacium inquit: Si omnipotentes ſunt Dij benefici & iuſti, non ſolum ſuos remunerant cultores, uerumetiam puniunt contemptores: ſi hæc utraq; temporaliter faciunt, cur ergo parcũt Chriſtianis, totum penè orbem ab eorũ cultura auertentibus, idolaq; euertentibus? Et Beda in Iob libro 1. cap. 12. ait: Doctrina & prædicatio Euangelij magnificata eſt ſuper omnem terram, ut eam omnes gentes ubiq; leuatam mirentur. Et in 3. librum Tobiæ cap. 8. dicit: Prædicationem Euangelij à ſolis ortu uſq; ad occaſum latisſimo ſpacio eſſe expanſam. Idem in Lucam libro 4. cap. 13. ſcribit: Creuit Euangelij prçdicatio cunctum diſſeminata per orbem: creſcit & in mente cuiuſq; credentis. Carolus Magnus lib. 3. cap. 7. de cultu imaginum inquit: Per tam prolixas, per tam uaſtas mundi partes eſt catholica eccleſia, quæ utique Chriſti dilectus eſt populus, diffuſa, & tã per inacceſſas & ignotas nationes Domino largiente dilatata.

Cum autem Lectorem delectet, quaſi in Synopſi ſigillatim intueri præcipua loca, in quibus hoc ſeculo Eccleſia ſuum hoſpitium habuit: per orbis habitati partes diſcurrentes, recenſebimus ea loca, quorum in hiſtorijs pasſim fit mẽtio. Etſi autem non in omnibus locis æquè numeroſæ, neq; prorſus à fermentis hæreticorum & humanarum traditionum uacuæ fuerunt Eccleſiæ: tamen aliquod ſemen ſanctum Dominus ſibi ſeruauit, quod ſua genua coram idolis nõ flexit, & inter uarias ſtipulas nonnihil de fundamento ueritatis retinuit.

DE ECCLESIIS *per Aſiam.*

IN PALAESTINA harum ferè Eccleſiarũ fit mentio.

Hieroſolymæ. Theodorus enim ibi egit patriarcham: ut teſtatur Paulus Diaconus libro 22. rerum Romanarum. Et de reliquijs à patriarcha Hieroſolymitano miſsis Carolo Magno, Adon Viennenſis narrat Com. ætatis 6. Ethnicos tamen etiam ibi fuiſſe, indicat Henricus Erphurdenſis.

Bethaniæ. Nam Beda teſtatur in Marcũ libro 3. capite 11. templum ſuper Lazari monumentum iſthic extructum eſſe.

Maiumæ. Ibi enim Petrus Chartulanus martyr factus est. Paulus Diaconus libro 22. rerum Roman. Meminit & Cosmæ episcopi Maiumæ, Damascenus in Logica.

In ARABIA celebrantur: Silæum, ubi Constantinus monachus episcopus designatus est. Zonaras tomo 3. Et Basilius, eius episcopus, in 7. actione Nicæna celebratur.

Gorda, cuius episcopus Gregorius numeratur, in Catalogo patrũ 7. actionis Nicenæ.

Iassus Dauidem episcopum misit ad Nicenam Synodum, ut patet ex 7. actione.

Inter SYRIACAS hę propemodum annotantur: Antiochia, cuius episcopus celebratur Stephanus & Maruas, apud Paulum Diaconum lib. 24. rerum Romanarum.

Berythus, ubi episcopũ egit Adeodatus, qui multos Iudæos conuersos baptisauit. Sigebertus in Chronicis.

Epiphania: cuius episcopum Cosmam nominat Paulus Diaconus libro 22. rerum Romanarum.

In Gabala ciuitate Syriæ, quidam Agareni sagittarij cum Cyprijs Christianis ingrediuntur templũ, actione 4. Nicenæ Synodi.

Laodicea, cuius episcopus Gilfredus fuit: ut annotat Sigebertus in Chronico. Et Eustathij Laodiceæ episcopi mentio fit in 7. actione Nicenæ Synodi.

Hierapolis. Nicolai episcopi Hierapoleos mentio fit in prima actione Nicenæ Synodi.

Emisa. Nam ibi archidiaconi cuiusdam filiæ martyrio affectę sunt. Paulus Diaconus lib. 23. rerum Romanarum.

Heliopolis episcopus Constantinus, in 7. actione Nicena celebratur.

Adrames episcopus est Nicephorus, in eadem actione.

In MESOPOTAMIA etiam Ecclesia Dei habuit locum, & hospitium. Damasci enim, licet Arabes in pios maximè sęuirent, tamen aliqua Ecclesia mansit: ut patet ex Zonara tomo 3. & Paulo Diacono libro 20. & 22. rerum Romanarum.

Edessæ. Mentio fit eius Ecclesiæ in 5. actione Nicenæ Synodi.

Charris. Meminit enim martyris Eutychij ibidem interfecti, Paulus Diaconus libro 21. rerum Romanarum.

Dermes episcopus est Theodorus, in Catalogo 7. actionis Nicenæ.

In CILICIA. Sida, cuius mentio fit in actione 2. Synodi Nicenæ.

Et Cibyra, episcopum suum Gregorium habet, in catalogo actionis septimæ Synodi Nicenæ.

PAMPHILIAE hæc celebrantur loca: Pergæ, Sisinnij episcopi eius mentio fit in Synodi Nicenæ actione prima.

Aspendos episcopum Leontem misit ad Synodum Nicenam, ut patet ex Catalogo 7. actionis.

In PISIDIA. Nam episcopus eius interest Synodo Nicenæ, actione 1.

Antiochiæ. Nam episcopus eius Gregorius interest 7. actioni Nicenæ: & Seleuciæ Pisidiæ Petrus est episcopus, ibidem.

Iozopoli. Meminit imaginis Marię isthic unguentum effundentis, Germanus in epistola ad Thomã, actione 4. Synodi Nicenæ.

In LYCIA sedes Ecclesiæ fuit Myra, cuius episcopus Theodorus interfuit Synodo Nicenæ actione 1.

Et Patara, cuius episcopus Anastasius interest 7. actioni Nicenæ, ibidem. Et Limyræ episcopi fit mentio.

In IONIA. Ephesus, episcopi eius Theodosij meminit Zonaras tomo 3. pag. 88. Ac centum auri libras Constantinum ei Ecclesiæ donasse, Paulus Diaconus lib. 23. rerum Rom. pag. 331. refert.

Philadelphia. Stephanus enim episcopus eius, interest 7. actioni Nicenæ.

Smyrna. Antonius monachus uices episcopi Smyrnensis agit in 7. actione Nicena.

In CARIA. Metropoleos Cariæ locum tenet Theophylactus diaconus, in Synodi Nicenæ actione 2.

Mileti episcopus est Epiphanius, in actione septima Nicena.

Magnesiæ episcopus est Basilius, in actione septima Nicenæ Synodi.

Bargyliæ, Myndi & Halicarnassi episcoporum fit mẽtio in septima actione Nicæna.

Nyssæ, cuius episcopus Ioannes uenit ad Synodum Nicænam, ut patet ex actione septima.

In LYDIA, Sardes. Nam Sardensium episcopus Euthymius, interest septimæ actioni Synodi Nicenæ.

Tralles. Nam episcopi Trallium nomen extat in Catalogo actionis septimæ Nicenę.

Prienes episcopatum rexit Ignatius, qui & interfuit Synodo Nicenæ in actione septima.

Magnesia, cuius episcopus Basilius fuit: ut patet ex eadem actione septima.

Tripolis, Anastasium episcopum habet, in septima actione Nicena.

Et Thyatiræ episcopi uicem obit Esaias presbyter, in eadem actione.

Stratonicæ episcopus est Michael, cuius mentio fit in eadem actione.

Amyzonis episcopi mentio fit apud Paulum lib. 26. rerum Rom. & Cadorum episcopus interest 7. actioni Nicenæ.

In LYCAONIA. Iconij enim episcopus Leo interest actioni primæ Concilij Niceni.

In PHRYGIA plurimæ recensentur Eccle-

siæ, ut sunt: Pergamum, cuius episcopi Pastilæ meminit Zonaras tomo 3. & Basilius eius episcopus interest Nicenæ Synodo.

Ilium, cuius episcopus Nicetas interest septimæ actioni Nicenæ.

Synnada. Ioannis eius episcopi mentio fit in quarta actione Synodi Nicenæ, in Epistola Germani.

Daldea, ubi Ioannes episcopum egit, cuius meminit Catalogus in actione septima Nicena.

Troadis episcopus est Eustathius, in septima actione Nicena.

Antandri episcopus Marianus, in septima actione Nicena recensetur in Catalogo.

Assi episcopum egit Ioannes, ut patet ex eodem Catalogo.

Phocææ episcopi Leontis meminerunt acta Synodi Nicenæ.

Pitanæ, cuius episcopus Pardus interest Nicenæ Synodo.

Amorium. ibi episcopum egit Theodosius: cuius fit mentio in secunda Synodo Nicena, actione prima.

Peltæ episcopus est Georgius, in septima actione Nicena.

Eumeniæ, Leon: ibidem.

Cotyæi, Constantinus.

Acmoniæ, Paulus: ibidem.

Docimi, Leon: in eadem actione septima.

Sibbij, Ioannes: ibidem.

Eucarpiæ, Constantinus: ibidem.

In PAPHLAGONIA, Pessinuntis episcopus Gregorius celebratur, in actione prima Concilij Niceni. Et Germanopolis episcopus est Theodorus, in septima actione eiusdem Synodi.

In ASIA, propriè sic dicta, Natalia: cuius episcopus Leoni suasit, ut imagines tolleret. Paulus Diaconus libro 21. rerum Romanarum.

Parium, habuit episcopum Sisinnium, qui interest septimæ actioni Nicenæ Synodi.

In BITHYNIA, Chalcedonensis ecclesia celebris est. nam episcopus eius ad Ioanniciũ accessisse dicitur, apud Metaphrasten: & Stauratius eius episcopus interest septimæ actioni Nicenæ Synodi.

Et Nicomedia: cuius episcopus Petrus, interest septimæ actioni Synodi Nicenæ.

Et Nicæa, ob Synodum septimam contra imaginum reprehensores insignis est. Zonaras tomo tertio, & Diaconus lib. 23.

Et Claudiopolis, ad cuius episcopũ Thomam Germanus epistolam scripsit, quæ in quarta actione Synodi Nicenæ extat.

Apameæ Bithyniæ episcopus est Eustratius, in Catalogo septimæ actionis Nicenæ. Et Dascylæi episcopi uicẽ gerit Basilius, ibidem. Et Cæsareæ Bithyniæ episcopus Constantinus, ibidem annotatur. Item Prusæ episcopus, Theodorus.

In HELLESPONTO, Cyzicum: unde reuocatum narrant Germanum Constantinopoleos episcopum. Zonaras tomo 3. & Sigebertus in Chronico. Et Nicolai episcopi Cyzici mentio fit in actione septima Synodi Nicenæ.

Lampsacus, & Dardanum, & Abydus: episcopi enim eorum intersunt septimę actioni Nicenæ.

In GALATIA nominantur Ecclesiæ: ut Ancyra, cuius episcopus Basilius in septima actione Synodi Nicenæ.

Didymorũ episcopus Nicodemus, in eodem Catalogo septimæ actionis Nicenæ nomen habet.

Synope, cuius episcopi Gregorij, in exercitu Armeniacorum interfecti, meminit Diaconus libro 23. rerum Romanarum.

In ISAVRO Seleucia fouit Christi religionem. nam Theodorus episcopus eius in Catalogo septimæ actionis Nicenæ Synodi extat.

In PONTO. meminit enim Beda libro 2. de Ratione temporum, Cyri abbatis in Ponto, qui Constantinopoleos factus sit episcopus.

Heracleæ Ponti episcopus Ioannes interest septimæ actioni Nicenę. Et Polemij Constantinus, ibidem.

In CAPPADOCIA. Cæsaræa, antiqua sedes Ecclesiæ, etiam hoc seculo aliquot pios habuit. nã episcopus eius Ecclesiæ Agapius, inter fuit septimæ actioni secundæ Synodi Nicenæ.

Sebaste, episcopi eius Leontis nomen extat in septima actione Nicena.

Pompeiopoli episcopũ egit Maurianus, in actione septima Nicenæ Synodi.

Neocæsarea. ibi enim Epiphanius egit episcopum, qui actione secunda adducitur ad Synodum Nicenam.

Tyana, cuius mentio fit in septima actione Synodi Nicenæ.

Baratta, cuius episcopus Lycastus interfuit Synodo Nicenæ.

Nec ARMENIA prorsus Ecclesijs Christi uacua fuit. nam mentio fit Colchidis, cuius episcopus est Sisinnius in septima actione Nicenæ Synodi.

Nicopoleos Armeniæ secundæ episcopi uicem gerit Ioannes presbyter, in actione septima Nicenæ Synodi.

In PERSIA. Hyrcanes episcopus Eustathius, in septima actione Nicenæ Synodi celebratur.

Et INDIA. nam Ogerus dux in India superiori, Ioannem regis Frisorum filium, dictum presbyter Iohann, pręfecit imperio: & subiecit

subiecit ei quatuordecim Barones, ut ibi Christiana religio permaneret. Fasciculus temporum.

DE ECCLESIIS *per Africam.*

IN AEGYPTO non omnes interierunt Ecclesiæ, licet Sarraceni & hoc & superiori seculo maximè in istis regionibus grassati sunt in Christianos. Nam Carolum Magnũ in Ægyptum & Africam Christianis pauperibus eleemosynas misisse, narrat Sigebertus in Chronico. Celebrantur autem nominatim adhuc ista loca, ut hospitia piorum.

Alexandria, ubi licet Monothelitæ hæretici aliquandiu grassati sunt: tamen iterum anno secundo Copronymi Ecclesia colligi cœpit, ut narrat Paulus Diaconus libro 22 rerum Romanarum, & libro 23. Et episcopum eius Achillea nominat Hẽricus Erphurdensis, capite 69.

In AFRICA, Carthago. nam pauperibus Christianis Carthaginẽ misit eleemosynas Carolus Magnus. Vrspergẽsis: & Crantzius in Saxonia libro secundo, capite octauo.

Erytheiæ episcopus Eustathius, nomen habet in Catalogo patrum Nicenæ Synodi actione septima.

DE ECCLESIIS INSVLARIbus in mari Mediterraneo.

FVit Ecclesia in Cypro, & nominatim aliquot oppidorum fit mentio: ut Constantiæ, episcopus eius Ioannes interest septimæ actioni Nicenæ Synodi, ac meminit eius Carolus lib. 3. cap. 17. de Imaginibus.

Paphi, cuius episcopus Michael interest septimæ actioni Nicenæ Synodi.

Solorum & Chytrorum episcopi interfuerunt septimæ actioni Nicenæ Synodi.

Citij episcopus Theodorus, in eadem actione præsto fuit: & Trimethuntis episcopus est Georgius, ibidem.

Et in Rhodo, cuius episcopus Leo interest Synodo Nicenæ in actione prima.

In Carpatho episcopum egit Leo, cuius mentio extat in prima actione Nicenæ Synodi.

In Pathmo, Leontis episcopi fit mentio in septima actione Nicena.

In Proconneso episcopum egit Nicetas, qui interest septimæ actioni Synodi Nicenę.

In Creta Helias egit episcopum, ut constat ex septima actione Synodi Nicenæ. Et Gnosi est episcopus Anastasius, & Cydonij Melito, & Cisami Leontius, & Medi Galatas, ibidem.

In Lemni ciuitate Myrina Cosmas egit episcopum, ut patet ex actione septima Synodi Nicenæ.

In Chio Leon episcopus, interest septimę actioni Nicenæ Synodi.

In Andro episcopum egit Constantinus, ut constat ex eadem actione septima.

In Samo Heraclius, ut patet ex eadem actione.

In Lesbo Methymnæ Eustrathius est episcopus, in septima actione Nicenæ Synodi.

Et Mytilenæ Damianus fuit episcopus, ut patet ex actis Nicenæ Synodi.

In Corcyra episcopus est Philippus, ut patet ex eadem actione.

Ægines episcopus annotatur Gabrieli in 7. actione Nicena.

In Zazyntho Leon est episcopus, ibidem.

In Cephalenia. nam episcopi eius uicem sustinet Gregorius presbyter, in septima actione Nicena.

Venetijs. nam Veneti, Leoni iubenti imagines comburere, obtemperare noluerunt. Paulus Diaconus libro 6. ca. 14. de gestis Longobardorum.

In Sicilia. nam episcopi ex Sicilia interfuerunt in secundo Concilio Niceno, actione prima.

Messanæ: cuius episcopus est Gaudiosus, in actione septima Nicena.

Panormi episcopus est Theodorus, ibidẽ.

Catanæ: eius episcopus Theodorus, in actione prima Synodi Nicenæ celebratur.

Lilybæi episcopus est Theophanes, in septima actione Nicena.

In Corsica episcopũ ordinauit Zosimus, ut annotat Damasi continuator.

Sardiniæ episcopi uices agit diaconus Epiphanius, in septima actione Synodi Nicenæ.

DE ECCLESIIS *per Europam.*

IN GRAECIA Egidium claruisse, Sigebertus annotat in Chronico.

Trœzenes episcopus Antonius, interest Synodo Nicenæ: ut patet ex actione secunda.

Patræ episcopi uicem suppleuit in Nicena Synodo, Ioannes monachus.

Colones episcopi locum tenuit Ioannes presbyter, in septima actione Nicena.

In ACHAIA. nam Lebadiæ episcopus est Thomas, qui numeratur inter patres Nicenæ Synodi, in actione septima. Parnasi episcopus Stephanus, ibidem celebratur.

In ARCADIA episcopum egit Ioãnes, qui interest septimæ actioni Nicenæ.

Dyrrhachij, ubi episcopum egit Nicephorus, ut patet ex Catalogo episcoporum qui interfuerunt septimæ actioni Nicenæ Synodi.

Gangrorum, episcopi Cõstantini mentio fit actione septima Synodi Nicenæ.

Macedonia Thessalonicæ: Thomas enim ibi episcopum egit. Diaconus lib. 33 rerum

Rom. Et Artemius monachum ibi egit. Zonaras tom. 3. Et episcopus eius Theophilus, interest septimæ actioni Nicenæ Synodi.

Otri episcopi Stephanus presbyter uices agit, in eadem actione.

In THRACIA celebrantur Ecclesiæ hospitia: Constantinopolis, cuius patriarchã Callinicum & Cyrum, annotat Zonaras tomo 3. & Beda libro 2. de Ratione temporum. Et Leo presbyter Constantinopoleos, interest secundæ actioni Nicenæ Synodi.

Adrianopolis, cuius episcopus Manuel celebratur, in septima actione Nicena.

Debelti, Eustrathius ibidem inter patres extat.

Bizya. Episcopus enim eius est Theodorus, in septima actione Nicena.

Cypsellæ episcopus Theophylactus fuit, ut patet ex eadem actione.

Heraclea. meminit enim monasterij & templi, ibi à rege Venetiarũ extructi, Bergomensis libro 10. Chronicorum.

Rhadestum, seu Bisanthe. nam episcopus eius Ioannes, interfuit septimę actioni Synodi Nicenæ.

Neocęsareæ Thracię episcopi Leontis nomen extat in septima actione Nicena.

Niceæ Thraciæ episcopus est Ioannes, in eadem actione.

In BVLGARIA. nam Tolericus Bulgarorum dux baptisatur anno Christi 778. ut narrat Sigibertus. Et Theodorus Bulgarophygi episcopus, interest septimæ actioni Nicenæ Synodi.

In ILLYRIA. nam episcopi Illyrici in actione prima Nicenæ Synodi adfuisse dicuntur.

In SCLAVONIA, Bonifacius Ecclesiam collegit: ut Fasciculus temporum annotat.

In MYSIA. nam Mesembriæ episcopus Leon interest Synodo Nicenæ, in actione septima.

In DACIA. nam Carolus Magnus per Daciam, Metanestas & Iazyges transiens, sacerdotes passim iussit Christi religionẽ populo tradere. Bonfinius rerum Vngaricarũ Decad. 1. libro 9.

In Dardania. nam Theodosius præses apud Nesium, interest quartæ actioni Synodi Nicenæ.

In Chersoneso. nam Olbiani Elææ episcopi nomen extat in septima actione Nicena.

Calliopolis episcopus Melchisedeck, eidẽ Synodo interfuit actione septima.

In PANNONIIS. nam ibi Slauorũ & Hunorũ facta est conuersio tempore Caroli Magni, ut postea dicetur: ac Bonifacium in Pannonia diaconos & episcopos cõstituisse, Mutius refert in Chronico.

Sicambriæ, seu Budæ. nam ibi propagatio quædam facta est ad Vngaros. Bonfinius Decadis 1. lib. 9. rerum Vngaricarum.

In Sarmatia, Cremnorum episcopi Theodori nomẽ recensetur in Catalogo septimæ actionis Nicenæ Synodi.

In ITALIA. nam Stephanus papa cum multis episcopis, Italiæ Synodum celebrauit. Sigebertus in Chronico.

Romę, cuius episcoporum uitas infrà suo loco describemus.

In Thusculano episcopus Benedictus fuit: ut indicat Blondus libro 10. Decadis 1.

Tiburi. episcopum enim Tiburtinum, Albanensem & Prænestinum Desiderio Longobardorum regi obuiam misit Adrianus: Blondus libro 1. Decad. 2.

Cumarum episcopus est Stratonicus, in actione septima Nicenæ Synodi.

Narniæ: ubi ad ædem Valentini martyris Zacharias pontifex Romanus, corã Luitprãdo Longobardorum rege concionem habuit. Blondus libro 10. Decad. 1.

Spoleti, ut patet ex Blondo libro 1. Decad. 2.

Beneuenti. nam Gisulphus ibi Sophiæ templum extruxit: ut narrat Leo Hostiensis libro 1, de monasterio Casinensi, cap. 6 & 10.

Hostiensis episcopi meminit Continuator Damasi.

Capuæ. meminit enim Gregorij Capuani presbyteri, Adrianus Papa in epistola ad Carolum.

Caietæ. nam Campolus Caietanus episcopus & Pentapolensis scripserũt ad Adrianum, ut patet ex eius epistola ad Carolum.

Lirinensis, Italorum cœnobij, in quo Benedictus Biscopius tonsuram susceperit, meminit Balęus Centuria prima scriptorũ Brytannicorum, folio 83.

Sutrinensis, Veliternensis, Belerani, Sabinatensis, Portuensis, Prænestini episcoporũ mentio fit in Concilio Romano, à Gregorio tertio conuocato.

Rauennæ. nam Felicis eius archiepiscopi meminit Henricus Erphurdensis, cap. 62.

Albanensis episcopi meminit Continuator Damasi.

Mantuę: quò sanguinem ex latere Christi profluentem delatum esse, nugatur Iacobus Bergomensis libro 10.

Foroiulij. illam enim Ecclesiam muneribus auxit Carolus Magnus, ut refert Mutius libro 8.

Mediolani. nã Benedictus ibi egit archiepiscopum, ut narrat Diaconus libro 6. cap. 10. de gestis Longobardorum. Et Thomæ episcopi baptisantis Caroli filiam, meminit Annonius de rebus gestis Francorum libro 4. capite 73.

In

In Longobardia & Tuſcia. nam meminit Adrianus in epiſtola ad Carolum: item epiſcopi Piſani & Lucani, ibidem.

Ticini Carolus celebrauit natalem Domini. Annales Francici: & Paulus Diaconus meminit epiſcoporum eius Eccleſiæ, libro 6. de geſtis Longobardorum.

Veronæ, ubi Theolapius dono prophetię clarus uixit. Paulus Diaconus libro 10. capite 18. de geſtis Longobardorum.

Florentiæ, meminit Auentinus libro 4. Annaliũ. Et Carolus Magnus natalem Domini ibi celebrauit, ut indicat Vrſpergenſis.

Caſsinenſis cœnobij, in quod Carolus ſe ſe recepit, meminit Iuo in Chronico.

Gradenſis ſæpe meminit Sabellicus, in hiſtoria huius ſeculi: ac dona ei obtulit Carolus Magnus, ut narrat Mutius lib. 8.

Aquileiæ. Caliſtus Aquileienſis antiſtes, ſibi uendicauit inſulas Eccleſiæ Gradenſis, ut refert Sabellicus. Meminit Auentinus libro 4, Paulini epiſcopi Aquileiæ.

Hiſtriæ. nam epiſcopi eius Mauricij Adrianus papa mentionem facit in epiſtola ad Carolum.

Rhegij epiſcopatum geſsit Conſtantinus, ut patet ex ſeptima actione Nicena.

Gallia etiam frequentiſsimas habuit Eccleſias, ut patet ex Concilijs Romæ & in alijs locis habitis. Et meminit Eccleſiarum in Francia, Regino libro 2.

In Maſsilia. Sereni epiſcopi Maſsilienſis meminit Antoninus titulo 14. cap. 1.

In Gallia Narbonenſi, Lingonenſis Eccleſia celebratur à Beda, de Ratione temporum libro 2. Et Viennenſis, ætate 6. Et Balęus refert, Geolfridum ibi in templo geminorũ Martyrum ſepultum eſſe.

Cabillinorum. nam in ea urbe Conciliũ eſt habitum, ut infrà dicetur.

Viennenſis, quæ aliquot annis quidem ſine epiſcopo fuit, propter quorundam ſacrilegorum rapacitatem: ſed tamen non prorſus omnes pij defecerunt. Adon Viennenſis Cõment. 6. ætatis.

Bituricenſis, cui munera largitus eſt Carolus Magnus. Mutius libro 8. Ermenbertus epiſcopus eius à Carolo ad Adrianũ papam miſſus pallium impetrauit, ut patet ex epiſtola Adriani ad Carolum.

Arelatenſis. Auxit eam muneribus Carolus Magnus, ut indicat Mutius libro 8. Mentio eius epiſcopi Ioannis fit in Concilio Arelatenſi.

Nouiomagi Carolus celebrauit Paſcha. Annonius libro 4. capite 6. de geſtis Francorum.

Aureliæ. Epiſcopus eius Felix fuit, qui poſtea autor cuiuſdam hæreſeos factus eſt. Adon Comment. 6. ætatis. Annales rerum Francicarum, Orgellos uocant ciuitatem in Pyrenęi montis iugo ſitam.

Senonenſis Eccleſiæ Ebbo urbem liberat ab obſidione Vandalorum. Annonius libro 4. cap. 55. de geſtis Francorum.

Rodani, Remigius Pipini regis frater epiſcopum egit, anno Domini 751. Sigibertus in Chronico.

Lugdunenſis. nam eius meminit Adon Comm. 6. ætatis. & Æmylius libro 2. de rebus Francorum.

Ebrodunenſis, quã locupletaſſe Carolus Magnus ſcribitur.

Andegauenſis, Albini eius epiſcopi meminit Vincentius.

Burdegalę. Ibi enim in pios Abderamius Saracenorũ rex ſæuijt, ut narrat Blondus libro 10. Decad. 1. Et Sigebertus in Chronico. & Auentinus lib. 3. Annalium.

Rotomagenſis. nam erga hanc Eccleſiã liberalẽ ſe quoq; præbuit Carolus Magnus: teſte Mutio libro 8. Et poſt coronationem ibi paſcha celebrauit. Vrſpergenſis.

Cenomanenſis. Epiſcopum ibi egit Aethereus, ut patet ex epiſtola Zachariæ Papę.

Pariſijs abbatem egit Volradus. Sigebertus in Chronico.

Papienſis. nam Carolus Magnus in eo loco Natalem Domini celebrauit. Erphurdenſis cap. 68. & Vrſpergenſis in Chronico.

Antiſiodorenſis epiſcopus fuit Claudius Clemens. Balæus Centuria 14. Scriptorum Brytannicorum, cap. 33.

Orgellis, ciuitatis in Pyrenęi montis iugo, epiſcopus Felix eſt: ut indicat Annonius lib. 4. cap. 83. de rebus Francorum.

Tũgrenſis epiſcopus fuit Fulgarus, ut patet ex epiſtola Zacharię papę in Tomis Conciliorum.

Traiectenſis epiſcopus fuit Lambertus, ut annotat Tritemius in Epitome gẽtis Anglorum: & Bonifacium eò ablegaſſe Gregorium quendam ſuum diſcipulum, Hedio annotat lib. 6. cap. 21.

Vltraiectenſis. nam Vuillebrordus Friſorum epiſcopus, epiſcopatũ ibi inſtituit. Hortenſius libro primo rerum Vltraiectinarũ.

Leodienſis, ad quam Hugbertus epiſcopalem ſedem à Traiecto tranſtulit. Sigebertus in Chronico.

In urbe Metenſi epiſcopũ Drogo egit, ut cõſtat ex Chronico Quedelburgenſi. Et Cotdogandus, ut annotat Sigebertus in Chronico. & Pyrminius. Auentinus libro tertio Annalium.

Remorum epiſcopus uocatur à Sigeberto in Chronico. Et Turpini Remorũ epiſcopi meminit Erphurdenſis cap. 68.

Turonenſis, ad cuius templum in honorẽ Martini extructum Saracenos contendiſſe,

narrat Blondus libro 10. decadis 1.

Etiam HISPANIA hospes & nutrix Ecclesiarum Christi fuit: licet hoc seculo non tantum Saracenorum gentis imperio cessisse, sed etiam in fide iacturã fecisse dicatur apud Sabellicum Enneade 8. lib. 7. Sed à Carolo Magno usq; ad Cordubam recuperata, & ad fidem ueram reducta est: Ptolemæus Lucensis in Rudimento, & Platina in uita Adriani.

Sindaredus episcopus Hispaniæ, interfuit Concilio Romano sub Gregorio III.

Et sigillatim quædã Ecclesiæ indicantur, ut sunt: Asturiensis & Ouentenẽsis, ubi templum ędificauit Alphonsus rex Hispaniæ, ex manubijs Maurorum. Ritius libro 2. de Regibus Hispanicis.

Et in Bætica. nam Hispali episcopum egit Verus. Hedio libro 6. capite 21.

Et in Gallicia: Compostellensis. nam Carolum Magnum beati Iacobi ecclesiam ampliasse & locupletasse, Erphurdensis indicat cap. 68.

Nec GERMANIA multitudine & celebritate Ecclesiarum alijs terris inferior est. nam Gregorius tertius scripsit Thuringis, Hessis, Bortharis, Nistresis, Vuedredis & Lognais, Sudnodis & Graffeltis, & omnibus in Orientali plaga constitutis. Et apud Burgundos, Christianos fuisse, constat ex Adonis Com. 6. ubi narrat, Sarracenos in Burgundia monasteria & loca sacra exussisse. Et celebrat Sigebertus Gendulphũ, inter Burgundos clarum.

Et Treuiros, quorum Ecclesiæ bona quædam cõtulit Carolus Magnus: ut refert Mutius libro 8. Nodoaldi Treuirorum episcopi Crantzius meminit libro 2, capite 1. Saxoniæ.

In Dolegia monasterium construxit Pyrminius. Trithemius in Epitome rerum Franticarum.

Apud Cameracenses Hilduardus egit episcopum. Iacobus Meier.

Coloniæ Agrippinę, cuius episcopus fuit Hildegarius: ut annotat Hermannus Contractus in Chronico. Seu Hildebaldus, ut Crantzius in Saxonia libro 2. capite 15. Et Electrudis uxor Pipini, monasterium ibi ædificauit: ut narrat Chronicon de ducibus Bauariæ.

Vuerdensis episcopatus, & Dorstadij, meminit Crantzius in Metropoli libro 1. cap. 6. & 13.

Aquisgrani celebrauit Carolus natalem Domini, ut est in Annalibus Francicis. Et ibidem basilicam extruxit Carolus, ut indicat Sigebertus in Chronico.

Mogunti. Ibi enim Pipinus celebrauit natalem Domini & Pascha, Regino libro 2. Chronicorum. Et Bonifacius ibi episcopũ egit, cui successit Lullus. Hermannus Contractus in Chronico.

In urbe Vangionum, seu Vuormaciæ. nã sub Gregorio tertio papa, ibi archiepiscopatus fuit: cui præfuit Theroldus & Gerbilus, ut annotatur in Chronico Æditui.

Basileæ, cuius episcopum Vualamum celebrat Munsterus in Cosmographia.

Constantiæ. nam Ernfridus episcopus eius fuit. Hermannus in Chronico.

Augiensis monasterij à Pyrminio extructi, meminit Trithemius in Epitome regum Francorum.

Argentorati, cuius episcopus fuit Etho, ut annotat Hermannus in Chronico.

Episcopatum ibi erexit rex Francorũ Dagobertus, ut refert Gigas.

In Diœcesi Argentinẽsi in Schuuartzach, & Gegenbach, & Schutera, monasteria Pyrminius fundauit: referente Trithemio in Epitome regum Francorum.

In Saletio, oppido distãte sex milliaribus ab Argentorato, Pipinus Pascha celebrauit: ut narrat Vrspergensis.

In Vindelicia. nam in superiori Vindelicia intra Isarum & Ænum, in faucibus Alpium, prope lacum Tigurinum, monasteria quædam fuisse, meminit Auentinus 3 Annalium.

Augustę Vindelicorum episcopus fuit Periochius. Munsterus in Cosmographia.

Neoburgi episcopus Mannus fuit. Auentinus libro 3. Annalium.

In ELSATIA, apud uillam Silestadium, Carolus Magnus natalem Domini celebrat. Regino libro 2. Chronicorũ, & Auentinus libro 4 Annalium.

In Norico. nam in Norico Ripensi, & Hunnia, Hippolyto templum extruxerunt Albertus & Ottogerion: unde urbi nomen factum est S. Polten. Auentinus libro 3 Annalium.

In SVEVIA. nam episcopis Sueuiæ Gregorius Papa commendauit Bonifacium: ut refert Mutius lib. 6. Chronico German.

In BAVARIA. nam Thassilo dux Bauarię monasterium Pollingen, Bosenbrũnen, Sancti Nicolai Batauiæ, Beltenburgk, Krembsmunster, Larch, Pfaffenmunster instituit: & episcopalem sedem à Laureaco transtulit Batauiam: ut indicat Chronicon de ducibus Bauariæ, & Trithemius de origine gentis Bauarorum. Auentinus libro 3. Ratisbonæ, seu Reginoburgij, ubi episcopum Geoualdam ordinauit Bonifacius, ut refert Auentinus libro 3 Annalium.

Aichostadij. nam Vuilibaldus primus Eistettensis ecclesiæ celebratur episcopus, ab Hermanno Contracto in Chronico, & ab Auentino

Auentino libro tertio Annalium.

Vueissenburgi. nam Dagobertus rex Frã corum ibi instituit episcopatum. Gygas in Floribus temporum.

Iuuauiæ, seu Saleburgi. constitutæ enim isthic ecclesiæ Bonifacius Ioannem, uirum literarũ scientia & uitę sanctimonia celebrẽ, præfecit episcopum. Auentinus lib. 3. Annalium Boiorũ meminit: & episcopi eius Vergilij Auentinus lib. eodem.

Fruxini, seu Phrysingæ, ubi episcopũ egit Ariobertus. Auentinus lib. 3. Annalium.

Corbinianum Phrysingensis ecclesiæ episcopum indicat Otto Phrysingensis libro 6. capite 23.

In AVSTRIA. nam Blondus commendat Austriacos, quòd fidem Christi à Sarracenorum spurcitia illæsam seruarint: lib. 10. Dec. 1.

In CHARINTIA, ut patet ex Auẽtino lib. 3. Annalium. Modestus enim ab episcopo Saleburgensi ad Charionas missus est.

In FRANCONIA. nam Vuirtziburgi, seu Herbipoli, antiquioris Franciæ metropoli, episcopatus institutus est anno Christi 751. Hartmannus in Chronico: & Otto Phrysingensis lib. 5. cap. 21. & Burchardum ibi episcopum egisse, Regino narrat libro 2. in Chronico, & Auentinus lib. 3. Annalium.

Fuldense cœnobiũ fundauit Bonifacius. Hermannus Contractus in Chronico. Meminit eius Sigebertus in Chronico.

Monasterium in Amerbach, diœcesis Herbipolensis, extruxit Pyrminius, teste Trithemio in Epitome regum Francorum. Et Bonifacius, in eadem diœcesi Kitzingense cœnobium. Idem.

Francofurti ad Mœnum. ibi enim celebrata est Synodus episcoporum Germanorum & Italorum, contra hæresin Felicianam. Regino libro 2.

In THVRINGIA. nam Gens Thuringorũ hoc seculo conuersa est, ut postea dicemus: & Gregorius secundus scripsit Epistolam ad Clerum & plebem Thuringiæ.

Bambergæ sedem episcopalem Bonifacius instituit: ut patet ex epistola eius, quæ extat apud Nauclerum Gener. 25. folio 602.

Erfordiæ. nam hic cœpit Ecclesia hoc seculo colligi, ut postea dicemus. Et meminit pręfecti Erphordiensis Carolus in Constitutionibus suis.

Aluestadij. nam Carolus Magnus ibi etiam habuit præfectum: ut patet ex Constitutionibus eius.

In HASSIA. in ea enim etiam Bonifacius Ecclesias instaurauit. Vuilibaldus in uita Bonifacij.

In SAXONIA. nam uictis Saxonibus, & partim in Flandriam & Brabantiam translatis, ex ea gente plurimi Christiani facti sunt. Vrspergensis in Chronico: & Crantzius libro secundo, capite decimoquarto.

Ad Melibocum, in monasterio quodam Bonifacium paucos monachos docuisse, au tor est Iacobus Curio libro 2. rerum Chronologicarum.

Schydræ, episcopatum Carolus Magnus tertio anno Constantini instituit, qui postea Vualterslebiam, ac inde in Frosam, ac denique Magdeburgum translatus est: ut indicat Henricus Erphurdensis cap. 69.

Magdeburgi. nam Carolus Magnus ecclesiam Stephani ibi instaurauit, Veneris fano subuerso. Crantzius in Saxonia, libro 2. capite 12.

Salingstadensis episcopatus, qui postea Halberstadium translatus est, meminit Crantzius in Metropoli lib. 1. cap. 10.

Halberstadensis episcopatus, circiter annũ 758, à Cõstantino & matre eius aucti, meminit Mũsterus in Chronographia, ætate 3.

Helmenstadij. ibi enim suam sedẽ habuit Ludgerus Mymigardeuordensis episcopus, ad uicinos Vandalos Christi religionem propagans. Crantzius in Metropoli libro primo, capite 10.

Hildesiæ Carolus in castris agens, contra Saxones extruxit ecclesiam, eiq; Guntherũ sacerdotem præfecit. Crantzius in Metropoli li. 1. cap. 10. Chronicon Saxoniæ narrat, à Ludouico id factum esse, anno 816.

In Vuestphalia. Nam Carolus Magnus in Mymingroda monasterium condidit, ad Ecclesiarum eius loci ædificationem, unde postea episcopatus Monasteriẽsis dictus est. Crantzius in Metropoli libro 1. cap. 5. & in Saxonia lib. 2. cap. 16.

Osnaburgi Carolus Magnus Ecclesiam ac scholam instituit, propter Saxonum conuersionẽ. Henricus de Erphurdia cap. 67. Crantzius in Saxonia lib. 2. cap. 11. & in Metropoli lib. 1. cap. 2.

Padelbornensis episcopatus à Carolo cõstituti, meminit Crantzius in Metropoli libro 1. cap. 4. & 11. & Chronicum Saxonicum.

Mindensis Ecclesiæ, & episcopi Herimberti, meminit Crantzius in Metropoli libro 1. capite 9.

Ad castrum Heresburg, prope Lippam, Saxones baptizantur. Regino lib. 2. Inibi à Pipino Ecclesia ædificatur, ut patet ex Chronico Isennacensi.

Bremæ. nam episcopus eius Vuillericus, Dithmarsos ad fidem Christi adduxit. Crantzius in Metropoli lib. 1. cap. 13. Et episcopatum Bremensem Carolus Magnus fundauit anno 786. Chronicon Saxoniæ.

In FRISIA, Bonifacius aliquot millia baptizauit. Vuilibaldus in uita Bonifacij, & Regino lib. 2. Adon Viẽnensis Comm. 6. ætatis.

In

In Holsatia. nam Vuillericus ibi Ecclesiam plantauit. Crantzius in Metropoli libro 1, capite 13.

Hamburgi, ut postea dicemus de Propagatione.

Apud Dithmarsos in Meldendorp, episcopus Bremensis Ecclesiam collegit.

In DANIA etiam fuisse Christianos, facilè licet æstimare ex historia Caroli Magni. Nã Vrspergensis narrat, eum res Saxonum & Danorum ordinasse, & in Franciam reuersum esse.

Inter Gothos. nam episcopi Gothiæ, eiusq; notarij Erithymij, mẽtio fit in 4. actione Synodi Nicenæ. Et Cyrillus personam gerit episcopi Gothiæ, in 7. actione Nicena.

DE ECCLESIIS
per Oceanum.

ETiam in Insulis Oceani Ecclesia Christi hospitia sua habuit. Nam de Britannia testatur Beda, Historiæ Ecclesiasticæ libro 5. capite 24. Ac oppida quædam nominantur, ut Londinum: ibi enim Bonifacius celebrauit Synodum, ut infrà dicetur.

Crolandia. Claruit enim ibi Felix quidam, monachus Benedictinus, anno Domini 730. Balæus.

Eboracum, ubi episcopũ egit Egbertus, qui apostolos ad cõuertendos Frisios misit. Balæus scriptorum Britannicorum Centuria 2, capite 19.

Beuerlacum, ubi Ioannes ædem extruxit. Polydorus libro 4. historiæ Anglicæ.

Cantuaria, cuius episcopus interfuit Synodo Londinensi, ut infrà dicetur. Theodori etiam Cantiorum episcopi meminit Balęus Centuria 1. Britannicorum scriptorum.

Vuellia. nam ibi templum Iuas condidit. Polydorus libro 4 historiæ Anglicæ.

Ventanæ ciuitatis & Ecclesię meminit Beda libro 5. capite 19 Ecclesiasticæ historiæ. Et Cynehardus eius episcopus, ad Lullum Moguntinum scripsit epistolam.

In Dorcestrẽsi Ecclesia Hedda episcopus à Cantuariensi ordinatur. Balæus de Scriptoribus Britanniæ Centuria 1.

Herefordia. Offa enim Meltiorum rex, templum eius muneribus cumulauit. Polydorus libro 4 historiæ Anglicæ.

Hagustaldensis ecclesiæ episcopi fuêre Adrianus & Accas, ut annotat Beda historiæ Ecclesiasticæ lib. 2. cap. 21. Et Hector Boetius lib. 9. refert, Accam in candida casa episcopatũ gessisse: ut annotat Balæus scriptorum Britannicorum centuria 1.

Cœnobiorum in Brytannia plurimorum meminit passim Balæus: ut Lundisfarnensis, Excestriæ, Bernigensis, & similium.

Et Scotia. nam Beda libro 2. de Ratione temporum, & Adon Viennensis Commentar. 6. ętatis narrat, Scotos pascha cœpisse more Romanæ Ecclesiæ obseruare, cum hactenus Asianorum consuetudinem sequuti fuissent. Et Sedulius iunior Scotorum Australium episcopus fuit, teste Balæo Centuria 14. scriptorum Britannicorum, cap. 28.

Pictorum meminit Beda, Ecclesiasticæ historiæ libro 5, capite 22.

Huensium monachorum in Scotia, meminit Beda libro 5, capite 23 historiæ Ecclesiasticæ.

In Hybernia. Duos enim Scotos monachos, de Hybernia cum mercatoribus Britãnis ad littus Galliæ uenisse, narrat Erphurdensis capite 69.

DE PROPAGATIONE.

VT alijs seculis superioribus, Dominus noster IESVS CHRISTVS subinde alias atq; alias nationes & gentes luce Euangelij illustrauit: ita nec hoc seculo ociosus in regni sui propagatione fuit. Et quamuis iusto suó iudicio ob ueritatis suæ cõtemptum, & piorum persequutionem, & improbitatem & hypocrisin multorum, regnum suum à multis abstulit, præsertim Ægyptũ, Africã & Asiam incolentibus: tamen nouos conuiuas in Europa, & maximè in regionibus ad Septentrionem, ad nuptias suas missis legatis uocauit, & uenire quasi compulit. Vnde Fasciculus temporũ eleganter inquit: Fides proficit & deficit, pro diuersitate locorum & temporum. Iam Ægyptus & Africa à Saracenis uastatæ sunt: & ecce quasi fides uolasset, ad populum paganum peruenit.

In multis Germaniæ locis, superioribus seculis regni Christi quasi semina & fundamenta iacta sunt, & Ecclesiæ non paucæ institutæ: uerùm ob fortis armati, atrium suũ strenuè propugnantis furorem: & ob gentis istius ferocitatẽ & superstitiones diu assuetas: (Crantzius libro 1, capite 1. in Metropoli) & ob penuriam uigilantium & diligentium doctorũ, tardius omnia sunt progressa, præsertim quòd ad borealem Germaniã attinet. Verùm hoc seculo, postquàm illuxit tempus quod Dominus suæ misericordiæ pręfiniuit, maiori cum fructu res successit. Nam excitauit Dominus Vinofridum, quem Romani dixerunt Bonifacium, cum suis collegis, Gregorio, Lullo, Megingolo, Vuilibaldo, Sturmio, Vuigberto, & Burchardo: & Pipinum & Carolum, reges pietate & uirtute præstantes, ad Ecclesiæ suæ in Germania propagationem, & opus manuum eorum ipse gubernauit & promouit.

Nam hoc seculo ad Thuringos factã propagationem Euangelij, in hunc ferè modũ referunt Chronici. Bonifacius reformator Ecclesiarum Bauaricarum, & Moguntinus episcopus, cum uicinos Thuringos uideret

deret adeò Ethnicæ superstitioni deditos & barbaros, ut non admitterent ullum doctorem Euangelij, nec posset quisquam ijs sine summo discrimine uitæ concionari, explorato eius regionis situ, exercitu collecto, ex insperato irruptionem facit in terram eorū. Illi uerò metu perculsi, sese recipiunt in locum natura munitum prope Vnstrotium, inter Gebelsenam & Hedemslebiam, nomine Tretenburgum. Bonifacius aūt principibus uiris euocatis, concionatur de Christo, uero Deo & homine, ac saluatore mundi: ac monet, ut & ipsi eius doctrinam amplectantur. Thuringi, ut homines ad sua commoda attenti, quærunt, quid nam utilitatis ad sese rediturum sit, si sua colla Christo subijciant. Bonifacius inquit: IESVS CHRISTVS uerus Deus homo factus, secū attulit pacem & iusticiam, & libertatē. Quod si in eum credideritis, liberabimini ab omni malo corporis & animæ, & ab inferni & diaboli potestate, & accipietis uitam æternam. Illi respondent: Nos sumus sub seruitute regis Vngariæ, ac cogimur ei quotannis decimas, non modò de bonis, sed etiam de liberis nostris pēndere. Quod si posses nobis certò per tuum Deum, quem nos uis colere, præstare immunitatem à decimis illis, sanè in eum crederemus, eiusq; seruitio & cultui nos addiceremus: sin uerò ea de re nobis cauere non uoles, neq; potes, auitam nostram religionem tuebimur, etiam cum bonorum & uitæ discrimine. Bonifacius cum suis socijs consilium init: ac cum diu agitatum esset, non posse eis promitti libertatem à seruitute Vngarorū, neq; posse omnes illos piè trucidari, neq; re infecta ab eis discedi, ne alij in peruicacia sua confirmentur, & ne ad defectionem à fide fortè uicini inuitentur: tandem in hanc sententiam omnes pedibus eunt, reijciendam esse responsionem in aliud tempus: ac interea Pontifici ac Cæsari scribendum, ac inquirendum, an non ipsi ab Vngaris uellent ac possent liberare Thuringos. Noctu autem in somnis Bonifacium uox perterrefacit, quæ inquit: Modicæ fidei, quo modo Thuringi in me credant, cum tu ipse de me addubites? an non legisti quod scriptum est: Et occidit reges? Ego de cœlo descendi propter hominem, & mecum iudicium & iusticiam attuli, & sanguine meo tam pauperes quàm diuites redemi, nec uolo ut quisquam de suo corpore decimas alteri ferat, neque mihi ipsi hoc ius usurpo: ac eos constituam Magistratus, qui credentes in me cōtra uim iniustam tueātur. Quare impero tibi, ut Thuringos meo nomine liberos & immunes pronuncies à decimis: & certò eis fidem facias, regem Vngariæ nūquam ab eis amplius decimas extorturum: & in eorum regione tamdiu maneas, donec certissimo iudicio cognoscant suam libertatem. Cum Bonifacius ista renunciasset illis, paulatim incipiebant Christianæ fidei esse æquiores.

Non multo itaq; pòst, cum rex Vngariæ comperisset, Bonifacium subditos suos ab obedientia absoluisse, copias suas in Thuringiam misit. Collatis autem signis, orante Bonifacio, Vngari uincuntur: atque agnoscunt Thuringi, eam uictoriam sibi diuinitùs contingere. Quare gentili superstitione abiecta, Christi fidem amplectuntur, & sacro lauacro in eius nomine initiantur. Ac quo essent in posterum ab Vngaris securi, petunt per Bonifacium à Carolomanno gubernatorem: qui misit ei uirum quendam de familia Stauffenorum. Chronicon urbis Isenacensis. Gregorius II. ubi hac de re certior est factus, in id incubuit, ut paulatim sibi ius acquireret, Ecclesias ibidem instituendi. Literas ergo ad Thuringos dedit, quib. Bonifacium illis commendat, & à se eum ablegatum esse narrat, ut eos doceret & baptizaret. Meminit eius epistolæ Nauclerus uolumine 2. generatione 25.

Passim autem in Thuringia Ecclesias plantasse Bonifacium scribunt. nam Aldenburgi Hugonem senem conuertit, & baptizauit. Et ibidem sacram ædem sancto Michaeli dedicauit: ut patet ex Chronico Isennacēsi.

Ortruuij etiam collecta Ecclesia, autor fuit ut templū extrueretur: ut in Chronico Isennacensi annotatum est. Meminit & Hedio libro 6. capite 21, monasterij Ortruuij tempore Bonifacij extructi. Idem Erphordienses ad fidem conuertit, et templum in honorem Mariæ uirginis erexit, & episcopatum instituit. Mutius lib. 7. & Hartmannus Schedel in Chronico, ætate 6.

Hessos etiam ab idololatria ad ueram fidem adduxit Bonifacius cum suis discipulis: & seductores, quos appellabāt Dortein, Berter, Camberth, & Vnradt, compescuit: Et in Frideslar basilicam struxit. Regino lib. 2. Sigebertus in Chronico. Crantzius lib 2, capite 10. Ac passim ordinauit alios doctores & episcopos. Hedio lib. 6. capite 21.

In Hassia Gesmeram nominat Vuilibaldus in uita Bonifacij, ac narrat eum isthic ilicem Iouis à paganis diuino honore affectā, destruxisse. eum locum alij Vuismariam in Vuestphalia appellant.

Heresfeldiæ Pipinus, anno Domini 736. templum ædificauit, & Hessorū ac Thuringorum bonis locupletauit, ut annotatur in Chronico Isenacensi.

Ad Saxones propagatio facta est, non tantum doctorum industria, sed etiam regum Franciæ Caroli Martelli & Pipini,

Caroli

Caroli Magni uictoria & edictis, & ſcholarũ & Eccleſiarum inſtitutione. Nam Carolus per annos ultra 30, cum Saxonibus bellum geſsit: ac ſæpe uictis, nullam aliam legem tulit, quàm ut abiecta ſuperſtitione, uerũ Deũ agnoſcerent, & filium eius Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM. Sed illi, licet aliquoties receperint ſe parituros, & inter eos multi baptiſati ſint: tamen leui aliqua occaſione oblata, religionem abiecerunt, & pro recuperanda libertate arma cęperunt.

Sed tamen anno ſeptingenteſimo ſeptuageſimoſexto tandem, (ut annotat Regino libro 2.) Saxones ad Heresburgum, ubi fanũ Herman Saul deſtruxerat annis ſuperioribus, & ædificauerat baſilicam Carolus, miraculoſe uicti, uenerunt ad Carolum, ad caſtrum, ad Lippam fluuium, & cum uxoribus ſuis baptiſati ſunt. Anno ſequenti, Padelbornæ plures Saxones baptiſantur.

Poſtea ad annos octo ſæpius à fide defecerunt Saxones: donec tandem octuageſimoquinto Vuitekindus & Albion, ad Attiniacum ſeu Mittenbach, Chriſtiani facti, & baptiſati ſunt.

Crantzius in Metropoli libro 1. capite 9 narrat, Vuitekindum reconciliatum Carolo, cum adhuc eſſet catechumenus, ueniſſe Vuolmerſtadium ad Oram fluuium, ubi caſtra erant regis, circa paſcha: & inter mendicos ſediſſe, & ſacra ſpectaſſe, ac ſtipem accepiſſe. & agnitum, interrogatumq́; cur id feciſſet? reſpondiſſe: Se uoluiſſe ſacros ritus Chriſtianorum hoc modo cõtemplari, cum aliàs ſibi intereſſe non licuiſſet. Regem autẽ interrogaſſe, Quid nam uidiſſet? eum dixiſſe: Se uidiſſe in templo pulchrum puerum, à manu ſacerdotis deſcendere in ora accipientium: qui alijs quidem arriſerit, ad alios uerò auerſa facie ingreſſus ſit. Et poſtea de his myſterijs edoctum, maiori fide amplexum eſſe religionem Chriſtianam. Sed fides eſto penes autorem.

Carolus autem, ut rex pius, ab Albino, cuius conſilio in ſacris rebus omnia gerebat, non tam armorum ui quàm inſtitutione ſacra ſubigendos Saxones, admonitus, decem millia ex illis, qui utraſq; ripas fluminis Albis inhabitabant, cum uxoribus & paruulis tranſtulit in Brabantiam & Flandriã, ut iſthic inter Chriſtianos conſtituti, tum minus rebellare poſſent, tum etiam facilius ad religionem Chriſti aſſuefierent. Vrſpergenſis in Chronico, & Crantzius in Saxonia libro 2. capite 4.

In terris occupatis paſsim epiſcopatus & ſcholas inſtituit Carolus, eisq́; homines idoneos præfecit ad propagationem fidei.

Nam cum caſtrum Vuitekindi, nõ procul ab Oſnaburga hoſte fugato, ſuo firmaſſet pręſidio, Eccleſiã ædificauit in ea prouincia primam, eiq́; præfecit Vuihonem, gente & origine Phryſium, ac iuſsit eum ibi Græcas & Latinas ſcholas aperire, et clericos utranq; linguã docere: ut patet ex diplomate apud Crantzium in Metropoli, libro primo, capite ſecundo.

Deinde in Orientali Saxonia, in Salingſtadia, quæ poſtea Oſteruuick dicta eſt, propter propagationem uerbi in illis locis, & ad uicinos Vandalos, ædificauit eccleſiam in honorem Stephani: eiq́; præfecit Hildegrinũ, qui auctus rebus & populo, cum cogitaret de alio templo ampliori inſtituendo, ab angelo iuſſus eſt Halberſtadium concedere: quod & fecit. Crantzius libro 1. capite 3. in Metropoli.

In Schydra tertio anno Conſtantini, filij Leonis Copronymi, Carolum Magnum epiſcopatum erexiſſe: qui poſtea in Vualterſleue, & deinceps Froſam, tandem uerò Magdeburgum trãſlatus ſit, narrat Henricus Erphurdenſis capite 69.

Magdeburgi, ſeu Parthenopoli, etiam initia quædam Eccleſię cœpiſſe, colligi inde poteſt: quòd Carolus fanum Veneris, unde caſtrum illud nomẽ habebat, (Hebraicè enim Megede Venerem notat) ibidem ſubuertit, et ædem ſacram in Stephani honorem extruxit: quam tamen Vandali paulo pòſt ſubuerterunt. Crantzius in Saxonia libro 1. capite 12. & in Metropoli libro 1. capite 3. Et Carolus in conſtitutione ſua de negociatoribus, meminit Hattonis præſidis ſui in Magadeburg.

Hartesburgi idolum Saturni Krodo dicti, deſtructum eſt, non ſine conuerſione incolarum. Crantzius in Metropoli libro primo, capite tertio.

Cum Padelburnæ eccleſia eſſet collecta, Carolus Vuirtzburgenſi epiſcopo curã eius demandauit. Crantzius in Metropoli libro primo, capite quarto. Et poſtea Herſtallenſi epiſcopatu huc tranſlato, ut Erphurdenſis annotat, ei propriũ epiſcopum dedit. Crantzius libro eodem, capite 11. Factum id Anno Domini 786. Chronicum Saxonicum notat.

Opus erat et in Vueſtphalia epiſcopo, qui Eccleſias collectas regeret: quare ne deeſſet ea in re Carolus religioni Chriſtianæ, in loco celebri et populoſo Mymyngroda, quæ poſtea Monaſterium dicta eſt, epiſcopũ conſtituit Ludgerum, ab Albino ex monaſterio Beneuentano euocatum. Crantzius in Metropoli libro 1. capite 5. Henricus de Erphordia dicit, id factum eſſe quarto anno Conſtantini, filij Leonis Copronymi, capite 69.

In Orientali Saxonia, ultra Vuiſurgum, in Vuerda Cæſaris, non procul à Colonia, Suuibertus

bertus celeri cursu ex Britannia euolans, collegit Ecclesiam: & à Carolo episcopatu ibidẽ cõstituto, lectus est episcopus. Crantzius libro 4. cap. 6 in Metropoli.

Vuitekindus, ut iuuaret plantationem Religionis Christianæ, magnam partem de arce sua ad Vuiseram, destinauit ædificandæ ecclesiæ, & episcopo Herimberto donauit: unde accepisse nomen episcopatum Myndensem, à Meo & Tuo (*Min & din*) uolunt. Crantzius lib. 1. cap. 9. in Metropoli. Anno Domini 787, ut annotatur in Chronico Saxonico.

Persuasit etiam Vuoldero comiti Heruordiæ, ut cœnobium puellarum nobilium ibidem extrueret. Henricus de Heruordia. Et equum nigrum, quem inter insignia gestabat, albo colore pingi curauit, ut testaretur se ex tenebris gentilibus ad uerã lucem esse traductum: ut in Saxonicis annotatur Chronicis.

Vt Saxones subinde à fide recedentes, propter Vandalorum auxiliares copias in officio retineret, episcopatum Aulicensem constituit, eiq; præfecit Guntherum. Sed postea ea Ecclesiæ sedes Hildesiam translata est. Erphurdensis cap. 69. Et Crantzius in Metropoli lib. 1. cap. 10.

Helmenstadium Ludgerus episcopus Mymyngauordensis consensu Caroli munit, ut inde ad uicinos Vuandalos tutius propagaret Christianam religionẽ. Crantzius in Metropoli lib. 1. cap. 10.

Ad Frisios sub finem superioris seculi Pipinus, ut annotat Trithemius: aut papa Sergius, ut narrat in epistola sua Bonifacius ad Stephanum 11: aut Egbertus episcopus Eboracensis, ut indicat Balæus Centuria secunda Scriptorum Angliæ cap. 19, Vuilibrordũ Anglum cum alijs misit. Is per annos quinquaginta eam gentem docuit, & Traiecti episcopatum constituit. Sed tamen quia multi in ea gente remanserunt pagani, Bonifacius eò ueniens, maximam multitudinem Frisorum conuertit, circiter annum Domini 752: ut testis est Adon Viennensis ætate 6. Et Carolus Magnus in diplomate Bremensiũ: in libro 2. Saxoniæ Crantzij cap. 15, & in Metropoli lib. 1. cap. 2 & 7. Interfecto autem Bonifacio, Villehadus Anglus in Phrysiam nauigauit, ut in fide cõfirmaret à Bonifacio conuersos. Crantzius libro 1. capite 7. in Metropoli.

Cum autem Carolus cuperet in ea regione non modò conseruari, sed magis magisq; propagari Christianã religionem: inito consilio cum papa Adriano, & Lullo Moguntinensi, & alijs episcopis, Bremę episcopatum ordinat, anno Domini 788. Eiq; Vuillehardum præficit. Crantzius in Metropoli lib. 1. cap. 7. Qui assiduitate & diligentia in docenda plebe, multos Domino lucratus est.

In Holsatiam Albionem, eius regionis ducem, cũ Vuitekindo conuersum, curasse propagari doctrinam Euangelij, nõ est quòd dubitemus. ac testatur Crantzius, Albionem illa loca purgasse ab idolis: in Metropoli lib. 1, cap. 12.

Hamburgi, quod castrum Hammonis seu Iouis uocat Henricus Erphurdẽsis, Carolus episcopatum instituit, Anno 17. Cõstantini. Crantzius negat ibi idolum Iouis destructum: & nomẽ ei castro ab Hama pugile esse affirmat, in Metropoli libro primo, capite duodecimo.

Dorstadij, ad Albim propius siti quàm nunc est Stadium, Vuillericus Bremensis episcopus Ecclesiam collegit. Crantzius in Metropoli lib. 1, cap. 13.

Dithmarsos in oppido Miltendorp, sic à fluuio Milte appellato, Vuillericus Bremensis episcopus ad fidẽ Christi inuitauit. Crantzius ibidem.

Ad Longobardos Sebaldum misit Gregorius secundus: ut annotat Hartmannus in Chronico, ætate 6.

In Vngariam etiam propagata est religio Christiana, per arma Caroli. Nam cũ ad montes Budæ obsessos Vngaros, fames coegisset facere deditionem, eos qui fidem Christi amplexi sunt, uita & libertate cum fortunis donauit: qui uerò in Scythica superstitione perstiterunt, bonis multauit, sola uita concessa. Et postea expugnata Sicambria seu Buda, ciues per præconem hortatus est, ut abiectis idolis Christum agnoscerent & colerent: & templum Mariæ extruxit, & sacerdotes ibidem reliquit amplificandę religionis gratia. Idem fecit in Insula, ad quam sese Vngari receperãt, expugnata: ut narrat Bonfinius Decad. 1. lib. 9. rerum Vngaricarum.

Ad Venedos Charinos, ad fontes Saui & Draui habitantes, iussu Thassalonis Modestus ablegatus, ædes sacras in solio & Liburnia ciuitate extruxit. Eo extincto, cum Chitomarus eius gentis dux, alios doctores flagitaret, Madoldus & Variomarus eò uenerunt. Cum autem Venedi ducem suũ ob mutatam religionem persequerentur, Thassalonus ei opem tulit: & seditiosis repressis, plures doctores à Virgilio eò missi, Ecclesiam ibi collegerunt. Ingo regulus Venedorũ, multis ex suis satrapis hac ratione Christianos fecit. Conuiuium lautè instruxit, & uilem plebeculam simul cum equestris ordinis proceribus inuitauit, atq; prę foribus nobiles recumbere iussit, pane duntaxat cibario & caruncula rancida pauit, uinumq; fictilibus propinauit austerum. Sed agricolas suæ mensæ adhibitos, cœna lauta pauit, & uinum poculis aureis & argenteis & gemma-

tis proposuit. Cũ nobiles id indignè ferrent, ac in sui contumeliam fieri stomacharentur: respondit, se ideo rusticolas ad mensam suã admisisse, quia essent sacro lauacro abluti: illos uerò nobiles foris reliquisse, quia sordib. Ethnicis squálentes, hircũ impietatis oleãt, nauseamq; sibi faciant. Illi autem cum graue ducerẽt, ab epulis sui Domini remoueri, certatim ad sacrum fontem properarũt. Narrat Auentinus lib.3. Annalium Boiorum.

Ad Slauos Carolum Magnũ iussisse Arnonem episcopũ Iuuauiensem abire, & rudem populũ docere ueram religiõnẽ, in Chronicis de cõuersione Charentariorũ annotatur: & apud Laziũ li.2. rerum Viennensiũ, cap.2.

Ad Auares in Pannonijs habitantes, Virgilium iussu Bonifacij ablegasse Haymonẽ & Regebaldum, & postea sub Carolo Magno Theodoricum ab Arnone Iuuauiensi episcopo illuc missum propagasse doctrinam Christi, refert Lazius ibidem. Et Bonifacium ipsum sua prædicatione usq; in Pannoniã peruenisse, ac diaconos & episcopos ubiq; constituisse, Mutius in Chronico lib. 6. indicat. Et Carolum Magnũ deuictis Auaribus, seu Hunorum gente, Boiorum colonias Geroldum præsidem Bauariæ deducere iussisse, & templa extrui imperasse, narrat Auentinus lib.4. Annalium.

DE AMPLIATIONE.

OGerus dux de Dana Marchia, cum Indiam superiorem tempore Caroli Magni occupasset, cum suo exercitu ibi Imperium ordinauit: & Ioannem filiũ regis Frisonum presbyterum seu Priester Iohann appellatum, propter uitę sanctimoniã ei præfecit: ac subiecit ei quatuordecim Barones, qui alias uicinas terras circũquaq; tenebãt, ut isthic Christianæ religionis custodem & propagatorem ageret. Refert Vuernerus in Fasciculo temporum.

In Bauaria Odilo dux uidens, Christi fideles in sua ditione ualde creuisse, plurib. templis opus esse ratus, Salisburgensem sedẽ erexit: ut refert Bruschius in 1. Germaniæ monasteriorum Tomo. Et narrat Auentinus, Vtilonem septem monasteria extruxisse, unum Mainse, prope Mœnum, lacum Noricorum: sex in inferiori Bauaria, iuxta Danubium. lib.3. Annalium.

Bruxinensis episcopus collegium mystarum instituit ad Iseruscum, & Alto eremita monasterium Altenmunster inchoauit. Pipinus Dionysio ædes sacras dedicauit, non procul à Monaco, & in ripa Isaræ.

Carolus Magnus Arnoni episcopo Iuuauiensi, eiusq; successoribus subiecit omnem prouinciam à Drauo flumine Anassum uersus, unde Hunos & Auares eiecerat. Auentinus lib.4. Annalium.

Bonifacio cũ collegis quinquaginta duobus, in pago Dockheimo occiso, creuit res Ecclesiastica magnis successibus, cũ barbari paulatim posita ferocia mitescerent, & abiecta idolomania fidem Christi amplecterẽtur. iuuit hos successus haud parum episcoporũ Coloniensiũ pietas, et insignis eruditio. Lambertus Hortensius li.1. rerũ Vltraiectinarum.

Prope Vltraiectũ in collegio Crucis, multi uiri docti instituti sunt: qui nõ tantum isti Ecclesię prẹfuerunt, sed etiam alijs finitimis Ecclesijs episcopi dati sunt, ut indicat Lãbertus Hortensius lib.1. rerum Vltraiectinarum.

Alphonsus cognomine castus, rex Hispaniarum, ex manubijs Maurorum, quorum millia septuaginta in acie cecidit, duas erexit Ecclesias, Orientenensem & Asturinensem. Ritius lib.2. de Regibus Hispaniæ.

Et Carolus Magnus Compostellæ ecclesiam Iacobi locupletauit auro & argẽto, à regib. & principib. oblato: & episcopum & Canonicos ad regulam Isidori instituit. Erphurdiensis cap.68.

DE CONVERSIONE.

NArrat Sigebertus in Chronico, quòd anno Domini 765, cum Iudæi in Berytho imaginem Christi per contumeliam pupugissent, sanguis ex latere effluxerit. quo cum deprehendissent omnes ægrotos aspersos sanari, adducti sunt ad ueram Messiæ agnitionem: & ad episcopum eius loci Adeodatum accedentes, baptizati.

Thelericus Bulgarorum dux, ad Leonem Copronymũ fugit: & baptizatus, ab Imperatore patricij dignitatem accepit, anno Domini 778. ut annotat Sigebertus. meminit eius Paulus Diaconus lib.23. rerum Romanarũ.

Chabeas satrapa Auarũ, à Carolo Magno persuasus, Christi religionem amplexus est: teste Lazio lib.2. rerum Viennensium.

Cusidus & Cupa, filij Chundi regis Hunnorum, ad orthodoxam fidem peruenerũt, ut indicat Bonfinius Decad.1. lib.9. rerũ Vngaricarum.

Reginam Angliæ, quæ stellam adorare solebat, Bonifacius ab errore ad ueram fidem deduxit: ac in eius rei memoriam in Fuldensi cœnobio aureã rotam suspendit. Munsterus in Chronograph. ętate 3. Georgius Fabricius opinatur fuisse cultũ Cybeles, inquiẽs:

Nos Fuldam ingredimur, mirati templa, rotamq;
Auream, & Idææ resonantem sistra Cybeles.

INSTAVRATIONES ECCLESIARUM.

HIerosolymam & terram sanctam à Saracenis & Arabibus diuexatã, Carolus Magnus coniunctis copijs cum Constãtino Imperatore, Christianitati restituit: ut narrat Ptolemęus Lucẽsis in Rudimento.

Ecclesia Antiochena, cum per annos 40.

propter

propter Arabũ tyrannidem caruisset episcopo, anno Constantini Copronymi 2. sortita est Stephanum, & postea Theophylactũ, per missu ducis Antiocheni. Paulus Diaconus libro 22. rerum Romanarum.

Alexandrina Ecclesia à Monothelitarum errore repurgata, ueram sententiam approbat. Paulus Diaconus lib. 22. rerum Roman.

Vastata & dissipata Viennensi & Lugdunensi prouincia, per milites Caroli Martelli, aliquot annis sine episcopis utraq; fuit, laicis sacrilegè & barbarè res sacras Ecclesiarũ obtinentib. Adon ætate 6. Æmylius lib. 2. de reb. Francorũ. Sed Carolus Magnus ut alias multas, ita etiã has sua liberalitate recreauit ecclesias: ut indicat Mutius in Chronico li. 8.

Hispaniam à Saracenis non modò occupatam, sed etiam à uera fide in errorem coactam, Carolus usq; ad Cordubam recuperauit, & Christianam fecit: & Compostellæ in Synodo cui Turpinus interfuit, ecclesiam Iacobi principem & dominam constituit super omnes ecclesias Galeciç & Hispaniæ. Vincentius lib. 24. cap. 17. ex Turpino: Ptolemæus Lucensis in Rudimento, & Blondus Decad. 2. lib. 1. ab inclinatione Rom. Imperij. Et Pelagius Hispaniarum rex, licet copias ualde exiguas & inermes haberet: tamen diuino fretus auxilio, finitimos ad Christi religionem compulit. Phrygio in Chronico, & Ritius lib. 2. de Regibus Hispanorum.

Salisburgenses episcopi in Austria, Carinthia & Stiria collapsam religionem resuscitarunt. Lazius lib. 2. rerum Viennensiũ, cap. 2.

REFORMATIONES.

MYsteriũ iniquitatis in Romanis Pontificibus inter alias fraudes, etiam sub prætextu uel conuersionis, uel reformationis, alias ecclesias suo iugo subiecit, Cuius rei exempla in hoc seculo multa habemus. Nam Gregorius secundus per suum legatum Bonifaciũ in Germania passim Ecclesias iampridem cõuersas, ita reformauit, seu potius deformauit, ut Pontificio charactere eos notarit, Romanas ceremonias & splendidas ineptias instituendo, & superstitiones confirmando, et corruptelas doctrinç propagando: & tamen hæc omnia sub uelamento pietatis, charitatis, συγχωρησιώνς, ordinis & utilitatis gesta sunt, ut non potuerit ab incautis deprehendi, quid ea in re mysterium iniquitatis moliretur.

Bauaria iam antè acceperat ueram religionem, ut patet ex superiorum seculorum descriptione: sed nondum erat Pontificio iugo & characteri subdita. Quare hoc seculo in eam curã incubuêre Pontifices, & nacti commodum hominem Bonifaciũ Anglum, non parum effecerunt. Nam cũ cognouisset Gregorius tertius, non omnia adeò rectè à sacerdotibus Bauaris geri, & unum tantum esse episcopum Laureacensem seu Batauensem: Bonifacium pallio & potestate archiepiscopali insignitum, literis cõmendaticijs instruxit ad Boios & Alemannos, ac præscripsit ei modum reformationis, nimirũ ut præter illum episcopum Batauensem, qui tum erat Vnulus, alios tres ordinaret, quibus parochias in ea prouincia distributas subijceret: ut patet ex epistola Gregorij III. ad Bonifacium, apud Nauclerum uolumine 2. Generat. 25. pag. 601. Ea in re præstitit se gnauum & solertem Bonifacius: et Saleburgi Ioannẽ, Ariobertum Fruxini seu Phrysingæ, Geoualdum Reginoburgi, constituit episcopos, cõsensu Vtilonis ducis Bauariç, & nobilium: et sacerdotes falsos & prauos, & non idoneos ab officio remouet. Auentinus li. 3. Annaliũ. Quosdam etiam bonos, ut Adelbertum Gallum, Clementem Scotum, Samsonem Scotum, & Virgilium, & Sidonium, reprehendẽtes superstitiosas eius ceremonias in Baptismi & Cœnæ administratione, Zachariç pontificis fulmine & tyrannide oppressit: ut annotat Balæus Centuria 2. Scriptorũ Brytannicorum, cap. 13.

In FRANCONIA etiam, ante Bonifacij in Germaniam aduentum, Ecclesias fuisse, apparet ex literis ipsius ad Zachariam, quæ extant apud Nauclerũ uolumine 2, generatione 25: sed à Carolomanno euocatus Bonifacius, quadam Synodo habita correxit: & episcopatus instituit, Vuirtzburgensem, Bãbergensem & Erphordiensem, quos Zacharias confirmauit: ut patet ex literis Zachariæ ad Bonifacium, apud eundem. His accenset Aichostadiensem & Herssfeldensem. Munsterus in Chronographia, ætate 3.

Idem in Frisia, iussu Carolomanni Traiectensem ecclesiam à Vuilibrordo collectam uisitauit, & episcopũ ibidẽ constituit: ut ipse narrat in epistola sua ad Stephanũ, quç extat apud Nauclerũ uolumine 2, generatione 26.

Gallicanas quoq; ecclesias ad Italicarum ceremonias paulatim assuefactas esse, certũ est. Nam Carolus Magnus duos clericos ex Gallia Romam misit, ut autenticum cantũ à Romanis discerent, & Gallos docerent: anno Domini 774. Sigebertus in Chronico.

Multi Anglorum gentis de Britannia Romam uenerunt, ibiq; ob signũ religionis tonsuram clericalem susceperunt. Adon ætate 6. Et Adolphus, iuxta Caroli mandatum, pacem, leges & religionem in tota Anglia iuxta Caroli præscriptum statuit, & confirmauit: ut narrat Mutius in Chronico. Et legati Adriani, Gregorius Ostiensis, & Theophylactus, Ecclesias Anglicanas pontificio iugo subdiderunt: ut patet ex synodo Anglicana, quam suo loco adscripsimus.

Picti ad Catholicam Paschatis obseruationem, sub Naithano rege adducuntur: anno Domini 709. Sigebertus in Chronico, & Beda in historia Ecclesiastica lib. 5. cap. 22.

Ecbertus monachus & sacerdos de gente Anglorum, Scotis etiam persuasit, ut pascha more Romanorũ obseruarent: ut narrat Beda lib. 2, pag. 64. de Ratione temporum: & Adon Viennensis ætate 6.

CAPVT III.

DE PERSECVTIONE ET TRANquillitate Ecclesiæ sub Philippico.

PHilippicus prudens quidẽ & disertus, sed ad res gerendas planè ineptus & infelix fuit. Cum somniasset caput suum ab aquila obũbrari & protegi, monachus quidã de imperio ei spẽ fecit: cui uicissim de sexta uniuersali Synodo abroganda fidẽ dedit. Cum aũt id uaticiniũ non clam habuisset, Absimarus eum cæsum & tonsum, ferreis uinculis inclusit, & in Cephaleniã exulatũ misit. Inde aũt à Iustiniano reuocatus, Eliæ cõsilio à Chersonijs Imperator salutatur: & classe Constantinopolim ueniens, designatur Imperator: cuius dignitatis insignia annos duos tantum obtinet. Paulus Diaconus lib. 20.

Porrò inter Philippicũ & Constantinũ papam Romanũ, dissidiũ ortum est: quod eò usq; progressum est, ut pro hæretico imperator sit à papa declaratus: populusq; Romanus neq; nomen, neq; chartas, neq; figurã eius recipere dignatus sit. Beda de tẽpore. Sed quæ fuerit causa istius dissidij, nõ admodũ clarè indicatur ab historicis. Beda quidẽ indicat, Philippicũ picturas quasdã cõtinentes acta sex uniuersaliũ Synodorũ, iussisse auferri. Et Platina addit, è Sophiæ templo abrasas eas picturas esse. Et Paulus Diaconus lib. 6. cap. 11. dicit, eum imperasse per literas Romanæ ecclesiæ, ut de homiusio cũ Constantinopolitana cõsentiret. Zonaras autem narrat, eum sextam uniuersalem Synodum, conuocata alia, uoluisse abrogare.

Verùm si nõ essent oppressa acta Synodi 7. Cõstãtinopolitanæ, à Iustiniano celebratæ, causam aliã fuisse manifestum fieret: nimirũ hanc, quòd Iustinianus, & post eũ Philippicus, indignè tulerunt Romanorũ superbiã, & dominatũ super alias Ecclesias: ideoq; in Synodis suis curarũt fieri canones, Romanorum dominatui & superstitionib. cõtrarios: ut in 2. parte 6. Constantinopolitanæ lib. superiori exposuimus. Ea uerò res malè habuit Romanos: ideo calũnijs quibus potuerũt, illas Synodos acerrimè oppugnarũt, eo prætextũ, quasi contra doctrinã in sexta uniuersali confirmatã aliquid noui molirentur. Hinc est quòd Philippico hæresin impingũt, eumq; turbatorẽ Ecclesiæ faciunt. Narrant enim, eũ Cyrũ Cõstantinopoli eiecisse: et multos alios, sextã illam uniuersalẽ Synodũ dãnare recusantes, exilijs affecisse, Romanoq; põtifici literas praui dogmatis misisse, ac Iohannẽ hæresiarchã episcopũ Constantinopoli designasse. Beda in li. de Ratione temporũ, & Paulus Diaconus de gestis Longobardorum lib. 6. cap. 11, & Zonaras tomo 3. Verùm cũ Cyrus à Iustiniano Constantinopolim sit collocatus, ut Platina testatur in Iohanne 7: uerisimile est, illum errorem Iustiniani probasse, ob quem à Philippico sit expulsus.

Bulgari Thraciam depopulantes, & Agareni in oriente grassantes, non paucos passim è medio sustulerunt pios, odio religionis Christianæ. Zonaras tomo 3.

DE PERSECVTIONE ET TRANquillitate sub Anastasio, seu Artemio.

ARtemius eruditus, & reb. gerẽdis non planè ineptus, ex secretario Imperator à populo & Senatu Cõstantinopolitano electus est, post excæcatũ Philippicũ. Zonaras tomo 3. Studuit aũt tranquillitati: & Romano põtifici per literas & legatos denunciauit, se catholicã fidẽ, & sextæ uniuersalis Synodi decreta amplecti: & Iohannẽ patriarchã Cõstantinopolitanũ, utpote non rectè sentientẽ de doctrina cœlesti, remouit ab officio, atq; in eius locũ surrogauit Germanũ Cizyco reuocatũ. Zonaras tom. 3. et Paulus Diaconus lib. 20. rerũ Rom. qui tamẽ paulo pòst, cũ Cõstãtinopolis à Theodosio per insidias occupata esset, captiuus Nicæã est deportatus: nec pauci ex bonis & pijs in ea urbis expugnatione afflicti sunt: atq; ipsum Imperatorẽ oportuit magistratu abdicato, monachi habitũ assumere: & Thessalonicã, cũ annũ & tres mẽses regnasset, exulatũ abire. Zonaras tomo 3. Paulus Diaconus li. 20. rerum Rom.

DE TRANQVILLITATE ET PERsecutione sub Theodosio.

THeodosius, uir bonus, & honestæ uitæ fuisse traditur: sed ignauus, et ad rerũ administrationẽ minus idoneus extitit: ad Imperiũ inuitus à seditiosa cohorte adductus, præfuit ei annũ unũ. Per se quidẽ trãquillitati Ecclesiæ studuit: et ut gratiã iniret apud Pont. Romanũ, picturam illam de actis sex Synodorũ, quã Philippicus amouerat Cõstãtinopoli, pristino loco restituit: ut Beda refert in lib. de Rat. temporũ, & Zonaras to. 3.

Sed Saraceni Amoriũ obsidẽtes, & in Asia & Cilicia hyemantes, Pergamumq; expugnantes, multos Christianos interemerunt. Paulus Diaconus lib. 20. rerum Romanarũ.

DE TRANQVILLITATE ET PERsecutione sub Leone Isauro.

LEo natione Isaurus, à Iustiniano ad Alanos missus, post multa pericula & egregia

gia facinora, reuersus ab Artemio prętor Orientis cōstitutus est. Cū aūt Theodosius Artemiū ab imperio deiecisset, ipse fretus auxilio Artabasdi prętoris Armiacorū, cōtra Theodosiū arma capit. atq; eo, Senatus Constantinopolitani & patriarchæ Germani consilio, imperium deponente, Imperator designatur, & annos 24 imperat.

Sub eo neq; Respublica, neq; Ecclesia, absque calamitatib. fuit. Sed de Reipublicę cladibus infrà dicemus, in Cap. de Mutationib. politicis: iā uerò de Ecclesiæ miserijs agitur.

Saracenorū in Thraciā irruptio, & Constātinopoleos obsessio, licet inde repulsi sint cū ingēti suorū clade, tamē funesta multis pijs fuit. Paulus Diaconus lib. 21. rerum Roman.

Haumar 3. anno Leonis, Domini uerò 720. iuxta Sigebertū, in Christianos sæuit: ac primùm edictū proponit, quo uini usum uetat iuxta Mahometi traditionē: & Christianos iubet fidē suā amplecti, ac obtemperātes immunitate tributorū donat: recusantes uerò, & in fide Christi perseuerātes, atq; in Ecclesiā uerbi Dei discēdi causa cōgrediētes, uarijs supplicijs afficit. Legem etiā promulgat, ne Christiani testimoniū cōtra Saracenū recipiatur. Imperatorē Leonē per literas hortatur, ut abiecta Christi religiōe, Mahometi amplectatur. Sed nihil effecit: & Christus paulo pòst, cū uix unū annū grassatus esset, tyrannū euertit. Paulus Diaconus lib. 21. rerū Roman.

Iudæus quidā principē Saracenorū Gizid, ad Christianorū religionē euertendā inflammat, promissa regni sui ad annos 40. prorogatione. Ille ergo fidē Iudæo adhibēs, publico edicto imagines Christi & aliorū sanctorū, quę in ecclesijs passim in honore erāt ꝓpter memoriam doctrinæ Christianæ, tolli iubet. cui qui nō assentiebātur, in periculo erāt. Sed ab hac ꝑsecutione liberati sunt Christiani subita morte istius tyrāni, anno Leonis 8. Paulus Diac. lib. eod. anno Dn̄i 724. Sigebertus.

De imaginib. tristes turbas in Ecclesia Leo & Gregorius Papa dederūt, quæ multis pijs fuerūt funestæ. Nā Leo anno imperij sui nono, cōsilio cuiusdā nomine Beser, & Episcopi Nacoliæ, decretū promulgauit, ne in ulla ecclesia cuiuslibet sancti, aut martyris, aut angeli imago habeatur. Paulus Diaconus li. 21. rerum Romanarum: & lib. 6, cap. 14. de gestis Longobardorū: Zonaras tomo 3. Blondus, Sabellicus, Antoninus, & similes.

Causas quidē nō planè nullas habuit cōtra imagines. nā uidit Saracenos inde contra ecclesias Dei arripęre occasionē blasphemādi, quasi idola & statuas colāt. Deinde uidit etiā crescere sup̄stitionē de cultu & inuocatione reliquiarū, Marię & aliorū sanctorū: quod rectè iuxta uerbū Dei iudicauit impiū & idololatricū esse, ut indicat Paulus Diac. lib. eod.

Sed nimis imprudēter & uiolēter rē uidetur egisse. nā Germanū Constātinopoleos episcopū, mādato eius contradicentē, idololatrā accusauit, ab officio remouit, et Anastasiū sentētię suę approbatorē substituit: omnesq; imagines Cōstantinopoli in forū adduci & cōburi iussit: & eos qui afferre detrectabāt, capite detrūcauit, aut alia parte corporis mutilauit, dicēs: Scriptū esse, sacrificātes dijs alienis eradicabūtur. Regino li. 1. Chronicorū: & Blōdus lib. 10. Decad. 1. ab inclinatione imperij: Platina sub Gregorio 2. Factūq; id est anno 727, iuxta Sigebertū. Et Oecumenicum professorē cū duodecim collegis, in schola Cōstantinopolitana à Cōstantino instituta, proprerea quòd nollēt approbare suā sententiā de imaginib. delēdis, in ædib. regijs, unà cū libris, noctu ignib. subiectis cōbussit. Zonaras tomo 3. Et multos clericos & monachos, & religiosos laicos afflixit. Paulus Diaconus lib. 21. rerum Romanarum.

Nec minus furiosè egit Gregorius 2. pōtifex Romanus: qui cum pro officio debuisset Imperatorē rectius instituere, et imaginū cultū prohibere, ac Leonē sapiētia & pietate placare: tū et ipse cornua sumit, suaq; autoritate eū protelare conatur, rescribēs, Nō decere Imꝑatorē de fide ullū facere uerbū, & nouitate quadā uiolare antiqua dogmata catholicę ecclesiæ, quę à sanctis patrib. essent prædicata. Insuper literis monet omnes orthodoxos, ne mādato Imperatoris de tollēdis imaginibus pareant: imò & Romanæ urbis atq; Italiæ tributa Cæsari dari uetat. quæ quidē res adeò excitauit Italos, ut parū abfuerit quin sibi alium Imperatorem eligerent.

Imperator aūt hisce irritatus iniurijs, Marino imperat, ut pontificē siue ferro siue ueneno è medio tollat, seu captū Cōstantinopolim mittat. Hermānus Mutius lib. 6. Is uerò Basiliū, Iordanē chartulariū, & Iohānē Iurionē diaconū pecunia corrūpit, & eius facinoris administros sibi parat: & apoplexia affectus Roma discedit, Paulūq; patriciū eò mittit, ut ope coniuratorū pontificē interficiat. Sed re patefacta, insidiatores capiūtur, & occidūtur. Paulus uerò Rauennā se cōfert, quasi ea res ad sese nihil attineret. Imperator uerò ei copias & pecuniā mittit, & omnino instat ut Gregoriū puniat. Sed papa à Lōgobardis seu Germanis, q iādudū id egerant ut Italia Imꝑatori rebellaret, auxiliū petit. quod q dē ꝓmissū illi cupidè arripiūt & præstāt: atq; exarcho in itinere obuiā profecti, pecuniā ui eripiūt, multosq; trucidant. Mutius in Chronico Germanię li. 6. & Blōdus Decad. 1. li. 10.

Imperator autē Eutychiū patriciū Palatij mittit, eiq; exarchatū Italiæ cōmendat: deq; pontifice capiendo idē dat in mādatis, ac iubet cū Longobardos à pōtificis amicitia ab-

alienare pollicitationib. & muneribus. Sed neq; id ei successit. nam Romani & Longobardi in defensionem pontificis coniurant, & pro eius salute mortem oppetituros sese exarcho respõdent: ut testatur Liber põtificalis, & Platina in Gregorio 2: Paulus Diacon. de gestis Lõgobardorum lib.6.cap.14. Bonfinius lib. 8 rerum Vngaricarum, Decad.1.

Itali igitur ad Imperatorẽ supplices libellos mittũt, pro imaginib. sacris conseruãdis: sed respõsum probrosum legati, ad octo menses detenti, referunt. Liber pontificalis.

Cũ autẽ Gregorius uideret, Imperatorẽ à Saracenis & alijs hostib. premi, & occasio sese offerret Romã & Italiã ad sese attrahẽdi, re deliberata cum clero suo, in Imperatorẽ fert sententiã: eũq; imperio & cõmunione fideliũ priuat, eo q, sanctas imagines è sacris ædibus abrasisset, & statuas demolitus esset, & q, de homousio malè sentiret. Platina in uita Gregorij 3. Hoc igitur pacto seu artificio Romã atq; Italiã, omniaq; iura tam Reipublicæ quàm Ecclesiastica in Hesperijs locis, ab obedietia Leonis et Imperij sub ipso cõstituti, remouit: idq; anno 13 Leonis accidit. Paulus Diaconus lib. 21 rerum Romanarum: anno Domini 728, iuxta Sigebertum.

Tulit id Imperator indignissimè: & exercitũ in Italiã misit, duce Mane prætore Cybiorensium: tributaq; quæ ad patrimoniũ Ecclesiæ pertinebãt in Sicilia & Calabria, publico fisco adscripsit. Paulus Diaconus lib. eodem.

Rathobodus dux Frisonũ, homo ethnicæ superstitioni deditus, à Gallis cõtra Carolũ Martellũ cõductus, trans Rhenũ circa Agrippinã omnia Christianorũ tẽpla diripuit. Auẽtinus lib. 3 Annaliũ: & Hedio Ecclesiasticæ historiæ lib.6.cap.21, ex Vuilibaldo.

Theodoualda dux Sueuorũ, Pirminiũ antistitẽ, & post eum Etonẽ Sueuia exturbat, q, Carolo Martello fauere dicebatur. Sed paulo pòst dux ille à Carolo expellitur, & Pirminius restituitur, ac Eto Argentorati designatur episcopus. Auentinus lib. eodem.

Vngarię regẽ oppugnasse Thuringos, propter Christi religionẽ à Bonifacio susceptã, et denegatũ tributũ, supra in capite de Propagatione ex Chronico Isenacẽsi indicauimus.

Rigobertus Remorũ episcopus, qui baptizauerat Carolũ Martellũ: & Eucherius Aurelianẽsis episcopus, eo q, Carolo cõtra Raginfredũ bellũ gerẽti, suarũ ciuitatũ portas non aperuerant, ab episcopatu suo sunt deiecti, anno Domini 723. Sigebertus in Chronico.

Saraceni Sardiniã depopulantes, multos pios afflixerũt. Beda lib.2. de Ratione temporum. Iidẽ ex Hispania ab Eudone cõtra Carolum euocati, in Gallias irruũt, easq; occupãt, omnia deuastãtes: & Ecclesias passim incendũt, dãna plura daturi, nisi à Carolo, & ab ipso Eudone post pacẽ repressi & deleti essent, anno Domini 730. Sigebertus, & Beda historiæ Ecclesiasticæ lib.5.cap.24.

Cæperũt Saraceni Auenionẽ, & Narbonã, et Arelatũ, nõ sine plurimorũ Christianorũ cęde: neq; sine sanguine à Carolo ex illis munitionib. sunt depulsi. Sigebertus in Chron.

Sub Mordaco rege Scotorũ, anno Dñi 723, summa concordia inter Britannos, Anglos, Scotos & Pictos fuit: & multi eo ipso anno sacerdotio priuati sunt, quòd colẽdis statuis consensum non dedissent. Balęus centuria 14.cap.29. de Scriptoribus Britanniæ.

Pemmo Foroiulianus dux, Calistũ patriarchã Aquileiẽsem, qui Amatorẽ episcopũ ex Foroiulio expulerat, capit: & in castellũ Potiũ ducit, ibiq; pane tribulationis pascit. Paulus Diac. li.6, cap.14. de gestis Lõgobardorũ.

Eo anno quo Leo imperator mortuus est, qui fuit Domini 741, Euelid interfecit omnes Christianos captiuos, in omnib. ciuitatibus: inter quos etiam Eutychius filius Mariani patricij in Carris Mesopotamię, & multi alij martyrij corona ornati sunt. Paulus Diaconus lib.21. de rebus Romanis.

DE PERSECVTIONE ET TRANquillitate sub Copronymo.

Constantino Copronymo parũ æqui sunt historici, propterea q, superstitiosum cultũ imaginũ, & sanctorũ inuocationẽ improbauit: et quãtũ in ipso fuit, abolere conatus est. Vnde apud plerosq; multa legũtur crimina, quæ an uerè, an uerò per calumniam de ipso sint annotata, pius Lector diiudicet. Nã eũ infantẽ baptismũ fœdasse excrementis suis, & postea à Deo & matre eius & omnib. sanctis abscessisse: magicis maleficijs, & luxurijs, cruẽtisq; sacrificijs, & caballinis stercorib. atq; lotio delectatũ, & libidinib. & dæmonũ inuocationib. gauisum esse, & tyrãnicè & illegitimè imperio abusum, & legũ à patrib. traditarũ persequutorẽ fuisse, narrat Paulus Diac. lib.21 & 22. rerũ Roman. Et nec Christianũ, nec Iudęum, nec paganũ: sed colluuiẽ quandã impietatis instar Aphricanarum ferarũ, quę ex diuersi generis coitu multiformes, cõfusaq; specie & immanitate nasci perhibeãtur, fuisse, Zonaras tom.3. narrat. Et Anastasiũ iureiurando affirmasse, eũ ad se dixisse, Iesum Christũ nõ esse uerũ Deũ, sed purũ hominẽ: Paulus Diac. lib.22. refert.

Status quidẽ Ecclesiarũ sub eius imperio certè afflictissimus fuit, tum propter ipsius in εἰκονολάτρας seueritatem, tum propter seditionem Artabasdi: tum propter Saracenorũ latrocinia, tum etiam propter Romanorum pont. machinationes cruentas.

Nã Senatus & populus & legiones imaginũ cultui dediti, odioq; Imperatoris flagrantes, quòd eas ferre nõ posset, fama de interitu

tu Cōſtantini ſparſa, Artabaſdū deſignāt imperatorē. Verùm ille urbe obſeſſa, & diu fame afflicta, tandēq; capta, recupat imperiū: & cōgregata Synodo, controuerſiā de adoratione imaginū diſceptari iubet. Patres qui cōuenerant, adorationē imaginū dānant, ut apertā idololatriā: & Germanū, Georgiū Cypriū, & Iohannē Damaſcenū anathemate feriūt, ut idololatriæ iſtius patronos. Imperator ergo edicta pponit, quib. imagines adorari uetat: & Synodi decreta ſuſcipi iubet, & reliquias Sanctorū igni tradit, ac deniq; titulū Sācti neq; Mariæ uirgini, neq; Apoſtolis, neq; martyribus tribui uoluit: & interceſsiones Sanctorū ſiculneū præſidiū uocabat: anno Domini 755. Sigebertus. Præterea ad reliquias Sanctorū, curandorū morborū cauſa accedētibus, pœnas minabatur Paulus Diacon. Eos uerò qui dicebant, Maria Dei genitrix iuua nos, grauiter uituperabat.

Hęc aūt res porrò occaſionē turbis prębuit. Nam ſacerdotes & monachos, qui ſubſcribebant ſentētiæ ſuæ, uiuere citra noxā ſinebat: ſed refragātes atrocib. ſupplicijs afficiebat, et uita priuabat. Miniſtros aūt iſtius ſeueritatis habuit Cōſtantinopoli Antoniū patriciū, & ſcholarū domeſticū, et Petrū magiſtrū ſup populū ſingulorū ordinū. Foris uerò prætores, Michaelem Edeſſenū, et Michaelē Lachanodraconē, & Manē. Paulus Diac. li. 22. rerū Ro.

Andreas quidā monachus Calibytes dictus, Imperatorē adit: eūq; inter obiurgandū ob imagines, alterū Iulianū et Valentē appellat. quod ille indignè ferēs, flagris eū occidit. Zonaras tom. 3. Paulus Diac. li. 22. rerū Rom.

Stephanus etiā celebris monachus, cū recuſaſſet tomū à Synodo de imaginū dānatione approbare, poſt multa tormēta crudeliter interficitur: & in pelagiū, ubi ex ęde Pelagij foſſa ad receptaculū condemnatorū facta erat, abijcitur. Zonaras to. 3: anno 770. Sigebertus.

Multos etiā Senatorij ordinis, ob ſacrarū imaginū cultū ſupplicio affecit: & iuſiurandum ab omnibus exegit, ne quis eas ueneraretur. idemq; iuſiurandū ab ipſo quoq; Conſtantino, quem Eccleſiæ præfecerat, poſtulauit: atq; is in ſuggeſto ſtans iurauit.

Cū in theatro ludi Circēſes agerētur, multos monachos cōprehendit, ac triūphum de illis egit, per theatrū circūductis, & mulierculas inhoneſtas manu ducentibus: ſine dubio propterea, quòd deprehendit eos libidinibus & ſcortis ſeſe in cœnobijs polluere.

Duobus ex ſuis cōſiliarijs capita præcidit, et multos alios carcerib. incluſit, lorisq; cędi iuſsit: propterea quòd accuſati eſſent, quaſi monachis narraſſent de facinoribus eius, ob quæ ab illis reprehendebatur.

Petrū Stilitē à Metra, nobilē uirū, ab officio remouit, & in carcerē cōiecit: & tractum per plateas, proijci iuſsit in locū ſupplicij, eo q. Sanctorū adorationē probaſſet. Paulus Diac.

Conſtātinū etiā patriarchā, q (ut uidetur) ſidē et Synodū eius reprehēderat, in exiliū miſit: et reuocatū, in eccleſia habito iudicio, anathemate dānari, alapis cędi, et aſino impoſitū in ludis Circenſib. circūduci, & cōſpui, & puluere cōſpergi, et tandē capite plecti iuſsit. Zonaras tom. 3. & Paulus Diac. li. 22. rerū Rom.

Multa millia orthodoxorū interfecit. Monachorū domicilia partim incēdit, partim deſtruxit: ut Calliſtrati, et Dij, & Maximini monaſterijs fecit. Paulus Diac. partim prophanauit: ut Dalmatæ monaſteriū, omniū quæ Cōſtātinopoli ſunt antiquiſsimū, pulſis monachis, militū diuerſoriū fecit. Zonaras to. 3.

Generib: ſuppliciorū aduerſus εἰκονολάτρας uarijs eſt uſus: nimirū carcere, flagellis, oculorū effoſsione, nariū præciſione. quoſdā ſaccis inſutos, & lapidibus aggrauatos, in mare proiecit. Paulus Diac. lib. 22. rerum Rom.

Lachanodraco pręfectus, monachos coegit monachas ducere: & id recuſantes punijt, & uirorū & mulierū monaſteria, & uaſa ſacra, & libros uēdidit: lipſana Sanctorū cōbuſſit, multos monachorū uerberib. & gladijs trucidauit, quoſdā oculis priuauit, quibuſdā barbas oleo & cera pūctas incēdit, alios poſt multos cruciatus in exiliū eiecit: nec unum monaſtica ueſte amictū in tota prouincia reliquit, quamobrem ab Imperatore laudem meruit. Paulus Diaconus.

Quę hactenus de Imperatoris cōtra idololatricā imaginū adorationē ſeueritate dicta ſunt, ad τιμωρίαν potius quàm ad μαρτύριον referri poſſunt. Nā illi qui ſeſe oppoſuerūt Synodi decretis, & Imperatoris edicto, nullā iuſtam cauſam habuerūt: ſed idololatriā & ſuperſtitiones tutati ſunt, & ſeditioſè egerunt. Quare meritò repreſsi ſunt, & non rectè martyres ab Hiſtoricis uocantur.

¶ Sed quæ nūc de Saracenorū crudelitate in Chriſtianos dicemus, ea propter religionis Chriſtianæ profeſsionē acciderunt, & uerè perſecutionis nomine notantur: & qui in hoc cōflictu pierūt, martyres rectè cēſentur.

Gamer Arabū dux, in Romania multos trucidauit, & nō paucos captiuos duxit. Hali Petrū Damaſci epiſcopū, eo q. Arabū falſa dogmata refutaret, & cū Manichęis ſentire aſſereret, cæpit, & linguā ei præcidit, atq; in Arabiā deportauit: ubi cū Miſſā celebrare auditus eſſet, interfectus eſt, anno 2 Conſtantini. Paulus Diac. li. 22. anno Dñi 745. Sigebertus in Chronico. Eodē tēpore Petrus Mauimenus in Syria, ob damnatam Mahumeti hæreſin, capitali ſupplicio affectus eſt. Paulus Diaconus lib. eodem, & Sigebertus.

Abas quidā Arabū pręfectus apud Cithim, centū & uiginti Calbenos ſuſpēdit, et multa

mala Christianis intulit:anno imperij Constantini 4.Paulus Diaconus lib.22.

Salim Arabũ princeps, Theodorũ Antiochię episcopũ accusatũ,quòd literis Cõstantino res Arabũ indicasset, in Moabitidẽ regionẽ exulatũ mittit: & edicit,ne Christiani nouas ecclesias extruãt, nec de fide sua Arabes doceant,nec crucem Christi aspiciant: anno 16.Constantini.Paulus Diacon.lib.eodem.

Idẽ Salim,in die paschę templũ Christianorũ ingressus, cũ audisset Anastasiũ sacerdotẽ in precatione dicẽtẽ,Plebs tua & ecclesia tua supplicãt tibi: cõprehẽdi eũ iussit,& in carcerẽ cõcludi,ut seditiosum.Paulus Diac.lib.22.

Zonaras tom. 3.narrat,Saracenos,Christianos,qui uectigaliũ codices solebãt tractare, et rationes acceptorũ cõficere,ab eo munere remouisse:sed tamẽ paulo pòst ijs oportuisse restituere,ꝓpter arithmetices inscitiã: anno Cõstantini 19,ut Paulus Diac.lib.22.refert.

Habdallas Saracenorũ dux,tributa Christianis maiora,quàm antea soliti erãt dare,imperat:& quidẽ etiã à monachis,& inclusis,& eremitis ea exigit. Ecclesiarũ cruces & κειμήλια rapit,& Iudęis uẽdit:anno Cõstantini 17. Et uigilias nocturnas celebrare,ac literas discere prohibet:anno Domini 759,iuxta Sigebertũ. Iudæis & Christianis characteres Mahumeticos inscribi iussit,anno Cõstãtini 32, Hierosolymis:quod declinãtes multi,in Romaniã aufugerunt.Paulus Diac.lib.22.rerum Rom. Ex Ecclesijs sterquilinia fecit: & reliquias sanctorũ effossas,ut rẽ inutilẽ,dispersit. Iuo in Chronico. Et testatur Martinus in Chronico,multos propterea quòd Mahumetũ reprehẽderũt,interfectos esse à Saracenis. Et Blondus Decad.2.li.1.asserit,Constantinũ ea ratione cũ Habdalla fecisse pacẽ:ut ille ꝑmitteret Christianorũ,q inter Saracenos habitabãt,afflictionẽ.Sed fides sit penes autorẽ.

Bulgares contra Sabinũ regẽ suũ arma capiũt,propter imaginũ adorationẽ defendendam:quã ille,à Constantino imperatore,& à rectè sentientib.doctorib.persuasus,damnabat,& abolere nitebatur.Verùm ille fuga sibi cõsulit.Nauclerus generatione 26.& Bergomensis lib.10.Blondus lib.1.Decad.2.

Eas clades quas Romani pontifices à Longobardorũ regibus circa hæc tẽpora acceperunt, historici pontificij inter persecutiones & martyria referũt. Sed si quis rẽ ipsam recta uia reputet,facilẽ intelliget,nõ de uera religione,neq; de pijs & honestis operib. Romanos sacerdotes esse oppugnatos:sed propter raptum alienorũ bonorũ,& dominatus ambitionẽ. Nã cũ Gregorius secũdus,& tertius,& Zacharias,& Adrianus primus, imperatore Leone,& Constantino Copronymo, ob uetitã imaginũ adorationẽ & monachorũ reformationẽ excõmunicato,& ab imperio Italiæ remoto, exarchatum Rauennatẽ, et Coccias alpes,atq; omnẽ ditionẽ à Taurinis & Medullis Genuã usq; sibi arriperent & uendicarent, sub prætextu suppositicij testamẽti Ariperti regis Longobardorũ(nã donationis Cõstantini nõ ausi sunt facere mentionẽ.)Luitprãdus,Lachis,et Aistulphus,et Desiderius,Longobardorũ reges,haud immeritò seuerius cõtra eos egerunt de repetundis. Sed illi præsidio Francorũ Longobardos represserũt:atq; exarchatũ Italiæ, & alia plura occupauerũt,ut infrà in cap.de Mutationib. politicis dicetur. Liber pontificalis: Platina in uita Gregorij 2 & 3. & in uita Stephani secundi:Blondus Decad.2.lib.1:Iuo in Chronico,& Adon Viennensis.

Vera aũt persecutio fuit illa Stephani 3,& aliorũ,qui ad Synodũ Romanã uenientes,Cõstantinũ papã imaginũ adorationẽ prohibẽtem,officio suo & oculis priuarũt,& omnia eius decreta resciderũt,et imaginũ oppugnatores anathematizarũt:anno Domini 768.Sigebertus,Platina. Et quòd Cosmam Alexãdriæ episcopum excommunicarunt Antiochenus & Hierosolymitanus, ob improbatam imaginum adorationem.Diac.lib.22.

Gebolibũ Moguntinũ episcopũ,Clementẽ & Samsonẽ Scotos,Albertũ Gallũ,Sydoniũ,Virgiliũ, & multos alios sacerdotes Germanos afflixit Bonifacius Romanorũ pontificũ apostolus, eo quòd nõ probabãt omnes ceremonias & traditiones eius: quales erãt, de cœlibatu sacerdotũ,& de neophytorũ rebaptizatione:et quòd eũ adulatorẽ,pręstigiatorẽ,exorcistã,insidiatorẽ callidũ,mollẽ et effœminatũ martyrẽ(cũ secũ circũduceret fœminas familiares Liebã & Hadelogã,Bertgiten & Vualtburgã)uocarẽt. Nã falsis criminibus, quòd auari,libidinosi & sacrilegi, & temulẽti essent,eos deformauit:& ut in uincula à ducib.Francorũ conijcerẽtur,atq; à põtifice Romano officio & cõmunione priuarentur,effecit: cũ tamẽ de nulla hæresi aut erronea opinione essent cõuicti.et Albertũ Gallũ in Fuldẽsis monasterij carcere necauit:Auentinus lib.3.Annaliũ. Balęus Centuria 14, cap.31.in Appendice scriptorum Britanniæ.

Venedorum proceres iugum religionis Christianæ excutiunt, & suos sacerdotes in Bauariam expellunt. Auentinus lib.eodem.

Mauricius Chalbius Venetorũ dux,Gradẽsẽ patriarchã flagellat: quæ res illi causa mortis fuit.Bergomẽsis lib.10,in Stephano papa.

Gẽtiles etiã passim in eos qui Christi religionẽ docebãt,grassabãtur. Nã paganos plures quàm triginta ecclesias uastasse,& cellulas monachorũ incendisse, Bonifacius queritur in epistola ad Stephanũ papam. Et Magryptium hostem Christiani nominis, Hilduardũ Cameracensiũ episcopũ interfecisse,

Iacobus

Iacobus Meier in Chronico Flandriæ refert.

Et Frisones Bonifacium, ad fluuium Bornam in pago Dorckheimo, neophytos pontificijs ritibus consignantem & confirmantem, cũ quinquaginta duobus aut quatuor, de improuiso obruentes interfecerunt: anno Domini 755. Vuilibaldus, & Lambertus Hortensius Montfortius lib. 1. rerum Vltraiectinarũ: & Balęus Centuria 2. cap. 13. Scriptorum Britanniæ: & Chutbertus in epistola ad Lullũ: Annonius de gestis Frãcorũ li. 4. ca. 62.

Postremò summã calamitatũ Burchardus episcopus Vuirtzburgensis, à Zacharia ablegatus ad Pipinum, cõplexus est his uerbis in oratione sua: Hostes religionis, omnes Oriẽtis regiones tenent, Aphricam totã occuparunt, Bosphorũ utrunq; propè ponte iunxerunt, Hispanias tenent: Pyrenæum saltum, uelut domus suę fores, ubi uisum est, perfringunt, perrumpuntq;: in Franciam iam expositam illis, patentemq;, manus inijciunt. Æmylius lib. 2. de gestis Francorum.

DE PERSECVTIONE ET TRANquillitate sub Leone, filio Copronymi.

ILlo quinquennio, quo imperium administrauit Leo, Ecclesię satis tranquillę, quantum ad ipsum attinet, fuerũt. Reprehensioni tamen obnoxium est, quòd hæreticos Iacobitas ex Syria in Thraciam collocauit. Laude uerò dignũ est, quòd imaginũ adorationẽ prohibuit: & quòd, cum id edictũ Iacobus Protospatharius, & Papias, & Strateius, & Theophanes, cubicularij eius, & alij pseudoreligiosi uiolassẽt, grauiter in eos animaduertit publica cõtumelia, & tonsura & carcere. Zonaras tomo 3. & Paulus Diaconus lib. 23. Et frustrà põtificij historici & εἰκονολάτραι hos martyres pronunciant, Imperatorẽ uerò persecutorẽ. Nam imaginũ sacrarũ adoratio, manifesta idololatria est: quam Magistratus iure prohibet, & in contumacibus punit.

Pontifices aũt Romani potius persecutiones exercuerunt in eos, à quib. uel parum reprehensi sunt: ut ex epistola Adriani ad Carolum apparet, ubi Iohãnes monachus, qui uisionibus reprehenderat superstitiones papisticas, accusatus & afflictus, & uix literis Caroli liberatus dicitur.

Sed Saraceni nõ cessarunt, in Oriente Rempublicam & Ecclesiã affligere. Nam Mady, quarto anno Leonis, usq; Dorileum omnia uastat, & obsidet Amoriũ: & sequenti anno in Romaniam irruit, & Ecclesiæ Zeloti facit potestatẽ ecclesias euertendi, & apostatas faciendi Christianorũ seruos. Is aũt Emesam ueniens, primùm asserit, se tantũ Iudæis Mahometi characteres impressurũ. Sed postea cũ Hebræi & Christiani essent disiuncti, cœpit impiè Christianos excruciare. Cõstantiã præstiterũt in ea afflictione fœminæ quædã Nubitenses, quæ millenis flagris cæsæ, coronam uictoriæ à Christo acceperũt. Peruenit ille persecutor usq; Damascum, & multas ecclesias destruxit. Paulus Diaconus libro 23. & multos utriusq; sexus martyres fecit: anno Domini 781. Sigebertus in Chronico.

Inter pseudomartyria referendũ est, quòd Mauricio Histriensi episcopo, pensiones S. Petri in territorio Histriensi exigenti, Græci & Histrij oculos eruerunt: ut patet ex epistola Adriani papæ ad Carolum. & quòd Carolus legatum Adriani Anastasiũ nomine, propter uerba aspera apud se retinuit custodiæ traditum: ut patet ex eadem epistola.

DE TRANQVILLITATE ET PERsecutione Ecclesiæ sub imperio Irenes & Constantini.

LEone mortuo, Irene cũ filio suo Constãtino decẽ annos imperat: quibus euolutis, matrẽ remouet, & solus ad annos 7. regnat. Quod illa indignè ferens, tandem filium oculis & imperio priuat, & rursus annos quatuor rerum potitur.

Sub istis aũt Ecclesiæ passim afflictæ sunt cõmunib. miserijs, & motib. bellorũ: quæ à Saracenis, Bulgaribus, Frãcis, Saxonibus, in omnib. penè orbis terrarũ partib. gesta sunt, ut infrà cap. de Moribus politicis dicemus.

Porrò quòd ad Imperatricẽ et Constantinũ attinet, commendantur ambo ab historicis, quòd imaginũ fuerint adoratores: & quòd idola & ornatus eorũ, quę à maiorib. suis piè erant remota, restituerint. Ad eam aũt rem, tum muliebri superstitione, & iuuenili inscitia: tum Pauli patriarchæ uana pœnitentia, tum Romanorũ pontificum & aliorum falsa doctrina uidentur adducti. nam Paulus abdicato episcopatu, in monasteriũ secessit: asserens se grauiter peccasse, quòd metuens crudelitatẽ Imperatoris, adorationem imaginũ improbasset. et Tarasius in episcopũ electus, noluit prius assentiri uocationi, quàm esset promissa Oecumenica Synodus. Ea autẽ de uolũtate Romani põtificis Adriani, primùm Constantinopoli: sed cum essent patres refutati à populo & Scholasticis rectè sentientibus, postea Nicææ ab Iconolatris celebrata, decernitur, imagines adorandas & colẽdas esse. & excõmunicantur diuersum sentiẽtes, & Imperatoris assensu atq; edicto imagines templis restituuntur: & uero Dei cultu reiecto, dij alieni regnant.

Hæc res multos pios mœrore extinxit, plerosq; etiam magna clade affecit. Nam Irene singulari fraude omnib. ciuibus, qui imaginũ adorationẽ improbabant, arma redemit: eosq; in exiliũ misit. Paulus Diaconus li. eod.

Cum autẽ fortis armatus hoc modo atriũ suũ recuperasset, in errore inter impios constituta est consensio: & imperator agere cœpit

pit

pit pro libitu, falsis doctorib. omnia approbantibus. Priore enim uxore repudiata, & in monasterium occlusa, duxit aliam. Id facinus cũ approbasset Tarasius patriarcha, imaginum adorator & prædicator: Plato quidã monasterij Saccidionis magister & καθηγητὴς reprehendit, & à cõmunione eius abstinuit, atq; adulterium potius quàm matrimoniũ iudicauit. Sed ad Imperatorẽ delatus, in carcerẽ coniectus est. Zonaras tomo 3. Et monachi eius in exiliũ pulsi sunt, sexto anno Constantini. Paulus Diaconus lib. 23. rerũ Rom.

Saraceni uerò & Arabes, ob suæ impię religionis propagationẽ, & regni sui ampliationẽ, hoc tempore passim afflixerunt Christianos. Nam Madij magno cum apparatu Maurophororum, & totius Mesopotamiæ, & Syriæ, & deserti, Chrysopolim & Nacoliam ob fidem: & de exercitu Lachanodraconis quinque millia cædit, anno 2 Irenes. Paulus Diaconus lib. 23. rerum Rom. Et quanquàm pax facta est inter Imperatricem & Saracenos, tamẽ Aaron dux eorũ multa mala intulit Christianis. Paulus Diaconus lib. eodem. Nam in Cyprũ irruit, & Theophilum prætorem Cibioretarũ bello cepit, fidemq; abiurare iussit. quòd cũ ille recusasset, gladio cęsus est, anno 9. imperij Irenes. Paulus Diaconus. Progressi aũt Saraceni, Cappadociã & Galatiã populãtur: & in Romaniã irruptionẽ faciẽtes, Imperatoriũ equitatũ capiunt. Paulus lib. eod.

Ethnici septies à Constantino expulsi Hierosolymis, denuò eam adoriuntur & capiũt, et Iohannem patriarcham cum suis eijciunt. Ille uerò Cõstantinopolim ueniens, petit ab Imperatore & filio eius Leone auxilium: sed ille eum ad Carolum cũ literis ablegat. quibus lectis, ad arma uocat suos, & Hierosolymam exercitum ducit: et recuperata urbe, paganos expellit. Refert Heinricus de Erphordia, in uita Constantini, cap. 69: anno Constantini decimoseptimo, ex Helinando.

In Syria, Ægypto, Aphrica, Hierosolymis, Alexandriæ, & Carthagine, Christianos à Saracenis oppressos, & rerum inopia cõflictantes, eleemosynis iuuit Carolus Magnus: ut narrat Crantzius in Saxonia lib. 2. cap. 8. & Vrspergensis.

In Saxonia Vuidekindus sæuijt in Christianæ professionis doctores. Eius uerò exemplum imitantes Frisij, Vuillehadũ capiunt: & discipulos eius aliquot Bremæ & in alijs locis crudeliter trucidant: illo incolumi dimisso, propter sortium benignitatem, quę ei uitam adiudicabant. Crantzius in Saxonia lib. 2. cap. 14. & in Metropoli lib. 1. cap. 7.

Et rebelles Saxones, Padeburnẽsem ecclesiam in cinerem redegerunt: quæ tamen sub aduentum Leonis pontificis restaurata est. Crantzius in Metropoli lib. 1. cap. 11.

Suidbertus Verdensis episcopus, per maleuolos loco suo pellitur: sed Bertrada Pipini coniunx ei pagum Keysersheim, insulã Rheni, habitandã cõcessit. Balęus Cẽturia 13. cap. 61. scriptorũ Britanniæ, ex Beda & Bruschio.

Auares à fide Christi deficientes, intolerabili malitia populum & Ecclesias in Gallijs afflixisse, Regino lib. 2 narrat: anno 800, iuxta Sigibertum.

DE POENIS PERSECVTIONVM.

Philippicum imperatorem ob hęresin et persecutionem orthodoxorum, breuitate imperij, & cæcitate punitum esse, referũt Paulus Diaconus lib. 20. rerum Romanarum, & Zonaras tomo tertio.

Pergamenses obsessi à Saracenis, à mago quodã persuadentur, quòd potituri sint uictoria, si mulierẽ grauidã inciderent, & fœtũ eius coquerẽt in olla, dexterasq; suas illo cruore tingerent. Sed illi cum id fecissent, iusto Dei iudicio pœnas dederunt, & ab hostib. uicti et interfecti sunt. Paulus Diaconus lib. 20. rerum Romanarum, sub Theodosio.

Saraceni ob Constantinopolin obsessam, & Thraciam uicinasq; regiones uastatas, fame (quæ tanta erat, ut camelos & asinos, & cadauera hominum, & stercus suum in clibano tostum comederent) & peste (quæ trecenta hominum millia absorpsit) puniuntur: & à Bulgaribus uiginti duo millia cædũtur. & grandine ignea cœlitùs in mare demissa, naues picę liquefactæ ac dissolutę, pessum iuerunt: solis decẽ saluis, quarũ quinq; in Syriã uenerunt, quinq; à Romanis captæ, Dei omnipotentis uindicẽ manũ annunciauerunt. Paulus Diaconus lib. 21. rerum Romanarũ: anno Domini 719. & 20. primo & secundo imperij Leonis. Sigebertus in Chronico.

Haumar Christianorum hostem, uix alterũ annum in regno agentem, Christus è medio sustulit, & suis pacem concessit. Paulus Diaconus lib. 21. rerum Romanarum.

Saraceni etiã, qui in Gallias ab Eudone, et postea à Marũtio ex Hispanijs asciti, à Carolo Martello & alijs propemodũ deleti sunt, ob suã in Christianos crudelitatem. Et Eudo & Maruntius uterq; regnis & uita priuati sunt. Sigebertus in Chronico. Adeò non sinit Deus perfidiam impunitam.

Pemmo dux Foroiulianus, à Luitprando ob suã in episcopũ Calistum iniuriã, ducatu suo priuatur: reliquis Lõgobardis, socijs istius sceleris, præter unum, in uincula cõiectis. Paulus Diaconus li. 6. cap. 15. de gestis Long.

Leo imperator etiam suæ crudelitatis pœnas dedit. Nã bellis & rerũ infelici successu uexatus, tandẽ dysenteria perijt. Iacobus de Strada, in Thesauro antiquitatũ: et Vernerus in Fasciculo tẽporũ. Beser patricius, qui eũ inflãmauerat, ut adeò sæuiret cõtra imaginũ defensores:

defensores: ab Artabasdi exercitu hasta traijcitur. Paulus Diaconus li.22. rerum Roman.

Quia pleriq; historici errore de imaginum adoratione imbuti, ea quę à Cōstantino Copronymo contra imaginum patronos gesta sunt, persecutionem piorum æstimant: ideo etiam omnes calamitates, ut sunt pestis, fames, terræmotus, & eius mortem, pœnam faciunt oppugnatarum imaginū. Nam carbunculus pedē eius corripuit, et ardentes febres eum infestantes è medio sustulerūt, cum annos triginta quatuor & tres menses rerū potitus esset. Zonaras tomo tertio, & Paulus Diaconus lib.22. Iuo in Chronico. Blondus Decad. 2 lib.1, elephantiæ morbo eum correptum, & adusti spumantisq; sanguinis uitio putridam carnem neruos & ossa destituisse, eumq; ulceribus repleuisse.

Abas etiam pro sua in Christianos crudelitate, dignam mercedem tulit. Nam Æthiops quidā à Marua subornatus, impleuit follem uiua calce, eamq; in os & nares eius efflauit: unde ille suffocatus interijt. Paulus Diaconus lib.22 rerum Romanarum.

Abdallas Saracenorum Amiras, pro sua in Christianos tyrannide, iusto Dei iudicio irruente in ipsum turri, perijt: anno Domini 776, Constantini 26. Diaconus lib.22.

Aistulphus Longobardorū dux apoplexia perijt, iuxta Blondum Decad. 2. lib. 1. aut de equo lapsus ceruicem fregit, iuxta Ganguinum lib.3. de gestis Francorum. quod ei propter afflictū Romanū pontificē euenisse pleriq; uolūt: anno Domini 756. iuxta Sigebert.

Carolum Martellū, propterea quòd tempore belli ecclesias spoliarit, & decimas militibus distribuerit, in infernū cum corpore & anima descēdere, somniauit Papa: & aperto sepulchro eius per Aurelianensem episcopū, serpentem inuentum esse miræ magnitudinis, in Chronico de ducibus Bauariæ annotatur, & in Chronico Martini.

Leo coronam ex Iaspidibus & alijs gemmis consertam, ex ecclesia abstulit, dicens: Eum cuius sit templum, pauperiem, & non gēmas probasse: & suo capiti imposuit. Sed paulo pòst febre correptus interijt. Paulus Diaconus lib.23. Blondus Decad.2. lib.1.

Constantinum & Irenem imaginū adoraaionē defendentes, & eos qui refragabantur fligentes, Deus multis affecit pœnis. Nam filius matrem ab imperio remouit: & à Bulgaribus uictus est, cū Pancratio astronomo uaticināti de uictoria credens, de acie instruenda negligentior fuisset. & postea per insidias à matre oculis & imperio orbatur, eodē die quo ille ante annos quinq; Nicephorū & Alexium Mosolim iniustè excęcarat, & alijs quibusdam linguas præciderat. Zonaras tomo 3. Ad eam impietatem sol ad dies decem et septem suos occultauit radios: & ipsa post annos quatuor aut quinq;, à seruo & subulco Imperiali dignitate & thesauris omnibus exuitur, atq; in exilium relegatur. Paulus Diaconus lib.23 rerum Romanarum.

CAPUT IIII.

DE DOCTRINA.



Eadem penè fuit ratio doctrinę hoc seculo, quę & in priori. Doctrinā de Trinitate studiosè custodiuerunt & illustrarunt: uerùm in reliquis capitibus, opiniones quasdam præcedentium doctorum retinuerunt, & in quibusdā etiam magis obscurarunt. Creuit enim imaginum cultura, & superstitiosi ritus. Commodissimæ tamen sentētiæ excerpendæ & colligēdę sunt: stipulis quibusdam, aut etiam tenebris atq; corruptelis in suum locum reiectis.

Symboli uice est ista Damasceni cōfessio, lib.1. de Orthodoxa fide cap. 8. Credimus in unum Deum uiuum, principium sine principio, increatum, ingenitum, omni pernicie carentem, immortalem, æternum, infinitum, incircumscriptum, interminatū, infinitè potentem, simplicem, incompositum, incorporeum, indefluum, impassibilem, immutabilem, inalterabilem, inuisibilem, fontē bonitatis & iusticię, lucem intellectualem, inaccessibilem, uirtutem nulla mensura cognitam, sola quidem propria uolūtate mensuratam (omnia enim quæcunq; uult, potest) omniū creaturarum uisibiliumq; & inuisibilium factricem, omniū conseruatricem atq; saluificam, omnibus prouidentem, dominantem omniū atq; principantem, & regnantem infinito & immortali regno, nullū habentem contrarium, implentem omnia, à nullo contentam, quippe quæ magis cōplectatur uniuersa & cōtineat: incontaminatè omnib. substantijs supereminentem super omnia, & ab omni substantia exceptam, ut supersubstantialem, & super entia existentē, superdiuinā, superbonam, superplenam, principia omnia & ordines definientē, omni principio & ordini superlocatam, super substantiam & uitam & rationem & intelligentiam, per se lucem, per se bonitatem, per se uitā, per se substantiam, & non ab alio esse habentem, aut quiduis eorum quęcunq; sunt. Sed ipsa fons est esse ijs quæ sunt, & ijs quæ uiuunt uitæ: ijs quæ ratione participant, rationis, & omnibus omnium bonorum causa: omnia sciens antè quàm ducantur ad ortum, una substantia, una diuinitas, una uirtus, una uoluntas, unum principium, una operatio, una potestas, una dominatio, unum regnum in tribus perfectis personis agnitum, & adoratū una adoratione, creditumq; & ueneratū ab omni

omni rationali creatura, inconfuse unitum, & indiuise discretũ, quod opinionem superat. Credimus in patrem, & filium, & spiritũ sanctũ, in quibus baptizati sumus. Sic enim Dominus Apostolis baptizare præcepit: Baptizantes eos, dicens, in nomine patris & filij & spiritus sancti. In unum patrem omniũ principiũ & causam, nõ ab aliquo genitum, sine causa solum ingenitum, omnium factorem, unius quidem solius natura patrẽ unigeniti filij eius, Dominiq; & Dei & saluatoris nostri IESV CHRISTI, & prælargitorem spiritus omnisancti. Et in unũ filium Dei unigenitum Dominum nostrũ IESVM CHRISTVM, ex patre natum ante omnia secula, lumen de lumine, Deum uerum de Deo uero, genitũ, non factum, consubstantialem patri, per quẽ omnia facta sunt ante omnia secula.

Summam etiam doctrinæ recitat Beda: Abrenunciemus omnibus pompis atque operibus eius, ac deinde ad pulchritudinem perueniamus fidei: qua sanctam Trinitatem, unum & uerum Deum, qua dispensationem Dominicæ incarnationis, qua unitatem sanctæ Ecclesiæ, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem confitemur. Vnde rectè in hac ciuitate Petrus, Thabitam deuotam Deo fœminam, à morte suscitauit: quia nimirum in huius perfectione fidei, & generaliter omnis Ecclesia per baptismã à morte suscitatur peccatorum: et cum post baptisma denuò mortem peccati incurrimus, per eandem necesse est fidem pœnitendo reuiuiscamus, ac per conciliationem sacerdotum Ecclesiæ rursus fidelium cœtui reddamur. In Esdram lib.1.cap.3.col.490. Et: Fundamentũ fidei nostræ est, ut credamus, unã diuinam esse essentiam, & tres personas: distinctas quidem, sed non disiunctas. Item quòd pater genuit sibi filium, sibi consubstantialem: & quòd spiritus procedit ab utroque. Beda in librum Boetij de Trinitate, tomo octauo, columna 1102.

Item: Credo & confiteor in Deum patrem omnipotentem, & in unicum Dominũ Christum filium eius unigenitum, & in sanctum spiritum, Dominum uiuificantem, trinitatẽ consubstantialem, in throno eodem consedentem, in una deitate, potestate & autoritate, adoratam & glorificatam, in unius sanctæ Trinitatis & Domini Dei nostri IESV CHRISTI œconomia. Basilius Ancyranus in concilio secundo Niceno, actione prima, tomo Conciliorum secũdo, fol.465. Item: In omnibus ecclesijs sancta laudatur & glorificatur Trinitas, in unica dominatione & deitate, quemadmodum & nos unum Deũ confitemur: neq; aliquis est præter eum, qui ex potestate illius dominatur per secula, qui ex non existentibus cuncta produxit, tam quę uisibilia sunt, quàm quę inuisibilia. hoc est, in patrem, filium, & spiritum sanctum, sanctam consubstantialem uiuificantem Trinitatem: in quam credentes & confitentes baptizati sumus, quemadmodum tradidit Deus uerbum existens incarnatum, unus ex sancta & incomprehensibili Trinitate, Dominus noster IESVS CHRISTVS, in nomine patris & filij & spiritus sancti. Germanus patriarcha Constantinopolitanus, in epistola ad Iohannem episcopũ Synnadon, Tomo 2. Concil. fol.528. Et: Secundum diuinas Scripturas, & doctrinam quam à sanctis patribus accepimus, patrem & filium & spiritũ sanctum, unius deitatis atq; substantiæ confitemur, in personarum diuersitate trinitatẽ credentes, in diuinitate unitatem prędicantes. Nec personas confundimus, nec substantiam separamus. Patrem à nullo factum uel genitum dicimus: filium à patre non factũ, sed genitum asserimus: spiritum uerò sanctũ nec creatum, nec genitum, sed procedentẽ ex patre & filio profitemur. In primo capite Synodi Arelatensis, tomo 2 Concil. fol.616.

Et Symbolum ac confessio fidei Basilij episcopi Ancyræ: Credo & confiteor in Deũ patrem omnipotentem, & in unicum Dominum Christum filium eius unigenitum, & in sanctum spiritum Dominum uiuificantẽ, trinitatem consubstantialem, in throno eodem consedentem, in una deitate, potestate & autoritate, adoratam & glorificatam, in unius sanctæ Trinitatis & Domini Dei nostri IESV CHRISTI œconomia, quemadmodum sex sacræ Oecumenicæ synodi tradiderunt: hæc omnia sic confiteor. Vniuersam autem hæreticorum linguæ incontinentiam abijciens execror, quemadmodum ipsos sese reddiderunt execrabiles. Actione prima synodi Nicenæ secundæ, tomo 2. Concil. fol.465.

Symbolũ & confessio fidei Tharasij Constantinopolitani: Credo in unum Deum patrem omnipotentem: & in unum Dominum IESVM CHRISTVM filium Dei, & Deũ nostrum, genitum à patre extra tempora, & ante secula: & in spiritum sanctum Dominũ uiuificantem, qui ex patre per filium processit. & ipsum esse definimus Trinitatem consubstantialem, eiusdem uenerationis & honoris & sedis, sempiternam, increatam, omnium opificem, unum principium, unã deitatem & dominatum, unum imperium, potentiam, facultatem & autoritatem, in tribus substantijs indiuisim discretam, & distinctim unitam: non ex imperfectis tribus unum existens, quemadmodum magnus ille Dionysius inquit, Secundum quidem singularitatem personarum tria adoranda, iuxta uerò communitatem naturæ, unus Deus omnium

omnium uisibilium & inuisibilium factor & prędestinator. Confiteor & propter nostram salutē in extremis temporib. iuxta carnē unius sanctæ Trinitatis filij Dei, Dominiq; nostri IESV CHRISTI, ex uera Deipara & semper uirgine Maria generationem, substantiā assumpsisse nobis similem, materialiter sine peccato, non desciscente ab eo quod fuerat: sed in duabus naturis sine confusione manentibus, cumq; duabus in illis uoluntatibus & effectibus. Crucifixum pro nobis carne, sepultum & resurgentem, in cœlosq; reuersum, uenturum iudicare uiuos & mortuos. Præter hæc mortuorum resurrectionē expecto: & secundum uniuscuiusq; actionē, æternam retributionem bonorum simul & malorum. Et paulo pòst: Omnem hæreticam uaniloquentiam execror: eorumq; antesignanos & primates, Simonem dico, Marcionem, Manenta, Paulum Samosatenum, & Sabellium Afrum, eorumq; scelesta dogmata detestor. Suscipio etiam sex sacras generales Synodos, earumq; diuina decreta. Primæ quidem, quæ definiuit Patri consubstantialem, & æquè sine principio fuisse Filium: anathematizans impium Arium, Aetium, Eunomium, Eudoxium, Demophilum, post hos etiam qui rectè dicuntur Anomij & Semiariani, præterea omnem eorum scelestam congregationem. Secundæ autem decreta recipio, quæ definijt Deum esse Spiritum sanctum Dominum uiuificantem. auersor autem Macedonium, & omnes qui ab illius partibus stant: cū his uerò & Deo odiosum Apollinarium, hominem planè de diuinis insipidè loquentem. Ex tertia uerò, unum Dominū nostrum IESVM CHRISTVM, uerum Deum nostrum ex patre genitum, ipsumq; in extremis diebus nostra causa ex sancta Deipara semper uirgine Maria incarnatum: & Nestorium hominis adoratorem, eiusq; asseclas, Diodorū inquā, & Theodorum, quiq; illius quadruplarem fabulam sectantur, & in Christo dualitatem personalē constituunt, longè à mea confessione propello. Quartæ uerò Synodi capita hæc accipio, ex duabus naturis, & in duabus naturis, unum esse sanctę Trinitatis Christum Deum nostrum in carne peregrinantem: anathematizo autem Eutychen, Dioscorum, & omnem acephalôn eorum turbam: cum his etiam Dei hostem Seuerū: & impium illum Iulianum Halicarnasensem, qui incorruptibile corpus Dominum nostrum assumpsisse fabulatur. Quintam uerò ueluti Spiritus sancti machęram amplector, quę à multis antè temporibus uigentes impias hæreses amputauit, & de earum autoribus triūphauit, Origene nimirū, Didymo & Euagrio, quos omnes ut hæreticorum magistros execror. Sextam autem laudo, quod ex duabus naturis Christū prædicauit: ob id etiam illi duas naturales uoluntates & operationes in alterutra natura, humana scilicet & diuina adsignauit: anathemate autem execror Cyrum, Sergium, Honorium, Pyrrhum, Paulum, & omnes qui eorum decretis insistunt, ueluti Sodomiticam uitem & Gomorrhicum palmitem, amaros botros producentem, exosos habeo. Eiusdem quoque sextæ Synodi omnia, tum rectè & diuinè decreta edita, traditosq; Canones recipio. His quædā de picturis annectūtur pręter rem, quæ omittimus, & inter næuos reijcimus. Actione tertia Synodi Nicenæ secundę, tomo 2. Concil. fol. 492.

Arelatensis Synodus capite primo: Secundum diuinas scripturas, & doctrinam quam à sanctis patribus accepimus, Patrem & Filium & Spiritum sanctum unius Deitatis atque substantiæ confitemur, in personarū diuersitate trinitatem credentes, in diuinitate unitatem prædicantes. Nec personas cōfundimus, nec substantiam separamus. Patrem à nullo factum uel genitum dicimus: Filium à Patre non factum, sed genitum adserimus: Spiritum uerò sanctum nec creatum, nec genitum, sed procedentē ex Patre & Filio profitemur. Ipsum autē Dominum IESVM CHRISTVM, Dei filium & creatorem omnium, ex substantia Patris ante secula genitū, descendisse ultimo tempore pro redemptione mundi à Patre, qui nunquàm desijt esse cum Patre. Incarnatus est etiam ex Spiritu sancto, & sancta gloriosa Dei genitrice Maria, & natus ex ipsa solus idem Dominus IESVS CHRISTVS, unus de sancta Trinitate, animam & carnem, perfectum sine peccato suscipiens hominem, manens quod erat, assumēs quod non erat: æqualis Patri secundum diuinitatem, minor Patre secundum humanitatem, habens in una persona duarum naturarum proprietatē. Naturæ enim in illo duæ, Deus & homo. non enim duo filij, & dij duo: sed idem una persona in utraq; natura, perferēs passionem & mortem pro nostra salute, non in uirtute diuinitatis, sed in infirmitate humanitatis. Descendit ad inferos, ut sanctos qui ibidem tenebantur, erueret: deuictoq; mortis imperio resurrexit. assumptus deinde in cœlos, uenturus est in finem ad iudiciū uiuorum & mortuorum: cuius morte & sanguine mundati, peccatorū remissionem consecuti sumus, resuscitandi ab eo in nouissimo die, in ea qua nunc uiuimus carne: & in ea qua surrexit idem Dominus, forma suscepturi ab ipso, alij pro iusticiæ meritis uitam æternam, alij pro peccatis supplicij æterni sententiam. Hæc est Catholicæ Ecclesiæ fides: hanc confessionem seruamus atq; tenemus.

mus. Quã quisquis firmissimè custodierit, perpetuam salutem habebit. Tomo 2. Concil. fol. 616.

Paulinus Aquileiensis [illegible]quit: Sancta catholica & Apostolica Ecclesia confitetur sanctam & ineffabilem Trinitatẽ in unitate, salua scilicet inconfusibiliter proprietate personarum, inseparabilem substantiam confitetur: ita sanè, ut alius credatur Pater, quia Pater est qui genuit coæternũ sibi, sine tempore & omni initio, filium: & alius credatur Filius, quia filius est qui genitus est sine initio à patre, non putatiuè, sed uerè: & alius credatur Spiritus sanctus, quia spiritus sanctus est, & à patre filioq; procedit: & non est aliud Pater, & aliud Filius, & aliud Spiritus sanctus, sed unũ sunt inseparabiliter Pater & Filius & Spiritus sanctus: nõ unus, sed unum: quia alia est persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti: sed una & æqualis & cõsubstantialis & coæterna est Patris Filijq; & Spiritus sancti inenarrabilis diuinitatis maiestas: quia unus est Deus. Vnionẽ namq; in essentia confitemur, trinitatem uerò in personarum discretione prædicamus. Dominum igitur nostrum IESVM CHRISTVM, Dei filium uerum semper in patre, semper cũ patre, semper credimus apud patrẽ. In ultimis namq; temporib. propter nos, & propter nostrã salutem, secundũ secretæ dispensationis arbitriũ descendit de cœlo, unde nunquã recesserat. Venit nimirũ in propria, ubi nunquã deerat. Natus est de Spiritu sancto ex Maria uirgine, dicente Angelo: Quod enim in ea natũ est, de Spiritu sancto est. Factus uerus homo, iuxta id quod scriptũ est: Et uerbum caro factũ est, et habitauit in nobis. Permansit uerus & omnipotens Deus in utraq; natura, unus Dei filius, idemq; hominis filius. Nihil enim humana natiuitas diuinæ præiudicauit natiuitati. Adsumpsit quod non erat, permansit in id essentialiter quod erat, non commixtionem passus, neq; diuisionem: sed in una persona Christi Deus uerus, & homo permanet uerus. Non duo filij Deus & homo, sed unus filius Deus & homo: nõ alius filius hominis et alius Dei, sed unus idemq; Dei hominisq; filius. In libello aduersus Felicem Vrgelitanum, & Eliphandum Toletanũ, episcopos.

DE VERBO DEI.

APpellationes quasdã uerbi diuini, Doctores huius seculi exponũt, ut Beda.

Panis nobis uerbum Dei est. ipse enim est panis uiuus, qui de cœlo descendit. Beda in Exodum cap. 15.

Semen bonũ, est sermo doctrinæ Euangelicæ, quæ in corde audientium uelut in terra bona crescit. Et è contrario semẽ malum, est praua doctrina, quã superseminat inimicus homo. Idem in Leuiticum cap. 15.

Aqua amara Scriptura diuina dicitur, quia peccantibus non parcit, & iustis dulcis, quibus æterna prę̃mia repromittit: & ita alijs aqua benedicta est, alijs maledicta. Idem in Numeros cap. 5.

Piscina grandi opere constructa, potest nõ absurdè Scriptura diuina intelligi: quæ sancti Spiritus opere confecta, lauacrum nobis ad expianda peccata, simul & poculum salutaris gustus ministrat. Quæ si à Domino nobis in uinum conuersa, hoc est in spiritalem sensum fuerit translata, gratiore nos sua uitate ueritatis inebriat. Vbi & domus est fortium: quia quicunq; crebris eloquiorũ diuinorum fluentis, audiendo & operando refici consuerunt, cõtra omnes antiqui hostis insidias fortes redduntur, & inuicti. Beda libro 3 in Ezram, cap. 18.

Cœlorum quoq; appellationes Scripturę sanctæ rectè dicũtur, eo quòd desursum sunt hominibus attributę: siue quia cœlestia in se contineant sacramenta. Horum igitur cœlorum, id est Scripturarum rationem, quæ mysteriorũ obscuritatibus opacatæ sunt, & profundæ, quis poterit animo perscrutari, eloquiosæ proferre? aut quis earũ uaticinia cessare præcipiet? Idem lib. 3 in Iob, cap. 7.

Viuum uerbũ Dei, & ualidũ, penetransq; usq; ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoq; ac medullarũ in hoc spirituali conceptu, profectus quosdam incrementorum, uelut per menses temporum, in cordiũ sinibus operatur. Idem libro tertio in Iob, capite 8.

Lucernæ uocabulo, uerbum, quo illustramur, designat. Beda libro 1. in Marcum, capite 4.

¶ Vnde sit uerbum Dei, Beda indicat: Quę, inquiens, Domino inspirante sancti eius faciunt, more Scripturarũ ipse facere dicitur, li. 4. in Samuelem, cap. 9. Item: Restaurauit enim Dominus Scripturã sanctam, quia quã scribæ & Pharisęi uel per traditiones suas fœdauerant, uel iuxta literam tantũ intelligendam esse docebant, ipse spirituali sensu plenam, prout à Moyse uel Prophetis scripta erat, ostendit. Sed & nouum Testamentũ, misso desuper Spiritu sancto per Apostolos, siue Apostolicos uiros fecit describi. In Ezram lib. 2. cap. 14.

Item: Exijt ergo seminans ad seminandũ: quia Dominus de sinu patris egrediens, uenit in mundum, ut uerbum ueritatis, quod apud patrem uidit, humano generi uel per seipsum, uel per eos quos instituit ipse, seminaret. Beda in Marcum li. 1. cap. 4. Et: Christus commemorat Scripturas, & aperit sensum, ut quod legis intelligas. Idem in Lucã lib. 6. cap. 24.

Albinus ait: Cum plurimi doceant, tamen

men doctrinæ huius autor est Dominus. In 12 caput Ecclesiastæ.

Carolus Magnus: Vetus & nouum Testamentū Spiritus sancti gratia, qui digitus Dei dicitur, conscriptum est. Lib.1.cap.15. Et: Diuinæ Scripturæ libri solius Dei altissimo, arcanoq; ac præsago iudicio sunt ante secula prædestinatę, & per momenta seculorum ad humanę salutis emolumenta clementi exhibitione cōcessæ: habentq; autores sanctos ac uenerabiles uiros, uirtutum lampadibus & miraculorū insignibus coruscantes: uel certè ipsum Dominum, qui corporis & sanguinis sui mysterium siue crucis sacramentum nostræ saluti congruum concessit. Idem lib. 2.cap.30.

¶ Tantum Prophetica & Apostolica scripta recipi testantur. Damascenus de Fide orthodoxa lib.1.cap.1. Cūcta quę tradita sunt nobis & per Legem & Prophetas & Apostolos et Euāgelistas, suscipimus, cognoscimus, ueneramur, nihil ultra illa perquirentes. Nā bonus cū sit Deus, omnis boni largitor est: non inuidiæ aut perturbationi cuipiā obnoxius. Procul enim à diuina natura (quæ & impassibilis & sola bona est) facessit inuidia. Vt igitur nihil nesciens, & quodcunq; conducibile est prouidens, quodcunq; conducit nobis agnoscere, ipse reuelauit. Quorum autē pondus ferre non ualemus, illa silentio occuluit. Hæc igitur nos ipsi amemus, in hisq; immoremur, neq; limites ab æterna uoluntate definitos transcendentes, neq; diuinam ulla ex parte traditionem transgredientes.

Carolus Magnus inquit: Eæ Scripturæ siue doctrinæ, uel etiam opera à uero legislatore, mediatore uidelicet Dei & hominum, ueraciter intra sanctam Ecclesiam sunt suscipienda, quæ ab antiquorum patrum norma nequaquam sunt sensibus uel operibus disgregata. Lib.4.cap.11.

¶ Esse pura omnia in uerbo Dei docent. Carolus Magnus: In sacris literis nihil uitiosum, nihil inconueniens, nihil impurū, nihil falsum, nisi fortè id quod peruersos quosque dixisse uel fecisse sancta Scriptura cōmemorat, penitus inuenitur. lib.3.cap.23.

Esse Scripturam breuem. Albinus: Scriptura diuina breui circulo coartata est: & quantum dilatatur in sensibus, tantum in sermone constringitur. In 12.cap. Ecclesiastæ.

Doctrinam cœlestem esse eandem perpetuò, & sibi consentientem, docet Beda inquiens: Catholica ueritas uaga & inuestigabilis non est, quia una eademq; cunctis est agnita totum per orbem fidelibus. In prouerbia Salomonis, lib.1.cap.5.

De studio uerbi Dei inquit Beda: Vna ergo & sola est Theologia, id est contemplatio Dei, cui meritò omnium iustificationum merita, uniuersa uirtutum studia postponuntur. In Lucam lib.3.cap.10.

Albinus inquit: Hæc sententia contra eos agit, qui sine labore & discēdi studio, sanctarum Scripturarum sibi noticiam promittūt, æstimantes se sapientes, cū sint insipientes. In 1.cap. Eccles. Et: Sapiens in lege Domini diebus ac noctibus meditatur, & Scripturarum sanctarum desudat interpretatione, & libros componit multos, ut memoriam sui posteris relinquat. In 2 cap. Eccles. Et: Qui eruditus fuerit in Scripturis, quanto plus surgere cœperit, tanto ei in his quotidie oritur maior obscuritas. Quia in speculo & imagine uidemus, donec ueniat quod perfectū est. Ideo hæc sapientia mortalium parua est, ad illam quæ sanctis datur in futuro regno Dei. In 7. cap. Ecclesiast.

Non legendum tantū uerbum Dei, sed & faciendum. Beda: Manducant, & non saturantur, qui panem uerbi Dei audiēdo degustant: sed nō faciendo quę audiunt, nihil ex his internæ dulcedinis, quo cor ipsorum cōfirmetur, in uentre memorię recipiunt. lib.2. in Marcum, cap.8.

De parabolis inquit Beda: Nullus facilè sermo Christi inuenitur, in quo non sit aliquid parabolarū intermixtū. Lib.1. in Marc. cap.4.

Ad quos pertineat, nempe ad omnes, docet Beda dicens: Christus Scripturas sanctas uniuersum misit in mundum, quibus fidem sui nominis ac spem salutis cunctis qui ad regnum suum pertinent, hoc est electis omnibus prædicaret. Lib.1 in Ezram, cap.1.

Paucos uerò id uerbum accipere, Beda inquit: Multi legentes uel audientes, possunt uerba Domini dicere, possunt facilimè fidei mysteria perscrutari: sed pauci admodum inueniuntur, qui hęc quàm dulciter sapiant, ueraciter in cordis palato sentiāt. Lib.5. in Canticum Canticorum, cap 5.

¶ De fine & effectu uerbi Dei, inquit Beda: Quia sufficientes nō sumus agere aliquid ex nobis, quasi à nobis: sumptis obedientiæ & humilitatis munerib. ascendamus ad audiēdum Dei uerbum, atq; eius modestis consolationib. erecti, quòd nostra infirmitas nequiuerat, acquiramus. Et ueniet profectò diuina opitulante gratia, ut nō solū intermissam mentis recuperemus obseruantiā: sed & perfectioris doni fœnore ditati, etiā regni cœlestis incipiamus gaudia sperare: imò ipsi charitatis, gaudij, pacis, patiētiæ, lōganimitatis, bonitatis, benignitatis, fidei, modestiæ, continentiæ, cæterorumq; fructuum spiritualiū deuotos Deo populos regentes. In Samuelē lib.2.cap.2. Item: Multo securius in Apostolicis quàm in Platonicis quæritur consilium salubre pagellis. Ibidem cap. 9. Item: Quia nimirum sancta Scriptura contra mo-

rem secularium doctrinarũ,humilitatis magistra existens,per humiles edita scriptores, humilibus solum auditoribus uel lectorib. patet.Lib.3 in Samuelem,cap.6. Et: Sicut in arbore foliũ præcedit & sequitur fructus: ita uerba prędicationis Christi fructus subsecutus est, salus scilicet multorum. Beda in 1. Psalmum,tomo 8. Et:Conuersi peccatores in præsenti uitæ uia deficiunt, si in sua conscientia sine doctrinæ sanctæ pabulo dimittantur. Ne ergo lassentur in huius peregrinationis itinere,pascẽdi sunt sacra admonitione. Conuersis peccatoribus doctrinæ sanctæ cibi præbendi sunt, ut in Deum uires reparent,quas in flagitijs amiserũt.Lib. 2 in Marcũ,cap.8. Item:Omnis sermo diuinus,corda electorum & igne charitatis accendit, & scientia ueritatis illustrat, & uitiorũ sordes consumit,& ab hostium insidijs, cũctisq; defendit aduersis. Lib.3 in prouerbia Salomonis,cap. 29. Item : Scripturarum mysterijs humilium solent corda refici.Lib. 2 in Marcum,cap.7. Et: Viam seculi præsentis aliter incolumes transire nequimus,nisi nos gratia redemptoris nostri alimento uerbi sui reficiat,utriusq; Scriptura testamenti rectè intellecta,altitudinem nobis cœlestium & prę ceptorum mandat,& præmiorum:utraq; altitudinem Christi prædicat consona uoce. Ibidem cap.8. Et: Si quis non uescitur uerbo Dei,iste non uiuit.Lib.1,in Lucam,cap.4. Item : Ipsum Dei uerbum propria potestate uirtutes operatur.Ibidem. Et: Aduersarius noster in uia est, sermo Dei cõtrarius nostris carnalibus desiderijs in pręsenti uita. A' quo ipse liberatur, qui præceptis eius humiliter subditur. Alioquin aduersarius iudici, & iudex tradet exactori: quia ex sermone Domini cõtempto reus peccator tenebitur in examine iudicis.Lib.4.in Luc.cap.12. Et:Scriptura quæ à prophetis ministrata est,& salubris est ad haustum sapientiæ cœlestis, & ad operum castigationem utilis.Lib.1. in Ioannem,cap.2. Et: Sicut corruptibilis corruptibilem caro generat carnem,ita uerbum Domini quod manet in æternum, æternam his quos ex aqua recreat, in carne simul & anima uitam dat.Beda in 1 caput prioris epistolæ Petri.

Aponius ait : Dominus Deus pater dedit uerbum ignitum huic mundo, quod in figura carbonis forcipe duorum testamentorum leuatur de altari, & labia purgat Esaiæ prophetæ:qui per adunationem carnis, solus inter mortuos liber, uiuensq; commixtus: simulq; flante Spiritu sancto omnes animæ, quæ,ut carbones mortui,impietatum tenebris obscurato intellectu non accendebantur,eius uicinitate accensæ sunt. Hoc autem quod diligunt, quòd flamma amoris sponsi accenduntur, proprium donum gratiæ uerbi Dei est.Lib.1.in Cantica Canticorum. Et: Certum est enim per Christi doctrinam, in qua uerus Deus uerusq; creditur homo, agnos generari ad dextram in die iudicij collocandos, ad sinistram reprobatos gehennæ ignibus deputandos.Lib.2.in Cantica Canticorum. Item:Hæc igitur prædicta anima, ubi per auditum æternæ uitæ dulcedinem gustus accepit in sponsi aduentũ, multimodas & amarissimas passiones pro eius nomine illatas non sentit. Lib. 3 in Cant. Cantic. Item : Nunc autem redemptore nostro Domino Christo pugnante,& uincente principem mundi cum exercitu suo,liberati de manu eius, Apostolorum collo doctrinæ tracti, Dominum portant. Et in quorum mentibus immundi spiritus insidere consueuerunt, equitantes per facinorũ cãpos: nunc Domini equi effecti, per gratiam regenerationis spiritum sanctũ uehere comprobantur. Et paulo pòst: De illis ergo potentibus in malicia, qui per doctrinam ipsius credentes liberati sunt à malo sessore, portant spiritum sanctũ. Et in quibus solebat sedere Pharao,nunc uehitur in eis princeps militiæ cœlestis Christus. Et quos consueuerant autores uitiorum ministri Antichristi trahere per saxosa conuallia criminum,nunc à potentibus & mansuetis equis Apostolis, uitæ exemplo & sana doctrina trahuntur per iusticiæ campos. Lib.2.in Cant.Canticorum. Et: Huius ergo lacte doctrinæ uitam æternam conferente, prædicta ubera dilectæ Ecclesiæ Christi Domini nostri manantia, de cuius pectore lacteo uitam æternam,quam Adam perdiderat, per candorem doctrinæ in Apostolis infusæ,quasi per ubera in credentibus suscipit Ecclesia: & suis posteris quasi ex lacte butyrum effectum, per interpretationem sermonis quotidie porrigit. Quibus alimẽtis Apostolica doctrina cum inuenerit magistrũ, declaratur intra se continere indiuiduam trinitatẽ. Quibus alimentis nisi indesinenter usa fuerit anima, non poterit uiuere in æternũ. Lib.1.in Cant.Canticorum.

Albinus inquit : Flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ:ne te pigeat panem sapiẽtiæ,panem rationabilem pręstare sermonis, & in multitudine dierum inuenies illum: id est, inuenies longitudinem dierum uitæ æternæ in retributione cœlesti.In 11 cap.Ecclesiast. Et:Lætari debemus in lectione sanctarum Scripturarũ, ubi pascamur & potemur de ligno uitæ,quod plantatum est secus decursus aquarum.In 3 cap.Eccles. Et: Tota sanctarum series Scripturarũ nos à terrenis ad cœlestia erigi hortatur, ubi uera & sempiterna est beatitudo:ad quam, nisi per fidem catholicæ pacis,cooperante charitate Dei & proximi,

proximi, neminem peruenire posse certissimum est. Libro 1 de S. Trinitate. Item: Omnis itaq; sanctorum autoritas librorum hoc nobiscum agit, ut rectè de Deo credamus, eumq; tota intentione amemus. Sed mentis humanæ uisio inualida est, ad prospiciendā diuinæ maiestatis excellentissimam lucem, nisi iusticiæ, fidei & dilectionis diuina donāte gratia, illustretur splendore. Albinus in Præfatione libri 2. de sancta Trinitate.

Carolus Magnus: Sacræ Scripturæ semper suadent honesta & salubria, semper instant humanę saluti, semper hortantur ad cœlestia dona, semper puras & fixas regulas tenent. Lib. 3. cap. 23.

Item de effectu sacrarum literarum, Carolus Magnus in libro suo contra Synodum Græcam, de imaginibus lib. 2, cap. 30. luculenter disserit: quem locum integrè adscribemus. In illis, inquit, inueniuntur arma, quibus contra aduersa confligatur, quibus uitia reprimantur, quibus uirtutes erigantur, quibus gulę concupiscentia uigilijs & compunctione cordis reprimatur: quibus fornicatio contritione cordis, & corporis afflictione, orationū instantia, laboris exercitio, metuq; suppliciorum uel amore æternæ patriæ refrenetur: quibus inuidia amore fraternæ dilectionis, & cœlestis regni desiderio, quod non nisi concordes adipiscuntur, superetur: quibus ira modestissimæ patientiæ grauitate, & acumine rationis, & ęquanimitatis munere frangatur: quibus auaricia eleemosynis & spe æternæ retributionis calcetur: quibus tristicia fraternis alloquijs, assiduis lectionibus uel orationibus pellatur: quibus arrogātia metu amittendarum uirtutum, cum qua illæ haberi nō possunt, & accessus uanæ gloriæ, qui est uirtutum inimicus, secluditur: quibus superbia metu diabolicæ ruinæ & exemplo humilitatis Christi conteritur. In illis inueniūtur instrumenta fructus iusticiæ: id est charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, modestia, continentia. In illis inuenitur medela, qua nec sapientes in sua sapientia gloriantes, nec fortes in sua fortitudine confisi periclitentur, nec simplices siue infirmi sua impossibilitate deijciantur: qua nec lætos nimia læticia extollat, nec tristes nimia animi contritio afficiat: qua nec diuites rerum opulentia efficiat, nec pauperes rerum indigentia frangat. In illis inuenitur norma, per quā instruitur qualiter prælati erga subditos, & subditi erga prælatos agere debeant: qualiter coniugia diligantur, qualiter secularia consilia prudenti deliberatione tractentur: qualiter patria defendatur, hostes pellantur, extranearum domesticarumq; rerum administratio habeatur: & ut cūcta breuiter complectar, in illis & animæ perpetuus cibus, & præsentis uitæ doctrina & sapientia quæ decor est uitæ, & uitæ perpetuę documenta cōtinentur. Est enim thesaurus nullo bono carens, omnibus bonis redundans: ad quem quisquis deuotus accedit, quicquid fideliter quærit, feliciter se acquisisse gaudet. Esto mundanæ sapientiæ & secularis scholæ quēquam amor oblectat: accedat ad diuinæ legis armaria, quæ sapientes mundi sicut meritorum celsitudine, ita etiam tempore præcedit: & liberalium studiorum profunditates, quas scit, cognouisse, & quas nescit, inuenisse se gaudeat. Illic inueniet & rectæ locutionis decorem, etymologias nominū, schematum uarietates, tropicas perplexiones, de quibus B. Augustinus ait: Sciant autem literati, modis omnium locutionū quos Grammatici Græco nomine Tropos uocant, autores nostros usos fuisse: quos tamen tropos, id est modos locutionū qui nouerunt, agnoscunt in literis sanctis, eorumq; scientia ad eas intelligendas aliquantulum adiuuātur: inueniet etiam historias, metra, quæ omnia propriè artis Grammaticæ sunt. Sed dicet fortassis aliquis: Non illic metrorum scansiones, & temporum certas dimensiones inuenio. Cognoscet multa in diuinis Scripturis metra, plures rhythmos esse: sed translatio linguæ non eadem sinit habere temporū interualla in peregrina, quæ habentur in propria, cum tamen eosdem sensus, easdemq; rerum proprietates habeat. Quia etsi quis nobis debitor aurū reddat, non multum distat, cum non unius sit monetæ cum illo quod acceperat: si tamen unius sit ponderis, uniusq; fulgoris. Nā ut B. Hieronymo Hebraicæ linguæ peritissimo docente didicimus, quædam diuinæ Scripturæ Hebræo dactylo spondeoq;, quædam anapæsto, quædam uerò iambo, iuxta artis rigorem decurrunt. Illic etiam inueniet nitorem & copiam eloquentiæ, genera causarū & status: illic exordia, quibus beneuoli, dociles uel attenti auditores fiunt: illic narrationes apertas & breues, causas etiam, & longas quæ nō nisi Spiritu sancto reserante panduntur: illic conclusiones quibus proprietas rerum mōstratur, argumētationes quibus animi audientium concitantur ad implendum ea quæ dicūtur: illic leges, siue sententiæ: illic magna granditer, parua submissè, mediocria tēperatè promuntur: illic prosopopœiam, ethopœiam, uel omnes figuras locutionum quæ à rhetoribus tradūtur, inueniet, & plures illis augustiores, quæ percepisse se gaudebit, ad quas nec grammaticorum nec rhetorum schola pertingere potuit: illic quoq; inueniet isagogas, quæ ad inquirēdas res lectorem utiliter introducunt: categorias, quæ prędicamento

rum utilitate ad inuestigandas res excellũt: definitiones, uel modos syllogismorũ, quæ subtili indagatione ea de quib. dubitatur affirmant: topica, quæ dum sint fontes sensuũ, & origines dictionũ, omnibus cõmuniter, grãmaticis uidelicet, poetis, oratoribus, uel etiam philosophis argumenta præstant, quę non solùm scholastico, sed etiam uulgari & tumultuoso sermoni perpetuò cohęrent. Nã quanquam tumultuosus, quanquam uulgaris sit sermo, si pro quibuslibet uitæ utilitatibus profertur, ad topica ueniet: per ea quasi per quædam magisteria locales regulas, quibus euagari aut non possit, aut non debeat, inueniet: in illis etiam terminum, quem sine sensus dispensio transgredi difficile sit, se reperisse cognoscet. Et ut cuncta breuiter dicã, omnis sermo nisi ad topica uenerit, indefinitus proculdubiò remanebit. Illic περὶ ἑρμηνείας, quarum scrupulosis semitis & laciniosis diuerticulis profunditas inueniendorũ sensuum dubiorumq; affirmatio inuenitur, quibusq; syllogismorum uel cæterarum argumentationũ sylua exoritur: quæ omnia propriè artis sunt dialecticę. Illic in numeris, per arithmeticam artem arcana sensuum profunditatesq; reperiet: quoniam dicente eadem Scriptura, Omnia in mensura & numero & pondere Deus fecit. Illic etiam musicæ non solùm consonantias, instrumentaq; quibus pleriq; sanctorũ patrum usi sunt, sed etiã repertorem inueniet. Inueniet quoq; terrarũ situs, dimensionesq;, quæ propriè artis sunt geometricæ. Nec non & quorundam siderũ cursus & positiones, & temporũ uarietates, mensium annorumq; siue horarum curricula, diem etiam & causam conditionis siderũ, quæ propriè artis sunt astronomicæ, illic reperisse se studiosus quisq; cognoscet. Sed dicet fortè aliquis: Nec nomina principaliter disciplinarũ, nec uniuscuiusq; disciplinæ singillatim partes, nec uniuscuiusq; partis mẽbra singillatim in Sacris literis inueniuntur. quib. breuiter respondendum est: Omnia in Scripturarum sanctarum amplissimis pratis per partes inueniri posse, quæ artigraphi in suorum hortorũ areolis posuêre. Inueniũtur inquam uirtute sensuũ, non in promulgatione uerborum, in radicum profunditatib. nõ in foliorum lapsibus. Sic enim in profunditate diuinarum Scripturarum liberales artes à studiosis quibusq; cernũtur, sicut uina in uitibus, segetes in seminibus, frondes in radicibus, fructus in ramis, arborumq; magnitudines sensu cõtemplantur in nucleis. Est planè diuina Scriptura uerax, est fixa, est casta, est cœlestis magisterij instrumentum, & ęterna prædicatio purissimo nitens eloquio. est lux mortalium, dicente Propheta: Lucerna pedibus meis uerbum tuum Domine, & lumen semitis meis. Est uiuax, & mori nesciẽs, dicente Apostolo: Viuus est Dei sermo, & efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usq; ad diuisionẽ animæ ac spiritus. Est tenebrarũ discussio, Salomone attestante, qui ait: Lucerna est mandatũ legis, & lux uitæ, & increpatio, & disciplina. de quo per Esaiã dicitur: De nocte spiritus meus uigilat ad te Deus, quia lux præcepta tua sunt super terram. Semper enim uitalia iubet, noxia prohibet, terrena remouet, cœlestia persuadet. Est inquam fons ęthereo de margine scaturiens, de quo quãto amplius hauritur, tanto minus expenditur: & quãto in plures partes deriuatur, tanto amplius in sensib. augmentatur. Est pecunię marsupium, de quo nec ea quæ dantur amittuntur, nec diminutionem assiduus dandi usus adfert: sed quanto inde amplius dandi deuotione eijcitur, tanto illud magis magisq; cõpletur. Hactenus Carolus Magnus.

DE VETERI ET NOuo Testamento.

Beda ait: Cœlos accipit hic, libros ueteris & noui Testamenti: qui ideo dicuntur cœli, quia uarijs figuris sunt cœlati, id est sculpti. & sicut in aliquo opere sculptũ quoddam extrà apparet, quoddam intus latet: ita in ipsis multa mysteria latent. Super hos cœlos eleuatus est Christus, excedendo eos: quia & in dictis & in factis omnia Scripturarum præconia facta de se excessit. In 8. Psalmum.

DE DVOBVS TESTAMENTIS.

Beda: Et ipsi ueteris Testamẽti libri prophetiæ gratia plenissimi, palàm testantur legentibus, nõ se debere post Domini passionem ad figuratam literæ custodiã resuscitari. Imò ipsos prophetiæ ministros inquietari, cum ea quę scripserunt, aliter quàm ipsi senserũt, uiderint intelligi. Lib. 4. in Samuelem cap. 7. Et Iudęi traditiones pharisaicas obseruãtes, mandata legis contempserunt. In nouo aũt Testamento gratiæ benedictio in populum Christianũ redundauit, quò Christus eleuãs manũ, & benedixit Apostolos. Vtrumq; Testamentũ Moisen, quia utrumque intellectũ habet: quem Iudęi non intelligentes, sub occidente eas litera uiuunt. In Deuter. cap. 27. Item: In ueteri Testamẽto futura fide Dominicæ incarnationis erecta, in nouo eiusdẽ susceptę incarnationis sacramentis imbuta, in absolutione carnis æterni regni præceptionis sublimata, & in die iudicij etiam carnis est resurrectione glorificãda. Lib. 2. in Samuelem, cap. 2. Et: Quod uetus lex cõcubina uocatur, Paulus docet, dicens: Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, unum de libera. Hæc autem sunt duo Testamenta. in Genesin cap. 35. Et: Cũ caligine data est, quia uetus

uetus lex cum literę occidentis caligine,noua uerò cum splendore, quia spiritus uiuificat. In monte autem signa uiui tantū erant, in altero autē uiui & mortui. Lex uerò prior uiuis tantùm dabatur: hoc est, his qui bonis terræ seruierunt. Secunda autem, in uita & post mortem proficiat. Vnus illic Dominum alloquebatur,quia ipsa lex non multis proficiebat. Hinc autem quinq; Christum alloquuntur:quia lex noua plures ad Christum, quàm uetus prouocauit. In Exodum cap.19. Et: Quæ lex & prophetę cecinerunt,occulta fuerunt,sed per passionem Christi uelum illud scissum est:& quæ fuerunt obscurata Iudæis, Christianis reuelata sunt: in Exodum cap.26. Itē: Priores tabulæ quæ fractæ sunt, significant priorem legem, quæ propter peccatum populi mox cessauit. Aliæ uerò non franguntur, quia noui Testamēti eloquia erunt mansura. in Exodum cap.33. Et:Post hęc Iesus Moysi in mōte succedit.Legi enim succedit Euangelium,in quo præcepta legis spiritualiter implentur,et admonemur quid quotidie offerre debemus propter quotidianum laborē.in Numeros cap.28 Item:Per duo Cherubim possunt duo Testamēta figurari:quorum unum futuram Domini incarnationem, aliud factam clamat. Respiciūtq; se mutuò: quia in attestatione ueritatis quā prædicant.in nullo ab inuicē discrepant. Vertunt uultus in propitiatorium: quia & misericordiā,in qua unica mundo spes est, ualdè commendant. Atq; ideo sunt ex utraq; parte oraculi:quia & præcedentia ante incarnationem Dominicam tempora, & sequentia prædicatione spiritualis scientię replent. Libro de Tabernaculo,cap.5. Et in ueteri Testamento, quantū ad literam, promissio de temporalibus facta est:in nouo uerò,promittuntur spiritualia & æterna. in 35. Psal.tom. 8. Item:Per uetus Testamentum,quod Moses ministrauit, cuius præmia erant terrenæ promissiones sub uelamine, & sub tegumētis & figuris quibusdā,summa & æterna bona nouæ uitæ promittebantur.Et ideo cū ad Christū uenitur,uelamē quod habebat Moses in facie,aufertur:quia necesse est, ut recedente umbra,ueritas appareat.In 89. Psalm. Et:Duo denarij sunt duo Testamenta,in quibus æterni regis nomen & imago continetur.Finis enim legis Christus est.Beda in Lucam lib.3.cap.10.

Aponius inquit: Erat quidē boni odoris, id est meriti, unguentum illud in ueteri Testamento,magistro Deo compositū: de quo ungebantur reges, prophetæ & sacerdotes. Sed quantū distat uiuus homo à pictura fucis colorum oblita:tantum interest quod Ecclesia suscipit renascendo in spiritu,cuius figuram synagoga suscipiebat in corpore. Cuius tantæ fuerunt uires, ut uix in una gente Iudæa,& paucis tribuerit principatum.Hoc autem Ecclesiæ unguentum tantum in se gerit uirtutis,fragrantiæ simul & medicinę, ut omnes credentes suauissimos reddat, reges & sacerdotes constituat,et eius odor noticię à solis ortu usq; ad occasum omnem mundū impleuerit.lib.1.in Cant.Canticorum. Et: Vetus & nouum duo Testamenta, alterum quod promisit,alteū quod promissum Christum ostendit,Ecclię ubera cognoscuntur, in quorum medio Christus commorari probatur. lib. 3 in Cant.Canticorum.

Albinus ait:Nos utraq; quæ ponis credamus,& utrūq; ueneremur.in 11 caput Eccles. Et: Præcipit utrumq; Testamentum, id est, uetus quod septenario numero designatur, & nouū quod in octonario intelligitur, digna ueneratione haberi sanctissimum. Ibid.

Carolus Magnus:Nouum & uetus Testamentū recipimus in eorum librorū numero, quem sanctæ catholicæ Ecclesiæ tradidit autoritas.lib.3 cap.1. de Imaginibus.

De subiecto ueteris Testamenti inquit Beda: Lex ipsa, psalmiq; ac prophetæ apertis sententiarum uocibus gratiam Christi prædicant, & sacerdotium illud uetùs figuratis ceremoniarū & sacrificiorum umbris eidem testimoniū perhibet. lib.1. in Luc.cap.1. Et: Tota ueteris Testamenti scriptura, prophetia de Christo processit. Nec soli Hieremias, Daniel & Esaias,cæteriq; tales, qui & prophetæ specialiter appellati,& de eius aduentu manifestè sunt locuti:uerùm ipse pater Adam, Abel & Enoch,& cæteri patrum,factis quiq; suis,eius dispensationi testimoniū reddunt. Vnde Dominus ipse Iudæorum duritiam redarguens,ait:Si crederetis Moysi,crederetis forsitan & mihi:de me enim ille scripsit.Ibidem. Et:Omnis Scriptura sancta testimonium perhibuit Christo,siue per figuras, siue per prophetias, siue per angelorum ministeria.Ergo & Moyses perhibuit testimonium Christo,& cæteri Prophetæ & Apostoli perhibuerunt testimoniū Christo. in quintum caput Ioānis. Et:Quicquid lex uel prophetæ scripserunt, omnia Christum uenturum esse designabant.Si enim Iudæi legi uel prophetis credidissent, credidissent utiq; & Christo.Ibid.

Aponius ait: Sunt testimonia in ueteri Testamento legis,quę Christū humani generis redēptorē probāt uēturū,aduenisse, iterū ad uenturū in gloria.Ponamus igitur,legē diuinam latissimū esse palatiū,in quo rex inhabitat Christus, sermo omnipotētis Dei patris, ubi ad æternam militiam introducuntur credentium animæ. Lib.3.in Cant.Canticorū.

Albinus ait:Quicquid dixeris,si ad eum referatur qui in principio erat uerbum apud

 Deum,

Deum, & Deus erat uerbum, unum uolumē est, innumerabiles libri, una lex, unum Euangelium nominatur. In duodecimum caput Ecclesiastæ.

¶ De differentia ueteris & noui Testamēti Carolus Magnus inquit: In ueteri Testamēto terror erat, in nouo dilectio. Lib. 1. de Imaginibus, cap. 15. Item: Quantum eminet umbræ corpus, imagini ueritas, figurę res gesta, tantum eminet ueteri Testamento nouum: quippe cum illud dedicatum sit à Moyse, cū lecto omni mandato legis uniuerso populo, accipiens sanguinem uitulorum & hircorū cū aqua & lana coccinea & hyssopo, ipsum quoq; librum & omnem populum aspersit dicens, Hic sanguis Testamenti quod mandauit ad uos Deus: istud uerò dedicatum sit à mundi redemptore, Domino nostro IESV CHRISTO. In illo sanguis taurorum & hircorū & cinis uitulæ aspersus, coinquinatos sanctificabat ad emundationem carnis: in isto sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatū Deo, & mundat conscientias nostras ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo uiuo & uero. In illo agnus per familias occidebatur, eiusq; carnibus pascha celebrabatur: in isto agnus Dei qui tollit peccata mūdi, qui est uerus agnus immaculatus, Deo etiam est in sacrificium oblatus, dicente Apostolo, Pascha nostrum immolatus est Christus. In illo Cananitidis gentis regnum, rerumq; corporaliū affluentia pollicetur: in isto uita æterna, regnumq; cœlorum conceditur. In illo promittitur terra, quæ lacte & melle fluit: in isto pollicetur patria cœlestis, in qua datur quod nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. In illo neomenię, id est nouę lunæ principia colebantur: in isto noua creatura in Christo accipitur. In illo sabbati ociū & requies celebrabatur: in isto sabbati requies in Christo habetur. In illo pecorib. immolatis, carnis & sanguinis hostiæ offerebātur: in isto sacrificium carnis & sanguinis Christi offertur, quod per illa animalia figurabatur. In illo iugum graue legis ceruicibus impositum, faciebat seruos: in isto iugum Christi lene, & onus suaue, per spiritum adoptionis facit filios. Libro 1 de Imaginibus, cap. 19. Et: Vetus Testamētum propriè antiquo Dei populo scriptum est: nouum uerò nobis, qui post incarnationem Dominicā ad fidem uenimus. cap. 20, eiusdem libri. Item: Sicut in lege de Christi aduentu audiuimus, in Euangelio uidimus: sicut in prophetis de eius incarnatione comperimus, in noui Testamenti nūc serie cernimus: sicut in hagiographis, & in cunctis sacris literis de eius natiuitate, passione, resurrectione, ad cœlum ascensione typicis uidebamus præfiguratū fuisse mysterijs, nunc peracta cūcta fuisse in sanctis uidemus Euangelijs. Cap. 30, libri 1 de Imaginibus. Et: Post incarnationem Domini duo Testamenta, in unius compagem copulationis sunt adducta: quoniam quanquam inter se diuersa quodammodo cernantur, ad unū tamen biuium in Christo, qui est pax nostra, qui fecit utraque unum, conuenire noscuntur. In nouo enim misericordia est, in qua per gratiam genus humanum liberatur: in ueteri ueritas, ubi legis & prophetarum annunciatio continetur. Hæc autem duo sibi mutuò obuiasse dicuntur, non ad contrarietatem exercendam, sed ad gratiam promissæ perfectionis implendam. Vnum quippe constat factum, quod temporibus probabatur esse diuisum. Libro secundo de Imaginibus, cap. 4. Item: Veteris Testamenti pagina rigorem habet irreprehensibilis seueritatis: noui uerò, conuocationem & mansuetudinem, per quam errantes corrigantur, & ad Christi gratiam animarum conuersio fiat. capite 30, eiusdem libri.

De conuenientia utriusque Testamenti inquit Beda: Omnes utriusque Testamenti cultores in unum eundemq; Deum credebant, unius eiusdemq; pietatis & castitatis operibus seruiebant: sed in celebratione Sacramentorum suas uterque populus discretus partes agebant. Nam passionis Dominicæ, per quod utrique sumus redempti sacramentum, illi in carne ac sanguine uictimarum, nos in oblatione panis & uini celebramus. Libro secundo de Tabernaculo, capite secundo. Item: Non solum priorem Dei populum litera legis erudiebat ad fidem & opera bona: sed etiam nos noui tempore Testamenti Deo seruientes, eadem litera spiritualiter intellecta, maioris gratia dulcedinis, & in præsenti ad fidem operationemq; uirtutum instituit, & in futuro ad spē perpetuæ remunerationis accendit. Ibidem cap. 7.

Carolus Magnus: Quæq; nouum Testamentum de Dominica incarnatione, passione, resurrectione, ascensione, gentium uocatione, Iudæorum expulsione, multimoda Ecclesiæ tribulatione facta narrat: hęc eadem uetus Testamentum, si rectè intelligitur, ueraciter facienda prædicabat. Aduentum uerò Antichristi, finem seculi extremi, discrimen iudicij, & æternam bonorum gloriam, pœnamq; reproborum concordi utrūque Testamentum ueritate profatur. Lib. 1, de imaginibus cap. 20.

¶ De effectu utriusq; Testamenti inquit Beda: Vnus utriusq; Testamenti Deus: ipse per filium benedictionem dabit, qui legem dedit per famulum. Libro tertio in Lucam, capite octauo.

De

De ſenſibus Scripturę ait Beda: Scriptura, quæ hiſtorico, allegorico, morali conſueuit ſenſu interpretari, nulla hęreticorum ſiue paganorum ualet peruerſitate corrumpi. Lib. 1 de Tabernaculo, cap. 13. Item: Triplex eſt diuinarum Scripturarũ intelligentia, hiſtorica, myſtica, moralis. In Leuiticũ cap. 6. Itẽ: Sciendũ, quòd omnis diuina Scriptura aut pertinet ad hiſtoriam, aut ad mores, aut ad myſterium. Hæc autem diuiſio non ſic accipienda eſt, quin partes eius aliquando permiſceantur. Beda in præfatione Pſalmorũ.

Prophetiam ſic definit Beda: Prophetia eſt diuina inſpiratio, quæ rerũ euentus aut per uiſiones, aut per facta, aut per quorũdam dicta immutabili ueritate demonſtrat. In præfatione expoſitionis Pſalmorum. Item: Inſpiratio per dicta fit duobus modis: aut gratia, aut permiſsione. Gratia, ut in Moſe & in cæteris bonis: promiſsione, ut in Sibylla uate, & in infidelib. philoſophis, qui multa diuino inſtinctu de Chriſto prædixerunt. Quorum eloquia per argentea uaſa & aurea, quæ Iſraeliticus populus à nigris Aegyptijs mutuò ſumpſit, intelliguntur: quia ipſorum dictis & ſententijs ab Iſrael, id eſt à fidelib. diuina pagina uelut argẽto & auro ornatur. Ibid.

De patriarchis inquit Beda: Quatuor ordinib. patriarchæ numerantur. Primò natiuitatis: ut in Geneſi, ubi illorum natiuitas narratur. Secũdò benedictionis. Tertiò libertatis: ut erga tabernaculũ fuerunt. Quartò narrando: ut in Exodo, qui tres ſupradictos non obſeruat. Quinetiam ordines Apoſtolis conueniunt: Primò natiuitatis, id eſt uocationis à Chriſto, ut Petrus & Andreas: ſecũdò libertatis, ut de Petro dicitur, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meã: tertiò benedictionis, ut Iohanni in præmijs. Quartò narrandi, id eſt quomodocunq; cõmixtim numerantur. In Exod. cap. 1.

Hęreticos malè intelligere Scripturam, inquit Beda: Ipſi hæretici obſcuritatib. Scripturæ fatigati reijciuntur, cognitione inflantur, non confirmantur: & ideo à Domino execrãtur, ut & ipſi prauè eas intelligant, ibiq; damnẽtur: & alijs qui digni ſunt, prauè eas interpretando, ipſos ſecum damnent. In Pſal. 10.

DE REGVLIS SCRIpturæ.

EX BEDA.

NEc ipſa Scriptura cuncta probat, quæ in exemplum aſſumit. Lib. 2 in Samuelem, cap. 3.

Moris eſt Scripturę ſanctæ, & per bona malum, & bona per malum aliquando figurare. Lib. 1. in Samuelem. cap. 11.

Et ait mulier ad Saul: Deos uidi aſcendentes de terra. Vnum uidens pluraliter appellat, more Scripturis uſitatiſsimo: quo & plures ſingulari, & ſinguli ſepe ſolent plurali numero deſignari. Lib. 4. in Samuelem, cap. 7.

Mos Scripturæ ſanctæ huiuſmodi eſt, ut priſtina culparum nomina in ſanctis frequẽter recenſeat. Lib. 3 in Iob, cap. 8.

Scripturæ diuinæ, ſicut uel maximè liber iſte Iob, hinc obſcurę ſunt, quia ſolẽt aliquoties ſuperioris intellectus conſequentiã nõ tenere. Lib. 2 in Iob, cap. 4.

Familiare eſt Scripturæ diuinæ, non ſolũ binis uel ternis unum hominem, ſed & quaternis uocitare nominibus. Libro 3. in Iob, capite 1.

Sanctos & innocentes uiros cõſueuit Scriptura diuina pauperes appellare. Libro 3 in Iob, cap. 5.

Nubes ſcimus plerunq; in Scripturis ſanctis homines appellari: ſicut manifeſtũ eſt, quodam loco dicente Domino, Et nubibus mandabo, &c. Ibid.

Secundum allegoricum ſenſum, cœlos, ſanctos Scriptura diuina appellare conſueuit, quorum conuerſatio in cœlis eſt. Ibid. cap. 6.

Solet diuina pagina quandoq; per ſimilitudines, nõ unam ſolum, ſed plures res ſignificare: uelut Eccleſiam quandoq; per aream ſiue torcular ſignificat, quandoq; uerò per rotia, ſiue per arcam Nohe, in quibus continebantur bona & mala, munda & immunda. In 8. Pſalm.

Solet ſacra Scriptura, cũ de rebus ſummis & excellẽtiſsimis loquitur, ſimilitudines de infimis rebus attrahere, per quas per hæc uiſibilia animus noſter alliciatur ad inuiſibilia. In 44. Pſalm.

In omnibus ſcripturis, ſumma uigilantia cuſtodire oportet, ut ſecundum fidem ſit ſacramenti diuini expoſitio. Libro 1. in Ioannem, cap. 4.

EX ALBINO.

Sanctæ ſcripturæ ad cognoſcendũ Deum, nobis diuinitùs per ſanctos doctores adminiſtratæ, à terreno & humano ſenſu ad diuinum & cœleſtem nos erigentes, uſq; ad ea uerba deſcenderunt, quibus humana utitur conſuetudo, ita ut etiam commotiones humanæ mentis, & paſsiones uel affectiones de Deo ſcriberent: ſic ut zelare, iraſci, pœnituiſſe, aliquid ex tẽpore uelle uel nolle Deũ dicerent, quæ ſunt humanæ mentis inſtabilitates, non diuinæ ſerenitatis immutationes, quę ſemper idem eſt. Lib. 2. de ſancta Trinitate, cap. 6. Ibidem paulo pòſt reddit rationem, cur Scriptura humanæ locutionis more de Deo loquatur, uidelicet, ut ſe noſtro captui accommodet.

Quædã ita dicuntur in Scripturis ſanctis, ut minor filius intelligatur: ſicut ipſe ait, Pater maior me eſt. Quædã uerò ita dicuntur, ut æqualis patri oſtendatur: ſicut ibi, ubi idẽ ipſe

ipſe ait, Ego & pater unũ ſumus. Vnum, propter ſubſtãtiæ unitatem ſumus: duo, propter perſonarum proprietatem. Libr. 3. de ſancta Trinitate, cap. 7.

Solet Scriptura modò animæ, modò carnis uocabulo totũ deſignare hominem: animæ uidelicet, ut ſcriptum eſt, Quia deſcendit Iacob in Ægyptum in animabus ſeptuaginta: carnis uerò, ut rurſus Scriptum eſt, Et uidebit omnis caro ſalutare Dei. Neq; enim uel animæ ſine corporibus in Ægyptum deſcendere, uel caro ſine anima uidere aliquid poteſt: ſed hic per animã totus homo, ibi ſignatur per carnem. Lib. 1. in Ioannem, cap. 1.

Scriptura cognatos, fratres & ſorores uocare ſolet. ut Geneſ. 13. & 29. Libr. 2. in Ioannem, cap. 2.

In omnibus Scripturis ſumma uigilantia cuſtodire oportet, ut ſecundum fidem ſit ſacramenti diuini expoſitio. Ibid. cap. 4.

Omnis Scriptura ſancta teſtimonium perhibuit Chriſto, ſiue per figuras, ſiue per prophetas, ſiue per angelorum miniſteria. Lib. 3. in Iohannem, cap. 5.

Conſuetudo Scripturarum eſt, fornicationem ſpiritualiter appellari, cùm dijs multis & falſis anima tãquam proſtituta ſubijcitur. Lib. 4. in Ioannem, cap. 8.

Conſuetudo ſanctæ Scripturæ eſt, ex imitatione uel ſimilitudine operum, filios ſępe nominare. ut propheta ad Iudæos ait: Pater tuus Amorrhęus, & mater tua Cethęa. Amorrhæi gens erat quædã, unde originem Iudæi non ducebant: Cethęi & ipſi gentem ſuam habebant, omnino alieni à genere Iudæorũ: ſed quia erant impij Amorrhæi & Cethæi, Iudæi autem imitati ſunt impietates illorũ, inuenerant filij parentes, non de quibus naſcerentur, ſed quorum mores ſectando pariter damnarentur. Libro quarto in Ioannem, capite 8.

Hoc generaliter obſeruandum eſt, quòd ubicunq; ſancti Apoſtoli, uel Apoſtolici uiri loquuntur ad populos, his plerunq; teſtimonijs abutuntur, quæ iam fuerant in gentibus diuulgata: licet plerique tradunt, Lucam ut proſelytum, Hebræas literas ignoraſſe. Albinus in Quæſtionibus in Geneſin.

PHRASES EX

Beda.

Quod ſcriptum eſt de Dauid, Et percuſsit Moab, & menſus eſt eos funiculo, coæquãs terræ: hyperbolicè debet accipi. Huiuſmodi locutionis plura habes exẽpla in Scripturis, quale illud Euãgelij: Sunt autem & alia multa quæ fecit IESVS, quę ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere eos qui ſcribendi ſunt libros. Quomodo enim non caperet mundus libros, qui ſcribi potuiſſent in mundo? ſed ad inſinuandã magnitudinem ac multitudinem operum Dei, tali uerbo uoluit Scriptura uti. In libros Regum, quæſtione octaua.

Sciamus, tribulationes in Scripturis aliquoties aquarum nomine nuncupari: ut eſt illud in Pſalmo, Aſſumpſit me de multitudine aquarum: Tranſiuimus per ignem & aquam: Circumdederũt me ſicut aqua. Et lex Dei ac ſermo Scripturæ diuinæ aliquando aqua dicitur: Qui ſititis, ite ad aquam. lib. 1. in Iob, cap. 11.

Cornu nomen in Scripturis ſanctis uel maximè pro regno ponitur: ut, Exaltabit cornu Chriſti ſui, Erexit nobis cornu ſalutis. Ibidem cap. 16.

Quod ergo dicit, Audite auditionem: id ait, Quemadmodũ uult Deus audiri quod dicit, ita audite, ut credendo timeatis. Sonũ quoq; oris illius, ſiue ſtrepitum (ut alij dixerunt) pari modo audite. Hic ergo ſonus eſt mandatorum Dei: qui fortè idcirco ſonus dictus eſt, & non ſimpliciter ſermo, ut inobedientia ſurdos & obduratos, corde incredulos uox clarior penetraret, & totos ad timendum Dñm commoueret. Lib. 3 in Iob, cap. 6.

Ab ipſo principio mundi, & deinceps ſemper locutus eſt Deus hominibus, & ſemel nihilo minus loquitur: ſed ubi frequenter loqui dicitur Deus, uel Lex eius multiplex, uel per Prophetas mandatorum eius diuerſitas indicatur. ubi uerò ſemel loqui ſignificatur, ſtabilita ac definita eius ſententia demonſtratur. Loqui enim Dei, efficientiæ eius res intelligitur. Ibidem cap. 2.

Cras in ſcripturis, futurum tempus intelligitur, dicente Iacob: Exaudiet me cras iuſticia mea. In Lucam lib. 4. cap. 12.

Mos eſt ſacri eloquij, ut aliquando aliud dicat, ſed ex eodem dicto aliud innuat. Lib. 5 in Lucam, cap. 16.

Aqua Scripturæ ſacrę ſcientiam deſignat, quæ ſuos auditores & à peccatorũ ſorde abluere, & diuinę cognitionis ſolet fonte potare. Lib. 1. in Ioannem, cap. 1. Idem Albinus li. 1. in Ioannem, cap. 2.

Scripturę ſanctę autores & miniſtri & prophetę, modò de patre tantum loquuntur, & filio: ut eſt illud, Omnia in ſapientia feciſti. Virtus enim Dei, & ſapientia, Chriſtus eſt. Modò etiam Spiritus ſancti faciunt mentionem, iuxta illud eiuſdẽ Pſalmographi: Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis uirtus eorũ. Verbum, Dominũ, & Spiritũ, totã (quę unus Deus eſt) intellige Trinitatem. Sed quantum inter aquam & uinum, tantum diſtat inter ſenſum illum quo Scripturæ ante aduentum Saluatoris intelligebantur, & eum quem ueniens ipſe reuelauit Apoſtolis, eorumq; diſcipulis perpetuò ſequendum reliquit. Lib. 1. in Ioan. cap. 1.

Si

Si me sciretis, & patrem meum forsitan sciretis. Ille qui omnia scit, quando dicit Forsitan, non dubitat, sed increpat. Attende quo modo increpatiuè dicatur ipsum Forsitan, quod uidetur esse uerbum dubitationis. Sed uerbum dubitationis est, quando dicitur ab homine: ideo dubitante, quia nesciente. Cũ uerò à Deo dicitur uerbum dubitationis, cũ Deum utiq; nihil lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, nõ opinatur diuinitas. In 8 caput Ioannis.

DE ALLEGORIIS.

Notet diligens Lector, non eundem semper allegoricæ interpretationis, quẽ ordinẽ esse ueritatis historicę: sed modò pari, modò dispari, modò cõtrario ad inuicem statu conuersari. Pari quidẽ, ut Samuelis pueritia simplex, & torpens cæcitas Heli, Domini Saluatoris humilitatem & perfidam Iudæorũ stulticiam signat. Dispari autem, ut dubia Samuelis uerba, dicentis, Ecce ego quia uocasti me: ueram certamq; Christi incarnationem præmonstrant. Lib. 1. in Samuelem, cap. 8. Item: Dederunt ei geminam Scripturarum interpretationem, ut post primam uidelicet historiæ lectionem, quæ ante eius incarnationem per legem completa est, ipse allegoricũ quoque & anagogicum sensum, qui uel præsentis gratiæ ueritati, uel futuræ uitæ beatitudini congrueret, actu susceptæ dispensationis aperiret. Lib. 2 in Samuelem, cap. 2.

DE DEO.

Damascenus cap. 3 de Orthodoxa fide, lib. 1, demonstrat esse Deum: ac primùm dicit, Philosophos naturę ductu Deum esse statuisse. Deinde ait: Omnia entia aut creata, aut increata sunt. Creata aũt, mutabilia esse. Quorũ enim esse à mutatione incœpit, ea & mutationi prorsus subiacere necesse est, aut in interitũ euntia, aut uoluntate alterabilia. Solum aũt Deũ increatum esse opificem, & immutabilem. Secundò, ex rerum natura & ordine Deum esse probat. Et cap. 4. ait: Deum esse incomprehensibilem secundum naturam. Quid autẽ Deus est secundum substantiam ac naturam, incomprehensibile omni modo est, atque ignotum. Et paulo pòst: Quæcũq; per Theologiam affirmatiuam de Deo dicimus, non naturam eius, sed ea quæ sunt circa naturam insinuãt. Nam & si bonum, si iustum, si sapiens, si quiduis aliud dixeris: non naturam dicis Dei, sed ea quæ circa naturam.

De appellationibus inquit Beda: Deus non solum misericors, sed & misericordia dicitur, & ita uerè ac propriè appellatur. Misericordiæ autem nomen, à misericorde nascitur: apud homines, de misericordia & iusticia misericordis & iusti appellatio deriuatur. Apud Deum, quod est Trinitas, ex illo qui misericors & iustus est, nasci iusticia & misericordia, id est existere filius ex patre cognoscitur. Quicunq; sanctorum potest dici misericors & iustus, esse misericordia & iusticia uerè non potest: quod propriè & naturaliter Deus est, illi hoc soli specialiter competit. Deus enim quod habet, est: nos quod habemus, de fonte suscepimus: fons autem ipse esse non possumus. Libro secũdo in Iob, cap. 7.

Damascenus libro primo de Fide orthodoxa, capite 12, facit tria nominum Dei genera. Primum ait ostendere, quid Deus non sit: cum dicimus, eum increatum, ingenitum, incorruptibilem, incorporeum. Alterum, indicare quandam habitudinem Dei ad creaturas: ut Dominus rex. Tertiũ, indicare quod naturam sequitur: ut Deum esse bonum, iustum, &c.

De definitione Dei inquit Carolus Magnus: In Deo tanta est scientia, ut nec præterita ei quædam, nec futura, sed omnia præsentia sint: cuius substantiam sicuti est, nulla potest attingere opinio, nulla complecti definitio: quoniam plus est quàm quicquid dici aut cogitari potest. Est enim Spiritus natura simplex, lux inaccessibilis, inuisibilis, inæstimabilis, infinitus, perfectus, nullius egens, æternus, immortalis, cui omnia uiuũt, à quo omnia initium consecuta sunt, uenerandus, diligendus, metuendus, extra quæ nihil est: imò in quo sunt omnia quæ sunt sursum, deorsum, summa & ima: omnipotens, omnia tenens, uerè in omnibus diues, quia nihil est ubi non sit: nec aliquis ei locus absens est, exceptis impiorum cordibus, ubi quamuis sit per potentiam, non est tamen per gratiam, qui ubiq; esse his diuinæ legis testimonijs comprobatur. Libro 3 de Imaginibus, cap. 14.

De proprietatibus quibusdam Dei loquitur Damascenus libro primo de Orthodoxa fide, capite secundo: Verùm enimuero Deũ esse sine principio, sine fine, perpetem ac sempiternum, increatum, immutabilem, nulli alterationi peruium, simplicem, incompositum, incorporeum, inuisibilem, intangibilem, incircumscriptum, infinitum: omnẽ amplexũ, comprehensionem omnẽ, omnemq; intelligentiam effugientem: bonum, iustũ, omnipotentem, omnium creaturarum opificem, omnia continentem, uidentem omnia, prouidentem omnibus, potestatem omnium habentem iudicem, & cognoscimus & confitemur. Item capite 16. Igitur Deus & immaterialis, & incircũscriptus, in loco non est: ipse enim sui ipsius locus est, cũcta replẽs, & super omnia eminẽs, & ipse cõtinẽs omnia. Dicitur autẽ in loco esse, & dicitur locus Dei, ubi eius manifesta fit operatio. Ipse enim

enim per omnia purè & impermixtibiliter meat, & omnibus suæ operationis consortium tradit, secundum uniuscuiusq; aptitudinem, capacitatisq; uirtutem. Sciendum etiam, Deum impatibilem esse, totum totaliter ubiq; existentem, & nõ partem in parte, corporis more distractum: sed totum in omnibus, & totum super omnia. Item cap.17. Incircũscripta sola diuinitas, sine principio existens, & sine fine, & omnia continens, & nulla comprehensione contenta. Sola enim est incõprehensibilis, infinita, à nullo cognita, ipsa sola suijpsius contemplatrix.

¶ Esse iustum. Beda: Quicquid apud Deũ semel iustum uel iniustum est, semper est iustum uel iniustum. Et ideo iusticia eius irreflexibilis est, nõ commutabilis ut iusticia hominum. In 2 Psalmum.

¶ Esse bonum. Damascenus libro 4 de Orthodoxa fide, capite 14. Deus quia est bonus, ideo communicauit suis creaturis suã bonitatem.

¶ Immutabilem. Beda: Solus Deus semper idem est immutabilis ueritas, immutabilis bonitas, immutabilis sempiternitas, immutabilis natura, immutabilis substantia: et quicquid de eo dici potest, semper idem est quod fuit & erit. In 8 caput Ioannis.

Albinus inquit: Solus Deus immutabilis, & semper idem est quod est, & non aliud. In 1 caput Ecclesiastæ. Item: Omnia mutabilia præter solum Creatorem designat, qui semper idem est quod est, & anni æternitatis illius nunquam deficient. In expositione quinti Psalmi pœnitentialis. Et: Neq; enim aliquid Deus patitur, quantum ad eius substantiam pertinet, quia Deus est, quia incõmutabilis & impassibilis substãtia est: dum aliæ omnes substantiæ capiunt accidentia, quibus in eis fiat uel magna, uel quantacunque mutatio. Deo autẽ huiusmodi aliquid accidere non potest, & ideo sola est incõmutabilis substantia uel essentia, quæ Deus est. cui profectò ipsum esse, unde essentia nominata est, maximè ac uerissimè competit: cui soli optimè congruit illud nomẽ, quod Græci dicunt ὤν, Latinè Est, sicut Apostolus ait: Non est in illo, est & non, sed est in illo Est. Libro 1. de sancta Trinitate, cap.16.

Carolus Magnus: Non enim Deus cõmutabilis est, ut quæ antea inhibuerat, modò peragenda concedat: sed quæ ante secula in consilio suo, hoc est in filio constituit, semper stabilia esse permittit. lib. 3. de Imaginibus, cap.14.

¶ Inuisibilem. Albinus: Sicut igitur immutabilis est omnino Deus, ita & inuisibilis est in natura magnitudinis suæ. lib.2. de sancta Trinitate, cap.16.

Carolus Magnus: Deus si inuisibilis est, imò quia inuisibilis est, necesse est ut incorporeus sit: & si incorporeus est, necesse est ut corporaliter pingi nõ possit. Igitur quia inuisibilis est, & incorporeus, prorsus corporalibus materijs pingi nõ potest. Lib. 2 de Imaginibus, cap.16.

¶ Omnipotentẽ. Carolus Magnus: Quia igitur Deus omnipotens est, igitur nullius est indiguus: ideoq; nec alterius suasione ad ea quæ nõ uult peragenda promouetur, nec ab his quæ agere uult ullius dissuasione remouetur, nec quodã metu ab aliquibus quæ agere uult agenda hortatur, nec cũ alio consilij sui deliberationem statuit. Quibus omnibus si indigeret, necessitatẽ pateretur, omnipotens nõ esset. Est aũt omnipotens, nullam igitur indigentiam habet. Lib.3. de Imaginibus, cap.14.

¶ Æternum esse, Beda docet: Nunquam eius perire potest memoria, qui est ante secula, & manet in æternũ. Lib.3. in Samuelem, capit.5. Et: Æternitas est incommutabilis Dei substantia, cui non accedit Fuit uel Erit, sed solũ Est. Sicut ipse dicit ad Moisen: Ego sum qui sum, &c. &: Qui est, misit me ad uos. In Psalm.101.

Albinus inquit: Impium est, in Deo credere aliquid prius esse, uel posterius: quòd non ex tẽpore Deus cœpit esse pater: sed sicut semper Deus, ita semper pater, semper habens filium, quem semel genuit ex sua æqualem sibi natura. Lib.2. de sancta Trinitate, cap.3.

¶ Scrutatorem cordium. Beda: Ostendit quòd uerè Deus dirigit iustum, quia scrutatur corda, id est cogitationes & renes, id est delectationes ipsius iusti: non sola cognitione, ut in peccatoribus, sed etiam dignatione, quod est quædam ipsius directio. Proprium est Dei, scrutari corda & renes. Homo enim secundum sola facta uel dicta iudicat: non uerò discernit, quò animus cuiusq; intendat, & quid quemq; delectet. Et quia uidet quòd tota intentio malorum ad concupiscentiam oculorũ & carnis spectat, bonos uerò non ima, sed summa delectant: ideo utrosque iustè iudicans, illos errare permittit, bonos uerò dirigit. In Psalm.7.

Albinus: Deus solus est qui de futuris iudicat, Deus occultorum cognitor. In quæstionibus in Genesin.

¶ Vbiq; Deum esse, Beda testatur inquiens: Deus ubiq; est in cœlo & in terra, in mari & in abyssis. Lib.3. in Iob, cap.6.

Albinus: Deus ubiq; est, non locorum spacijs, sed maiestatis potentia. Lib.2. de sancta Trinitate, cap.5. Et: Trinitas itaq;, quæ est Deus unus, uerus, bonus, æternus, & incommutabilis, ubiq; tota est, secundum immensitatem atq; omnipotentiã naturalem, quãuis non in omnibus inhabitet secundum

gratiæ largitatem. Ibidem capite septimo.

Carolus Magnus ait: Deus incircumscriptus est, ubiq; totus est, ubiq; mirabilis, loco non continetur, situ nō circumscribitur: quem non capit mundus, sed ille capit mundum. Libro 3 de Imaginibus, cap.15. Item: Deus non est localis, loco non continetur, qui omnia continet: & locus non est, cui nihil de sex illis partibus loci accidit, cui nihil anterius posterius ue, dexterius aut sinisterius, superius uel inferius est, disputare subtilioris intelligentiæ est. Ibidem cap.27.

¶ Effectus. Beda inquit: Deus totius fons bonitatis est. Libro 1. in Iob, cap.10. Item: Nemo iusticia sua & sanctitate Deum efficit meliorem: quoniam fons omnis boni atq; origo, nullius bono eget. Libro 2 in Iob, capite 5. Item: Deus infert supplicium malis, non ex sua ira, sed ex eorū propria nequitia: ita ut quæ fuerunt blandiméta homini peccanti, sint instrumenta Deo punienti. In 7 Psalmum. Et: Deus sic prótegit iustos, ut ipsos de se illuminet: sic punit iniustos, ut non de sua ira, sed de propria nequitia eos damnet. Ibidem.

¶ Modestè de Deo esse loquendum, Albinus docet, inquiens: Alij uerò melius intelligentes hæc præcipuè affirmant, ne aut loquentes cogitantes ue, plus de Deo quàm possumus opinemur, sed sciamus imbecillitatem nostram. Quantum enim cœlum distat à terra, tantum nostra opinatio à natura illius separatur: & idcirco debent uerba nostra esse moderata. Sicut enim qui in multis cogitationibus est, ea somniat frequenter de quibus cogitat: ita qui plura uoluerit de diuinitate disserere, incidit in stulticiam. In 5 caput Ecclesiastæ.

DE TRINITATE.

De uocabulo personæ Iohānes Damascenus in Logica sua, capite 26 sic ait: Oportet cognoscere quòd sancti patres hypostasin & indiuiduum & personam idem uocauerunt, quod secundum seipsum propriè consistenter ex substantia & accidentibus consistit, & numero differens, & hunc aliquem demonstrans: ut Petrum, Paulum, & hunc aliquem equum. Dicitur autem hypostasis, ab ὑφεστάναι, id est subsistere. Postea capite sequēti distinguit hypostasin & enypostaton. Hypostasis, inquit, principaliter, quod secundum seipsam propriè consistenter subsistens & est & dicitur. Dicitur rursus enypostaton, ab altera hypostasi assumpta natura, & in ipsa habens existentiam. Vnde & caro Domini nō subsistens secundum seipsam, neq; ad temporis momentum, nō hypostasis, sed magis enypostatos est. In hypostasi enim Dei uerbi subsistit, assūpta ab ipsa, & hanc habuit & habet hypostasin. Item: Est quędam supersubstantialis substantia, & natura & forma incomprehensibilis diuinitas. Hypostases autem ipsius & personæ, pater & filius & omnino spiritus sanctus. unūquodq; enim ipsorum perfecta hypostasis & perfecta persona est. Damascenus in Elemētarijs dignitatum introductionis, cap.2.

Damascenus in epistola ad Iordanem archimandritam, de Trisagio: Dominus Sabaoth, pleni cœlum & terra gloria ipsius, Seraphim uociferantur. Sed sanctus quidem ter, Sanctus, sanctus, sanctus: Dominus autē semel: quasi ostendentia, tres quidem sanctas hypostases, unam autem dominationem trium, & unum principatum & gloriam & substantiam & deitatem, & unum tres esse Deū sanctum: sanctum quidem patrem, sanctum filium, sanctum spiritum sanctum: sed unum sanctum, non tres sanctos: & unum dominum, non tres dominos: tres quidem hypostases, Deus & Deus & Deus, sed unus Deus, non tres dij. Sanctus, sanctus, sanctus: sed unus sanctus, non tres sancti. Dominus & Dominus & Dominus: sed unus Dominus, & non tres Domini. Propter quod & induxit: Plenum cœlum & terra gloria ipsius, & non ipsorum. Deitas quidem, id est substantia trinè explicatur, indiuisè in tribus cognita hypostasibus: & tres hypostases in unam substantiam & uniuntur & copulantur. Et deitas quidem trinè sanctificatur & glorificatur, Sanctus, sanctus, sanctus: & tres hypostases unicè glorificātur, Dominus Sebaoth, plenum cœlum & terra gloria ipsius. unus enim Deus in tribus hypostasibus, & tria unum: id est una natura, non hypostasis una. Item: Vnus est Deus, unus qui legem dedit ueteris nouiq; Testamenti. Olim ipse locutus est multifariā, multisq; modis patribus in prophetis, & in nouissimis tēporib. in unigenito filio suo. Lib.3. de Fide orthodoxa.

Beda ait: Spiritus Dei fecit me.) Vt det autoritatem se audiendi, ita loqui exorsus est, quòd non posit non uera & recta dicere is, qui spiritu Dei factus sit, & omnipotētis spiraculo animatus: ubi trinitatem Deum intelligere debemus. In Deo enim nominat patrem, in omnipotente filium, in spiritu spiritum sanctum. Trinitas enim Deus creauit omnia. Libro 3 in Iob, cap.2. Item: Scimus tres personas esse in uno aquæ elemento, in unam substantiam: cùm dicimus ille fons, ille riuus, illud stagnū. Scimus etiam hæc tria tantam æqualitatem continere, ut si de qualibet eorum in aliud infundas, nullam dissimilitudinem in eis inuenias: dummodò impuritas nulla extrinsecus accidat. Quis ergo sciens hęc in terra uisibili, inuisibilis creatoris trinitatem & unitatem credere nequit? Quis ergo sciēs fontis & riui & stagni unam ean-

eandemq; esse substantiam, id est aquam: intelligere nō potest illud, quod Dominus noster in Euangelio dicit, Qui me uidet, uidet & patrem? Et quia ego in patre, & pater in me est? Num quis aliquid rationis habens ignorat, quia fons in riuo est, & riuus in fonte? Vnde frustrà laborat, qui conscientiā propriā fugere posse existimat. Nisi enim Deus à nobis requiri & intelligi aliquātulum posse sciret, nō permitteret dici, Dominus de cœlo prospicit: nec quę alibi Psalmista dicit, Vacate & uidete, quoniā ego sum Deus. In 52 psalmum. Et: Mysterium Trinitatis in baptismate Domini demonstratur. Dominus baptizatur, Spiritus descendit in specie columbæ, Patris uox testimonium filio præbentis auditur. Libro 1. in Marcum, cap. 1.

Aponius: Fidem aūt Christi si nō tenuerit in Trinitate, in qua cum Patre & Spiritu sancto coæternus uerusq; est Deus, & in qua cū carnis assumptione cum hominibus uerus homo est, uelut toto corpore pulcher: sed incuruus renibus, qui nō possit in sublime extollere caput, & uidere quomodo pater & filius & spiritus sanctus tres personæ, sub uocabulo uerbi in unius potentia deitatis consistit. Danda est ergo omnib. solertissima rectæ fidei regula, sicut est omnipotēs Deus in trinitate obtinēda. Lib. 1 in Cant. canticorū. Item: Et quæ humanis comparationibus de Deo in Prophetis dicuntur, non infirmitatē diuinitatis ostendunt: sed ut fragilitas humana possit pro uiribus diuinitatis magnitudinem contēplari, in trinitatis ordine charitatem Domini secundum Paulum in æternum manentem. In quo ordine charitatis quid aliud credendum est primùm imbui, nisi ut credat & agnoscat, primum debere patrem nominari, in quo filius semper & uerbum in uoce: secundum filium, in quo semper pater: tertium spiritum sanctum, qui uera ratione de uoce & uerbo, de patre & filio procedere comprobatur. Libro 3 in Cant. cāticorum. Et: Pater in filio, filius in patre, spiritus sanctus de utroq; manans unius essentiæ. Lib. 6 in Cant. canticorum. Item: Omnia ex ipso, id est patre: & in ipso, id est filio: & per ipsum cōstant, qui est spiritus sanctus. Ibidem. Et: Hæc tria, unum confiteri Deū, unicum filium credere Dei, & cognitio Spiritus sancti, omnium bonorum fundamenta esse probantur. Libro 3 in Cant. canticorum.

Albinus ait: Faciamus hominem ad imaginem nostram.) Cùm enim singulari numero dixit Imaginem, ostendit unā naturam esse, ad cuius imaginem homo fieret. Cùm uerò dicit pluraliter Nostram, ostendit Deū, ad cuius imaginem homo fiebat, non unam esse personam. Si enim illa una essentia patris & filij & spiritus sancti, una esset persona, non diceretur Ad imaginem nostram, sed Meam imaginē: nec dixisset Faciamus, sed faciam. Si uerò in illis tribus personis tres essent intelligendæ uel credendæ substantiæ, non diceretur Ad imaginem nostram, sed Ad imagines nostras. Sed ad unam imaginem unius homo factus dicitur, ut una sanctæ trinitatis essentialiter diuinitas intimetur. Libro primo de sancta Trinitate, capite tertio. Et: Trinitatem personarum atq; unitatem naturæ propheta Esaias reuelatam sibi nō tacuit, cùm se dixit Seraphim uidisse clamātia, SANCTVS sanctus sanctus Dominus Deus Sabaoth. Vbi prorsus in eo quod dicitur tertiò Sāctus, personarū trinitatem: in eo uerò quod semel dicitur DOMINVS Deus Sabaoth, diuinæ naturæ cognoscimus unitatem. Ibidē. Item: Nos uiuentes cognoscimus patrem & filiū & spiritum sanctū: mortui uerò nihil sciunt, nec æstimant aliquā repromissionē atq; mercedem, sed cōpleta est eorum memoria. In nonum caput Ecclesiastæ. Item: Hic sancta Trinitas intelligenda est, in spiritu principali pater & spiritus sanctus, in spiritu recto filius. In expositione quarti psalmi Pœnitentialis. Item: Omnis Scriptura ueteris & noui Testamēti diuinitùs inspirata, si catholicè intelligitur, hoc insinuat, quòd pater & filius & spiritus sanctus unus sit Deus, unius eiusdemq; substantiæ, essentiæ, atq; inseparabilis in diuinitate unitatis. Ideoq; nō sunt tres dij, sed unus Deus, pater & filius & spiritus sanctus: quamuis pater filiū genuerit, & ideo filius nō sit qui pater est: filiusq; à patre sit genitus, & ideo pater non sit qui filius est: spiritus sanctus nec pater sit, nec filius, sed tantùm patris & filij spiritus, patri & filio ipse coæqualis, & ad trinitatis pertinēs unitatem. Et hæc trinitas unus est Deus, ex quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia. Libro 1 de sancta Trinitate, cap. 3.

¶ Idē uelle Trinitatis. Damascenus libro de duabus in Christo uoluntatibus & operationib. cap. 12. Sciendū, quòd omnia uolūtabilia deitatis naturalia sunt. Inuertibilis enim existens, nō nata est aliter & aliter uelle, sed semper similiter uult. Propter quod & eadē sunt uoluntabilia patris & filij & spiritus sancti. omnia enim naturalia, eadē sunt patris & filij & spiritus sancti, ut eadē ipsorū natura. Nihil aūt hypostaticū in supersubstātiali deitate, nisi ingenitū & generatiuū patris, & genitū filij, & pcessibile S. spiritus. ut diximus de uoluntate, sic & de operatione aimus.

¶ De differentia personarum sic Damascenus lib. 1 de Orthodoxa fide, cap. 18 scribit: Deus & pater est semper existens, ingenitus, ut nō ex aliquo genitus: generans aūt filium coæternum. Deus & filius est, qui est semper cū tempore intemporaliter, æternè, influxibiliter,

biliter, impaßibiliter & inseiũctè ex ipso genitus. Deus & spiritus sanctus est, uirtus sanctificatrix, in propria persona subsistẽs, inseiunctè à patre procedens, & in filio requiescens, consubstantialis patri & filio. Et: Pater genitor est, cùm sit ingenitus: filius aũt genitus, non itẽ pater est: spiritus uerò sanctus, imago est filij. Nemo enim potest dicere Dominũ IESVM, nisi in spiritu sancto. Itaq; per spiritum sanctum nouimus Christum esse filium Dei, & Deum. Et in filio uidemus patrem. Libro 3 Apol. Item: Spiritus sanctus omnia habens quæcunq; pater habet, & filius, præter ignascentiam, & generationem. Pater enim sine causa & ingenitus: nã nõ ex aliquo est. Ex seipso enim illud esse habet: neq; quippiã eorũ quęcunq; habet, ex altero habet. Ipse aũt magis principium est & causa esse, & quomodolibet naturaliter esse omnibus. Filius uerò à patre nascibiliter: Spiritus aũt sanctus & ipse quidem à patre nõ nascibiliter, sed processibiliter est, &c. Et paulo pòst: In his enim solis personalib. proprietatibus differunt ab inuicẽ tres sanctę hypostases, hoc est subsistẽtiæ ac personę, nõ substantia, sed characterismo propriæ hypostaseos indiuisibiliter discretæ. Li. 1. de Ort. fide, c. 10.

Beda ait: Pater est summũ cœlum, quia est primũ cœlum, nõ dignitate uel potentia, sed ordine: quia nõ est ab alio, sed lux per se est. Filius uerò dicitur cœlũ cœli, quia lumen de lumine patre est. Spiritus sanctus aũt cœlum cœlorũ dicitur, quia est lumẽ de luminibus. In Psalmũ 18. Et: Pater lux est per se, Filius uerò lumẽ de lumine patre, Spiritus sanctus aũt est lumen procedens de luminibus. In 58 Psalmũ. Et: Filius Dei baptizatur in homine, Spiritus Dei descendit in columba, pater Deus in uoce sanctæ & indiuiduæ trinitatis in baptismi declaratur mysterio. Et rectè, ut quod sacramẽtorum suorũ dispensationibus erat precepturus docere omnes gẽtes, & baptizare eas in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, primus ipse suo in baptismate totã personaliter pãderet adesse Trinitatẽ. Homil. in octaua Epiphanię. Et: Ego & Pater unũ sumus.) Vnum in substãtia, duo in personis. Vnũ dixit, propter substantiæ unitatẽ: Sumus dixit, propter personarũ distinctionẽ. Audi quid dixit: Ego, & qui misit me Pater. Distingue personas, agnosce quia pater pater est, agnosce quia filius filius est: ne in barathrũ Sabelliani peruenias. & noli dicere Aliud & aliud, sed dic Alius & alius: nõ aliud in substãtia, sed alius in persona: nõ pater maior, nõ filius minor in diuinitatis gloria: sed crede, Vnum Sumus. Ideo quod dixit ipsa ueritas, Vnũ: liberat te ab Ario. quod dixit, Sumus: liberat te à Sabellio. Si Vnũ, nõ ergo diuersũ: si Sumus, nõ ergo unus. In cap. 8. Ioán.

Albinus: Habent itaque singulæ in sancta Trinitate personæ aliquod proprium, quod inseparabili æqualitate aliquã in se ostendãt proprietatẽ. Pater solus pater, & Filius solus filius, & Spiritus sanctus solus est spiritus S. Et pater hoc habet propriũ, quòd ex omnib. quæ sunt solus est, qui ab alio non est: ac per hoc solus est in paternitatis persona, non in deitatis essentia. Vnigenitus uerò filius Dei hoc habet propriũ, quòd ex patre idem solo cõsubstãtialiter & coessẽtialiter genitus est: & in hoc est personę suę proprietas. Spiritus S. itaq; hoc habet propriũ, quòd ex patre & filio æqualiter procedit, & est amborũ spiritus, eiusdẽq; substãtię & æternitatis cũ patre & filio. Lib. 1. de S. Trinit. cap. 12. Et: In principio erat uerbum, & uerbũ erat apud Deũ, & Deus erat uerbum.) Hic æqualitas cũ patre. Sed uerbum caro factũ est, & habitauit in nobis: hac carne maior est pater. Ita pater & æqualis, & maior. Aequalis uerbo, maior carne: æqualis ei per quẽ fecit nos, maior eo qui factus est propter nos. Lib. 3. in Ioann. cap. 5. Item: Aequalia omnia sunt in patre & filio, nisi quòd pater pater est, & filius filius: separatio est in personis, sed unitas in natura. Ibidem. Et: Quamuis filium patri dicamus & credamus æqualem, nec ullam in eis esse naturæ uel substantiæ distantiam, nec inter generantem atque generatum aliquod interfuisse interuallum: tamen hoc seruato & custodito, ista dicimus, quòd ille pater est, ille filius. Pater autem non est, si non habeat filium: filius non est, si non habeat patrem. Sed tamen filius dicitur de patre: pater autem dicitur, sed nõ de filio. pater non Deus de Deo: filius uerò Deus de Deo, lumẽ de lumine Pater lumen, filius lumen: non duo lumina, sed unũ lumen. Pater Deus, filius Deus: non duo dij, sed unus Deus pater & filius. Spiritus sanctus de patre & filio procedẽs, & ipse Deus: sicut pater Deus, sicut filius Deus, sic etiam spiritus sanctus Deus: non tres dij, sed unus Deus: unum lumen, una substantia, una natura, una maiestas, una æternitas, una magnitudo, una potentia, una bonitas. Libro 4 in Ioannem, cap. 7.

Carolus Magnus: Pater solus non est de alio, ideo solus dicitur ingenitus. Filius solus de patre est natus, ideo solus dicitur genitus. Spiritus S. solus de patre & filio ꝓcedit, ideo solus amborũ nuncupatur spiritus. Procedit enim ex utroq;, nõ nascẽdo, ut alicuius filius dici posit. Diceretur aũt filius patris & filij, si eum ambo genuissent: non enim ab utroq; est genitus, sed procedit ab utroque amborũ spiritus. Libro 3. de Imaginibus, cap. 3.

DE VNITATE DEI.

VNum esse Deum, omnes docẽt. ut Damascenus cap. 10. de Aequiuocatione:

 In san-

In sancta quidē & indiuidua Trinitate, una triū hypostasiū naturalis uolūtas,& unū naturale bonū:& nō unaquęq; hypostasis propriū habet uolūtabile,nec propriū motū, sed unus motus & unū uolūtabile triū hypostasiū:propter quod nō tres dij,sed unus Deus: tres hypostases, unus Deus,cū ipsius potentijs,sed nō cōpositus. Vnaquæq; enim ipsarū Deus perfectus,& perfecta hypostasis. Cōpositio aūt naturę ex hypostasib. nō fit. In Angelis aūt & hominib. non sic. Vnusquisq; enim angelus uult,& unusquisq; homo uult: non unus aūt motus angelorū,neq; hominū,&c. In sancta quidem trinitate tres hypostases in adinuicē sunt: ut uerbū & spiritus potētię sūt patris, & ꝑpter hoc unus motus,& similiter & idē uolūtabile. Lib. de duab. in Christo uolūtatib.& operationib. Itē: Vnus ergo perfectus Deus est, incircūscriptus, uniuersi factor, cōtentorq; & gubernator, superperfectus & anteperfectus. Necessitas insuper etiā naturę est, monadem duitatis esse principium. Libro 1. de Orthodoxa fide, cap. 5.

Beda: Manus & brachiū Dei filius est,& digitus eius spiritus sanctus. Patris & filij & spiritus sancti una substantia est. Non te scandalizet membrorum inæqualitas, cùm ædificet unitas corporis.. Lib. 4. in Lucam, cap. 11.

Aponius: Quicunq; unū Deum omniū factorē in tota uirtute crediderit adorandū, & hūc per uerbū & spiritum sibi coæternū omnia fecisse quæ sunt formata, esse rectus in cōspectu Dei probabitur. Lib. 1. in Cātica cant. Item: Solus est Deus, ex quo,& per quē,& in quo omnia cōstant: qui docet hominē scientiam, omnia nouit, quib. in præsciētia futurę emundationis suę gloriam supradictā ostendit. Ibidē. Et: Totius aulæ regiæ ianua est, æternū, unū, uerū, in unitatis essētia semper manētē credere Deū. Lib. 3. in Cāt. canticorū.

¶ Trinum esse Deum in personis, & tamē unū in essentia, docet Damascenus de Orth. fide lib. 1. cap. 11. In omnib. creaturis distinctio suppositorū reipsa cōsideratur: in sancta autē & supersubstātiali & omnia transcendenti & incōprehensibili Trinitate, è diuerso cōperitur. Nā isthic cōmune & unū re cōsideratur, propter coæternitatē & identitatē substātiæ & operationis, & uoluntatis & cōsilij conspirationem, & propter potestatis & uirtutis & bonitatis idētitatem, & propter unā motionis exuberantiā. Vna enim est substātia, una bonitas, una uirtus: nō tres adinuicē similes, sed una & eadē trium personarū motio. Vnaquæq; enim ipsarū se habet ad aliam nihilo minus quàm ad seipsam. Hoc aūt est, quia secundū omnia unū sunt: pater, filius, & spiritus sanctus, præter (si ita dicamus) ingignētiam, gignentiam, & passionē. Ratione autē & intelligentia hoc distinctum, nam unum agnoscimus Deū. In solis quidē propietatib. paternitatis, filialitatis & processionis, secūdum causam & causale, & personalem perfectionē & existentię modū differentiam intelligimus. Item lib. 3. de Orthod. fide, cap. 5. Quemadmodum sanè in diuinitate unā naturam cōfitemur, tres etiā hypostases secūdū ueritatē existētes asserimus, & omnia naturalia, substātialia & simpla dicimus. Et cap. 6 inquit: Sic cōfitemur deitatis naturā omnē in unaquaq; suarū hypostaseon perfectè esse, omnem in patre, omnem in filio, omnem in spiritu sancto. Quapropter & perfectus Deus pater, perfectus Deus filius, perfectus Deus spiritus sanctus. Et lib. 4. cap. 4. Trinitas consubstantialis increata natura colitur, unus Deus uerus, opifex omniū & dominus.

Beda inquit: Fides catholica unū in tribus personis Deum prædicat. Lib. 2. in Samuelē, cap. 10. Et: Si sperat in spiritu sancto, sperat in patre & filio, quorū una est maiestas & essentia. In 55 Psal. Et: Patris & filij & spiritus sancti operatio indiuidua est in omnibus. Beda in 52 Psal. Item: Pater qui genuit,& filius genitus,& spiritus sanctus procedens, unius & eiusdem prorsus substantiæ sunt: & tota diuinitas in patre, tota in filio, tota in spiritu sancto: nec tamen pater est filius, uel spiritus sanctus: imò alius pater à filio, alius à spiritu sancto. In libros Boetij de Trinitate. Et: Vnus Deus bonus, non pater solus intelligendus est: sed & filius, qui dicit, Ego sum pastor bonus: sed & spiritus sanctus, quia Pater de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se: id est, ipsa una & indiuidua Trinitas, pater & filius & spiritus sanctus, solus & unus Deus bonus est. Lib. 3. in Marcum, cap. 10. Et lib. 5. in Lucam, cap. 18. Et: Quamuis filium patri dicamus & credamus æqualē, nec ullam in eis esse naturæ uel substantiæ distantiam, nec inter generantem atque generatum aliquod interfuisse interuallum: tamen hoc seruato & custodito, ita dicimus, quòd ille pater est, ille filius. Pater autem nō est, si nō habeat filium: filius nō est, si nō habeat patrem, sed tamen filius Deus de patre: pater autem Deus, sed nō de filio pater, nō Deus de Deo: Filius uerò Deus de Deo, lumen de lumine. Pater lumen, filius lumen: non duo lumina, sed unum lumen. Pater Deus, filius Deus: nō duo dij, sed unus Deus, pater & filius: Spiritus sanctus de patre & filio procedens, & ipse Deus. Sicut pater Deus, sicut filius Deus, sic etiam spiritus sanctus Deus: non tres dij, sed unus Deus: unum lumen, una substantia, una natura, una maiestas, una æternitas, una magnitudo, una potentia, una bonitas. In septimum caput Ioannis. Item: Rectè dicitur & pater principium, & filius principium, non tamen duo principia; sicut pater

Deus,& filius Deus, non tamen duo dij, sed unus Deus dicendus est. Sic pater principium,& filius principium: nõ tamen duo principia, sed unum principium fatendum est. Ergo & spiritus sanctus principium est, non tamẽ tria principia, pater & filius & spiritus sanctus: sed unum principium. Sicut pater Deus, filius Deus, & spiritus sanctus Deus: non tamen tres dij, sed unus Deus. pater omnipotens, filius omnipotens, spiritus sanctus omnipotens: non tamen tres omnipotentes, sed unus omnipotens. Idem enim pater, quod ad se est, Deus est: quod ad filiũ est, pater est. quod filius ad seipsum est, Deus est: quod ad patrem est, filius est. Spiritus sanctus quod ad se est, Deus est: quod ad patrem & filium, spiritus sanctus est, quia patris & filij spiritus est, ex patre & filio procedens: unius substantiæ, potestatis, maiestatis cum patre & filio. In 8 caput Ioannis.

Aponius ait: In Scripturis diuinis & fidei statu, una potentia diuinitatis in tribus personis clarescit. Libro 2. in Cantica canticorũ. Item: Hæc tria, unum confitendo Deum, unicum filium credendo Dei, & cognitio spiritus sancti, omnium bonorum fundamenta sunt: quæ in se baptismum, pœnitentiam & martyriũ continere docentur. Quę tria, gloriosa de Trinitatis confessione Ecclesia in se quotidie gaudet fundi. Lib. 3 in Cantica cãt. Et: Spiritus sanctus patri filioque unitus est. Libro 4. in Cant. canticorum.

Albinus inquit: Quòd si & pater & filius & spiritus sanctus aduenerint, non citò corrumpetur ista sodalitas. De hac sodalitate in Euangelio dicitur: Et pater meus diliget eũ, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eũ faciemus. Et paulo pòst: Paracletus autem Spiritus, ipse uos docebit omnia. significãs, Trium, id est patris & filij & spiritus sancti, unum esse opus, & unam mãsionem, in corde diligentis Deum. In 4. caput Ecclesiastæ. Et: Plurali numero dixit, Faciamus: ut ostenderetur triũ una operatio personarũ. In quæstionib. in Genesin. Et: Moses iterum dixit, Creauit Deus hominem ad imaginem suã: cùm antea dixerit, Ad imaginem nostram: ut utrunq;, & pluralitas personarum, & unitas substantiæ, insinuaretur. In quæst. in Genes. Item, Fecit Dominus hominem ad similitudinem suam: ut Trinitas in personis, & unitas in potentia esse credatur. Ibidem. Et: Planè & absq; omni dubitatione credẽdum est, patrem & filium & spiritum sanctum unum esse Deum omnipotentem, æternum, incommutabilem: & singulus horum Deus, & simul omnes unus Deus. & singulus quisque horum plena & perfecta & æterna substantia, & simul omnes una substãtia. Lib. 1. de sancta Trinitate, cap. 3. Et: Si fortè de solo patre interrogatus fueris, Quid sit pater? responde, Deus. interrogatus de filio: responde, Deus. interrogatus de spiritu sancto: respõde, Deus. Si interrogatus fueris simul de patre & filio & spiritu sancto, non deos, sed Deum responde: unum, omnipotentem, incõmutabilem. Ibidẽ. Et: Quòd si aliquãdo cœpisset pater pater esse, uel filius filius, aut pater aliquãdo desineret pater esse, uel filius desineret esse filius, proculdubiò secundũ accidens diceretur pater uel filius. Absq; omni scilicet dubitatiõe credi necessariũ est, quòd pater plenus & perfectus est Deus, filius plenus & perfectus est Deus, spiritus sanctus plenus & perfectus est Deus: non tres dij, pater & filius & spiritus sanctus, sed unus Deus plenus & perfectus. Nec aliquid maius tres simul dicti, pater & filius & spiritus sanctus, quàm unusquilibet, uel pater uel filius uel spiritus sanctus: quia eadem magnitudo est in unaquaq; persona semel dicta, quæ est in tribus personis simul nominatis. Libro 1. de sancta Trinitate, cap. 9. Et: Indubitanter siquidem credere debemus, ipsam sanctã Trinitatem esse inseparabilis substantię atq; essentiæ: inseparabiliterq; operari, quicquid à singulis personis legimus operatum esse. Ibidem cap. 13. Item: In patre uerò & filio & spiritu sancto nõ est similis substantia substantiæ, sed una æqualis per omnia: & ideo ὁμοούσιον, id est unius substantiæ dicimus, non similis substantiæ, sicut hæretici uoluerunt. Libro 2. de sancta Trinitate, capite 3. Item: Non fas est dicere de patre & filio & spiritu sancto aliud, quia una horum est natura: sed alius, quia personarum distantia est in eis. Libro 3. de Trinitate, cap. 13.

Credimus in unũ Deum, in Trinitate laudatum, eidẽq; soli latriam exhibemus. Tarasius Constãtinopolit. episcopus in epistola ad Ioannem presbyterũ, tomo 2 Conciliorũ.

Carolus Magnus ait: In sancta Trinitate nihil est anterius posterius'ue, ubi nihil ex tẽpore inchoatur, ut cõsequenti perficiatur in tempore: quoniã sicut tres personę cõsubstantiales sibi sunt, ita etiã consempiternę. Et sine tẽpore generatio filij de patre intelligitur, sine tẽpore etiã processio spiritus sancti de utroq;. Est enim pater filio principiũ non creando, sed gignendo: non tempore procedendo, sed ineffabilis pater ineffabilẽ filium, sine quo nunquam fuit, ineffabiliter sibi cõsempiternum generando. Est & filius principiũ non patri, sed rebus à se cõditis. Est & spiritus S. principium omnib. quæ ab eo creata sunt, quia nullo modo separari potest ab appellatione creatoris. Sunt pater & filius principiũ spiritui S. non gignendo, quia nõ est filius: neq; creãdo, quia nõ est creatura: sed dãdo, quia ab utroq; procedit. Est item pater &

filius & spiritus S. unũ principium, omnibus quæ à se solo & uno creatore creata sunt. Et cum sit pater principiũ, & filius principiũ, & spiritus S. principiũ: nõ tamen tria principia, sed unũ est principiũ, una diuinitas, una substãtia, una omnipotẽtia. Lib. 3. de Imag. ca. 4. Et: Sufficeret dicere spiritũ S. patri & filio coessentialẽ, coæternũ, coæqualẽ, unius potestatis & gloriæ: ita ut in trib. personis unitas substãtiæ, potestatis & glorię summi Dei credatur, & a catholicis cõfiteatur, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Ibid. cap. 5.

DE PATRE.

Carolus Magnus inquit: Pater solus nõ est de alio, ideo solus appellatur ingenitus. Libro 3. de Imaginibus, cap. 3.

De patris dextra inquit Damascenus libro 4. de Orthodoxa fide, cap. 2. Dexterã patris intelligimus gloriam & honorificentiã Deitatis, in qua Dei filius ante secula existens ut Deus, & patri consubstãtialis, in nouissimis temporibus incarnatus est, & corporaliter sedet conglorificata carne eius. Adoratur enim una adoratione cum sua carne ab omni creatura.

DE CHRISTO.

Appellationes quasdam Christi exponunt patres, ut Beda.

Christus se fratrem Iudæorũ nuncupauit, quoniã de eorũ genere secũdum carnem est procreatus. Beda lib. 2. in Iob, cap. 14.

Christus maledictus dicitur: quia maledictus omnis qui pepẽdit in ligno. Maledictũ quippe hominis in se suscipiendo, id est, eam quę ex sententia Dei uenerat mortẽ, ut maledictũ suspendit in ligno: & inde est q, Christus nobis factus est maledictũ. Lib. 3. in Iob, ca. 8.

Sapientia quippe Dei Christus est: qui in mundo conuersatus, paucis suæ mysteria diuinitatis patefecit: ipsisq; præcepit, ne ante passionem & resurrectionem suã, quia ipse esset Iesus Christus, prædicarent: ne gloriam eius, quam in monte cõspexerant, cuiquam dicerent. Lib. 1. in Prouerbia Salom. cap. 1.

Christus dicitur lapis, propter firmitatem & stabilitatem: quia ex Iudęis carnem assumpsit. In Genesin cap. 28.

Mons itaq; iste, qui fortitudinẽ significat Christum: ipse est enim mons, præcisus lapis de monte sine manibus, qui creuit in montẽ magnum. In Exodum cap. 17.

Christus in uitulo immolabatur, propter uirtutem crucis: ipse in agno, propter innocentiam: ipse in ariete, propter principatum: ipse in hirco, propter similitudinẽ carnis peccati: in turture & columba, propter Deum & hominẽ: in similagine, propter Ecclesiã quæ est corpus illius ex multis membris uelut ex multis granis collectũ. In Leuitic. cap. 1. 2 & 3.

Nomen Saul, quod dicitur expetitus, siue petitio, Christo aptissimè congruit: qui magno sanctorũ desiderio semper imploratur, & adesse rogatur. Lib. 2. in Samuelem, cap. 1.

Saluator noster est, qui & Sol iustitiæ appellatur: ipso enim calore fidei & splendore gratiæ suæ Ecclesiam, mundum scilicet rationalem, proprius moderator illuminat. Libro 3 in Iob, cap. 7.

Christus dicitur aquila, ob multiformem significationem, quæ notatur in aue præfata. Sicut auis illa nidum suũ: sic & ipse sponsam suam, scilicet Ecclesiã protegit. Et queadmodum illa exterũ cubile ad procreandos pullos nullatenus adit: ita Christus extra sinum Ecclesię sobolẽ minimè gignit. Propterea recẽti ortu fœtus suos radijs feruẽtis solis opponit: qui si lumine irreuerberato iubar prędicti sideris haudquaquã inspexerint, protinus utpote degeneres à cæteris qui sibi patrissant, propulsi à nidis segregãtur. Quod benè Christo cõgruit: quoniã omnes quos lumẽ uerę cognitiõnis nõ irradiat, tametsi Ecclesię procreati sint, tamẽ à cõsortio electorũ eiectos separat. Serpẽtes itẽ auis illa remigio alarũ subuecta in aerẽ portãs deuorat, & natiuo calore totũ uirus extinguit: ita & Christus rediens ad patrem, triumphato principe mortis, ineffabili uirtute diuinitatis maliciã serpentis antiqui destruxit. In 30 caput Prouerb. Salomonis, tomo 7.

Manifestissimum est, Ionam prophetam typũ Domini Saluatoris gestasse. Ionas náq; interpretatur colũba, siue dolẽs: quę nomina utiq; cõpetunt redẽptori, super quẽ baptizatũ spiritus S. in specie colũbæ descẽdit. Et de quo Esaias dicit: Verè lãguores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Ionas missus est ad prædicandũ Niniuę, quæ interpretatur speciosa: & Saluator ad salutẽ gẽtiũ missus est, ut illis ad fidẽ cõuersis, sibi aptaret Ecclesiam, quã precioso sanguine mũdaret, & de turpi speciosam faceret. Piscis náq; qui Ionã uorauit in pelago, significat mortẽ quã Dominus pertulit in mũdo. Ionas in uentre ceti fuit tribus diebus & trib. noctibus: sic & Christus in sepulchro iacuit tribus diebus & totidẽ noctibus. Et sicut Ionas in uentre ceti nõ permãsit, sed eiectus est in aridã: ita & Saluatoris nostri anima non est relicta in inferno, nec caro eius uidit corruptionẽ, sed per gloriam resurrectionis perductus ad aridam immortalitatis. Homilia Quadragesimali, feria 4. post Inuocauit, tomo 7.

Christus dicitur lignum uitæ, hac similitudine: quia sicut Adam & Eua, nisi peccassent gustantes de fructu materialis ligni uitæ in paradiso positi, immortales fierent: ita quicunq; spiritualiter & dignè Christũ gustant, in anima immortales sunt. In 1 Psalmum.

Christus ideo rectè Oriens uocatur, quia nobis

nobis ortũ ueræ lucis aperiens, filios noctis & tenebrarum, lucis effecit filios. Libro 1. in Lucam, cap. 1.

Christus faber est uerus: quia omnia per ipsum facta sunt. Medicus est: quia omnia per ipsum restaurata sunt, in cœlis & in terra. Libro 2 in Lucam, cap. 4.

Prophetam dici in Scripturis Dominum Christum, & Moyses testis est, qui ait: Prophetam uobis suscitabit Deus uester. Ibidẽ.

Christus humanam naturam suscipiens, peccata nostra ipse portauit, pastor noster reparato homine ad regnum cœleste redijt. Eius gaudiũ est uita nostra: & cùm nos ad cœlum reducimur, solennitatem lætitiæ illius implemus. Libro 4 in Lucam, cap. 15.

Qui signatur per pastorẽ, ipse & per mulierẽ. Ipse enim Deus, ipse & Dei sapiẽtia. Ibidẽ.

Brachium Domini est Dominus noster Iesus Christus, in quo Deus erat mundum reconcilians sibi. Ibidem.

Ipse Dei filius ob peccatorũ pœnitẽtiã maximè quęrendã, destinatus est ad terras. Qui ut pietatis suę dispensationẽ nobis inculcet, sæpissimè se filium hominis appellat: cõmẽdans sollicitè nobis, quod factus est benignè pro nobis. Lib. 5. in Lucam, cap. 19.

Messias unctus est: unctus Gręcè Christus est, Hebraicè Messias. Lib. 1. in Ioann. cap. 4.

IESVS saluator siue salutaris interpretatur. Cuius sacramẽtũ nominis alloquẽs Angelus Ioseph exposuit: Ipse enim, inquiens, saluũ faciet populum suũ à peccatis eorum. Nõ ait populum Israel, sed populum suum: hoc est, in unitatem fidei ex præputio & circumcisione uocatum, quibus ex diuersa parte congregatis fieret unus pastor & unum ouile. Libro 1. in Lucam, cap. 1.

Et: Iesus saluator interpretatur, cuius nominis etiã fideles & electi quiq; in utraq; sua circuncisione participes existere gaudent. ut sicut à Christo Christiani, ita etiã à Saluatore Saluati nuncupẽtur: nunc quidẽ spe salui facti per fidem, tunc aũt reipsa per uisionẽ gloriæ, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. quod illis à Deo uocabulũ non solùm priusquam in utero Ecclesię per fidẽ conciperentur, sed etiã ante tempora secularia uocatum est. Cuius sacrosancti nominis non tantùm etymologia, sed & ipse quem literis comprehendit numerus perpetuæ nostrę salutis mysteria redolet. Lib. 1. in Lucam, cap. 2.

Aponius inquit: Quicunq; non cõfitetur Christum uerbum patris, uirtutem patris, sapientiam patris, dexteram patris, cũ sinistris deputabitur. Libro 2. in Cant.

Christus pro loco, uel tempore, uel causa, esca & potus Ecclesiæ factus est, per corporis sui & sanguinis sacramentum. Aponius libro 3. in Cant.

Albinus: Angeli nomine qui ad Abraham dixit, Quia fecisti rem hanc, & nõ pepercisti filio tuo unigenito ꝓpter me, &c. Dominus Christus significatus est: qui sine dubio Deus est, & manifestè à propheta dictus est magni consilij angelus. In quæst. in Genesin.

Quòd dicimus, Lumen de lumine, nõ duo lumina intelligenda sunt, uel separatio luminis: sed ita intelligendum est, quòd filius effulgẽtia æterna luminis est æterni, sicut imago sempiternæ substantiæ sempiterna est imago. Libro 1. de Trinitate, cap. 6.

Filius dicitur principium, sed à principio principiũ. Quod enim erat in principio, non finitur tẽpore, nõ principio præuenitur: siue ad creaturarũ principium, uel temporũ uelis referre, quod ait, In principio erat uerbum. Quicquid creaturarum, quodcunq; principiũ habuit ut esset, erat tũc uerbum Dei, per quod facta sunt omnia. ideo quater dicit Euãgelista, Erat, erat, erat, erat: ut intelligeres, omni tempore præuenisse coæternum Deo patri uerbum. Libro 1. in Ioannem, cap. 1.

Nomen filij IESVS est. IESVS autem Saluator, uel etiam salutaris dicitur. Ille ergo in nomine Saluatoris petit, qui illud petit quod ad uerã salutem pertinet. Nam si id quod nõ expediat petitur, non in nomine Iesu petimus. Libro 6. in Ioannem, cap. 15.

Carolus Magnus: Ego sum uia, ueritas & uita, &c. Qui ideo uia dicitur, quia per incarnationem bonis prębet uiuendi exemplum. Dicitur etenim ueritas Christus, propter iudicium, quod in ueritate exercet: siue quòd in eo falsitas ulla penitùs inueniri nõ possit. Vita, propter deitatem, per quã est uitæ origo, atq; ei omnia uiuunt. Est enim rectè ambulantium uia, ad uitam ducens æternam. Libro 1. de Imaginibus, cap. 2.

Vultus Dei, cognitio Dei est: id est filius, per quẽ ad cognitionem diuinitatis peruenimus. Est etiã imago Dei, quia de illo ęst. Est enim splendor gloriæ & figura substantiæ eius, quia dum sit pater lux, ita filius ab eo inseparabiliter quasi splendor ex luce procedit. Est enim & facies Dei, quia per eum se pater hominibus manifestauit. Libro 1. de Imaginibus, cap. 23.

DE DIVINITATE FILII.

Quòd Christus sit filius Dei, Beda docet: Christus secũdum diuinam essentiam omni caret principio, & à quo omnia sumũt principiũ. In 1 Psal. Itẽ: Tu es filius meus, non adoptiuus, sed proprius: quia ego genui te, nõ tẽporaliter, sed hodie, id est in æternitate. Licet per nullas rerũ quas habemus, propriè loqui de Deo possimus: tamẽ quę pręsens tẽpus significãt, ut hodie, propius ad loquẽdũ de diuina essentia, cui omnia præsentia sunt, accedũt. Propter quod Hodie, ad notãdã eius æter-

æternitatem,quæ tota simul præsens est,positum est. In 2 Psal. Et: Christus coæqualis est patri in diuina natura. In 4 Psal. Et: Verbum patri substantiale,coæquale & coæternũ. In 44 Psalmũ. Item: Verbum patri consubstantiale,coæternum,& in potentia coæquale. Ibidẽ, & in Psal. 80. Item: Christus omnẽ locum secũdum diuinitatẽ implet. In 88 Psal. Et: Christus diuinitate coæqualis Domino patri. In 108 Psal. Item: Christus secũdum diuinitatem idẽ est cũ patre. In 109 Psal. Itẽ: Christus æternitate diuinæ maiestatis patri est æqualis. Homil. in Epiphania Domini. Et: Ipse Dominus qui Matthæum exterius humana allocutione, ut se sequeretur uocauit, intus diuina inspiratiõe, ut mox uocantem sequeretur accendit, ipse inuisibiliter quomodo sequendum esset edocuit. In Marcum libro 1. cap. 2. Et: Cùm Omnia legis, omnipotẽtẽ agnoscis: nõ decolorem, nõ degenerem patris. Cùm tradita legis, filium cõfiteris, cui per naturã omnia unius substãtiæ iure sunt propria, non dono collata per gratiam. Itẽ: Dei ergo filius æqualis patri, uerbũ per quod facta sunt omnia: quòd rex uoluit esse Israel, dignatio est, nõ promotio: miserationis indicium est, non potestatis augmentũ. Qui enim appellatus est in terra rex Iudæorum, in cœlis est dominus angelorum. Verùm quia Christus in carne totius mundi propitiatio & hominũ uidelicet & angelorũ illuxit, pulchrè sibi inuicem in eius laude dispensationis cœlestia simul & terrena concinunt. Lib. 5. in Lucam, cap. 19. Et: Si ad creaturarũ uel temporum uelis referre principium, quod ait, In principio erat uerbum: quicquid creaturarum, quodcunq; principium habuit ut esset, erat tunc uerbum Dei, per quod sunt omnia. ideo quater dicit Euãgelista, Erat, erat, erat, erat: ut intelligeres, omnia tempora præuenisse coæternum Deo patri uerbum. Libro primo in Ioannem, capite primo.

Albinus inquit: Si nihil creaturarum sine ipso factum est, patet profectò, quia ipse creatura non est, per quem omnis creatura facta est. Libro 1. in Ioannem, cap. 1. Et: Verbo substantiali utitur de seipso Dominus, ut intelligatur æterna esse substantia, & unam esse substantiam patris & filij. Libro quarto in Ioannem, capite octauo.

Carolus Magnus inquit: Idem filius est uerbum patris, per quem facta sunt omnia, cùm sit unius cũ patre substãtiæ. Lib. 1. de Imaginibus, cap. 15. Et: Redemptor humani generis spiritum sapientiæ, scientiæ & intelligentiæ habuit: quia utiq; unius cum patre & filio substantiæ est. Ibidem cap. 16.

¶ Coæqualis patri. Beda: Eadem facit filius, quæ facit & pater: quia una patris & filij in diuinitate substantia & operatio, una uolũtas & potestas, una uita & essẽtia: & æqualia omnia sunt in patre & filio, nisi quòd pater pater est, & filius filius est: separatio est in personis, sed unitas in natura. Non enim potest filius à se facere quicquã, nisi quod uiderit patrem facientẽ. Non debemus carnaliter intelligere hanc sententiã, quasi duorum hominum, patris & filij, unius ostendentis, alterius uidentis, unius loquentis, alterius audientis: quæ omnia cordis phantasmata sunt. talis cogitatio procul pectorib. Christianis expellẽda est. Ergo de filio & patre hæc docet lectio, quia nec patri, nec filio ulla distãtia diuinitatis sit, sed una maiestas. In 5 caput Ioannis. Et: Semper quidem ille regnat cũ patre, secundum quod est filius Dei, uerbum Dei, uerbum per quod facta sunt omnia. In 6 caput Ioannis. Et: Quod dedit pater filio, maius omnibus est, ut ipse illi esset unigenitus filius, æqualis, consubstantialis. Quid est quod dedit? utiq; gignendo dedit: quia non minorem sibi genuit, non tempore posteriorem, sed coæternum, sine initio temporis semper Deum. Non est dicendum, Non erat antequam natus erat: nunquam enim non natus erat, qui patri coæternus erat. Qui sapit, capit: qui non capit, credat: nutriatur fide, ut possit capere uerbum Dei, quia uerbũ filius. Semper ergo filius, & semper æqualis. Non enim crescendo, sed nascendo æqualis est, qui semper natus de patre filius, de Deo Deus, de æterno coæternus. Pater autem nõ de filio Deus, filius de patre Deus. Ideo pater gignendo dedit, ut Deus esset: gignendo dedit, ut æqualis esset: hoc est quod maius est omnibus. In 10 caput Ioannis.

¶ Quòd Christus ubiq; sit. Ioannes monachus, presbyter & uicarius summorũ sacerdotum Orientis, in 4 actione secundæ synodi Nicenæ: Carnalib. nostris oculis Christi diuina essentia uideri nõ potest, quanquã ut Deus ubiq; sit. tomo 2 Concil.

¶ De generatione sic inquit Damascenus libro 1. de Orthodoxa fide, cap. 9. Docet igitur sancta catholica & Apostolica Ecclesia, simul patrem, & simul unigenitum eius filium, ab eo genitum intẽporaliter, indefluxibiliter, impassibiliter & incõprehensibiliter, ut solus uniuersorum nouit Deus. Quemadmodũ simul ignis, & simul ab ipso lux: neq; prius est ignis, & posterior lux, sed simul sũt. Et quẽadmodum lux ab igne semper gignitur, semperq; in ipso est, & nequaquam separatur ab eo, sed semper in eo est. Sed lux quæ ab igne inseparabiliter gignitur, in ipso semper permanẽs, nõ habet propriã substantiam præter ignẽ: nã natiua qualitas ignis est. Verùm filius Dei unigenitus, à patre inseparabiliter genitus, & indiuisibiliter: & in eo semp manens,

manens, propriam habet subsistentiam, præter eam quæ patris est. Verbũ autem & splendor, effulgétiaq; dicitur, propterea quòd incommixtibiliter, impassibiliter, intemporaliter, indefluxibiliter & inseparabiliter ex patre genitus est. Filius uerò & character paternæ substantiæ, quia & perfectus est, & in propria subsistens persona, & per omnia patri similis, præter ignascentiam. Vnigenitus etiam, quòd solus ex solo patre singulariter est genitus. Neq; enim assimilatur alia generatio generationi filij Dei, quandoquidem neq; ullus est alius Filius Dei. Et in libro de duab. uoluntatibus in Christo, cap. 7. inquit: Hypostaseos autem ipsius proprium, filium esse genitum ex patre, & nõ patrem ingenitum, neq; genitorem. Ex patre enim genitus est impassibiliter, sine concubitu: hoc est sine mixtione, ut lumen ex igne, magis autem ut lumen perfectum ex perfecto lumine. Et libro 1. de Orthodoxa fide, cap. 8. Ostendimus quoniam sine tempore & sine initio est eius generatio. Non enim ex non ente ad esse deductus filius Dei, qui est splendor gloriæ, character substantię patris, & uiuens sapientia & uirtus, & uerbum intimè subsistens, substantialis & perfecta & uiua imago inuisibilis patris: sed semper cũ patre fuit, & in ipso sempiternè, & sine principio ab ipso genitus. Non enim fuit aliquãdo pater, quando nõ fuit filius: sed simul pater, simul filius ab ipso genitus. Pater enim sine filio nequaquã uocabitur. Si uerò fuit non habens filium, minimè fuit pater. Et si postea adeptus est filiũ, postea effectus est pater, cùm ante id pater nõ esset. Atq; ita immutatus de nõ esse patre, in fieri patrem: quod omni blasphemia grauius. Nam impossibile est, ut ita dixerim, Deum esse destitutũ natiuę fœcunditatis partu. Partus aũt, cùm ex seipso, id est ex propria substãtia generat. Atqui in filij generatione impiũ est dicere, intercipi, mediareq; tẽpus, aut post patrem filij substantiam generari. Ex ipso enim, id est ex patris natura, adstruimus filij generationẽ. Cæterùm si nõ à principio dederimus filiũ coexistere ei ex quo genitus est, mutationẽ substãtiæ patris inducemus. Nam cùm non esset pater, posterius effectus est pater. Nã tametsi creatura postea facta est, non tamen ex Dei substantia: quippe quę ex nihilo ad esse, uoluntate eius atq; uirtute perducta est. Neq; ulla attingit mutatio Dei naturam. Et generatio est, ex substantia gignentis proferri quod gignitur simile secundũ substãtiam. Sed creatio & factio est extrinsecus, & non ex substantia creantis & facientis fieri, quod creatur & efficitur & dissimile prorsus secũdum substantiã. In solo igitur impassibili, inalterabili, immutabili, & semper eodẽ modo se habente Deo, & generare & creare impassibile est. Nã cùm suapte natura impassibilis sit, & indefluxæ substãtię, ut qui simplex & omnis exors cõpositionis, nõ aptus est sustinere aut passionem aut defluxionẽ, neq; cùm generat, neq; cùm creat, neque alia cooperatione indiget. Sed generatio quidẽ sine principio & æterna, naturæ opus est, & ex substãtia eius profecta: ita ut is qui generat, mutationem non subeat ullam, & ut non Deus, primus & posterior sit, atq; additionem signet.

Beda inquit: Ipse coæternus patri filius, & rectè creditur ex patre natus: & nunquam fuisse non natus rectè, ueraciter cõfitetur & creditur. Lib. 4. in Cant. canticorum, cap. 5. Et: Iam ne nos de generatione Dei disseramus quæstiones, cùm Paulus indicauerit nihil se scire nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum: Petrus nihil amplius quàm Christũ Dei filium putauerit confitendum: nos & quando & quomodo natus sit, & quãtus sit, humanæ infirmitatis contemplatione rimamur. Finis igitur fidei meæ Christus est, finis fidei meæ Dei filius est. Non licet mihi scire generationis seriem, non licet tamen nescire generationis fidem. Homilia in cathedra sancti Petri, tomo septimo. & libro secundo in Marcum, capite octauo. & libro tertio in Lucam, capite nono. Et, Genui te ex utero: id est, ex intima substantia mea, qua occultus sum quicquid sum. Non quòd Deus habeat uterum: sed ad solam similitudinem dictum est, Et genui te ante luciferum: id est, ut dignior esses omni creatura: quia etiam dignior illo angelo principe, quem cùm ego fecissem luciferum, ipse superbiendo se fecit mortiferum. Vel genui te ante luciferum, id est, ante omne tempus: ut per digniorem partem, id est luciferum, omnes stellas accipiamus: & per stellas, tempus. Et si ante tempus eum genuit, necesse est ergo æternaliter eum gigni. Vnde meritò genitura illa est ineffabilis: iuxta quod ait propheta, Generationem eius quis enarrabit? In centesimũ nonum Psalmum. Et: Quicquid Deus pater Deo filio dedit, gignendo dedit. Ita enim dedit filio pater, sine quibus filius esse non posset, sicut ei dedit ut esset. In septimumdecimum caput Ioannis.

Albinus ait: Filius propriè ideo genitus dicitur, quia patrem habet, qui eum genuit: sed non est inter patrem & filium diuisio & scissio, quia alter in altero est, sicut in Euangelio legimus ipsum Dominum dicentem: Ego in patre, & pater in me. Libro primo de sancta Trinitate, capite quintodecimo. Item: Natus est filius Dei ex æterno æternus, de Deo Deus, de lumine lumen: sicut sæpissimè diximus, & semper dicemus. Lib. 2. de Trinit. cap. 13. Itẽ: Creaturas fecit Deus per

filium:

filium: non filium fecit, per quē fecit omnia, sed genuit de substantia sua ęqualem. Natus est ergo Christus, non factus. Vbicunq; ergo dicitur, quoniam factus, post primā generationem dicitur, quę æterna est, & una est, sancta & ineffabilis. Libro secundo de Trinitate, capite quartodecimo.

Carolus Magnus ait: Filius solus de patre est natus, ideo solus dicitur genitus. Libro 3. de Imaginibus, cap. 3. Et: Consilium nāq; Dei filius est, qui nō statutus est à patre quadam deliberatione, sed genitus ante secula ineffabili natiuitate: quem pater genuisse, & sine quo nūquam fuisse à fidelibus creditur. Est enim sapientia Dei patris, quæ ei consempiterna est. Qui ideo consilium dicitur, eo quòd incarnationis eius arcanum ad consulendū humano generi sit concessum: quod cōsilium nulla ætate dissoluitur, sed in æternum manet. Ibidem cap. 14.

¶ Cur Deus, exponit Beda: Hic erit magnus.) Confitere eundem etiam Deum uerum de Deo uero, & æterno patri filium semper esse coæternum. Quod autem futuro tēpore dicitur, Hic erit magnus: nemo ita intelligēdum putet, quòd Dominus Christus ante partum uirginis nō fuerit: sed ita hoc potius dictū intelligamus, quia potētiam diuinæ maiestatis, quā Dei filius æternaliter habuit, hanc idem homo natus ex tempore acceperit, ut una in duabus naturis persona esset mediatoris ac redemptoris nostri. Homilia de annunciatione Mariæ, tom. 7.

Quomodo ante incarnationem apparuerit, exponit Aponius dicens: Ante suam incarnationem Saluator in Angeli persona patriarchis & prophetis loquendo, solus cui nullus similis inter archāgelos, thronos, dominationesq;, admirandus omnibus, singularis flos in toto cœlorum campo coruscans probatur. Lib. 3. in Cant. canticorum.

De differentia uerbi quod est filius Dei, & uerbi nostri quod est sonus euanescens, Damascenus inquit libro 1. de Orthodoxa fide, capite 6. Semper autem habet suijpsius uerbum ex se genitum, non instar nostri subsistentiam non seruans, & in aera fluens, sed intimè subsistens, uiuens, absolutum, non extra ipsum ut separabile euagās, sed in ipso semper immanens. Vbi enim erit, si extra ipsum gignitur? Atqui quoniam naturæ nostrę temporalis est conditio, & facilè dissolubilis, hanc ob causam & uerbum nostrū subsistētiam nō retinet. At uerò Deus semper existēs & perfectus cùm sit, perfectū & intimè subsistēs habet suū ipsius uerbum, & semper existēs & uiuens, & omnia habens quæcūq; genitor habet. Quemadmodū enim ex mente uerbum nostrū prodiens, neq; per totum menti idem est, neq; prorsus omnino diuersum (nam ex ipsa existens, aliud est præter ipsam mentē, se in apertū agens) neq; adhuc usquequaq; aliud à mente est, sed cùm secundum naturā unū sint, aliud est subiecto: sic & Dei uerbum quod est filius, quia subsistit secundū seipsum, discernitur ab eo à quo subsistentiā habet: quia uerò eadē in seipso ostēdit, quæ circa Deum cōspiciuntur, illi secundū substantiam idem est. Sicut enim quod in omnibus perfectum est, in patre cōsideratur: æquè & in eo, quod ex ipso aggenitū est, uerbo contemplari necesse est.

Beda: Dominus IESVS, Dei patris unigenitus filius, sicut nō est paterni corporis mēbrū, ita nō est cogitabile uel sonabile ac transitoriū uerbū: quia cùm omnia per ipsum facta sunt, Deus erat uerbum. In 12 cap. Ioan.

DE HVMANITATE CHRISTI.

Damascenus lib. 1. de Orthodoxa fide, cap. 14. Ipse totū hominem propter nostram salutem assumpsit, animā scilicet intellectiuā, & corpus, & humanę naturę proprietates, & naturales & innocuos affectus. Itē: Et quia spe diuinitatis inimicus seduxerat hominē, carnis prętextu decipitur. Lib. 3. de Orthodoxa fide, cap. 1. Et cap. 7. Incarnatus igitur, ex ipsa carnē assumēs, primitias nostrę molis, carnē animatā anima rationali & intellectuali, ut & eadē esset carni hypostasis, quæ & Dei uerbi hypostasis. Et composita facta est, quæ prius erat simplex uerbi hypostasis. Cōposita quidē ex duab. perfectis naturis, diuinitate scilicet & humanitate. Et lib. 3. de Orth. fide, cap. 20. Nā totū hominē, & omnia quæ sunt hominis, assūpsit, præter peccatū. Hoc enim nō naturale est, nec ab opifice nobis inditū: sed ex diabolo respersum, in nostra liberę potestatis electione spontaneè constitutum.

Beda ait: Solus Christus non est pollutus, dum nasceretur de uirgine: quia nō ex uirili semine conceptus est, sed de Spiritu sancto. Nec in matre pollutus est: quia non ex uoluptate carnis, sed ex uirginali utero natus est. In 21 cap. Leuitici. Et: Concipies in utero.) Agnosce uerū hunc hominem, uerā de carne uirginis assumpsisse substātiā carnis. Homil. in festo annunc. Mariæ. Item: In utero Mariæ filius Dei humanæ substantiæ habitum induit. Ibidem. Et: Christus Deus noster rex secundum humanitatem, secundum quā conuersatus inter homines, nos doctrina & uitæ exemplo rexit innocentia, & in cæteris uirtutibus. Vnde dicitur, Pauit eos in innocentia cordis sui, & intellectibus manuum suarū deduxit eos. Deus autē noster dicitur secūdum creationem, quia Dei est creare. In quintū Psalmum. Item: Humanitas Christi mortua cōtulit uitiorum mortificationē, diuinitas uerò ipsam resuscitans iustificationem.

nem. In 19 Psalmum. Et: Christus uermis, quia & mortalis, & de uirgine sine uirili cōmixtione natus, ut uermis de materia nascitur sine patre. In 21 Psal. Et: Pertinet ad nostræ fidei fundamētū uerbi incarnatio, ut scilicet credamus Dei filiū assumpsisse carnē ex uirgine: quā carnē & creando assūpsit, & assumēdo creauit, uel formādo, sicut quidā hæretici senserūt. Sed potius de substātia uirginis carnē assumpsit, quā assumēdo creauit, id est purificauit: nō conceptus libidinosa lege cōcipiendi, & ideo immunis ab omni peccato, nō tamen à pœna peccati. Hanc enim sustinuit nō necessitate, sicut cęteri homines, sed sola uolūtate: unus & idē Deus & homo, homo & Deus, & eadem persona. Duæ enim in ipsa naturæ, diuina scilicet & humana: tres substantiæ, caro & anima & diuinitas. In lib. Boetij de Trinitate. Item: Christus factus est homo nō trāsformatione substantię, quia nō desijt esse Deus cùm factus est homo, nec habebat esse ab aliqua substātiali forma quæ transmutaretur: nec transfusione, non enim diuina natura immixta est humanæ, quod sentit Eutychiana hæresis: nec partiū cōiunctione, quia Christus nō constat ex partibus integralibus: nec participatione, quia humanitas nō est Christo substātialis uel accidētalis. Etsi enim forsan cōcederē, quòd homini illi esset humanitas substātialis, sicut & mihi, quia uerus homo fuit, sicut & ego sum: non tamen cōcederem, ideo aliquid esse substantiale Christo, quia Christus nomē est personæ, cui nihil substantiale uel accidentale: sicut uerum est, corpus uel animā esse partes illius hominis, non tamen esse partes Christi. Ibidē. Item: Spiritus sanctus superueniet in te.) Superueniens in uirginē Spiritus sanctus, duobus modis in ea diuinæ suæ potentiæ efficaciam ostendit: quia & mētem illius adeò, quantum humana fragilitas patitur, ab omni uitiorum sorde castificauit, ut cœlesti digna esset partu: & in utero illius sanctū ac uenerabile redēptoris nostri corpus, sola sui operatione creauit: id est, nullo interueniēte uirili attactu carnem de carne uirginis sacrosanctam de intemerata formauit. Obumbrauit autē beatæ Dei genitrici uirtus altissimi: quia Spiritus sanctus cor illius cùm impleuit, ab omni æstu concupiscentiæ carnalis tēperauit, emundauit à desiderijs tēporalibus, ac donis cœlestibus mentem simul illius cōsecrauit & corpus. Ideoq; & quod nascetur ex te sanctū, uocabitur filius Dei: quia quòd de sanctificatione spiritus cōcipiet, sanctum erit quod gignitur. Congruit conceptioni natiuitas, ut quæ contra humanæ conditionis morem uirgo concipis, supra humanę cōsuetudinis modum filium Dei generes. Omnes quippe homines in iniquitate concipimur, & in delictis nascimur: solus uerò redēptor noster pro nobis incarnari dignatus, mox sanctus natus est, quia sine iniquitate conceptus est. Diuinitas redemptoris nostri tegmine se humanæ naturæ, quasi umbraculo quodā obtexit: quo mediante, uirginis eū uiscera ferre sufficerent. sicq; uirtus altissimi obumbrauit ei, dum diuina Christi potentia & eā præsentialiter impleuit: & ut capi ab illa posset, substantia se nostræ fragilitatis obnubilauit. Homil. in festo annunciat. Mariæ. Et: Christus uerus homo apparuit, sed ex uirgine matre cōceptus & natus. Et tentatus est per omnia, sed pro similitudine, absq; peccato. Et mortuus est, sed quomodo ipse uoluit. Et sepultus est, sed quādiu uoluit. Et suscitatus est, sed quando uoluit. Hoc est ergo quod ait, Singulariter sum ego donec trāseā. Et alibi de singulari sepultura: In pace in idipsum, obdormiā & requiescā, quoniā tu Domine singulariter in spe cōstituisti me: id est, cęterorū mortaliū in fine resurrectione seruata, me singulari dono à mortuis die tertia resurgere permisisti. Libro 6. in Lucam, cap. 23.

Aponius inquit: Introducto unius ueri Dei nomine per incarnationis mysteriū, recondito in corporeo uasculo: quo fracto clauorū & lanceæ ictibus, odore eius noticiæ omnis fœtor diabolicæ doctrinę de toto mundo abstersus est. Lib. 1. in Cant. canticorum.

Albinus ait: In catholica fide sine ulla dubitatione confirmatū est, hominem illū quē suscepit sapientia Dei ex uirginali utero, nihil minus habuisse quàm & cæteri homines, quantū pertinet ad integritatē humanę naturæ, in qua homo creatus est, & nihil omnino ex eo quod deceptor inuexit. Quantū aūt ad excellentiā personę, lōgè aliud est quàm cæteri homines: quia idem homo, una persona cū Dei uerbo factus est. Lib. 3. de Trin. cap. 7. Et: Non igitur Christus ita uerbum Dei habuit in se, sicut alij sancti: sed ipse est uerbum Dei. Aliud est enim, uerbum in carne: aliud est, uerbum caro factum est: aliud est, Deus in homine: aliud est, Deus homo. imò Dei filius non solùm secundum ueram diuinitatem, quam habet de natura Dei patris: sed etiam carnem, quam uerā naturaliter de corpore beatæ genitricis assumpsit, Deus uerus & creditur & prædicatur ab omnib. Catholicis: quoniam æterna diuinitas filij cum plena humanitate sua, & eadem plena humanitas filij cum æterna diuinitate sua, una est in sancta Trinitate persona: & hæc non adoptiua, sed propria & perfecta, & ipse totus in diuinitate ac humanitate sua, unigenitus & uerus filius Dei. Ibidem cap. 9. Item: Solus itaq;, sicut diximus, filius Dei accepit carnē, ut posset corporeis oculis uideri, & corporeis manibus cōtrectari. Solus humanā naturā sic accepit,

accepit, ut suam faceret, & per illam diuinitatis quoq; suæ noticiam misericorditer hominibus insinuaret. Nec tamē ullatenus credi debet, carnem Christi sine diuinitate conceptam in utero uirginis, priusquam susciperetur à uerbo: sed ipsum uerbum Domini suę carnis acceptione cōceptum, ipsamq; carnē uerbi Dei incarnatione conceptā, eandē carnem humanæ naturæ uerā habere Dei filiū, qua de uirgine uerbum Deus natus est. Lib. 3 de Trinit. cap. 11. Et: Dignum erat, ut nascente Deo meritum cresceret castitatis, ne per eius aduentum uiolarentur integra, qui uenerat sanare corrupta. Ibidē cap. 14. Et: Per carnem spiritus aliquid pro salute nostra egit, caro uas fuit quod habebat, per quam spiritus saluauit nos, utens organo carnis ad salutem humani generis: quia diabolus utebatur serpente quasi organo, ad subuersionē primi parentis nostri. Lib. 3 in Ioann. cap. 6. Et: Magna misericordia Domini nostri IESV Christi, factum esse eum propter nos in tempore, per quem facta sunt tempora: factum esse inter omnia, per quem facta sunt omnia: factū esse quod fecit. factus est quod fecerat. Factus enim homo qui hominem fecerat, ne periret quod fecerat. Libro 4 in Ioan. cap. 7. Item: Ideo Deus homo factus est, ut in homine reformaret, quod in homine formauit. Libro 4 in Ioannem, cap. 8.

Item: Non enim iuxta phantasiam & umbraticè nostram naturam sibi uniuit, ut quidam ex ueteribus hæreticis errantes tradiderunt: uerùm re ipsa, uereque homo perfectus per omnia, excepto (quod per hostem nobis insitum est) peccato, factus est. Germanus patriarcha Constantinop. ad Iohannem episcopum Synnadon, tomo 2 Concil. Et: Mulier iuxta carnem existens, & à nostra massa haudquaquam aliena, Deum inuisibilem & omnia manu sua continētem, ultra omnem & hominum & angelorum existimationem in uentre suo concepit, & ex se incarnatum genuit. Etenim ob id eam, ut uerè & propriè ueri Dei matrem ueneramur & magnificamus, & quauis uisibili & inuisibili creatura superiorem reputamus. In eadem epistola. Et: Deus filium suum proprium in extremis & definitis temporibus in terram misit, qui patris placito & spiritus sancti uiuificātis & æquipollentis cooperatione, in utero uirginis habitans, & ex sancta & intemerata illius carne in sua propria substantia siue existētia carnem accipiens nobis consubstantialem: item hanc mediante anima rationali & intellectuali compingens & configurans, natusq; ex ea supra rationem omnem & intellectū: uolensq; crucē subigens, mortemq; eligens, & tertio die à mortuis resurgens, omnem salutarem suam dispensationem impleuit. Septima synodus Nicena falsò sic dicta, tomo 2 Conciliorum.

Carolus Magnus inquit: Corpus humanum, quod ex uirgine assumpserat, nulla humanę commixtionis sorde prægrauatum. In præfatione libri De cultu imaginum. Item: Incarnatio autem opus Spiritus sancti est, sicut scriptū est: Spiritus sanctus superueniet in te. Libro 2 de Imaginibus, cap. 5. Et: Inuenta est in utero habens de Spiritu sancto. non quòd Saluatoris nostri spiritus sanctus pater dicendus est, ut duo patres credantur: sed quòd patris & filij idem spiritus sanctus cooperator, & unius potestatis cum ijsdem esse credatur, Domino adfirmāte: Ite, inquit discipulis, baptizate omnes gentes in nomine patris & filij & spiritus sancti.

¶ De generatione ex Maria, Damascenus inquit libro 4 de Orthodoxa fide, cap. 7. Generatio in Deo, ex solo patre consubstantialis filij profectio est: in creaturis uerò, ex concursu maris & fœminæ, similis substātiæ indiuidui procreatio. Vnde cognoscimus, non esse naturæ genitum esse, sed hypostaseos. Si enim naturæ esset, nequaquam in ipsa natura genitum contemplaretur, & ingenitum. Hypostasin igitur genuit sancta Deipara, in duabus agnitam naturis, diuinitate quidem, ex patre intemporaliter genitam: in ultimis autem temporibus, in tempore, ex ipsa scilicet Deipara genitam, & carne partu editam.

Beda ait: Maria Dei genitrix, & perpetua uirgo. Homilia in festo Purificationis. Et: Maria Deum filium procreauit. Homilia in festo Annunciationis. Item: Maria uirgo fuit ante partum, & in partu, & post partum. De natiuitate Domini.

Albinus inquit: Gloriosa semper uirgo Maria, non solùm hominis Christi, sed & Dei genitrix rectè credenda & confitenda est. Libro 1. in Ioannem, cap. 1.

¶ De causis, cur homo factus sit filius Dei, inquit Damascenus: Ex quo tempore Deus uerbum factus caro est, assimilatus nobis per omnia absq; peccato, & inconfusè se nostræ attemperauit naturę, citraq; omnem uicissitudinis permutationē, assumptam deificauit carnem, citra ullam confusionē, interuenientibus eius diuinitate & carne inuicē, reuera nos sanctificauit. Quo factum est, ut filius Dei idem etiam Deus, qui sua diuinitate nulli erat obnoxius passioni, assumpta carne passus sit, nostrumq; exoluit debitum, refundens preciū nostræ redemptionis planè iustū, & admiratiōe dignū. Lib. 1. apolog.

Beda inquit: Hodierna lectio angelum à Deo de cœlis missum narrat, ad uirginem, ut nouam in carne natiuitatem filij Dei prædicaret: per quam nos abiecta uetustate noxia renouari, atque inter filios Dei computari possimus.

poſſimus. Homilia in feſto annunciationis Mariæ. Et: Factus eſt particeps noſtræ mortalitatis, ut nos faceret participes ſuæ diuinitatis. In Pſal. 102. Item: Chriſtus cum eſſet Dominus cœlorum, pauper factus eſt in terris, ut terrigenas edoceret, paupertate ſpiritus regnũ acquirere poſſe cœlorũ. lib. 1 in Lucam, cap. 2. Et: Omnia primogenita figura fuerunt eius, qui cũ eſſet unigenitus Dei filius, primogenitus fieri dignatus eſt omnis creaturæ, uerè & ſingulariter ſanctus Domino: quia peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Quod ait, Adaperiens uuluam: conſuetæ natiuitatis more loquitur. Non quod Dominus noſter ſacri uentris hoſpitium, quod ingreſſus ſanctificarat, egreſſus deuirginaſſe credendus ſit, iuxta hęreticos qui dicunt, beatam Mariam uirginẽ uſq; ad partum, non uirginem eſſe poſt partum: ſed iuxta fidem catholicam, clauſo uirginis utero quaſi ſponſus ſuo proceſsiſſe de thalamo. Ibidem. Item: Quæ ſunt opera Domini, propter quæ uenit filius Dei in mũdum: niſi cæcitatem generis humani illuminare, uulnerata quæq; ſanare, perdita quærere, deformia reformare. In 9 cap. Ioannis.

Albinus inquit: Quia per ſuperbiam receſſimus omnes à Deo, filius Dei per miſericordiam factus eſt homo: ut idem ipſe & per diuinitatem patri, & per humanitatem cõgrueret nobis. ac per humanitatem noſtri ſimilẽ, pro nobis cum hoſte confligeret: per diuinitatem patri conſubſtantialem, ad imaginem nos Dei & ſimilitudinem quam peccando amiſimus, poſſet dignè recreare: per mortem noſtræ fragilitatis deſtrueret eum qui habebat mortis imperium, & per impaſsibilem ſuæ diuinitatis potentiam reconciliaret nos Deo patri. Libro 1. in Ioannem, cap. 1. Et: Iſta miſsio, incarnatio eſt Chriſti: quę ad hoc facta eſt, ut paterna uoluntas in ſalutem humani generis per eum efficeretur. Ibidem capite quarto.

¶ Purum eſſe Chriſtum, & abſq; peccato, Beda docet: Chriſtus à malis operibus immunis fuit, licet inter ipſa uerſaretur. In 1. Pſalmum. Item: Chriſtus nec originale nec actuale peccatum habuit, quia non per concupiſcentiam generatus eſt, & ſine carnali delectatione de Spiritu ſancto cõceptus eſt. In 4 Pſalmum. Et: Non ipſe in aliquo peccauit, qui ſolus ſine peccato extitit, ſed pœnam, ac ſi ipſe peccaſſet, pro peccatis noſtris pertulit. In 40 Pſalmum. Item: Chriſtus innocens, & ab omni peccato immunis, qui os quidem de oſsibus Adam, & caro de carne Adam, ſed nullam de carne peccatrice traxit maculam culpæ. Homilia in epiphania Domini. Et: Ille uerò uictor, quia ſolus ſine delectatione cõceptus eſt, ideo ſolus ſine dolore natus eſt. Et ideo ſolus habet, quod etiam unius diei puero imputet. In 50. Pſalmum. Item: Vnus naturaliter filius eſt, qui neſcit omnino peccare. Lib. 2. in Lucam, cap. 6.

Albinus inquit: Ex omnibus uiris unum inueni perfectè bonum, id eſt Chriſtum, ſicut Propheta dicit: Non eſt qui faciat bonũ, non eſt uſq; ad unũ. Solus Chriſtus ſine omni labe peccati inuentus eſt bonus. In 7. caput Eccleſiaſtę. Et: Ecce agnus Dei, ecce innocens, & ab omni peccato immunis: utpote qui os quidem de oſsibus Adam, & carnẽ de carne Adam, ſed nullam de carne peccatrice traxit maculam culpæ. Libro 1 in Ioannem, cap. 1.

¶ Sanctus Chriſtus. Beda: Aliter ipſe (Chriſtus) ſanctus eſt, aliter nos. Ipſe enim ſanctus ſanctificans, nos aũt ſancti ſanctificati. ſicut ait Apoſtolus: Sed hæc fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis. In 85. Pſalm.

Dominus. Beda: Chriſtus uerè Dominus omnium, ſecundum etiam humanitatem. In 109 Pſalmum.

¶ De quæſtione, an Chriſtus ſit Spiritus ſancti filius, inquit Albinus: Nec igitur concedendũ eſt, quicquid de aliqua re naſcitur, continuò eiuſdem filium nuncupandum. ut de multis exemplis hoc proferam, certè qui naſcuntur ex aqua & ſpiritu, neq; filios eos rectè quiſquam dixerit aquę uel ſpiritus ſancti: ſed planè dicuntur filij Dei patris, & matris Eccleſię. Sic ergo Chriſtus de Spiritu ſancto natus, filius Dei patris, non Spiritus ſancti dicitur. Si enim filius Spiritus ſancti diceretur Chriſtus ſecundum humanitatẽ, duo patres eſſent in ſancta Trinitate, Pater & Spiritus ſanctus: & Deus λόγος homo factus duos habuiſſet patres, unum diuinitatis Deum patrem, alterum humanitatis Spiritum ſanctum. Sed quis hoc dicere audebit? Libro 3. de ſancta Trinitate, cap. 3.

¶ Qualis homo Chriſtus poſt reſurrectionem. Beda inquit: Quãdo ianuis clauſis Dominus noſter ad diſcipulos ingreſſus eſt, ibi quippe caro uera erat: ſed deitate, quæ eandem carnem poſsidebat, efficiente, ita penetrabat clauſtra, ut ſui nulla relinqueret ueſtigia. In Pſalm. 52.

¶ De precatione Chriſti, inquit Beda: Nullus ſanctorum ita mundas & immaculatas, atq; ab omni uel minima labe cogitationis aduerſę preces ad Deum habet, ut mediator Dei & hominum, homo IESVS CHRISTVS, qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius: quas utiq; preces atq; orationes ſecundum hominem quem aſſumpſit, ad Deum habere credendus eſt, cum ſecundum diuinitatem ſuam cum patre ipſe exaudiat: ipſe quoque ſecundum utramque naturam, uidelicet Dei & hominis, aduocatus &

iudex est. Libro primo in Iob, cap. 16.

DE DVABVS NATVRIS *in* CHRISTO.

In una hypostasi Christi duas esse naturas unitas, docent. Vt Iohannes Damascenus libro de Duabus uoluntatibus & operationibus in Christo, cap. 1. Qui duas naturas & unam hypostasin in Domino nostro IESV CHRISTO confitentur, duplices quidem & differentes naturarum naturales proprietates simul confiteri debent, simplices autem eas quæ hypostaseos. Et paulo pòst: Propter quod & in Domino nostro IESV CHRISTO corporis figura, & uisionis, id est faciei character, & esse ipsum filium uirginis, eum esse ipsum filium Dei, infigurabilem, non hypostasium sunt discretiuæ, sed differentium naturarum. Quando enim ex duabus naturis una hypostasis cõposita sit, & hæ & illæ, hoc est, & diuinæ naturæ hypostaticæ proprietates, & humanæ naturæ eiusdem hypostaticæ sunt. Et cap. 6. Duæ naturæ in Christo post unionem. Ante unionem enim non duæ naturæ in Deo uerbo, sed una, quæ patris. Item: Non una natura Christus, sed una hypostasis, duas naturas habens, unam inprincipiatã, & aliam principiatam: & rursus, unam increatam, & creatam unam. Ibidem. Et: In Domino Christo quia duæ naturæ, duæ naturales uoluntates sunt, ut sit Deus perfectus, & homo perfectus, nihil relinquens earum quę deitatis proprietatum, neq; utiq; earum quę humanitatis. Libro de duabus in Christo operationibus & uoluntatibus, cap. 11. Item: Vnus enim unigenitus filius, solus ex solo patre, & solus ex sola matre, filius Dei & filius hominis, Deus & homo, IESVS CHRISTVS filius Dei. Ibidẽ cap. 12. Item cap. 13 libri 3. de Orthodoxa fide; Perfectum Deum confitentes ipsum Dominum IESVM CHRISTVM, & perfectũ hominum eundem dicimus: & omnia habere quęcunq; pater, præter ignascentiam: & habere omnia quæ Adam, sola excepta peccantia. Et cap. 14 eiusdem libri: Quia igitur Christi naturæ duæ sunt, duas eiusdem & naturales uolũtates & naturales actiones dicimus. At uerò quia duarum naturarum una ipsius hypostasis est, unum & eundem adstruimus & uolentem et agentem naturaliter, secundum ambas naturas, ex quibus, & in quibus, & quæ Christus Deus noster est. Velle autẽ & agere nõ diuisè, sed coniunctè & unitè. Vult autem & facit utraq; forma, cum alterius dispensatione. Et cap. 19 eiusdem libri: Non diuisas dicimus actiones, neq; diuisè agentes naturas, sed unitè unamquamq; cum alterius communicatione agentem idipsum quod proprium habuit. Neq; enim humana humanè operabatur, quandoquidem nõ nudus erat homo: neq; diuina secundum Deũ solum, nam non erat nudus Deus: sed Deus simul existens, & homo. Quemadmodum enim & naturarũ unionem & naturalem differentiam scimus, ita & uoluntatum & actionum. Animaduertendum igitur est, quòd de Christo quandoq; ut de duabus naturis sermonem agitamus, quandoque uerò ut de una persona. Et hoc & illud in unam referimus intelligentiam. nam duæ naturæ unus est Christus, & unus Christus duæ naturæ.

Beda ait: Creatus est ipse Dominus IESVS CHRISTVS per Deum patrem ex Maria uirgine, ad ostendendas & manifestãdas per filium suum uias mandatorũ suorum, à quibus opera Dei, hoc est homo aberrauerat. Libro 2 in Iob, cap. 9. Item: Dominus ab electis intelligitur in diuinitate patri æqualis, humanitate nobis consubstantialis. In 12 caput Thobiæ. Et: Terram hanc assumptum uerũ hominem ex Maria intelligimus, quæ ideo filio Dei assumente eam conciliatrix dicitur, quòd per diuinitatem assumentes habitant in ea omnes thesauri diuinæ sapientiæ & scientiæ absconditi: quam sibi ita indissociabili connexione coniunxit, ut ipse homo iam assumptus in gloriam per unitatẽ personæ, in Trinitate unus sit filius Dei. Libro primo in Iob, capite primo. Item: Antiquorum uox est ista iustorum, qui Dominum saluatorem, quem in diuinitate patri & spiritui sancto consubstantialem credebant, ac debitis uenerabantur obsequijs, in hominis quoq; habitu, & hominibus consubstantialem uidere cupiebant: ut quæ in prophetia nouerant, in ipso de quo pręcinebantur, completa uiderent. Libro sexto in Cantica Canticorum, capite octauo. Et: Dominus noster IESVS CHSISTVS nõ solùm uerus Dei filius, sed etiam uerus est filius hominis confitendus. Dei quidem filius æternaliter ante secula natus, hominis uerò filius in fine seculorum ex tempore factus. Libro tertio in Cantica Canticorum, capite tertio. Item: Vocatus à patre Christus, qui in illo erat semper ad contemplanda perpetuæ suæ miracula maiestatis, respondet se æterna præsentia apud patrem diuinitùs esse mansurum. & inter hæc repentè apparens humanitas in carne, loquitur Iudæorum magistris: En ipse quem tanto tempore quærebatis, & in carne uenire desiderabatis, qui precibus uotisque fidelium crebrò ad salutem mundi uocabar, adueni: ego ipse qui loquebar, adsum. Libro primo in Samuelem, capite 8. Item: Electi clàm gloriam filij Dei coæqualem patri ac spiritui sancto credunt & confitentur: humanæ quoque assumptionem naturæ, in qua imperium mortis superauit, in æternũ clarificatam esse cognoscũt, nõ suæ uidelicet

potentia

potentia substantię, sed operatione assumentis eam uerbi, hoc est filij unici Dei. libr. 3 in Cant. canticorum, cap. 3. Et: Inter passiones assumptæ humanitatis promouebat crebra indicia perpetuæ diuinitatis. Ad fragilitatem namq; humanitatis pertinet ipsum, q. Paruulus natus est nobis: ad potentiam diuinitatis, quòd de uirgine natus est, eademq; natiuitas angelicis est prædicata uocibus & celebrata mysterijs. Ad potentiam diuinitatis, quòd indicio stellæ mõstratur, adorãdus à magis: ad fragilitatem humanitatis, quòd duci & tentari à diabolo potuit. Ad potentiam diuinitatis, quòd illo uicto ac repulso ministerijs honoratur angelicis. Libro 5 in Cantica canticorũ, cap. 4 & 5. Et: Totus Christus Deus est & homo: id est, uerbum, anima & caro. Et totus est desiderabilis: quia nõ solùm de incommutabili maiestate perpetuæ diuinitatis, uerùm etiam de clarificata substantia assumptæ humanitatis accipiendum est. Ibidem. Item: Dominus nostræ per omnia memor salutis, non solùm homo fieri cũ Deus esset, sed etiam cum diues esset pauper fieri dignatus est pro nobis: ut nos sua paupertate simul & humanitate, diuitiarũ & diuinitatis suæ donaret esse participes. Homilia in die purificationis Mariæ. Et: Duplex in Christo natura est. in eo enim est, & cui cõueniat postulare, humana scilicet natura: & cui conueniat exaudire, diuina scilicet natura. Hominis enim est postulare, Dei autem exaudire. In 3 Psalm. Item: Domini Christi ex duabus & in duabus naturis inconfusis atq; distinctis una persona salubriter & indubitanter agnoscitur. In 8 Psalmum. Et: Qui enim apud patrem erat sine tẽpore, natus est ex matre sub tempore. In 18 Psalmũ. Et: Procedens Christus de thalamo suo, id est de uirginali utero: qui rectè dicitur thalamus, quia in illo humanitate assumpta, Ecclesiam sibi tanquam sponsam sociauit. Ibidem. Item: Christus tam uirginis matris, quàm Dei patris est filius. In 20 Psalmum. Item: Duæ naturæ ueraciter in una Domini Christi persona. In 107 Psalmum. Item: Dixit Dominus Domino meo. Dominus pater dixit Domino filio suo, secundum diuinitatem: filio autem & Domino meo, secundum humanitatem. In Psalm. 109. Et: Maius autem omnibus, quod mediatori Dei & hominum homini IESV CHRISTO pater dedit, hoc est: ut sit unigenitus eius filius, in nullo gignenti uel natura dissimilis, uel uirtute inferior, uel tempore posterior. Quia uidelicet ęqualitatem ipse Dominus in diuinitate habuit, priusquam mũdus esset, apud patrem, nec in humanitate ex tẽpore incarnationis accepit. Vnum (inquit) sumus, una nobis substantia, una diuinitas, una æternitas, perfecta æqualitas, dissimilitudo nulla. Homilia in dedicatione Ecclesiæ. Et: Idem filius Altissimi, qui in utero uirginali conceptus & natus est. Idem homo in tempore creatus ex matre, qui Deus est ante tempora natus ex patre. Si autem idem homo qui Deus est, omittat Nestorius hominem tantùm dicere ex uirgine natum: & hunc à uerbo Dei non in unitatem personæ, sed in societatem inseparabilem esse receptum. Alioquin non unũ Christum uerum Deum & hominem, sed duos (quod dici nefas est) asserere, ac per hoc non Trinitatem, sed quaternitatem prædicare conuincitur. Catholica autem fides, sicut unumquemlibet hominem carnem & animam, ita hominem & uerbum unum Christum rectissimè confitetur: iuxta quod & angeli uerba significant, quæ dandam illi sedem Dauid patris eius asseuerant. Qui enim eundem ipsum habere patrem Dauid, quem filium Altissimi pronunciat uocari, in duabus utiq; naturis unam Christi personam demonstrat. Accepit autem sedem Dauid, ut nimirum gentem cui Dauid quondam & filij eius temporalis regni gubernacula præbuerunt, ipse perpetuum uocaret ad regnũ, quod eis paratum est ab origine mundi. Homilia 4. Dominica aduentus. Item: IESVS CHRISTVS in eo quòd puer erat, id est, habitum humanæ fragilitatis induerat, crescere & confortari habebat. In eo uerò quòd etiam uerbum Dei, & Deus æternus erat, nec confortari indigebat, nec habebat augeri. Vnde rectissimè plenus sapientia perhibetur, & gratia: sapientia quidem, quia in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: gratia autem, quia eidem Mediatori Dei & hominũ, homini IESV CHRISTO, magna gratia donatum est, ut ex quo homo fieri cœpisset, perfectus esset & Deus. Homilia in natali Domini. Et: Quia per superbiam recessimus homines à Deo, filius Dei per misericordiam factus est homo, ut idem ipse & per diuinitatem patri, & per humanitatem congrueret nobis. per humanitatem similem nobis, pro nobis cum hoste confligere: per diuinitatem patri consubstantialem, ut imaginem nos Dei & similitudinem, quam peccando amisimus, posset dignè recreare. Ac per mortem nostrę fragilitatis destrueret eũ qui habebat mortis imperium, & per impassibilem suæ diuinitatis potentiam reconciliaret Deo patri, cum quo uiuit & regnat Deus in unitate Spiritus sancti, per omnia secula seculorum. Homilia in epiphania Domini. Item: Sollicitè nobis Scriptura utramq; Saluatoris nostri naturam, & humanam uidelicet commendat, & diuinam. Libro primo in Ioannem, capite secundo. Et: Atq; ex utroque Euangelio Matthæi & Mar

ci, unus Dominus noster IESVS CHRISTVS Dei & hominis filius est intelligendus. Et aptè primus Euangelista filiũ hominis eum, secundus filium Dei nominat, ut à minoribus paulatim ad maiora sensus noster exurgeret, ac per fidem & sacramenta humanitatis assumptæ ad agnitionem diuinæ æternitatis ascenderet. Aptè, qui humanam generationem erat descripturus, à filio hominis cœpit, Dauid uidelicet siue Abrahę, de quorum stirpe substantiam carnis assumpsit. Aptè is qui librum suum ab initio Euangelicæ prædicationis inchoabat, filiũ magis Dei appellare uoluit Dominũ nostrum IESVM CHRISTVM: quia nimirum & humanæ erat naturæ, de progenie patriarcharum siue regum ueritatem carnis suscipere: & diuinæ fuit potentię, Euangelium mundo prædicare. Lib. primo in Marcum, capite primo. Et: Christus idem ipse & Deus, & filius hominis est, ut & homo Christus per diuinitatis suæ potentiam peccata dimittere posset, & idem Deus Christus per humanitatis suæ fragilitatem pro peccatoribus mori posset. Libro primo in Marcum, capite secundo. Item: In nauigatione Dominus utramq; unius eiusdemq; suę personæ naturam dignatur ostendere, dum ipse, qui ut homo dormit in naui, furorem maris uerbo compescit ut Deus. Libro secundo in Marcum, capite quarto. Et: Est ergo unigenitus in substantia Deitatis, primogenitus in susceptione humanitatis. Primogenitus in gratia, unigenitus in natura. Inde est quòd frater nuncupatur, & Dominus. Frater, quia primogenitus: Dominus, quia unigenitus est. Libro primo in Lucam, capite secundo. Item: Qui per diuinitatis essentiam ueritas & uita permanet, per incarnationis mysterium uia factus est, qua nos ad patriã, ubi ueritate & uita frueremur, adduceret. Libro primo in Lucam, capite 2. Et: Quod enim uidere non poteramus, dum erat uerbum: uideamus factũ, quia caro est. Libro primo in Lucam, capite secundo. Et: Quia enim Deus & homo est Christus, nunc excelsa deitatis, nunc infima præfert humanæ fragilitatis. Quasi homo, seniores interrogat: quasi Deus, quæ seniores & docti mirentur respondet. Quasi Dei filius, in templo Dei commoratur: & quasi filius hominis, cum parentibus quò iubent regreditur. Libro primo in Lucam, capite secundo. Item: Quòd Christus secedit orare, non ei naturæ tribuas quæ dicit, Volo, mundare: &, Curabat ab infirmitatibus: sed ei, quæ extendens manum, tetigit leprosum. Non quòd, iuxta Nestorium, gemina sit filij persona: sed quòd eiusdem personæ, sicut naturæ, sic & operationes sint duæ. Libro secundo in Lucam, capite quinto. Item: In documento utriusque naturæ & Christo angeli ministrasse, & eum angelus confortasse describitur: quoniam qui Deus ante secula extitit, homo factus est in fine seculorum. Qui & priusquam per resurrectionis exaltaretur gloriam, diuinitate super angelos fuit: sed tamen ab angelis (ut scriptum est) humanitate minoratus, ex qua & morti subiacuit. At postquam mortem resurgendo calcauit, humanitatem suam etiam maiestatibus archangelorum superposuit. Certè si quid sibi hæresis ex hoc blanditur, ut infirmum adfirmet, cui opus fuerit angeli confortantis auxilio: meminerit Creatorem angelorum, creaturæ suæ nõ eguisse præsidio. Quippe si uellet, duodecim millia legionum de cœlis angelorum deduceret. Tum deinde necessariò eo modo eum confortatũ, quo & tristem esse. Nam si nobis tristis est, id est propter nos tristis est: necesse est ut & propter nos sit confortatus, & nobis. Lib. sexto in Lucam, capite uigesimosecundo. Item: Et uerbum caro factum est. Nihil aliud debet intelligi, quàm si diceretur, Et Deus homo factus est: carnem uidelicet induendo, & animam: ut sicut quisque nostrûm unus homo ex carne constat & anima, ita unus ab incarnationis tempore Christus ex diuinitate carne & anima constet. Deus ab æterno in æternum existens uerus ut erat, hominem ex tempore assumens in unitatem suæ personæ uerum, quem non habuerat. Et paulo pòst: Gratiæ plenus erat & est homo CHRISTVS IESVS, cui singulari munere præ cæteris mortalibus datum est, ut statim ex quo in utero uirginis conciperetur homo, fieri inciperet uerus esse Deus. Vnde & eadem gloriosa semper uirgo Maria non solum hominis Christi, sed & Dei genitrix rectè credenda & confitenda est. Idem ueritate plenus erat & est, ipsa uidelicet uerbi diuinitate, quæ hominem illum singulariter electum, cum quo una persona Christi esset, assumere dignatus est: non aliquid suæ diuinæ substantiæ, ut hæretici uolunt, in faciendam hominis naturam commutans: sed ipsa apud patrem manens totum quod erat, totam de semine Dauid naturam ueri hominis, quam non habebat, suscipiens. Libro primo in Ioannem, capite primo. Item: Qui per matrem in tempore nascitur, sine tempore est à patre genitus. Ibidem. Et: Si uideritis filium hominis ascendentem ubi erat prius. In terra loquebatur & in cœlo se esse dicebat. Quod quò pertinet, nisi ut intelligamus, unam personam esse Christum Deum & hominem, non duas: ne fide nostra non sit trinitas, sed quaternitas. Christus ergo unus est uerbum, anima, caro: unus Christus filius

Dei,

Dei, & filius hominis: unus Christus filius Dei semper, filius hominis ex tempore: tamē unus Christus secundum unitatem personæ in cœlo erat, quando in terra loquebatur. Sic erat filius hominis in cœlo, quomodo filius Dei in terra. Sic filius Dei in terra suscepta carne, quomodo filius hominis in cœlo in unitate personæ. In 6. caput Ioannis. Item: Sicut unus homo anima & corpus, sic unus Christus uerbum & homo. Anima & corpus duæ res sunt, sed unus homo. Verbum & homo duæ res sunt, sed unus Christus. Nemo enim titubet in fide, quando audit Dominum dixisse, Potestatem habeo ponendi animam meam. Ponit eam caro, sed ex potestate uerbi. Sumit eam caro, sed ex potestate uerbi. Verbum, anima, caro, unus est Christus: & dum caro occisa fuit, Christus occisus fuit: & dum caro animam resumpsit, Christus animam resumpsit: quia quicquid ibi factum est, in dispensatione humanæ salutis, totum unus Christus egit, unus filius Dei proprius & perfectus, unus Deus uerus & omnipotens, homo propter uerbum Deus, Deus propter hominem homo. In 10 caput Ioannis. Et: Nec sine uera credenda est humanitate diuinitas, nec sine uera diuinitate humanitas: sed & in nobis hæc unum sunt, non natura eiusdem substantiæ, sed eiusdem operatione mysterij. In 5 caput epistolę Ioannis.

Aponius ait: Christus in sua doctrina creditur uerus Deus, & uerus homo. Libro 2. in Cantica Canticorum. Et: Christus factus est ex semine Dauid secundum carnem, qui prædestinatus est filius Dei in uirtute, qui factus est nobis turris fortitudinis à facie inimici. Libro sexto in Cantic. Canticorum.

Albinus inquit: Melchisedec rex Salem, quem Apostolus dicit sine patre & sine matre esse, figuraliter Christum significat: quia Christus sine matre in cœlis, & sine patre in terris, offerens Deo pro nobis in terris sui corporis panem, & sui sanguinis uinum: ad quem dicitur, Tu es sacerdos in æternum. In quæstionibus in Genesin. Et: Christus aliter de Spiritu sancto, aliter ex Maria uirgine natus est: non de illo sicut de patre, de illa uerò sicut de matre. Libro tertio de sancta Trinitate, capite primo. Item: Veritas quippe ipsa unigenitus est Dei filius, non gratia, sed natura. Gratia suscepit hominem, tanta unitate personæ: ut idem ipse esset etiam filius hominis, qui Dei filius unicus, unigenitus. In ipso uno Deo & homine, plena gratia humanitatis, plenaq; diuinitatis ueritas agnoscitur, Libro tertio de sancta Trinitate, capite secundo. Item: Beatus Euangelista ut proprietatem unius personæ in Christo ostenderet, ait: Verbum caro factum est. Verbum, quod erat apud Deum antequam mūdus esset, per quod mundus factus est. Verbum, quod non amisit æternitatem suam, quamuis in tempore ex uirginali utero carnem assumendo, homo fieri uoluerit. Quod uerbum per omnipotentiam suam uoluit hunc hominem, quem assumpsit, hoc fieri ex tempore, quod ipse semper fuit sine tempore: id est, proprius filius Dei. ut non possint dici duo filij Dei, alius ante tempora genitus, & alius natus ex tempore: sed unus Deus filius proprius & perfectus Deus, Dominus noster IESVS CHRISTVS: quem beata uirgo Maria, salua sui integritate corporis, Deum edidit, & hominem. Libro tertio de S. Trinitate, capite decimoquarto. Et: Redemptor noster noluit Dei tantum filius manere, hominis quoque filius fieri dignatus est: non amittens quod erat, sed assumēs quod non erat, ut per hoc homines in Dei filios transferret, gloriæq; suæ faceret cohæredes: & quicquid ipse semper habebat per naturam, inciperent habere per gratiam. Libro primo in Ioannem, capite primo. Item: Ipse filius Dei homo fieri, & habitare inter homines dignatus est, ut humanæ particeps existendo fragilitatis, homines diuinę uirtutis suæ donaret esse participes. Ibidem. Et: Diuinitas hominem illum singulariter electum, cum quo una Christi persona esset, assumere dignata est: non aliquid suæ diuinæ substantiæ, ut hæretici uolunt, in faciendam hominis naturam commutās: sed ipsa apud patrem manens, totum quod erat, totam de semine Dauid naturam ueri hominis, quam non habebat, suscipiens. Libro primo in Iohannem, cap. 1. Et: Incarnatus Dominus ueniens, quasi calciatus apparuit, qui in diuinitate sua, morticina corruptionis nostræ assumpsit: sed huius incarnationis mysterium humanus oculus penetrare nō sufficit. Inuestigari enim nullatenus potest, quomodo incorporatur uerbum, quomodo summus & uiuificator spiritus intra uterum matris animatur: quomodo is qui initium non habet, & existit & concipitur. Ibidem. Item: Vtraque Christi natiuitas mirabilis fuit, diuina sine matre, humana sine patre homine. Libro quarto in Ioannem, cap. 7. Et: Sicut unus homo est anima & corpus, sic unus Christus uerbum & homo. Anima & corpus duę res sunt, sed unus homo. Verbum & homo duæ res sunt, sed unus Christus. Libro quinto in Iohannem, cap. 10. Et: Agnoscamus geminam substantiam Christi: diuinam scilicet, qua æqualis est patri: humanam, qua maior est pater: utrumque autem simul non duo, sed unus Christus, ne sit quaternitas, sed trinitas Deus. sicut enim unus est homo, anima rationalis et caro, Christum in his omnibus,

nibus, Christum in singulis cõfitemur. Quis est ergo, per quem factus est mundus? CHRISTVS IESVS, sed in forma Dei. Quis est sub Pontio Pilato crucifixus? CHRISTVS IESVS, sed in forma serui. Item de singulis qui bus homo constat, quis nõ est derelictus in inferno? CHRISTVS IESVS, sed in anima sola. Quis resurrecturus triduo iacuit in sepulchro? CHRISTVS IESVS, sed in carne sola. Dicitur ergo & in his singulis Christus: uerùm hęc omnia nõ duo uel tres, sed unus est Christus. Lib.6 in Ioannem, cap.14.

Item: Hominem, Deus & uerbum patris perfectus homo factus, neq; naturam cõmutans, à casu erexit: & illum ab errore eximẽs i dolorum, ad immortalitatem formauit, tribuens illi insuper donum certæ spei & confidentiæ, quę sanè priore multo est diurnior: adeoq; ipsa formatione melior extitit reformatio, quæ est gratia sempiterna. Conciliũ Nicenum secundum actione sexta, tomo secundo Concil. Item: Ex duabus naturis, & in duabus naturis Christum esse scimus, nempe indiuisim diuina & humana. Ibidẽ. Et: Is qui extra carnem est, incarnatus est, uerbum corpus induit, increatus est creatus, intangibilis est palpatus, eumq; unum in deitate & humanitate perfectum prædicant. Ibidem. Item: Si quis non confessus fuerit eiusdem sanctæ Trinitatis unum, uidelicet filium & uerbum Dei & patris, Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, ante secula quidem ex patre secundum deitatem, in extremis autem temporibus ipsum propter salutem nostram è cœlis descendisse, & incarnatum ex spiritu sancto & Maria uirgine, & ex eadem natum, supra omnem humani intellectus comprehensionem, anathema. Item: Si quis non confitetur Deum esse secundum ueritatem Emanuel, & ob id uirginem sacram Deiparam, quæ secundum carnem, carnem factũ ex Deo uerbum genuit, anathema. Item: Si quis uerbum ex Deo patre, carni secundum hypostasin nõ unitum, & unum esse cum propria carne Christum, eundem uidelicet Deum & hominem non confessus fuerit, anathema. Item: Si quis nõ confessus fuerit Dei carnem uiuificantem esse, & propriam ipsius ex Deo patre uerbi, sed ueluti alterius præter ipsum, unitam secundum dignitatem, uidelicet quasi tantummodo in ea diuinam habitationem habuerit, minimè uerò uiuificãtem, ut diximus, quod factum sit in proprietate uerbi omnia uiuificare potentis, anathema. Septimum Concilium Nicenum falsò sic dictum, tomo secundo Concil.

Item: Quemadmodum Deus & uerbum Dei patris inuisibile, incomprehensibile, & in omni loco dominationis suæ existit: ita secũdum naturam humanã, quam assumpsit, uisibilis & circũscriptibilis est. Item, est comprehensibilis. Secundum Concilium Nicænum, actione 6, tom. 2 Concil.

Carolus Magnus: Quanquam Christus totam humanam naturã, carnem uidelicet cũ sensibus suis, & animam cum ratione sua, nõ diuinitate in humanitatem conuersa, neque humanitate in diuinitatem mutata, sed permanente utriusq; naturæ proprietate, Deus uerbum hominem in unitate personæ susceperit, hominis tamen originale peccatũ non suscepit. Lib.4. de Imaginibus, cap.14. Et: Non secundum diuinitatem, in qua unius cum Patre substãtię æqualis patri permanet: sed secundũ humanitatem, qua uerbum caro factum est, & habitauit in nobis: & de qua dicit, pater maior me est: accipi debet illud, Pater clarifica nomen tuum. Qui dum in forma serui minor sit patre, in forma Dei æqualis ei proculdubio creditur. Lib.1. de Imaginibus, cap.4. Item: Rogat quasi hominis filius, imperat quasi Dei filius. Ibidem. Et: Corpus Domini à diuinitate non discernatur, salua utriusq; naturæ proprietate: sed ad unam personam referatur. Ibid. cap.5.

¶ De unione naturarum, inquit Damascenus: Omnis hypostasis ex differentib. naturis composita, naturales proprietates duarũ naturarum habet secũdum necessitatem, & confusio consideratur in unione. Ignis enim & aqua contraria sunt omnino: ignis quidẽ calidus & siccus, aqua autem frigida & humida. Sed quando compositum est corpus ex quatuor elementis, quatuor habet qualitates, caliditatem & frigiditatem, humiditatem & siccitatem. Si igitur, ubi confusio consideratur, necessarium considerari naturales proprietates compositorum, quanto magis in inconfusa unione? Libro de duab. in Christo uoluntatib. & operationibus, cap.12. Et: Sanctæ uerò carni suæ Deus uerbum personaliter unitus est: & ad id quod naturæ nostræ est, permixtus incõfusè. Lib.1. de Orthodoxa fide, cap.18. Et lib.3. cap.2: Non hominem deificatum dicimus, sed Deum humanatum. Nam qui est natura perfectus Deus, factus est perfectus homo: idem ipse non natura mutatus, neq; dispensationem carnis secundum phantasiam monstrans: sed ex semper sancta uirgine sumptæ, rationaliter & intellectualiter animatæ carni, in seipso esse assecutæ, unitus est secundum hypostasin, inconfusè, inalterabiliter, & indiuisè, non trãsmutans suiipsius deitatis naturam in carnis substantiam, neq; certè carnis suę substantiã in suæ deitatis naturam. Neq; ex diuina suiipsius natura, & ea quam assumpsit humana natura, unam naturam perfecit cõpositam. Item: Coniunguntur naturæ ipsius in hypostasi,

stasi,unam hypostasin compositam habentes, secundum quam differt & à patre & à spiritu,& à matre & à nobis.Lib.3 de Orthodoxa fide,cap.3. Et:Totum totus assumpsit me,& totus toti unitus est,ut toti salutem largiretur.Ibidem cap.6. Item: Vniuntur Domini naturæ, inconfusè secundum hypostasin: at diuiduntur indiuisè, ratione & modo differentiæ. Quomodo unitæ sunt,non numerantur.nam non dicimus duas secundum hypostasin esse Christi naturas: cæterùm quomodo indiuisibiliter diuiduntur, numerantur. Nam duæ sunt Christi naturę,ratione & modo differentiæ. Vnitæ enim sunt secundum hypostasin: & in se inuicem insessionem habentes,inconfusè sunt unitæ, propriam unaquæq; differentiam seruantes. Modo igitur differentiæ solo numeratę,ad discretā quantitatem reducūtur. Vnus igitur est Christus, Deus perfectus,& homo perfectus,quem adoramus cum patre & spiritu una adoratione,cum immaculata carne eius. Neq; inadorabilem carnem esse dicimus. nam adoratur in una uerbi hypostasi,quæ & ipsa hypostasis facta est Neq; creaturā colimus:nam non ut nudam carnem adoramus, sed counitam diuinitati: & ut in unam personam & unam hypostasin Dei uerbi , duæ eius reuocatæ sunt naturæ.Ibidem cap.octauo. Et: Deus igitur uerbum incarnatum, neq; sola cogitatione cōtemplatam naturam sumpsit, (nam non hoc incarnatio,sed deceptio & figmentum incarnationis)neq; in specie consideratam , quandoquidem non omnes hypostases assumpsit: sed in indiuiduo cōsideratam, & in eadem existentem specie. Primitias enim nostræ massæ assumpsit,non quæ secundum seipsam subsisteret, & indiuiduū prius esset,& sic ab ipso assumpta, sed quæ in eius hypostasi subsisteret. Et paulo pòst: Vnio quidem solam ostendit coniunctionem : ad quid autem coniunctio facta est,nondum ostendit. At incarnatio,siue idem dicendo,humanatio,ad carnē̄, id est ad hominem coniunctionem ostendit:quemadmodū & ignitio,ferri ad ignem coniunctionem. Lib.3 de Orthodoxa fide,cap.11. Et cap. 17 eiusdem libri: Est scire operæprecium , quòd non secundum transmutationē naturæ,aut uersionem,aut alienationem,aut confusionem,caro Domini deificata dicitur, simul Deus & Deus facta,ut diuiniloquus inquit Gregorius.Quorum hoc quidem deificauit, illud uerò deificatum est:ausim dicere homotheon, id est simul Deum . Et hominem fieri quod ungit,& Deum quod unctum.hæc enim nō secundum transmutationem,sed secundum dispensatoriam unionem.Secundum hypostasin dico , secundum quam inseparabiliter Deo uerbo unitur,& in se inuicem naturarū ingreßionem,immansionemq;,quemadmodum dicimus ferri ignitionem . Nam ut humanationem sine transmutatione & uersione confitemur, ita & factam deificationem carnis glorificamus . Neque enim idcirco q, Verbum caro factum est, à terminis propriæ diuinitatis excesßit:neq; ab ijs quæ diuinitati adsunt,Deo decentibus glorificationibus. Sed & neq; caro deificata, à propria uersa est natura,aut à naturalibus proprietatib. Manserunt enim & post unionem naturæ inconfusæ,& earum proprietates illæsæ.

Beda ait:Incarnationis mysterium humanus oculus penetrare non sufficit.Inuestigari enim nullatenus potest,quomodo corporatur uerbum,quomodo summus & uiuificator spiritus intra uterum matris animatur,quomodo is qui initium non habet & existit & concipitur. Libro primo in Lucam, capite tertio. Et:Per carnalem generationem filius Dei, filius hominis factus est. Ibidem.

Aponius inquit:Nunc autem per unitionem Dei & hominis assumpti,diuinitatis & humilitatis æternalis & temporalis collegium:uetus & nouum duo Testamenta,Ecclesiæ ubera cognoscuntur. lib. 3 in Cantic. Canticorum.

¶ De duabus in Christo uoluntatibus inquit Damascenus: Voluit igitur & uult ut Deus,diuina:& uoluit & uult ut homo, humana:non contrarietate sententiæ, sed proprietate naturarū. Libro de duabus in Christo uoluntatib.& operationibus, cap.11. Et cap. 12 eiusdem libri : Operatio est naturalis uniuscuiusq; substantiæ, & potentia & motio,sine qua solum non ens . Qualiter igitur non habebit naturalem operationem humanæ naturæ Dominus? Non existentia enim naturalis uniuscuiusq; operationis, non existentia existit naturæ . Si igitur non habuit humanæ naturæ operationem, neque naturam habuit humanam. Quorum enim natura diuersa,horum & uoluntas & operatio diuersa. Item:In sancta trinitate naturalia omnia uolūtabilia & operabilia , propter quod & eadem trium hypostasium: in angelis autem & hominibus non idem uoluntabile, neq; idem operabile,neque idem modus usus. Vnaquæq; enim angelorum & hominū hypostasis proprium habet motum,& separatim uult & operatur. Propter quod in Domino nostro IESV CHRISTO,quia duę naturæ , duæ operationes naturales , ut sit Deus perfectus,& homo perfectus & duo operari & differenter operari, secundū naturalē duarum naturarū differentiam,diuinæ & humanę:omnipotenter & impaßibiliter,secundū diuinam naturā:& infirmè & paßibiliter,secundum humanam naturam.Ibidem.

Albinus ait:Deus pater per duas in Chriſto operatur naturas per unam,quæ ei communis eſt cum Deo patre, ex eo quod Deus eſt:per alteram, qua ex uirgine Maria homo factus eſt. Per has duas naturas in uno filio Dei,duas fecit Deus pater reſurrectiones humani generis:id eſt,animarum & corporum. Lib.3 de ſancta Trinitate,cap.18.

¶ Duæ operationes in Chriſto. Beda: Conſiderãda eſt in uno eodemq; redemptore noſtro diſtincta operatio diuinitatis & humanitatis.Atq; error Eutychetis, qui unam tantum in Chriſto operationem dogmatizare præſumit,procul à Chriſtianis finibus expellendus.Lib.2 in Marcum, cap.8. Et:Spiritus quidem promptus eſt, at caro infirma. Facit & hic locus aduerſus Eutychianos, qui dicunt unam in mediatore Dei ac hominum,Domino ac ſaluatore noſtro, operationem,unam fuiſſe uoluntatem. Cum enim dicit,Spiritus quidem promptus eſt, caro uerò infirma:duas uoluntates oſtendit,humanam uidelicet quę eſt carnis, & diuinam quę eſt deitatis. Vbi humana quidem,propter infirmitatem carnis,recuſat paſsionem:diuina autem eius eſt promptiſsima. Quoniam formidare quidem in paſsione,humanæ fragilitatis eſt:ſuſcipere autem diſpenſationẽ paſſionis,diuinæ uoluntatis atq; uirtutis eſt.Libro 4 in Marcum,cap.14.

¶ Cur Deus & homo Chriſtus, Beda docet: In hoc profuit humanitas Chriſti, quia ne nos in peccatis moreremur, mortua eſt. In hoc uerò profuit diuinitas, quia cũ carnẽ à morte ſuſcitauit,immortalitatẽ uitæ per reſurrectionis ſpem contulit. Vnde dictum eſt, Quòd mortem noſtram moriẽdo deſtruxit, & uitam reſurgendo reparauit.In 15.Pſalm.

¶ Chriſtum in duabus naturis adorari, inquit Damaſcenus libro de duabus in Chriſto uoluntatibus,capite ſexto: Adoro incarnatum Deum uerbum, & coadoro carnem, nõ propter carnis naturam, ſed propter unitum ipſi Deo uerbũ. Adoro regem cum purpura, & honoro purpuram propter regem. Et nimirum in rege quidẽ & ueſte ſecũdum hypoſtaſin unio,neq; ineuulſibilis,neq; ſemper manens:in Chriſto autem Domino noſtro ſecundũ hypoſtaſin ineuulſibilis & ſemper manens unio,propter quod ut unum ſanctæ trinitatis coadoro cum patre & cum ſpiritu ſancto Chriſtum incarnatum filium Dei & Domini. Item libro 4 de Orthodoxa fide,cap.3. Caro igitur ſecundum ipſius naturam inadorabilis eſt, ut creatura: unita autẽ Deo uerbo, ꝓpter ipſum & in ipſo adoratur.

Damaſcenus lib.3 de Orthodoxa fide,cap. 12.Deiparam,Dei genitricem, Deiq; parentem, & propriè & uerè ſanctam uirginem celebramus.Nã ut uerus Deus eſt, qui ex ipſa natus eſt: ita uera Dei genitrix, uerum Deũ ex ipſa incarnatum genuit.Deum enim dicimus ex ipſa natũ eſſe, non ut diuinitate principium uerbi,ut uerbum eſſet,ex ea accipiente:ſed ut ipſo Dei uerbo ante ſecula, ſine initio ex patre genito,& ſine initio & ſempiternè exiſtente cum patre & ſpiritu ſancto, in nouiſsimis temporibus propter noſtram ſalutem in utero eius inhabitante, & ex ipſa incommutabiliter incarnato & genito.Non enim hominem nudum genuit ſancta uirgo,ſed Deum uerum:non nudum,ſed incarnatum:non ex cœlo corpus traducentem,ut per canalem,per ipſam tranſeuntem,ſed conſubſtantialem nobis carnem ſuſcipientem, in ſeipſo ſuſtentatã. Si enim cœlitùs corpus acceptum eſt,& non ex ea natura quæ ſecũdum nos ſumptum eſt,quę utilitas humanationis?Humanatio Dei uerbi propter hoc facta eſt,ut ipſa quæ peccauit & cecidit,& corrupta eſt natura, uinceret eum qui ſeduxerat,tyrannum: & ſic à corruptione liberaretur,quemadmodum diuinus inquit Apoſtolus:Quoniam per hominem mors,& per hominem reſurrectio ex mortuis.

DE OFFICIO CHRISTI.

¶ Chriſtum eſſe Meſsiam. Beda:Moyſes & Helias cum Domino loquuntur, ut oſtendant ipſum eſſe, quem cũcta legis & prophetarum oracula promiſerunt.Libro 3.in Marcum,cap.11.

In genere de officijs Chriſti loquitur Beda dicens:Reſtaurauit Dominus Scripturam ſacram,&c.Sed & nouum Teſtamentum miſſo deſuper Spiritu ſancto,per Apoſtolos ſiue Apoſtolicos uiros fecit deſcribi.Eduxit populũ de Babylonica captiuitate: & ad Hieroſolymam, terramq; repromiſsionis liberatũ induxit.Quia & ſemel paſſus in cruce, mundum ſuo ſanguine redemit: ac deſcendẽs ad inferos, quoſcunq; ibi ueros Iſraelitas,id eſt electos inuenit,abductos inde ad mœnia ſupernæ ciuitatis adduxit, eisq; gaudia olim promiſſæ hæreditatis conceſsit. Libro 2 in Ezram,cap.14. Item: Ipſe mediator Dei & hominũ ſpecialiter à Deo patre donatus eſt, ut eſſet propitiatio pro peccatis noſtris. Libro 2.de Tabernaculo,cap.8.

In genere de beneficijs Chriſti inquit Aponius:In hanc conuallẽ mundi Dominus hęc tria apportaſſe cognoſcitur,abolitionẽ peccati,abſterſionem mendacij,& refrigerij temperamentum ignium genitalium,de quo naſcitur amor conſeruandę uirginitatis.Libro tertio in Cantic.Canticorum. Et: Chriſtus moriendo uitam perditã reddidit,& deſtruxit mortis imperium. Libro quarto in Cantic. Item:Ab omni macula peccatorũ mundatam Eccleſiam ſacroſancto baptiſmate, & omni

omni ruga hæreticæ attractionis doctrinæ luto extensa, pulcherrimam reddidit IESVS CHRISTVS Dominus noster. Libro quinto in Cant. Et: In Christi doctrina Ecclesia, id est fideliũ turba libertatem inuenit, in morte uitam, in sepultura silentium, in duris laboribus (quos dęmonum flagris acta exolue bat quotidie) requiẽ. Lib. 3 in Cant. canticor.

Albinus inquit: Pacificus & dilectus Dei patris, & Ecclesiastes noster Christus est, qui medio pariete destructo, et inimicitias in carne euacuans, fecit utraq; unum, dicens: Pacẽ meam do uobis. de quo pater ad discipulos: Hic est, inquit, filius meus dilectus, &c. qui est caput Ecclesiæ. In primum caput Ecclesiastæ. Et: Sol Christus Deus omnia uiuificat & illuminat spiritualis gratiæ splendore & uirtute, in cuius pennis sanitas est, qui credẽti in eum oritur, & infideli cuilibet occidit. Ibidem. Et: Christus egressus est de uirginali utero in mundum, ut contereret & subuerteret imperium stulti regis, qui ei ostendit omnia regna mundi: eoq; uicto, uasa illius caperet, & domum subuerteret, captiuamq; captiuaret captiuitatem. In 4. cap. Ecclesiastæ. Item: Christus sua simpla morte, duplam mortem, animæ uidelicet & corporis, destruxit. Nam sola carne mortuus est ad tempus, anima uerò nunquam, qui nũquam peccauit. In quæstionib. in Genesin. Item: Humilitas Christi soluit peccata nostra, humilimæ herbæ hyssopo bene cõparata: quæ, sicut & hæc à corporibus, ab animis nostris inflationem tollit superbiæ. In expositione 4 Psalmi pœnitentialis. Et: Ideo Deus de cœlo descendit ad nos in terram, ut nos de terra ascendamus in cœlum. Ideo ille descendit in uallem lachrymarũ nostrarum, ut nos ascendamus in beatitudinem læticiæ illius. In expositione Cantici graduũ. Item: Quid est quod semper est, nisi Deus qui dixit, Ego sum qui sum? q descendit, ut ascenderemus: qui participauit nostrę mortalitati (nam uerbum caro factum est, & habitauit in nobis) ut participare possemus sua ęternitate. Nam de plenitudine eius nos omnes accepimus. Ibidem. Et: Sicut Christus liberatus est ab omni iniquitate, & à persecutione impiorũ, & uictor gloriosus ad paternam redijt sedẽ: sic nos per illum liberati sumus, et nõ sumus dati in laqueos diabolicæ fraudis, nec in manu uenantium nos uitam perdidimus, sed fidem seruauimus: & melius quod perdidimus, inuenturi sumus, ipsa dicente Veritate: Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Ibidem.

Carolus Magnus ait: Ad liberãdas animas, nõ ad imagines, redemptor mundi ad terras descendit. Lib. 3 de Imaginibus, cap. 27. Et: Regnat ergo ille in nobis, non conregnat nobis: regnat uidelicet in credẽtibus, quia usque ad crucem & mortẽ infirmatus est. Hoc autẽ modo filius propriè regnat in fide credentium. Lib. 1. de Imaginibus, cap. 1. Item: Christus est finis legis, ad iusticiã omni credenti, q est finis sine fine: cap. 28 eiusdẽ libri.

Summa quædam de Christo traditur in Concilijs: ut, Dominus IESVS CHRISTVS filius Dei, Deus uerus de cœlo descendit: homo factus est pro nobis, pati & crucifigi dignatus est: et sepultus, tertio die resurrexit à mortuis, & ascẽdit in cœlos. Discipulis etiã suis sanctis apostolis ait: Euntes docete omnes gentes, etc. Ipse enim credentib. in se uitã æternam promisit. Gregorius II. papa, in 3. epistola ad Thuringos, tom. 2 Conciliorum. Et: IESVS CHRISTVS Dominus noster, uerus Deus, uerạq; iuxta Dei patris naturam sapientia, per illius in carne diuinitatem, mirificamq; œconomiã uindicans nos ab errore idolorũ, nostram naturã liberando renouauit, cooperante illius congenere spiritu sancto. Et primus factus summus sacerdos, huius appellationis reddidit nos cõsortes, ô uiri sacerdotes. Hic pastor bonus ille, qui errãtem ouiculam in humeris portans, hominẽ, qui ab ouili suo exciderat, restituens in consortiũ angelicę suę sacriq; muneris uirtutis, p seipsum nos redemit, soluẽs intersepti obstaculũ, nimirũ inimicitiã, in carne sua nobis pacificã rationem uiuẽdi gratuitò concessit. ob id & cunctis euangelicè prædicari iussit, Beati pacifici, etc. In epistola Constantini Imperatoris & Irenes, ad Synodum secundam Nicenam, act. 1. tom. 2. Concil.

Item: Si quis non confessus fuerit in uno Christo, uero Deo nostro, duas naturas & duas naturales uoluntates, & duas naturales actiones, cõmunicanter, indistinctim, incõmutabiliter, impartibiliter, inconfuse, secundũ patrũ sanctorũ traditionẽ, anathema. Itẽ: Si quis non confessus fuerit, Dominũ nostrum IESVM CHRISTVM, post assumptionẽ animatę, rationalis & intellectualis carnis, simul sedere cũ Deo & patre, atq; ita quoq; rursus uẽturũ cũ paterna maiestate, iudicaturũ uiuos & mortuos, nõ amplius quidẽ carnẽ, neq; in corporeũ tamẽ, ut uideatur ab ijs à quib. cõpunctus est, & maneat Deus extra crassitudinem carnis, anathema. Concilium 7 Nicenum, falso sic dictum, tomo 2. Concil.

¶ De doctrina Christi inquit Beda: Saluator ueniens in carnem, non alia quàm quæ prędicta sunt, prędicabat: sed legis & prophetarum scripta quàm sint mysterijs gratiæ grauida demonstrat. Libro 2 in Marcum, cap. 6. Et: Intrauit IESVS die sabbati in synagogã, ut ritũ legis Mosaicę cumulo gratiæ cœlestis adimpleret. Indiciũ quidẽ humilimæ dispensationis est, qua Deus inter homines ministrare,

strare, non ministrari uenerat, quòd etiam lectoris suscipere non dedignatur officium. Libro 2 in Lucam, cap. 4. Item: Dominus in carne apparens, omnia quæ uerbis docuit, exemplis firmauit. Libro 5 in Lucam, cap. 18.

¶ De tentationibus Christi Beda sic scribit: Non est ergo indignum Redemptori nostro, quòd tentari uoluit, qui uenerat occidi. Iustum quippe erat, ut sic tētationes nostras suis tentationibus uinceret, sicut mortē nostram uenerat sua morte superare. Libro 1. in Lucam, cap. 4.

¶ De passione Christi inquit Beda: Christus quando uoluit, & qua uoluit morte, discessit à mundo. Tempus quoq; resurrectionis & ascensionis suæ in potestate habuit, & cætera huiusmodi: in quibus tā procul à nobis, quàm cœlum distat à terra. Lib. 3 in Prouerb. Salomonis, cap. 31. Et postquam mediator Dei & hominum homo CHRISTVS IESVS uenit in mundum, tentatusq; uicit hostem ipsum, cuius tentatione quondā uictus est protoplastus, pertransiuit etiam benefaciendo & curando omnes oppressos à diabolo, atq; ad ultimum moriendo destruxit eum qui habebat mortis imperium: omnemq; secum iustorum præcedentium multitudinem ab inferis educēs, ad illius regni, quod protoplastus amiserat, gaudia perduxit, ac suæ uictoriæ signum fidelium frontib. imposuit. Lib. 6 in Cant. canticorum, cap. 8. Item: Christi sanguis effusus est in remissionem omnium peccatorum, de manu persecutoris. In 4. cap. Geneseos. Et: passo in carne Christo, diuinitas impassibilis mansit. Homilia in cathedra S. Petri. Item: Ad salutem omniū, me uerbum suum humiliari per incarnationem & passionē uoluit Deus. In 9 Psal. Et: Resurgens Christus nos conresurgere fecit. Ascendens quoq; & sedens ad dextram patris, nos ascendere & consedere fecit: nunc interim spe, quandoq; consessuros in re. Spe enim salui facti sumus. In 23 Psal. Item: Natiuitas Christi, & passio eius, & mors, sunt accessus & initiū ad fidem nostram. Nisi enim Christus natus esset, mortalis non esset: si mortalis non esset, non moreretur: si non moreretur, non resurgeret: si nō resurgeret, non ascenderet. In 33 Psalm. Et: Morte sua temporali mortem nostram æternam destruxit Christus, & sic mors in uictoria sua absorpta est. In 24 Psal. Item: Resurrexit, ut nobis spem resurgendi daret. In 56 Psalmum. Et: Cum potens essem ego Christus, miser factus, ut remedium conferrem miserijs aliorum. In 56 Psalmum. Et: Christi mors nostra uita est, eius damnatio nostra iustificatio. In 87 Psalmum. Item: Surrexit manè prima sabbati, quæ nunc dies Dominica uocatur: manifestè docens, se nos à morte animæ resuscitaturum, & in lucem perpetuæ felicitatis esse perducturum. Homilia in uigilia Paschæ. Et: Dominus ac redemptor noster cum suum pro nobis corpus et sanguinē hostiam patri obtulisset, subuertit potentiā diaboli: & satellitum eius, spirituum uidelicet immundorū audaciam comminuit. Disiecit claustra inferni, electos qui ibidem, quamuis in tranquillitatis sinu tenebantur, eruit: & hac ipsa nocte resurgens à mortuis, ad cœlestis regni gaudia reduxit, impleta prophetia quæ dixit: Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem. nec iustos solùm, quos apud inferos inuenit, abstulit: uerùm etiam eis quos in carne adhuc positos, suos esse cognouit: nec non & nobis, quos in se credituros in fine temporum præuidit, remedium salutis morte sua ac resurrectione procurauit. Nobis etiam, antequam crearemur, spiritualem uitæ alimoniam, qua recrearemur, sacrauit: signum uictoriæ, quo ab hostium insidijs muniremur, parauit: uitæ perennis iter, quod sequamur, aperuit. Ibidem. Item: Caro Domini adeò est spirituali opima uirtute, ut pro totius mundi salute sufficiat in odorem suauitatis, nidorem uidelicet immolationis ad Deum mittere, & pro omnibus exorare. Homilia in sabbato post Reminiscere. Et: Vnde in passione Christus occubuit, inde maiorem suam gloriam resurgendo manifestauit. Lib. 1 in Lucam, cap. 4.

Albinus ait: Nam sola carne mortuus est ad tempus, anima uerò nunquam, qui nunquam peccauit. in quæstionibus in Genesin. Et: Patri dicitur, Tunc acceptabis sacrificium iusticiæ: id est, filij gloriosissimam passionē, qui se sacrificium pro omnibus obtulit, ut salutem quam mundus suis operibus non merebatur, acciperēt. in expositione quarti Psalmi pœnitentialis. Item: In nulla siquidem proprietate operū, quæ naturas distinguunt in Christo, diuinitas deseruit humanitatem, nec etiam in ipsa passione. Quod ut facilius intelligi possit, exemplis fides corroborāda est. Verbi gratia dicamus: Securis ictu arborē cum uerberaueris, & splendorem in ea simul percusseris solis, arbori quidem uulnus infligis: solem uerò, cuius & splendorem simul percutis, & calorem impassibiliter derelinquis. Quòd si arborem ictu securis percussam, sol non deserit: quanto magis sanctum suum Dei filius, quod est uerbum, in passione non deseruit? Lib. 3 de sancta Trinitate, cap. 16. Et: Verbum mori nō potuit, nec anima illa mortua fuit. Caro tantùm mortua est, & resurrexit tertia die. Libro 5 in Ioannem, cap. 10. Item: Ipsum Dominum creatorem omniū huius mundi, creaturas sex diebus perfecisse notissimū est, & sexta die hominē fecisse cōstat: quē serpentina fraude per

ditum,

ditum,ante sex dies paschæ uenit ipse filius Dei,per quem creatus est,Bethaniam ad liberandum:ut qui sexta die creatus est,sexta feria liberaretur. Libro quinto in Ioannem,capite 12. Et: Tota Christi passio, nostra est purgatio: dum formam serui accepit, non quod habebat dimisit, sed quod non habebat assumpsit. Libro sexto in Ioannem, capite 13.

Carolus Magnus inquit: Saluator mundi genus humanum sua morte saluauit,& mūdum spirituali frumento refecit: & in tantū augmentum suæ fidei semen crescere fecit, ut ei totum mundum impleret, & per eandem fidem terrena cœlestibus copularet. Vel etiam hostia pro peccatis effectus,peccata nostra portauit in corpore suo super lignum,ut à malis liberati cum iusticia uiuamus.Lib. 1. de Imaginibus,cap.12.

DE REDEMPTIONE.

Vnde sit,Beda docet: Nemo potuit genus hominum liberare à morte,nisi Christus. Super 2.cap.Geneseos. Item: Deus pater misit filium suum unigenitum,ut genus humanum peccatis languidū uisitaret. In 36 cap. Genes. Et:Ministrabat Christus nostrę infirmitati,humilis in homine, corpus animáq; semper ab omni uitiorū sorde mundissimā gestans.non enim peccauit, nec malum coram Domino fecit. Lib.1.in Samuelē, cap. 5. Item: Sūmus sacerdos noster semel in anno obtulit sanguinem suum pro peccato totius mundi. Lib.3 de Tabernaculo, cap.12. Et: Quæ maior misericordia potest esse, quàm quòd Deus unigenitū suum pro nobis incarnari constituit,non ut nobis uiueret, sed ut pro nobis moreretur.In 30 Psalm. Item:Magna dispensatione pietatis ad redemptionē generis humani Deus pater nō angelum,nō archangelum , sed filium suum unigenitum mittere dignatus est.Quem quia in diuinitatis suæ specie uidere nequimus, magna rursum dilectionis arte prouidit, ut hunc factū ex muliere,hoc est ex maternæ carnis substātia sine uirili admixtione conceptum, ad humanos uerū hominē proferret aspectus: qui in diuina uirtute ac substantia manens, per omnia quod erat, ueram naturæ mortalis infirmitatem,quam non habebat,indueret. Et ut nobis necessariam obediendi uirtutē præcipuo commendaret exemplo,factum sub lege filium suum misit Deus in mundum,non quia legi quicquam debeat, qui unus magister noster, unus legislator & iudex: sed ut eos qui sub lege positi, legis onera portare nequiuerant,sua compassione iuuaret,ac de seruili cōditione, qui sub lege erāt ereptos, in filiorū adoptionem , quæ per gratiam est, sua largitate reduceret. Suscepit igitur circūcisionem in lege decretā, in carne, qui absq; omni ꝓrsus labe pollutionis apparuit in carne:& qui in similitudine carnis peccati,non aūt in carne peccati aduenit, remedium quo caro peccati consueuerat mundari, non respuit:sicut etiā unda baptismatis, qua nouæ gratiæ populos à peccatorū sorde lauari uoluit,ipse non necessitatis,sed exēpli causa subijt.Homilia in circūcisione Domini. Et:Delicta feci mea, quia pœnam eorum in me trāstuli,ut & ipsi iusticiā meam facerēt esse suā. In 21 Psal. Item:Erubescat Manichęus,audiens:Venit uir. Cōticescat Photinus, audiēs: Hic est filius Dei.Audiant mansueti & lætentur, quia uenit uir post Ioannē fortior Ioanne,qui baptizat Spiritu sancto:& qa hic est filius Dei.Quia enim per superbiā recessimus à Deo,filius per misericordiam factus est homo,ut idem ipse & per diuinitatem patri, & per humanitatem congrueret nobis, ac per humanitatem nostræ similem pro nobis cū hoste confligeret:per diuinitatem patri consubstantialem,ad imaginem nos Dei,& similitudinem quam peccando amisimus,posset dignè recuperare: per nostræ mortem fragilitatis destrueret eū qui habebat mortis imperium,& per impassibilem suæ diuinitatis potentiam reconciliaret nos Deo patri.Lib. 1.in Ioannem,cap.1. Item:Possidebat diabolus genus humanum,& reos suppliciorū tenebat chirographo peccatorum,dominabatur in cordib.infideliū: ad creaturā colendā, deserendo creatore, deceptos captiuosq; trahebat. Per Christi autem fidem, quæ morte eius & resurrectione firmata est: per eius sanguinem,qui in remissionem fusus est peccatorum,millia credentium à dominatu diaboli liberantur, Christi corpori copulantur, & sub tāto capite uno eius spiritu fidelia membra uegetantur.In 12 cap.Ioannis. Et:Seipsum medicum dicit, qui miro medicandi genere uulneratus est ꝓpter iniquitates nostras,& liuore eius sanati sumus. Sanos autē & iustos appellat eos, qui ignorantes Dei iusticiam,& suam uolentes constituere,iusticiæ Dei non sunt subiecti:qui ex lege præsumentes,Euangelij gratiam nō quærunt. Porrò malè habētes & peccatores uocat eos,qui suæ fragilitatis cōscientia deuicti,nec per legem se iustificari posse uidentes,Christi gratiæ pœnitendo colla submittunt. Libro 1 in Marcum,cap.2. Et:Christus solus orat pro omnibus, sicut & solus patitur pro uniuersis.Lib. 4 in Marcum, cap.14. Item: Christus aptè etiam, quoniam rex simul & pontifex est, cum eximiam patri suæ carnis hostiam in altari crucis offerret, regis quoque qua præditus erat dignitatē titulo prætendit,ut cunctis legere, hoc est audire & credere uolentibus insinuaret, quòd per crucis patibulum nō perdiderit suum, sed cōfirmarit

potius & corroborarit imperium. Lib. 4. in Marcum, cap. 15. Et: Christi humilitate mũdamur: quia nisi humiliasset semetipsum, factus obediens patri usq; ad mortem crucis, non utiq; sanguis eius in remissionẽ peccatorum, hoc est, in nostri mundationem fuisset effusus. Ibidem. Et cap. 16 eiusdẽ libri: Illa quippe Redemptoris nostri resurrectio & nostra festiuitas fuit, quia nos ad immortalitatem reduxit: & angelorum festiuitas extitit, quia nos reuocando ad cœlestia, eorum numerum impleuit. Item: Sed Christus cum iniquis deputatus est in morte, ut iniquos iustificaret in resurrectione: qui cũ in forma Dei esset, propter homines homo factus est, ut hominibus potestatem daret filios Dei fieri. Lib. 6. in Lucam, cap. 23. Et: Si Christus pati nollet, non pateretur, sanguis ille non funderetur, mundus non redimeretur. In 8 caput Ioannis. Item: Christi sanguis sic in remissionem peccatorum omniũ fusus est, ut ipsum etiam peccatum posset delere quo fusus est. In 15. caput Ioannis. Et: Christi humilitate mundamur, quia nisi humiliasset semetipsum factus obediens usq; ad mortem crucis, non utiq; sanguis eius in peccatorum remissionem, hoc est in nostrã mundationem fuisset effusus. In 19 caput Ioannis.

Aponius ait: Christus eam multitudinem quam diabolus amarus, & propria excidens uoluntas mala mente, ignominioso generat ordine per sanctam apparitionem, licet nescientem de sordibus collectam nutriuit, & preciosis uestibus uel monilibus exornauit, & sibi consortem regni facere est dignatus per sacrosancti baptismatis undam, ubi gloriosa copula Christi filij Dei & Ecclesiæ celebratur. Lib. 1 in Cant. Canticorum. Item: Excelsus de illa altitudine deitatis se humiliauit ad limum profundi, ut humilem deiectamq; carnis materiam ad cœlorum culmẽ leuatam, suę maiestati coniungeret. Ibidem.

Albinus ait: Creator hominis peccatũ per seipsum expiare uoluit, & non per angelum: quia non sufficiebat unius angeli meritum ad redemptionẽ totius generis humani: nec tantum sceleris incurrisset diabolus in nece angeli, quantum incurrit in nece creatoris. In quæstionibus in Genesin. Item: Si quis consideret omnia auxilia, maius est auxiliũ sapientiæ, id est Domini nostri IESV CHRISTI, quàm omnium angelorum: quia nullus ex angelis redimere potuit humanũ genus peccatis obnoxium. Tum Dominus angelorum descendit, & respersos nos sanguine suo, sanauit ab omni infirmitate peccatorum nostrorum. Sicut enim per unum hominem intrauit mors in mundum: ita per unũ IESVM CHRISTVM redemptio uenit in mundum. In 7 caput Ecclesiastæ. Et: In hoc Psalmo corporis sui causam Christus agit, non quòd ipse peccatum haberet: sed quod pro nobis peccatum factus est, ut nos à peccato liberaret: qui aliquando ex persona solius capitis loquitur, quod est ipse saluator natus ex Maria uirgine: aliquando ex persona corporis sui, quod est sancta Ecclesia, diffusa toto orbe terrarũ: idcirco quod corpus loquitur, hoc idem & caput. Erunt igitur duo in carne una, Christus & Ecclesia. In Præfatione tertij Psalmi pœnitentialis. Item: O Domine IESV, quibus misericordiam tuam laudibus efferimus, quas tibi gratiarum actiones dignas exoluere possumus, qui nos de huius chirographi debito in sanguine tuo liberasti, delens in cruce nostras peccatorũ cautiones, quæ contra nos à primis parentibus conscriptæ sunt nostris? In expositione 4. Psalmi pœnitentialis. Et: Sustinuit anima mea uerbum tuum. Quod uerbũ? Quod erat in principio apud Deum. hoc uerbũ expectaui, ut caro fieret, & liberaret animam meam: in quo suscepimus remissionem peccatorum, & promissionem regni cœlorum. In quo uerbo sperauerunt prophetæ, quod uerbum Apostoli tractauerunt & uiderunt. In quo uerbo beati sunt etiam credentes, quamuis ipsum carnaliter non uidissent. In hoc uerbũ omnes animæ sanctorũ sperãt. In 6. Psalmũ pœnitentialem. Item: Salomon interpretatur pacificus. quis iste pacificus, nisi uerus Salomon, Dominus noster IESVS CHRISTVS? qui cœlestia & terrestria pacificauit in sanguine suo, & fecit utraq; unum, duos sibi parietes coniungens in seipso summo angulari lapide. Nam Ecclesiam duobus populis, id est circumcisionis & prępurij, copulauit in unum ouile, ut sit unus pastor & unum ouile. In expositione Cantici graduum. Et: In uerbum quod caro factũ est, sperauit anima mea, per quod uerbum mihi omnia dimisisti peccata. Ibidem. Et: Mitissimus creator nolens facturam imaginis suæ æternaliter perire, misit filium suum unigenitum Deum, per quem creauit hominem, ut per eundem redimeretur, per quem creatus est: qui carnem ex uirgine assumens, ita humanæ naturæ adunatus est, ut idem esset homo qui Deus est, & Deus qui homo: quia talis erat illa susceptio, quæ Deum hominẽ faceret, & hominẽ Deum: nec ulla est in hac duarum coniunctione naturarum, id est, diuinitatis atq; humanitatis personalis separatio. Ergo quia forma Dei accepit formam serui, utrumq; Deus & utrumq; homo, sed utrumq; Deus propter accipientem Deum: utrumq; autem homo propter acceptũ hominem, non tamen illa susceptione alterum eorum in alterum eorum conuersum est at-

que mutatum. Nec diuinitas quippe in creaturam mutata est, ut desisteret esse diuinitas: nec creatura in diuinitatem, ut desisteret esse creatura. Libro secundo de sancta Trinitate, capite decimo. Item: Nullus planè ueram pacem cum Deo habere poterit, nisi per mediatorem Dominum Christum, qui est in duabus naturis uerus Deus, uerusq; homo, unus Christus. Libro 3 de S. Trinitate, capite 12.

Carolus Magnus: Nisi enim redemptor humani generis pro nobis sepultus fuisset, & resurrexisset, nos ei consepeliri & conresurgere minimè poteramus. Libro primo de Imaginibus cap. 1.

¶ De descensu Christi ad infernum inquit Damascenus libro tertio, de Orthodoxa fide, capite 29. Descendit in infernum anima deificata, ut quemadmodum ijs qui in terra, iusticiæ ortus est Sol: sic & eis qui sub terra in tenebris & in umbra mortis sedebant, lux infulgeret.

Beda inquit: Certè in passione Domini hæc quæ dicuntur, luce sunt clariora: qui claustra inferorum aperuit, sanctorum inde animas liberauit, leges tartari exiens ab inferis soluit, sententiam mortis resurgens irritam fecit, principatus & potestates trementes, qui erant ianitores mortis & ostia, traduxit fiducialiter, siue palàm triumphans eos in semetipso. Libro 3 in Iob, cap. 7. Item: Christus expoliatus carne humana, descendit in infernum. Et posteaquàm egreditur de inferno, ab omnibus gentibus fidei commercio comparatur. In 38. caput Geneseos. Et: Nec Ioseph carcer tenuit, nec Dominum IESUM infernus: & cum iam ibi ueluti puniendus descenderat, inde alios liberans abijt. In 39. caput Genes. Item: Exaltas me Christũ de portis mortis, id est tartari quasi materialibus, quibus scilicet clausi tenentur, qui illuc detruduntur. Quòd tũc factum est, quando diuinitas ipsa, quæ in humana anima corpore in sepulchro quiescente descendit ad inferos, mortis portis confractis, & tenebrarum principe catenato, suos inde eruens, in eadem anima non redijt, atq; die tertia carnem propriam iure Dei erexit. In nonũ Psalmum. Et: Est alia regio ubi caro & sanguis & omnis mortalitas uiget, spes fragilis, & omnia caduca & fluxa. Et hęc comparatione illius dicitur inferna regio, uel infernus. Et meritò, quia locus mortuorum plenus. Corpus enim mortuum est propter peccatum, ut Apostolus ait. Huius inferni comparatione infernus inferior potest dici, communiter locus ille, quò post hanc uitam descendunt animæ, siue æternaliter damnandæ, siue temporaliter puniendæ. Ad hunc utrumque infernũ misit Deus pater filium suum, undique nos liberans, ad superiorem quidem nascendo, ad inferiorem moriendo. Sãctissima enim illa anima à diuinitate separata, illuc descendit, ut suos inde deduceret, qui detinebantur in tenebris, & qui ibi non remansit, sed cum triumpho inde redijt, iuxta illud: Quia non derelinques animam meam in inferno. In octogesimũquintum Psalmum. Item: Tunc Christus per mortem deputatus est cum iniustis, cum descendit ad inferos: & quos suos ibi reperit, reuocauit ad superos. Iuxta quod eidem alius propheta decantat dicens: Tu quoq; in sanguine testamenti tui emisisti uinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Libro sexto in Lucam, cap. 22.

Aponius ait: Vnaquæque anima requiem non alibi poterit inuenire, nisi ueram eius passibilem carnem confitendo, ueramq; impassibilem diuinitatem in cruce: aliud in sepulchro mansisse per triduum, & aliud penetrasse inferna ad liberationem iustorum. Libro 5 in Cant. canticorum.

Albinus inquit: In infernum, ut secũdum animam Christus descenderet, naturæ utriusq;, id est diuinæ atq; humanæ unum fuit opus: sed solius animæ naturalis fuit ille descensus. sicut eodem tempore totus in cœlo & in terra, non cessabat Christus operari, sed solius diuinitatis fuit. Lib. 3 de sancta Trinitate, cap. 16.

¶ De resurrectione Christi inquit Beda: Et ipse Christus secundum uerbum se resuscitauit, & pater eum resuscitauit. In centesimũ octauum Psalmum.

Qualis post resurrectionem Christus extiterit, Damascenus de Orthodoxa fide libro quarto, capite primo sic refert: Post resurrectionem à mortuis omnes deposuit passiones, dissolutionem dico, famem, sitim, somnum, laborem, & id genus alia. Nam etsi gustauit cibum post resurrectionem, non tamen naturali lege. non enim esurijt, sed dispensationis modo ueritatis suæ resurrectionis fidem inducens & confirmans, quòd ipsa eadem caro quæ pasta est resurrexit.

De ascensione Domini inquit Beda: Reuersus est Dominus in cœlum corpore, semel ascendendo peracto suæ dispensationis officio: reuertitur quotidie pręsentia diuina, qua semper ubiq; totus pertingit à fine usq; ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. ibi est enim caro, quam pro nobis induit & glorificauit. Lib. primo in Samuelem, capite duodecimo.

Esse in cœlo. Beda: Illuc nõ præcessit Christus, unde ad nos ueniens nõ recessit, & quò nos præcedens non deseruit. Lib. 4 in Marcum, cap. 16.

¶ Mediator Christus. Albinus: Idcirco

autem Mediator, quia idem Deus atq; homo uerus. Libro 1. In Ioannem, cap. 1.

Carolus Magnus inquit: Mediator Dei & hominum, ut totius mundi peccata dilueret, se Deo patri in sacrificium obtulit: & ut hanc perpetim Ecclesia consequi ualeret, spiritus ei ineffabile donum, & sui characteris insuperabile signum, & sacrosancti Baptismatis salutiferum sacramentum concessit. Lib. 3 de Imaginibus, cap. 6. Et: Mediator Dei & hominum, non idcirco de fœmina natus est, ut fœmineum sexum uiris præferret: sed ut utrumq; sexum in culpā lapsum, suæ incarnationis mysterio redimeret. Ibid. capite decimotertio.

¶ Christum inhabitare testatur Albinus: Melius est duos pariter esse, quàm unū. Melius est enim habitantem in se habere Christum, quàm solum patêre insidijs aduersantis. Merces quippe cōtubernij, statim in ipsa societatis utilitate monstratur. Si enim ceciderit unus, Christus eriget participem suum. Væ quippe ei, qui cum corruerit, Christū in se non habet erigentem. In 4 caput Eccles.

Sacerdos. Carolus Magnus inquit: Prophetā magnū habemus IESVM CHRISTVM Dominum nostrum, de quo per Moysen dicitur: Suscitabit Dominus Deus prophetam uobis, ipsum audietis. quem etiam, secundū Apostolum, aduocatum habemus apud patrem: quem quotidie spiritualibus oculis intuemur, & cuius uaticinijs sedulò perdocemur. Lib. 2 de Imaginibus, cap. 2.

Est pax nostra. Aponius: Christus est pax nostra. Lib. 1. in Cant. Canticorum.

¶ De interpellatione Christi Beda inquit: Ipsa præsentia humanitatis Christi assiduè patrem orat pro nobis. In 19 Psal. Item: Solus pontifex Christus introiuit in secretiora tabernaculi, ubi sedens ad dexteram patris, assiduè interpellat pro nobis. In 101. Psal. Et: Iesus pontifex est uerus, qui cōsummatis officij sui diebus, hoc est, impleta dispensatione carnis in sanguine proprio, cœli secreta subijt, ut propitium nobis faceret patrem, & interpellaret pro peccatis eorū, qui adhuc præ foribus orantes expectant & diligunt aduentum eius. Lib. 1. in Lucam, cap. 1.

Christū mittere Spiritum sanctum, docet Beda: Potestatem dandi Spiritum sanctū hominibus, non minus habet ipse quàm pater, ipso attestante qui ait: Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo. &: Si non abiero, paracletus non ueniet. Quia nimirum una est in diuinitate substantia, inseparabilis operatio patris & filij, & eiusdem spiritus sancti. Homilia in Epiphania.

¶ Aliquot hæreses contra Christū, strictim refutat Beda: Idem ergo filius altissimi, qui in utero uirginali conceptus & natus est. Idē homo in tēpore, creatus ex matre, qui Deus est, ante tempora natus ex patre. Si aūt idem homo qui Deus est, omittat Nestorius hominem tantum dicere ex uirgine natum, & hūc à uerbo Dei non in unitatem personæ, sed in societatem inseparabilem esse receptum. Alioquin non unum Christum uerum Deum & hominem, sed duos (quod dici nefas est) asserere, ac per hoc non trinitatem, sed quaternitatem prædicare conuincitur. Catholica autem fides sicut unumquemlibet hominem carnem & animam, ita hominem & uerbum unum Christum rectissimè confitetur: iuxta quod & Angeli uerba significant, quæ dandam illi sedem Dauid patris eius asseuerant. Qui enim eundem ipsum patrem habere Dauid, quem filium altissimi uocari pronunciat, in duabus utiq; naturis unam Christi personam demonstrat. Lib. 1. in Luc. cap. 1.

De locutione, Transfer calicem, sic scribit Beda: Non credendum quòd Christus pro se dixerit, pater trāsfer calicem: sed & nostra infirmitate hoc dixit, ut nos licet timidos, ad passionē suam imitandam confortaret. Non timuit enim mortē Paulus, qui dixit, Cupio dissolui: non timuit eam Laurentius, nō Stephanus, nec cæteri tales. Quomodo igitur conuenit, ut quod miles potuit, imperator non posset? Nullo modo utiq;. In uigesimū primum Psalmum.

De locutione, Pater maior me est, inquit Beda: Solent autem dicere Ariani, imperfectum esse filiū, quia dixerit, Pater maior me est. Sed quid mirum, si ex humana susceptione minorem se patre asserit in cœlo, ex qua subditus erat etiam parentibus in terra? Lib. 1. in Lucam cap. 2.

De phrasi, quòd missus sit Christus, scribit Beda: Missus est Christus, idem est ac si dicas, incarnatus est Christus, & à patre missus est, & à patre nunquā recessit: & hic fuit per incarnationem, & hic est modò per diuinitatem. Fides ergo mundet corda nostra, ut intellectus impleat corda nostra: et ut intelligamus, mysterium salutis nostrę altum est, profundum est, secretum est, una est substantia, una diuinitas, una maiestas patris & filij. Pater non passus est, sed solus filius. Ergo intelligamus, missionem filij nominatam incarnationem filij. Patrem autem incarnatū esse non credas. In 8 caput Ioannis.

Cur Christus cum peccatoribus comederit, Beda declarat inquiēs: Ibat Dominus ad conuiuia peccatorum, ut occasionem haberet docendi, & spirituales imitatoribus suis præberet cibos. Lib. 1. in Marcum, cap. 2.

DE SPIRITV SANCTO.

DE appellationibus Spiritus sancti inq̄t Beda: Digitū Dei appellari ipsum spiritum

Spiritũ sanctum, testatur ipse Dominus Lucæ 11. Quo nimirum digito & magi in Ægypto superati sunt à Moyse, dicentes: Digitus Dei est hic. & lex in tabulis scripta est lapideis: quia per donum sancti Spiritus & ab insidijs defendimur hominum siue spirituum malignorum, & in agnitione diuinæ uoluntatis erudimur. Libro 2 in Marcum, capite 7. Et: Digitus Dei uocatur Spiritus sanctus, propter partitionem donorũ quæ in eo dantur unicuiq; propria, siue hominum siue angelorum. Lib. 4 in Lucam, cap. 11.

Potest idem Spiritus sanctus etiam nomine Ignis significatus intelligi, quia & incendit per amorem: & per sapientiã corda, quæ replet, illuminat. Beda Lib. 1. in Lucam, cap. 3. Et: Ignem dicit spiritus sancti feruorem, qui secreta cordis illuminans, continuis motibus ad superna prouocat: uitia cõcupiscentiæ carnalis quasi spinas tribulosq; comburit, aurea Dominicæ domus uasa probando meliorat: & lignum, fœnum, stipulamq; consumit: qui mox in terram missus, illas centũ & uiginti, quas in arce Sion reperit lucernas, intima sui luminis aspersione fœdauit. Lib. 4 in Lucam, cap. 12.

Promissum patris Spiritus sancti dici gratiam, eundem etiam uirtutem dici, Beda indicat lib. 6 in Lucam, cap. 24.

Albinus: Dicitur & idem Spiritus donum Dei, quia Deus donator doni sui est. Lib. 1 de sancta Trinitate, cap. 5. Et: Paracletus cõsolator interpretatur, & Spiritus sanctus rectè paracletus uocatur: quia corda fidelium, ne inter huius seculi aduersa deficiant, cœlestis uitæ desiderijs subleuat ac reficit. Lib. 6 in Ioannem, cap. 14. Et: Cur Christus spiritũ sanctum paracletum, id est cõsolatorem cognominauerit? Quia nimirum corda discipulorum, quæ recessus ipsius mœsta reddidisset, huius consolaretur & recrearet aduentus: non quòd antea Spiritus sanctus non esset in cordibus discipulorum, uel etiam in antiquorum sanctorum: sed manifesta plenitudine antè sic non fuit datus, quo modo post ascensionem die decima in centũ uiginti nomina transmissus legitur. Ibidem cap. 16.

Damascenus inquit lib. 1 de Orthodoxa fide, cap. 18. Deus Spiritus sanctus medius ingeniti & geniti, & per filiũ patri coniunctus, spiritus Dei dicitur. Et paulò pòst: Deus & Spiritus sanctus est uirtus significatrix, in propria persona subsistens, inseiunctè à patre procedens, & in filio requiescens, consubstantialis patri & filio. Et in carmine de Pentecoste:

Erat procedens ex ingenita luce,
Omnipotenti lucificus incorruptus splendor,
Cuius per filij paternam substantiam
Nunc manifestat cognatam facem
Ignita uox in Sion gentibus.

Item: Est enim Spiritus sanctus imago filij similis, nec ulla re ab eo euariãs: hoc solo differt, quia procedit. Filius enim genitus, non procedẽs est. Filius autem patris est, utriusq; imago naturalis. Lib. 3 Apologetico pro ueneratione sanctarum imaginum.

Beda ait: Spiritus sanctus cum patre & filio unus Deus. In 66 Psalm.

Albinus ait: Spiritum sanctum relatiuè dici ad patrem & filium: sed nõ eo modo, quo inter se pater & filius. Lib. 1. de Trinitate, cap. 5. Et: Spiritus itaq; sanctus, sicut pater & filius, plenus est Deus & perfectus, imò unus Deus cum patre & filio, atq; una substantia: quoniã ipse est Spiritus sanctus, qui in Scripturis dicitur Spiritus Dei, uel Spiritus Christi, siue Spiritus patris, siue spiritus paracletus etiam, & spiritus ueritatis, nec non spiritus uitæ, qui à patre & filio æqualiter procedit, & cũ patre & filio æqualiter adoratur, qa ęqualiter est Deus. Totus patris et totus filij spiritus, quia unus naturaliter spiritus est & patris & filij. Proinde totus de patre ꝑcedit, & totus de filio: totus in patre manet, & totus in filio: quia sic manet ut procedat, sic ꝑcedit ut maneat. Vnde naturaliter hãc habet cũ patre & filio unitatis plenitudinẽ, et plenitudinis unitatẽ, ut totum patrem habeat, totumq; filium: ipse quoq; totus habeatur à patre, totus habeatur à filio. Qui etiam à patre & filio ęqualiter datur, imò & à seipso datur, sicut filius de eo dicit: Spiritus ubi uult spirat. Lib. 2 de Sancta Trinitate, cap. 19. Item: Hoc uerò donum Dei quod est spiritus sanctus, coęternum est & consubstantiale donatori. Et paulo pòst: Hoc donum, id est Spiritus sanctus in eadem unitate substantiæ, & æqualitate cum patre & filio consistit. Ibidẽ cap. 20. Item: Non diuisus est Spiritus sanctus à patre & filio, sed unum opus est patris & filij et spiritus sancti. Libro 6 in Ioannem, capite 16.

Carolus Magnus inquit: Spiritus gratiæ à patre filioq; procedit. Lib. 1 de Imaginibus, cap. 10. Et: Spiritus sapientię, scientiæ & intelligentiæ, unius cum patre & filio substantiæ est, & à patre filioq; procedit. Ibidem capite 16. Item: Spiritus namq; sanctus non creatura, sed creator esse his testimonijs approbatur. ait enim Dauid: Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum. & Salomon dicit: Ipse creauit ea per spiritum sanctum, &c. Tantæ enim potestatis siue uirtutis spiritus sanctus ostẽditur, ut ipso cooperante corpus Domini nostri IESV CHRISTI, quod est nostra redemptio, in utero uirginis formaretur, Euãgelista dicente: Ne timeas Ioseph accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natũ est, de spiritu

ritu sancto est. Lib.3 de Imaginibus, capite 3. Item: Per filium super Apostolos in igne apparuit, per filium hominibus datus est, quoniam ab omnib. Spiritus sanctus accipi non nisi per filium poterat. Per filium uerò eum à patre procedere profiteri, Synodicæ confessioni inusitatum est: quoniã Spiritus sanctus ut à patre procedat, non eget alterius adiutorio, ut per aliquẽ procedat, cum utiq; sit tertia in eadem S. Trinitate persona, et unius cũ patre & filio sit potestatis atq; essentiæ. Qui cum à se Deus sit, ad nos autem relatiuè donum est, distribuens singulis prout uult gratiarum dona. Nam & prophetias quib. uult impertit, et peccata quib. uult dimittit, quæ sine illo nõ donantur. Qui inde propriè charitas nuncupatur, uel quia naturaliter eos à quibus procedit coniungit, & se unum cum eis esse ostendit: uel quia in nobis id agit, ut in Deo maneamus, & ipse in nobis. Ibidem. Et: Spiritus sanctus non patri & filio contribulis & consubstantialis est, coessentialis, coæqualis, coæternus, unius potestatis & gloriæ. Libro 3 de Imaginibus cap.5.

¶ Esse distinctam personam, Carolus Magnus: Inuenta est in utero habens de Spiritu sancto, non quòd Saluatoris nostri spiritus sanctus pater dicendus est, ut duo patres credantur: sed quòd patris & filij idem Spiritus cooperator, & unius potestatis cum eisdem esse credatur. Lib.3 de Imaginibus, cap.3.

Vnde mittatur, Albinus: Spiritus sanctus à patre & filio æqualiter datur, imò & à seipso datur, sicut filius dicit: Spiritus ubi uult spirat. Lib.2 de S. Trinitate, cap.19.

De processione Spiritus sancti Aponius inquit: Spiritus sanctus uera ratione de uoce & uerbo, de patre & filio procedere comprobatur.

Albinus ait: Ergo hoc donũ Dei, id est Spiritus sanctus, qui de patre & filio æqualiter procedit, ineffabilis quædã patris filijq; communio est. Et ideo fortasse sic appellatur, quia patri & filio potest eadem appellatio cõuenire. Nam hoc ipse propriè dicitur, quod illi cõmuniter dicuntur, quia & pater spiritus & filius spiritus, & pater sanctus & filius sanctus rectè dicitur. Ergo ut nominib. iunctis, quæ separatim utriq; personæ conueniunt, utriusq; cõmunio propriè significetur, uocatur Spiritus sanctus qui est tertia in S. Trinitate persona, patri & filio per omnia coæqualis, coæternus & consubstantialis. Et hæc Trinitas unus est Deus, solus, bonus, magnus, æternus, omnipotens. Lib.1 de Trinitate, ca.6.

De generatione & processione, Carolus Magnus lib.3. cap.3 inquit: Quis enim ista cõsideret? quis ista cõprehendat? Si enim humanæ natiuitatis Christi secreta nõ capimus, diuinæ naturæ mysteria quomodo capiemus? Verùm quia in illa coæterna & æquali, & incorporali, & ineffabiliter immutabili atq; inseparabili Trinitate difficilimũ est generationem à processione distinguere: sufficiat hoc credere, hoc firmiter tenere, hoc toto corde fateri, patrem ingenitũ, filium genitũ, spiritũ uerè sanctum nec creatum nec genitũ, sed ex patre & filio procedentem: ita dũtaxat ut in cõfessione fidei omnes opiniones, omnes uerborum nouitates caueãtur, & his uerbis hisq; sententijs fideliũ confessio roboretur, quę sanctę & uniuersales synodi in symbolo taxauerunt. Et: Spiritus S. solus de patre filioq; ꝓcedit, ideo solus amborũ nuncupatur Spiritus. ꝓcedit enim ex utroq; nõ nascẽdo, ut alicuius filius dici possit. Diceretur autem filius patris & filij, si eum ambo genuissent: non enim ab utroq; est genitus, sed processit. Ibidem.

¶ In quibus sit Spiritus sanctus, Aponius docet: Credentes, qui per doctrinam ipsius liberati sunt à malo sessore, portant Spiritum sanctum. Lib.2 in Cant. canticorum.

Carolus Magnus inquit: Spiritus qui à patre filioq; procedit, quia semper in eis noscitur radiare, qui suam innocentiam uel sanctitatem prauis operibus non patiuntur uiolare. Lib.1 cap.23. Et: Omnes fideles, qui ueraciter Christiani sunt, sanctum habent spiritum. Lib.4 cap.20.

Albinus: Sed ista charitas (Spiritus S.) nõ tenetur nisi in unitate Ecclesiæ Christi: nec illã habent, qui se diuidũt ab unitate catholicæ pacis. lib.2 de S. Trinitate, cap.21.

¶ Quomodo Spiritus sanctus sit in Christo, ostendit Beda: Verùm specialiter in Domino manet spiritus semper, non quomodo in electis eius iuxta mensuram fidei, sed sicut Ioannes ait: Vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à patre, plenum & gratiæ & ueritatis. Manet autem in illo Spiritus, nõ ex eo tantum tempore quo baptizatus est in Iordane, sed ex illo potius quo in utero cõceptus est uirginali. Nam quod in baptizatum descendere uisus est spiritus, signum erat conferendæ nobis in baptismo gratię spiritualis, quibus in remissionem peccatorum ex aqua & spiritu regeneratis amplior eiusdem spiritus gratia per impositionem manus episcopi solet cœlitùs dari. Bene autem in specie columbæ descendit Spiritus sanctus, quòd multum simplex est animal, atq; à malitia fellis alienum: ut figuratè nobis insinuaret, quòd simplicia corda quærit, nec habitare dignatur in mentibus impuris, qualis fuit Simon, Act.8. Lib.1. in Marcum, cap.1.

Albinus inquit: In solo mediatore Dei & hominum, homine IESV CHRISTO, spiritus ꝑpetuò ueraciter manet: in quo nec sordidæ cogitationis maculã, quã refugerit, ullam inuenit.

uenit. Mansit autem totus in illo, non ex eo solum tempore quo hûc Ioannes super eum uidit descendentem: sed ex quo homo incipiens, eius ministerio & opere cõceptus est. Libro 1. in Ioannem, cap. 1. Et: Notandum quoq;, quòd semper in Domino mãserit Spiritus sanctus: in sanctis autem hominibus, quamdiu mortale corpus gestauerint, partim maneat in æternũ, partim rediturus secedat. Ibidem.

¶ De officio, operibus atq; effectib. Spiritus sancti, inquit Beda: Spiritũ sanctũ depositum bonum accepimus, qui quamdiu in nobis sit, non peccamus. In sextũ caput Leuitici. Item: Donum spiritus sancti per olei imaginem designatur, ut nõ solum remissionem omnium peccatorũ consequi possit is qui purgatur, sed spiritu sancto impleri mereatur. In 14 caput Leuitici. Et: Quæ Domino inspirante sancti eius faciũt, more Scripturarum ipse facere dicitur, qui iuuat ut faciant. Sicut etiã de Spiritu sancto, cui est unà cum patre & filio uirtus atq; operatio, dictũ est: Ipse postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Libro 4 in Samuelem, capite 9. Item: Quinquagésima die Dominicæ resurrectionis uenit in Ecclesiam primitiuam Spiritus sanctus, per quem nobis & deuotio pœnitendi infunditur, & pœnitentibus donũ ueniæ confertur. Libro 3 in Ezram, capite 23. Et: Spiritus sancti gratia geritur, ut id quod bonum est, nobis etiam bonum uideatur. In procemio in Lucam. Item: Spiritus sanctus plenitudo est bonorum Dei: & ea quæ diuinitùs administrantur, non alia atq; ea subsistunt. Quia omnes utilitates quæ ex donorum Dei gratia suscipiuntur, ex isto fonte emanant. Libro 3 in Lucam, cap. 11. Et: In sancto spiritu sanitas hominibus credentibus cõstat: quia in sancto Spiritu, qui est donum Dei, remissio est omnium peccatorum credentibus. Libro primo in Ioannem, capite quinto.

Aponius ait: Spiritus sanctus omnia scrutatur. Libro 2 in Cant. canticorum. Item: Spiritus sanctus in terra recta, id est uiuentium, doctor esse probatur. Libro 3 in Cant. Et: Anima sine adiutorio Spiritus sancti, nuda quodammodo & inermis, insidijs dæmonum deterretur. Lib. 5 in Cant.

Albinus inquit: De quo spiritu dixit, Adduxit Deus spiritum, & imminutæ sunt aquæ? Bene de illo spiritu intelligi potest, de quo dictum est: Spiritus Domini ferebatur super aquas. Tunc enim ferebatur, ut congregatis aquis in suum locum terra appareret. nũc autem adductus dicitur, ut ablatis è medio aquis diluuij, faciem terræ reuelaret. In quæstionibus in Genesim. Et: Ipse paraclet us, id est cõsolator dicitur, quia reuera dum dona Sacramentorum distribuit, consolationem animæ prębet, per quem diffunditur in cordibus nostris Dei charitas, per quam nos tota inhabitat trinitas. Lib. 2 de sancta Trinitate, cap. 19. Item: Sicut bonas cogitationes benignus spiritus immittit, sic etiam malas cogitationes malignus spiritus suggerit. Libro 6. in Ioannem, cap. 13.

¶ Quomodo Spiritus sanctus in Deo & alijs sit, docet Beda: Notandum est, quòd semper in Domino manserit Spiritus sanctus: in sanctis autem hominibus, quamdiu mortale corpus gestauerint, partim maneat in ęternum, partim rediturus sęcedat. Manet quippe apud eos ut bonis insistant actibus, uoluntariam paupertatem diligant, mansuetudinem consequantur, pro æterno desiderio lugeant, esuriant & sitiant iusticiam, misericordiam, mundiciam cordis & tranquillitatem pacis amplectantur: sed & pro obseruatione iusticiæ persecutionem pati non uereantur, eleemosynis, orationibus & ieiunijs, cæterisq; spiritus fructib. insistere desiderẽt. Recedit autem ad tempus, ne semper infirmos curandi, mortuos suscitandi, dæmones eijciendi, uel etiam prophetandi habeant facultatem. Manet semper, ut possint habere uirtutem, qua mirabiliter ipsi uiuant: uenit ad tempus, ut etiam alijs per miraculorum signa, quales sint intus, effulgeant. Homilia in epiphania Domini.

¶ Quare in columba apparuerit, Beda indicat: Bene Spiritus sanctus corporali specie apparuit, quia in natura diuinitatis à mortalibus uideri nõ potuit. Bene sicut columba, quia spiritus disciplinæ effugiet fictum, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Lib. 1. in Lucam, cap. 3.

Albinus ait: Ideo autem nusquam scriptũ est, quòd Deus pater maior sit Spiritu sancto, uel Spiritus sanctus minor Deo patre: quia non est ita à spiritu sancto columba, in qua apparuit, assumpta, ut ille ignis in quo descendit super Apostolos, in unam diuinitatis suæ personam, sicut assumpta est à filio ex Maria uirgine humanitas in unam deitatis personam. Lib. 3 de S. Trinitate, cap. 8.

¶ De actionibus Dei inquit Beda: Quòd quædam latenter, quædam uerò per uisibilẽ creaturã uisibiliter operatur Deus, pertinet ad gubernationem prudentiæ, qua omnes diuinæ actiones locorum temporumq; ordinis distinctione pulcherrima aguntur. Lib. 1 in Ioannem, cap. 4.

¶ Deus gubernat omnia. Aponius: Qui perficit gressus ad currendũ, qui illuminat oculos ad uidendum, qui aperit labia ad loquendum, qui uisitatione sua pręsentis mortis timorem, perfecta charitate intromissa cordi nostro, foras expellit. Lib. 1. in Cant.

Albinus ait: Nec aliud est Deo operari, aliud uelle, sed idẽ est illi uelle & operari: quia uoluntas Dei effectiua est potentia. nec Deo aliud esse, aliud uelle, sed unum atq; idem: & hoc totum simplex, totum unitas, totum trinitas, homousion: quia esse quod substantiale est, unum est in patre & filio & spiritu sancto: & horum una actio est, sicut una uoluntas. Fuerunt enim omnia ab æterno in Deo. Lib. 2 de Trinitate, cap. 13.

¶ Deus nos nutrit. Beda: Multo amplius nobis Deus dedit, quòd nos fecit & composuit ex anima & corpore, quàm est alimentũ atq; tegumentum: ut intelligas, eum qui dedit animam, multo facilius escam esse daturum. Lib. 4 in Lucam, cap. 12.

PHRASES DE DEO.

Damascenus lib. 2 de Orthodoxa fide, cap. 1. Vnum etiam seculum est, secundum id quod dicitur Deus æternus, quinimò & præternus: ipse enim & seculũ fecit. Nã solus sine principio Deus existens, omnium ipse est factor seculorum, & omniũ quæ sunt. Ac cum Deum dico: manifestum est quoniam patrem, & unigenitum filium eius Dominum nostrũ IESVM CHRISTVM, & spiritum eius omnisanctum, unũ Deum nostrum dico.

EX BEDA.

Dominus autem hic pœnitere dicitur, sed more hominũ: & hæc prima pœnitentia Domini in Scripturis inuenitur de creatione hominis, quòd hominẽ fecisset in terra. & hoc historialiter: uel quòd illum fecisset in arbitrium, dum nihil proficiebat, sed peius ac peius peccauit. In 5 cap. Genes.

Pœnitentia Dei non perturbatio sensus, quæ in homines cadere solet, retractantes quid improuidè mali commiserint: sed mutatio dicitur rerum transeuntium, immutabili præscientia manente diuina. Lib. 2 in Samuelem, cap. 11.

Deus qui in sua natura impassibilis semper est, & placidus, dolere tamen nostro more dicitur, cum homines quos ad se credendum laudandumq; creauit, hosti potius maligno quàm sibi seruire considerat. Lib. 2 in Prouerb. Salom. cap. 19.

Est mos diuinę Scripturæ, Deo quæ in nobis facit attribuere. Vnde dicit Apostolus: An uultis experimentum eius qui in me loquitur Christus? Loquitur ponit, pro loqui facit. & alibi dicitur, Spiritus postulat pro nobis: id est, postulare nos facit. In 3 Psalm.

Benedictio Dei accipitur propriè pro augmento uirtutũ. iuxta illud: Benedicat nos Dominus Deus noster. Sicut econtrà maledictio eius, accipitur pro diminutione uirtutum. In 3 Psalm.

Scire Dei, pertinet ad esse, & ad saluationem: Nescire, ad non esse, & ad perditionem. Nescire Domini, ponitur pro reprobare, iuxta illud: Amen dico uobis, nescio uos. Non enim potest dici Deus, qui omnia scit, aliquid nescire, quasi ignorans: sed nescire eius est reprobare, id est nõ defendere, quicquid dignum est perire. In 1 Psal.

Dicitur ira in Deo, uis illa, qua iustissimè uindicat subiectam creaturam, non cum motu, sed cum tranquillitate. Dicitur tamen hęc uis cum tranquillitate ira in Deo, quantum ad illos qui patiuntur, quia ipsis Deus motus esse uidetur. Est autem ira Dei duplex: una præsens & occulta, altera manifesta & futura. Occulta & pręsens est, quando praua mens hominis in hac uita deprimitur cæcitate. Manifesta autem in futuro erit, quando mali in gehennam ignis manifestè & irrecuperabiliter dabuntur. In 2 Psalm.

Percipe auribus uerba mea. id est, Talem effectum erga me expectantem exhibeas, ut uidearis auribus percepisse uerba mea. Ad hanc enim similitudinem hoc dictũ est: quia quando aliquis agit quod rogatur, uidetur percepisse uerba rogantis auribus. Non uerò quòd Deus pater, qui totus oculus, totus auris est, aliquas aures ut creatura habeat: & quia impropriè hoc dixerat, quomodo rectè intelligendum sit determinat. Subdit quantum ad uerba, Clamorem: qui pertinet ad animi uiuidam intentionem, in qua se intendat, sicut corpus in exteriori clamore: ut per hoc innuat, se superius accepisse Verba, non quæ fiunt uerberati aeris strepitu, sed quæ fiunt uoce cordis. Quantum uerò ad Percipe, ponit intellige: quoniam intellectus propriè ad clamorem animi pertinet, sicut aures ad uerba corporis. In quintum Psalmum.

Non tribuitur ascendere Deo, secundum localem motionem, quia omnia complet: Sed descendere Dei est hoc, quod summa diuinitatis maiestas per humilitatem humanę naturæ uerbo unitæ nobis innotuit. Ascendere uerò est, quod per eandem humanitatẽ post mortem clarificatã resurrectione, ascensione, confessione magna Dei potestas declarata est. In 7. Psal.

Deus, qui omnia, antequam fiant, nouit, non ideo nos inspicere dicitur, ut ex habitu uel motu nostro, quid in nobis sit, quasi nescius discat: sed ut nos discamus & admoneamur attendere, quàm clementer atq; subtiliter hoc Deus iugiter in nobis exploret, quid circa salutem nostram nos tractemus: quantamq; solicitudinem non solùm pro præsentis uitæ subsidijs impetrandis, sed etiam pro æterna uita obtinenda habeamus. In 52. Psalmum.

Scire Dei, aliquando cognoscere dicitur, aliquando

aliquando approbare. Libro quarto in Lucam, cap. 13.

Impios & superbos non uidere Deus dicitur, tanquam ante oculos non habere. Ibidem, cap. 15.

Verbo dubitationis increpatur infidelitas, non opinatur diuinitas. Dominus scit quidé omnia, per quem facta sunt omnia: & tamen dubitando increpat infidelium corda. Lib. 5 in Lucam, cap. 18.

Respicere Domini, misereri est. Lib. 6 in Lucam, cap. 22.

Omnes tales motus cum de Deo dicũtur, non perturbati animi signa sunt, sed docentis magistri. Libro secundo in Lucam, capite septimo.

Deus summè bonus, autor mali nobis esse non potest: sed eius non saluare, Scripturę consuetudine perdere dicitur. Sicut dicitur indurasse cor Pharaonis, nõ quòd molle obdurauerit: sed quòd meritis præcedentibus obduratum, misericorditer emollire noluerit. Et quòd nos eum rogamus, ne nos inducat in tentationem: non est aliud, quàm libera à malo. Eius perdere animam, est à perditione saluam non facere. Lib. 2 in Lucam, capite 6.

Videre Dei, eligere uel amare est. Vnde est illud: Oculi Domini super iustos. Nã & nos quæ amamus, uidere: & ab his quæ execramur, intuitũ festinamus auertere. Vidit ergo Iesus uidenté se, quia elegit eligentem se, & amantem amauit. Libro quinto in Lucam, capite 19.

EX ALBINO.

Pater qui me misit, maior me est.) Ostẽdit, quòd Christus homo non possit se conferre cum patre. In 6 cap Ecclesi.

Ego & pater unum sumus.) Vnum sumus, ait: id est, Quod ille, hoc ego, secundum essentiam, non secundum relatiuum. Lib. 1 de Trinitate, cap. 7. Item: Ego & pater unum sumus. Vnum, propter substantiæ unitatem sumus: duo, propter personarum proprietaté. Lib. 3. de Trinitate, cap. 7.

Quòd Apostolus ait, Christum Dei uirtutem, & Dei sapientiam, non ita intelligendum est, quòd pater dici non possit uirtus uel sapientia: sicut dici non potest pater filius uel uerbum, quia hæc relatiua sunt nomina, sicut superius dictum. Illa uerò, id est uirtus & sapientia, substantialia sunt. Lib. 2 de Trinitate, cap. 14.

Descendamus, & confundamus linguas eorum.) Descendere Dei est, humanos actus inspicere, uel eorum sensibus propinquare. Quòd uerò plurali numero dixit Descendamus, & iterum, Confudit Deus labium uniuersæ terræ: distinctione personarum sanctam Trinitatem, & operationis unitatem in maiestate diuina uoluit ostendere. In quęstionibus in Genesin.

Quædam de Deo substantialiter, quędam uerò relatiuè dicuntur. Libro 1 de Trinitate, capite 4.

In Deo nihil quidem secundum accidens dicitur, quia nihil in Deo mutabile est: nec tamẽ omne quod de Deo dicitur, secundum substantiam dicitur. Libro 1 de S. Trinitate, capite 10.

Æternitas & incommutabilitas, negat accidentis alicuius in Deo instabilitatem: quia omne accidens secundum tempus uel esse, uel non esse potest, uel potuit, uel etiam poterit. Ibidem.

Sancta Scriptura solet decem modis, iuxta decem prædicamenta, de Deo loqui: sed aliter propriè, aliter translatiuè, aliter relatiuè. Ibidem cap. 15.

Vbicunq; in Scriptura sancta legitur Solus Deus, nõ de unaqualibet persona in sancta Trinitate intelligendum est: sed de tota sancta Trinitate, quę ęqualiter operatur omnia quæcunq; operanda esse iudicat. Libro 2 de sancta Trinitate, cap. 18.

Iuxta hoc quod homo est, non potest se conferre cum patre, ut in Euangelio ipse ait: Pater qui me misit, maior me est. In 6 caput Ecclesiastæ.

EX CAROLO MAGNO.

Animaduertendum est, quòd inseparabilia sint opera Trinitatis: & quod facit pater, facit filius, facit & spiritus sanctus. & sicut sunt unius maiestatis, unius substantiæ, unius uoluntatis: ita etiam sunt unius operationis. Libro quarto de Imaginibus, capite uigesimoquarto.

Viuere eius, nec initium, nec finem, nec mutabilitaté ullo modo sentit. Lib. 1 de Imaginibus, cap. 1.

Eius regnare à nostro regnare, nõ minus quàm eius esse à nostro esse, & eius uiuere à nostro uiuere distat. Quippe cuius essentia sicut semper habuit esse & uiuere, ita etiam & regnare. Ibidem.

Regnare, immortalem esse, & ueracem, illi est naturale. Cæteris uerò qui hæc consequũtur, illius largitione est attributum, qui uerè regnat, solus immortalis & uerax est, doctore gentium prædicante qui ait: Est enim Deus uerax, omnis autem homo mendax. Et rursus: Qui solus habet immortalitatem, non quòd & angeli & cæteræ rationales creaturæ immortalitatem nõn habeant, & ueritatis sint amatores: sed quòd ille solus naturaliter sit & immortalis & uerax, cæterĩ uerò immortalitatem & ueritatem ex largitione illius consequantur: & aliud sit habere per semet, aliud in potestate donantis esse quod habeas. Lib. 1. cap. 1.

Nam cum essentialiter Deus dicatur creator omniū: est alius modus, quo abusiuè dij & superæ potestates, & homines dij uocantur. Tertio namq; modo, secundū sacrilegā superstitionem aereæ potestates dij nuncupantur. Nam primo modo nullus essentialiter Deus dici potest, nisi ille qui est ineffabilis, incommutabilis, sempiternus, omnipotens, qui est summum bonum, singularis apex, trinus in personis, unus in natura, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Secundo modo, & angeli & homines dici possunt, ad quod dignitatis nomen non nisi Deo obediendo, & humilitatem amplectendo peruenitur. Tertius modus plures habet species. nam & dæmonia dij à gentibus, & sidera dij credebantur. Lib. primo de Imaginibus, cap. 3.

Explicat Albinus illud: Requieuit Deus die septimo, &c. id est, à nouarum creatione naturarum cessauit, non à gubernatione, de qua ipsa ueritas ait: Pater meus usque modò operatur. In primum caput Ecclesiastæ. Et: Quomodo conuenit quod in Genesi legitur: Requieuit Deus die septimo ab omnibus operibus suis? Et in Euangelio: Pater meus usq; modò operatur, & ego operor? Requieuit à nouarum cōditione creaturarum, non à conditarum gubernatione. Et ideo Deus tunc creator in sex dierum creatione putandus est, nunc uerò gubernator in totius mundi naturis. In quæstionibus in Genesin.

Et erant omnia ualde bona, quia à bono condita sunt creatore: sed non sic bona, sicut creator, qui solus est summum & incommutabile bonum. Libro secundo de sancta Trinitate, cap. 11.

DE CREATIONE.

Beda inquit: Creauit, quasi dicat machinauit. Propriè enim creare, absq; materia dicitur: facere aūt, de materia. Cap. 1. in Genesin.

De rerum diuisione Albinus ait: Plurima in eis quę facta sunt, & quod ex tempore cœpit, distantia inuenitur esse. Nam quędam ex eis sunt spiritualia, quædam uerò uisibilia. Quiddam itaq; in eis factum dicitur, & non natum: ut cœlum & terra, & multa in creaturis. Quiddam uerò factum dicitur, & natum, sed insensibiliter: ut arbores & herbæ de terra. Quiddam est factū, natumq; sensibiliter: ut homines & animalia. Lib. 2 de sancta Trinitate, cap. 9.

De architecto rerum omnium, inquit Damascenus libro 2 de Orthodoxa fide, cap. 5. Ipse Deus noster, qui in trinitate & unitate glorificatur, fecit cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt, ex nihilo ad esse deducens.

Beda inquit: Solus Deus esse rectè & propriè dicitur: quoniā ab ipso omnia quę sunt, ipsæ etiā rationales creaturæ, esse cœperunt. Lib. 2 in Iob, cap. 6. Item: Spiritus Dei ferebatur super aquas, cuius flatu omnes uiuificamur, & in quo subsistentes requiescimus. In 1. cap. Geneseos. Et: Quod ergo dictum est, In principio creauit Deus cœlum & terram, materiam totius creaturæ ostendit, rationalis & corporalis, & angelorū & huius mundi. Vtrumq; igitur fecit Deus, materiā & formam: sicut uox & uerbū simul fit, quāuis uox prior sit origine. Denique Scriptura ait, Qui fecisti mundum de materia informi. Sed materia facta est de nihilo, mundi uerò species de informi materia. Proinde duas res ante omnem diem & ante omne tēpus condidit Deus: angelicam uidelicet creaturam, & informem materiam. quamuis enim omnia simul facta sunt, &c. Ibid. Et cap. 2. Fecit Deus omne tempus, simul cum omnibus creaturis temporalibus. Item: Angeli omnino nullam possunt condere uel creare naturam. Solus enim creator est Deus: id est, ipsa Trinitas. Ibidem. Et: Per filium pater omnia condidit & creauit. Lib. 2 in Iob, cap. 9. Item: Trinitas Deus creauit omnia. Lib. 3. in Iob, cap. 14. Et: Iussio Dei non solum ad homines, nec solum ad aues & pecora uenit per angelicum ministerium, sed etiam ad illa quæ in aquis sunt. Si aūt donauit Deus homini, mansueta facere etiam fera animalia: quanto magis angeli hoc possunt, quod dixi? Angeli autem omnino nullam possunt condere uel creare naturam. In 2 caput Geneseos. Item: Nullus habet potestatem emittendi spiritum, nisi qui animarum conditor est. Lib. 4 in Marcum, cap. 15.

Aponius ait: Quicunq; ergo unum Deum omnium factorem in tota uirtute crediderit adorandum, & hunc per uerbum & spiritū sibi coæternum omnia fecisse quæ sunt formata, esse rectus in conspectu Dei probabitur. Lib. 1. in Cant. canticorum.

Albinus: In principio fecit Deus cœlum & terrā: id est, in Christo, qui est filius Dei, qui est uerbū Dei, qui est uirtus & sapientia Dei: sicut in Psalmo dicitur, Omnia in sapientia fecisti. sed ipse idem filius ante omnia semper est, & semper Deus, & semper in Deo. Libro 2 de S. Trinitate, cap. 14. Et: Diuersitates creaturarū & commutabilitates ab uno solo & incōmutabili Deo creatæ sunt. Quia omnia quæ sunt in cœlo & in terra, absq; ulla dubitatione sicut uoluit fecit. Hoc quoq; sciendum, quòd omnis substantia quę Deus non est, creatura est: & quæ creatura non est, Deus est. Ibidem cap. 9. Item: Eorum quæ sunt, uel fuerunt, uel futura sunt, causa est Deus, & horum dator & creator. Et non est dicere, hoc esse ipsum Deum, quæ sunt illa,

quibus

quibus ut essent dedit: nec alicui creaturæ partem suæ substantiæ dedit. Et cum ipse sit immutabilis, mutabilia sine sua mutabilitate creauit. Libro secundo de sancta Trinitate, capite primo. Et: Quicquid in natura creaturarum est, creatura est Dei, cuius omnipotentia ea gubernat, regit & implet quæ creauit. Ibidem cap. 4. Item: Operatione, id est uirtute Dei, quæ est filius, apparuerũt omnia, & facta sunt sicut uoluit, & quando uoluit, & quomodo uoluit, qui fecit omnia: sed non ille factus, per quem facta sunt omnia. Ibidem cap. 13. Item: Creaturas ergo fecit Deus per filium. Ibidem capite decimoquarto.

Item: Vnus est Dominus hominum, uolucrum, quadrupedum & piscium. Gregorius papa in epistola ad Saxones. Et: Deitas omnium causa, & perfectè cuncta conficiens, omnia sua bonitate ab ijs quæ non erant ad esse produxit. Nicenum Concilium septimum falsò sic dictum. Item: Omnis creatura à Deo condita, & quę ab eo quod non est, id quod iam est, substantialem facultatem sumpsit: nunc ipsius mandato mota et gubernata, nouit creatoris præceptum seruare, ueluti ab ipso sic prædisposita, siue inanimata sit, siue animata. Concilium Nicenum secundum, actione sexta, tomo secundo Conciliorum.

Carolus Magnus inquit: Deus imperando lucem condidisse legitur, & aquas ab aquis discreuisse, & limitem his, ne denuò confunderentur, firmamentum posuisse, & terram multigenis seminibus fœcundasse, & cœlum splendifluis siderum fulgoribus perornasse, & aquas natatilibus, aera uolatilib. compleuisse, & hominem siue omnium rerum creationem patrasse. Libro primo de Imaginibus, capite quarto. Et: Per ineffabilem potentiam Dei, omnis mundi compago condita esse dinoscitur. Libro quarto, capite secundo.

¶ Ex nihilo omnia facta esse, Damascenus asseuerat libro secundo de Orthodoxa fide, capite quinto. Vniuersa hæc quidẽ, cœlum, terram, aerem, ignem, aquam, non ex subiecta materia: alia autem ex ijs quæ ab ipso facta fuerunt, puta animalia, plantas, semina: Hæc enim ex terra, aqua, aereq; & igni, Conditoris præcepto exorta sunt.

Beda ait: Non omnia ex nihilo fecit Deus: sed quædam ex nihilo, quædã ex aliquo condidit Deus. De nihilo, mundum & angelos & animam: ex aliquo, hominem, & pecora, & cæteras creaturas. In primum caput Geneseos. Item: Duas partes mundi magnas, cœlum & terram, Deus ex nihilo fecit: et de una earum, uelut de materia informi, cæteras creaturas distinctas siue formatas instituit; inter quarum creationem & aquas credimus factas: quarum quidem conditionem in principio Genesis scriptam non legimus, aliarũ uerò penè omnium facturam in libris Dominicis recensemus. In 3 librum Iob, cap. 7.

Albinus inquit: Creaturæ de nihilo factæ sunt, cœlum, terra, angeli, lux, aer, aqua, anima hominis. In Quæstionibus in Genesin.

¶ Quomodo creata sint. Beda: Nihil medium est inter opus Dei atq; præceptũ, quia in præcepto est opus: denique dixit & facta sunt. Vides igitur quòd dubitari non potest, quia uoluntas Dei potestas est. Lib. 2. in Lucam, cap. 5.

Albinus inquit: Deus senario numero mũdi creationẽ perfecit, quia ille numerus perfectus iuxta Arithmeticæ disciplinæ rationem legitur esse: & ut ostenderet Deus, omnia perfecta & ualde bona se condidisse. In Quæstionibus in Genesin. Item: Quicquid à Deo creatum est, bonum est: & omnis homo quantũ creatura Dei est, bonus est: quantum uerò se subijcit per liberum arbitriũ diabolo, à patre diabolo est. Bona est enim hominis natura, sed uitiata erat per malam uoluntatem, & inde à patre erat diabolo. Lib. 4 in Ioannem, cap. 8.

¶ Ordinata esse omnia, Beda docet: Quæcunq; fiunt, quantumcunq; nobis uideãtur inordinata, omnia tamen ordinem sortiuntur à Dei prouidentia. In 44 Psal.

¶ De fine, ait Beda: Vnaquęq; creatura uia Dei est, per quam ad Dei itur cognitionem, dum cõdita ab eo cognoscitur: siue uiæ Dei illæ sunt, quando cuilibet creaturæ rationali Deus quasi ad eandem ueniens innotescit. Lib. 3 in Iob, cap. 8.

Albinus inquit, Terram hominum causa factam esse: In 1. cap. Ecclesiastæ. Et: Quid amplius habere possumus in hoc seculo laborando, quàm ut nos erudiamur ex diuersitate creaturarum, creatoris agnoscere magnitudinem, et omne bonum esse quod Deus fecit: qui dedit mundum hominibus ad inhabitandum, ut fruantur eo, & uarietates intelligant temporũ, nec quęrant quomodo creata sint omnia, quare hoc uel illud ab initio mundi usq; ad consummationem fecerit crescere, manere, mutari. In tertium caput Ecclesiastæ.

¶ Non duraturum esse semper mundum, Albinus testatur: Signanter dixit, Terra in seculum stat: non, in secula seculorum. quia cœlum & terra transibunt, & ecce facta erũt omnia noua. In 1. cap. Eccles.

Damascenus lib. 4 de Orthodoxa fide, capite 21. Vnum est principiũ ab omni malignitate liberum. At si hoc dicunt Manichæi, unde malũ? Impossibile enim, ex bono malum habere ortum. Dicimus, quòd malum nihil aliud

aliud est quàm boni priuatio: & ex eo quod secundum naturam, in id quod præter naturam prolapsio. Nam nihil malum, secundum naturam. Cuncta enim quæcunq; fecit Deus, bona sunt ualde, secundum quod facta sunt. Sic igitur manentia quemadmodum creata sunt, existunt ualde bona. Cum autem uoluntariè discedunt ex eo quod secundum naturam, in id quod præter naturam prolabentia, in malo statuuntur. Secundum naturam igitur, omnia subdita & parentia opifici. At quando aliqua creaturarum uoluntariè rebellauerit, & inobediens facta fuerit ei qui creauit illam, in seipsa parit maliciam. Malicia enim non substantia est, neque substantiæ proprium, sed accidens: id est, ex eo quod secundum naturam, in id quod præter naturam, uoluntaria auersio, quod quidem est peccatum.

In principio, id est in filio, fecit Deus cœlum & terram. Beda in 1. cap. Genes. Item: In principio creauit.) Principiū Christus est, qui in Euāgelio dicit: Ego sum principium. Ibidem. Verùm illa pugnant cum explicatione Iohannis 1.

De arcu, inquit Albinus: Arcus in signum securitatis datur, quia præsciuit Creator formidabiles hominum animos, ne iterum diluuio delerentur, dum sæpius inundationes pluuiarum cernerent. In quæstionibus in Genesin.

DE PROVIDENTIA DEI.

QVid sit prouidentia, docet Damascenus libr. 2 de Orthodoxa fide, cap. 29. Prouidentia est, quæ ex Deo est, in ea quæ sunt, cura. Et rursus: Prouidentia est uoluntas Dei, per quam omnia quæ sunt, conuenientem gubernationem suscipiunt.

Albinus ait: Idcirco Deus certa ratione cūcta moderatus est, & iussit humanis usibus elementa inseruire, ut homines uidentes hæc, intelligant esse prouidentiam Dei, & timeant à facie Dei, dum ex rerum æqualitate, cursu, ordine atq; constantia intelligunt creatorem. Pulchrè autē temperauit dicens, Vt timeant à facie eius: uultus quippe Domini super facientes mala. In tertium caput Ecclesiastæ.

Duplicem esse prouidentiam, testatur Damascenus Libr. 2 de Orthodoxa fide, cap. 29. Prouidentiæ uerò, hæc quidem secundum acceptationem, hæc autem secundum permissionem. Secundū acceptationem sunt, quæcunque sine controuersia bona sunt. Sunt & quædam secundum permissionem. nam sinit frequenter iustum incidere in calamitates, ut uirtutem quæ in illo latebat, alijs apertam manifestamq; faciat: ut in Iob. Aliquando sinit quippiam absurdum fieri, ut per operationem quæ absurda uidetur, magnum aliquid & admirabile dirigat & operetur: ut per crucem, salutem hominum. Et alio etiam modo sinit sanctum malè affici, ut ex recta conscientia nō excidat, aut ex indulta ei uirtute gratiæ in superbiam non extollatur: ut in Paulo. Interdum deseritur quis in malis, ad uitam aliorum in melius commutandam, ut alij uidentes quod apud illum est, emendentur: ut in Lazaro & diuite. Naturaliter enim ipsi uidentes alios patientes, corripimur. Relinquitur & quis ad alterius gloriam, non per proprium aut parētum peccatum: ut cæcus à natiuitate, ad gloriam filij hominis. Rursus finitur quis pati in alterius zelum, ut gloria patientis magnificata, impiger alijs stimulus excitetur spe futuræ gloriæ, & futurorum desiderio bonorum: ut in martyribus. Permittitur & quis quandoque in turpem incidere actionem, ad emendationem deterioris affectus. uerbi causa: Est quis elatus in uirtutibus, & rectè factis suis: hunc sinit Deus in adulterium prolabi, ut per casum in cognitionem propriæ infirmitatis ueniens, humiliatus confiteatur Domino. Item: Sciendum etiam, quòd multi sunt modi prouidentiæ Dei, qui neq; sermone explicari, neque mente comprehendi queunt. Ibidem.

Omnia Deum curare, docet Damascenus libro secundo de Orthodoxa fide, capite 29: Deus (inquiens) est, qui est factor & prouisor.

Beda inquit: Mirè omnipotentem prouidentiam describit superni protectoris, cum dicit animam uiri sancti quasi fasciculo uiuentium apud eum necesse custoditam. Sicut enim facilimum est cuilibet fasciculum herbæ uel fœni sua manu retentum conseruare: ita uirtus Domini & saluatoris nostri, omnes per orbem electos ab initio usque ad finem seculi, ne qui ex eis ulla ratione pereant, sine labore tuetur. Quæstione sexta in libros Regum. Item: Scripturæ sanctæ de Deo secundum hunc modum loquuntur, quòd Deus scilicet rerum omnium conditor, quæ semel creauit indesinenti gubernatione prouidentiæ suæ regens, semper facere dicatur. Libro tertio in Iob, capite sexto. Et prouidentiam suam Deus, qua cuncta dispensat & regit, in his locis multimodo copiosoq; sermone significat. Vnde ait ad Iob: Si potes ubiq; esse, & nosse omnia quæ creata sunt, & si abditos terrarum sinus penetrare potuisti. Libro tertio in Iob, capite septimo. Item: Quod si uolatilia absque cura & ærumnis Dei aluntur prouidentia, quæ hodie sunt, & cras non erunt, quorum anima mortalis est: & cum esse cessauerint, semper non erunt: quanto magis homines, quibus æternitas promittitur, Dei regun-

tur imperio? Libro 4. in Lucam, capite 12.

Albinus ait: Propterea admoneo, ut id omnimodis caueas, ne putes absentem Deum ab operibus tuis, imò & cogitationibus peruersis, sed eum timeas: & scias in cunctis operibus tuis eius prouidentiam esse, teq; libero arbitrio conditũ, non cogi, sed uelle quod facias. In 5 cap. Ecclesiastæ. Item: Quamuis nemo sit conscius futurorum, tamen scire debet omnia à Deo ad utilitatem hominũ fieri, & non absq; eius uoluntate disponi, sine cuius dispositione nec unus passer in laqueum cadit. In 8 cap. Eccles.

DE PRAESCIENTIA DEI.

DAmascenus lib. 2 de Orthodoxa fide, cap. 30 inquit: Operæpreciũ est agnoscere, omnia præscire Deum, non aũt omnia prædiffinire atq; prędestinare. Pręscit enim & ea quæ in nobis, non prædiffinit autem hæc. Nam non uult prauitatem fieri, neq; cogit, neque uim adfert uirtuti: quare præsciæ iussionis diuinæ opus est prædiffinitio. Prædiffinit autem ea quæ nõ in nostra potestate sunt, secundum præscientiam suã. Et paulo pòst: Sciens autem præcognitor Deus, quòd in trãsgressionem laberetur homo, & corruptioni subiaceret, fecit ex eo fœminam, illi secundum ipsum auxiliatricem, per eam propagationem quæ post transgressionem esset generis ex successione conseruatio.

Albinus ait: Nulli dubium est, quòd ortus & interitus hominum Deo notus sit & præfinitus. In 3 cap. Eccles.

DE ANGELIS BONIS.

DE appellationibus ait Beda: Propter annunciationem salutis mirè Deus & angelus dicitur, ut, Angelus loquebatur in rubo ad Moysen, & dicebat ei: Ego sum Deus Abraham, &c. Aliquando in Scripturis & homines nomen angelorum accipiunt: ut Malachiæ 2. Labia sacerdotis custodient sapientiam, & legem ex ore eius requirent, quia angelus Domini Sebaoth est. Lib. 2 in Iob, cap. 3.

Sub nomine Lunę siue stellarum, angelos et supernas potestates intelligere possumus, qui ad comparationem diuinæ reuerentiæ immundi & tenebræ possunt uideri: ex eo utiq;, quoniam natura conditæ creaturæ, licet non peccet, capax tamen delicti est: ut apparuit in angelis eiusdem naturæ peccantibus. Sed post eos nullum angelorum peccasse credendũ est, quia liberum arbitriũ suum in solius Dei charitatem agnita sui conditione uerterunt, immobiles facti sunt, persistentes in ueritate, in qua prędictus angelus cum suis stare noluit. Proinde angelorum uoluntas per amorem Dei facta est inconuertibilis, quæ in Deo una atq; eadem esse creditur per naturam, & ideo ipsi soli incorrupto honore & gloria permanent. Beda lib. 2. in Iob, capite 8.

Angelus uocatur Iohannes, non naturæ societate iuxta hæresin Origenis, sed officij dignitate. Angelus enim Græcè, Latinè nuncius dicitur. Nec mirandum, mysticè angelũ nominari eum, quo inter natos mulierum maior non surrexit: cum constet, omnes qui sacerdotij gradu ritè funguntur, ob euangelizandi officium angelos posse uocari, dicente propheta: Labia sacerdotis custodient sapientiam. Beda cap. 1. in Marcum.

Idcirco angeli priuatis nominibus censentur, ut signetur per uocabula etiam in operatione quid ualeant. Ad Mariam ergo uirginẽ Gabriel mittitur, qui Dei fortitudo nominatur. Illum quippe nunciare ueniebat, qui ad debellandas aereas potestates humilis apparere dignatus est. Per Dei ergo fortitudinem nunciandus erat, qui uirtutum Dominus, & potens in prælio contra potestates aereas ad bella ueniebat. Beda libro primo in Lucam, capite 1.

Damascenus libro 2 de Orthodoxa fide, cap. 3. Angelus est substantia intellectualis, semper mobilis, suæ potestatis, arbitrioq; libera, incorporalis, Dei ministra per gratiam non natura immortalitatem consecuta, cuius substantiæ speciem & terminum solus creator agnouit.

¶ De differentia angelorum inquit Damascenus ibidem: Siue æquales secundum substantiam sint, siue ab inuicem discrimen sortiti, nescimus. Solus autem qui fecit ipsos, Deus scit, qui omnia nouit. Differunt autem ab inuicem illuminatione & statione, siue ad illuminationem situm stationemq; habẽtes: siue ad stationem, illuminationem participantes. Approbat deinde Dionysij distinctionem.

Item: Ipsorum sanctorum angelorum præstantes ordines, neq; intelligere neq; inuestigare omnino possumus. Germanus patriarcha Constantinopolitanus, in epistola ad Iohan. episcopum Synnadon, tom. 2. Concil.

¶ Vnde sint, Damascenus docet libro 2 de Orthodoxa fide, cap. 3. Per uerbum Dei creati sunt angeli, & per sanctificationem Spiritus sancti perfecti, proq; suæ dignitatis & ordinis ratione illuminationem & gratiã participantes circumscripti sunt. Nam cum sint in cœlo, in terra non sunt. Et in terram à Deo missi, non remanent in cœlo. Non continentur portis, muris, claustris & signaculis: his enim indeterminabiles sunt. Ibidem Damascenus sentit, primo die Angelos creatos esse.

¶ Angelos esse confirmatos, Beda docet inquiens: Etsi angelica uel omnis creata natura

tura

tura capax delicti est, tamen per donum & gratiam creatoris sui sancti angeli ita in amorem charitatis illius transierunt, ut iam nec uelint nec possint peccare. Libro primo in Iob, capite quarto. Et: Cœli firmati sunt uerbo Domini: id est, hoc quòd cœlestis exercitus, ut Cherubim & Seraphim præuaricante diabolo præstiterunt, non ex se, sed à Domino patre & uerbo eius habuerunt: & non pars uirtutis, sed omnis uirtus eorum est à spiritu oris eius, id est Domini, id est à Spiritu sancto. In trigesimūsecundum Psalmum. Et: Quòd cœlestes spiritus prçstiterunt in ueritate, hoc non habuerunt ex se, sed ex Dei inhabitatione. In centesimū duodecimum Psalmum. Item: Supercœlestes spiritus ad uerum diem, id est ad ueram claritatem pertinentes, quod apostatæ angelo non adhæserunt, sed perseuerarunt in ueritate, hoc non ex se, sed ex tua ordinatione: id est, ex dispositione tua, & uoluntate. Et uerè ex te habent, quoniam seruiunt, subiacent & parent tibi per omnia: nō solum terrena, sed & cœlestia. In 118 Psalmum.

Albinus: Duas creaturas rationales condidit creator, unam cœlestem, alteram terrestrem: & utramq; liberi arbitrij potestate nobilitauit, ut uoluntariè in dilectione Dei & diuinæ potentiæ laude perpetualiter atque beatè permanerent. In prooemio lib.3 de Sancta Trinitate.

¶ Dignitas angelorum. Beda: Quot sancti sunt angeli in regno Dei, quilibet in eis minor, maior est utiq; quolibet sancto & iusto portante corpus, quod corrūpitur, & aggrauat animam. Libro secundo in Lucam, cap.7.

¶ De apparitione angelorum inquit Albinus: Quapropter probabili ratione uideri potest, patribus nostris ante incarnationē Christi, sub persona Domini apparuisse uel locutos esse angelos: nec illos etiam in sua apparuisse substantia credendum est, sed in subiecta creatura, quæ ab illis tempore opportuno assumpta est. Ita etiam angelicam carnalibus oculis naturam inuisibilem esse, certissimum est. Libro secundo de sancta Trinitate, cap.17.

Carolus Magnus inquit: Angelorum natura immortalis. Sunt enim natura spiritus, officio angeli: qui ut ab hominib. uideri possint, corpora ex lucidissimo æthere, nec ex pictorum opificijs assumere creduntur. Lib.3 de Imaginibus, cap.20.

De colloquio angelorum inquit Beda: Collocutionem angelorum ego existimo mobilem quendam uoluntatum fuisse cōsensum potius, quàm sonora colloquia: quoniā spiritus sunt, & non corpora membris composita. Vnde fieri potest, ut similes motus per subtilitatem naturæ suæ in se perspexerint: & hoc dictum sit colloquium. Non enim quicquam affectuum suorum adinuicem latère spiritus potest. Simplices enim creaturæ, nullum habentes quasi obstaculum corpulentum, perspicuæ sibi sunt. Vnde arbitror, quòd lingua illa quæ est eis secundum conditionis suæ modum, longè dissimili atque insuspicabili distinctione, siue sono uocis quæ fit uerberato aere, quod uolunt ilico enuncient, nec sit necesse eis humano more breuissimi saltem temporis spacio loquelā à cogitatione discernere. Illud tamen immobiliter est tenendum, nullo modo in silentio agi militiæ cœlestis officia, cum legamus angelicas potestates ante sedem Domini in laudem gloriæ eius indefessis uocibus personare: neq; ullo modo Apostolum dicturū fuisse, Si linguis hominum loquar & angelorū, nisi essent angelorum linguæ, sicut hominū sunt: quamuis angelicę dissimiles sint humanis. Est ergo aliquod magnum, atque ipsum ualde secretum, super diuersitate linguarum inter terrigenas & ministeria superna discrimen. Lib.2 in Iob, cap.7.

, Angeli non sunt rerum conditores. Damascenus li.2 de Orthodoxa fide, cap.3. Quicunq; autem dicunt, angelos esse conditores cuiuscunq; substātiæ, ipsi os diaboli sunt, eorum quidem patris. Creatura enim cū sint, non sunt conditores: omnium uerò factor, & prouisor & contentor Deus est, solus increatus.

¶ In loco esse angelos, Damascenus docet: Angelus corporaliter non continetur, quasi formam, figuramq; recipiat: in loco tamē dicitur esse, propterea quòd adest intelligibiliter, & operatur secundum suam naturam. Et non dicitur esse nusquam, sed alicubi intelligibiliter circumscribi, ubi & operatur. Non enim potest secundum idem diuersis in locis operari, quod solius est Dei. Lib.1. de Orthodoxa fide, cap.17.

De officio bonorum angelorū, inquit Damascenus lib.2 de Orthodoxa fide, cap.3. Fortes sunt angeli, & prompti ad diuinā implendam uoluntatem: & ubiq; confestim inueniuntur naturæ agilitate, ubicūq; diuinus iusserit nutus. Et custodiūt partes terræ, & gentium & locorum præsides, ut à suo conditore sunt ordinati: & ea quæ sunt apud nos, dispensant & auxiliantur nobis. Omnino autem secundum diuinam uoluntatem & præordinationem supra nos sunt, semperq; circa Deum existunt, ægrè difficulterq; in malum mobiles, sed non immobiles. Nunc autem immobiles nō natura, sed gratia. Et Dei, qui solus bonus est, assistentia uident Deū ꝑ capacitatis indultu, illaq; pascūtur alimonia. Supra nos sunt & incorporei, et omnino

corporeæ

corporeæ perturbationis immunes, non tamẽ impaſsibiles. Sola enim impaſsibilis diuinitas. Transfigurãtur quomodocunq; dominator iuſſerit Deus, & ſic hominib. apparẽt, & diuina reuelãt myſteria. In cœlo cõuerſantur, & unum opus officiumq́; habent, hymnis Deum collaudare, & diuinæ eius miniſtrare uoluntati.

Beda ait: Angeli aſcendentes & deſcendẽtes, angeli ſunt, qui miniſtrant hominibus: id eſt, miſericordes & immiſericordes. In 28 caput Geneſeos. Et: Licet & de ſanctis credere angelis, quia minus uitam electorũ deſpexerint hominum, poſtquã Deum ac Dominum ſuum, in tantum amare genus humanum cernebant, ut etiam ipſe homo fieri, inter homines conuerſari, ac mori dignaretur. Hinc eſt enim, quòd ante incarnationem eius, adorari ſe ab hominibus patienter ferunt: Iohannem uerò in Apocalypſi, adorare ſe incipientem prohibet angelus. Libro 6 in Cantica canticorum, capite 8. Item: Expandunt ergo alas Cherubim, & propitiatorium tegunt: quóniam angeli omnem ſuæ naturæ potentiam, qua in altis habitare & cuncta ſupernæ illius patriæ loca leui ac læto itinere penetrare meruerunt, in obſequium ſui conditoris offerunt, ac uelut propitiatorium contuentes obumbrant, id eſt honorant uelando: quia totum quem habent ſtatum perpetuæ felicitatis, eius gratiæ deputant, à quo nihil mali uelle poſſe acceperunt. Libro primo de Tabernaculo, capite quinto. Et: Qui Deus, ſuperna cœlorum regna ſpiritibus angelicis, ad laudem & gloriam atque honorem ſui nominis ac maieſtatis, in perpetuum miro ordine collocauit. De quibus plura loqui pertimeſcimus, quia ſoli Deo ſcire eſt, quomodo uel quemadmodum eorum inuiſibilis, abſq; contagione ſeu diminutione in ſua ſola puritate conſiſtat natura. Homilia in ſolennitate omnium ſanctorum. Item: Alij ex illis ad nos in mundum miſsi, futura prædicando perueniunt: alij ad hoc ſunt conſtituti, ut per eos ſigna & miracula frequentius fiant: alij ſubiectis angelorum ſpiritibus præſunt, eisq́; ad explenda diuina myſteria diſponendo principãtur. Alij mira potentia cæteris præeminent, pro eo quòd eis ad obediendum alia angelorum agmina ſubiecta ſunt: alij tanta diuinitatis gratia replentur, ut in eis Dominus ſedeat, & per eos ſua iudicia decernat: alij tanto perfectiori ſcientia pleni ſunt, quanto claritatẽ Dei uicinius contẽplantur. alia uerò ita Deo cõiuncta ſunt angelorũ agmina, ut inter hæc & Deum nulli alij interſint: & tãto magis ardent amore, quanto ſubtilius claritatem diuinitatis eius aſpiciũt. Talibus à primordio incipientis uitæ beatorum ſpirituum diſtinctionibus, ſuperna cœlorũ regna à Deo conditore in perpetuũ mirabiliter collocata ſubſiſtunt. Eadẽ homilia. Et: Angeli boni hominibus ad cuſtodiam deputati ſunt, de quibus dicitur in Euangelio: Angeli eorum ſemper uident faciem patris. In 23 Pſalmum. Item: Boni angeli poteſtatem habent corporaliter nocendi malis hominibus. Tres enim angeli, quos Loth in hoſpitio recepit, boni fuerunt: per quos tamen Sodomæ ſubuerſio facta eſt. Quòd autem boni angeli bonis hominibus corporalem aliquam læſionem intulerint, non legitur. In 77 Pſalmum. Et: Cùm ad nos ueniunt angeli, ſic exterius implent miniſterium, ut tamen nunquam deſint interius per contemplationem. Et mittuntur igitur, & adſiſtunt: quia etſi circumſcriptus eſt angelicus ſpiritus, ſummus tamẽ ſpiritus ipſe qui Deus eſt, circumſcriptus nõ eſt. Angeli itaque & miſsi ante ipſum ſunt: quia quolibet miſsi ueniũt, intra ipſum currunt. Libro primo in Lucam, capite primo. Et: Aliter angelus Mariam, angelus Ioſeph, angelus paſtores inſtruit. Et concipiendum, & conceptum, & natum cœli ciues Dominum teſtantur: ut & mortales ſufficienter imbuant, & ſuum autori ſeruitium inceſſanter impendant. Nam & in ſequentibus tentato, paſſuro, reſurgenti atq; ad cœlos aſcendenti ſemper adeſſe perhibentur. Lib. 1. in Lucam, cap. 2. Item: Vno euangelizantẽ nuncio natum in carne Deum, mox multitudo militiæ cœleſtis aduolans, conſono in laudẽ creatoris ore prorumpit, ut & ſui ſicut ſemper obſequij deuotionẽ Chriſto impendant: & nos ſuo pariter inſtituant exemplo, quoties uel aliquis fratrũ ſacræ eruditionis uerbis inſonuerit: uel ipſi lecta ſiue audita, quæ pietatis ſunt, ad mentem reduxerimus, Deo ſtatim laudes ore, corde & opere reddendas. Ibidem. Et: Angeli amici Chriſti ſunt, quia uoluntatem eius continuò in ſua ſtabilitate cuſtodiunt. Vicini quoq; eius ſunt, quia claritate uiſionis illius ſua aſsiduitate perfruuntur. Libro 4 in Lucam, cap. 15.

Aponius ait: Angelorum cuſtodia erga animas contra dæmonum impugnationem, iuſſu creatoris conſtituta probatur. Libro 5 in Cant. canticorum.

Albinus ait: Deus angelos ſuos ſuper iudices & reges terræ præpoſuit, qui poſſunt utiq; prohibere iniuſticiam, & magis in terra ualere quàm quæuis hominum poteſtas. In 5 caput Eccleſiaſtæ. Et: Iubet, ne poſt regem de ſanctis quoque facilè detrahamus: & eis quos uiderimus ſapientia, ſcientia, uirtutibusq́ue ditatos, lingua mordaci derogemus: quòd angeli qui terram circumeunt, & ſunt adminiſtratores ſpiritus, & in Zacharia loquuntur, (Circuiuimus terrã: ecce omnis

terra habitatur & silet) ad instar auium, ad cœlum nostra uerba perferant, & cogitationes: & quod clàm cogitamus, scientiam Dei non latere. In 10 caput Ecclesiastæ.

Carolus Magnus inquit: Angeli conditori suo in cœlis assistētes, de sua perpetua beatitudine lætantur. Libro 1. de Imaginibus, cap. 20. Item: Nec solùm de illorum, quos secum intus habent, hominum iustorum felicitate lætantur agmina cœlestia: uerùm etiam nostri, qui foris adhuc positi, de profundis ad Dominum clamamus, continuam curam gerunt. Ibidem. Et: Ita angeli suam perpetuò innocentiam conseruant, sic de animarum sanctarū in cœlis beatitudine congaudent, ut eis quoq; quos in terris adhuc peregrinari conspiciunt, electis opem ferre non desinant, donec & illos ad cœlestem patriam introducant. Ibidem.

DE DIABOLIS.

Beda inquit: Serpens ille indicat diabolum, qui inde serpens dicitur, quòd uolubili uersetur astutia. In tertium caput Geneseos. Item: Diabolus quando prædam agit de sanctis, tanquam de maioribus rebus, ut leo habendus est: quando uerò minima quærit auferre, formica dicendus est. Libro primo in Iob, capite quarto. Et: Potest & diabolus fur, homicida & adulter intelligi. quia decipiendo hominem factus est homicida, ut ait Dominus: Ille homicida fuit ab initio. Diuinitatem quoque sibi per superbiam permittendo, quam præsumptione animi sui tentauit inuadere, uelut fur inuentus est, qui aliena conaretur auferre. Qui etiam uirginalem illam & castam dilectionem Dei amisit, dum adulterino ambitu contra Dei sui & Domini amorem faciens, propria uoluntate quæsiuit. Libro secundo in Iob, capite septimo. Item: Diabolus in multis locis Scripturæ propter sęuitiam & fortitudinem leo nominatur. De hoc igitur Dominus ait, quòd nemini nocere possit, nisi à Deo acceperit potestatem. Iusto ergo iudicio eius homines illi traduntur: quia ille omnino uires non habet dominandi, nisi ipse permiserit. Libro tertio in Iob, capite octauo. Et: Quando diabolo corui nomen aptamus, dicimus eum nigrum criminibus, atque teterrimum, & qui in tenebris nequitiarum omnino commoretur. Libro tertio in Iob, capite octauo. Item: Dæmones rectè uolucres cœli, siue quia cœlestis spiritualisque sunt naturæ, siue quia per aera uolitant, appellantur. Libro primo in Marcum, capite quarto.

¶ Diabolos nō natura tales factos à Deo, sed ex lapsu proprio suam maliciam acquisiuisse, Damascenus docet libro 2 de Orthodoxa fide, capite 4. Non natura, inquit, mala facta (loquitur de angelicis uirtutibus) sed bona existens, & à bono facta, & nullo pacto in se ipsa à conditore maliciæ uestigium tenens, non ferens illuminationem & honorem quem ipsi conditor indulserat, libera uoluntatis potestate demutata est ex eo statu qui secundum naturam, in eum qui contra & præter naturam est. Et eleuata est aduersus Deum, qui illam fecit, rebellare illi uolens, & prima prolapsa à bono, in malo constituta. Item: Libera, inquit, uoluntatis potestate tenebrę facta est. Item capite 27. Diabolus, qui à conditore bonus factus, mera arbitrij potestate, maliciæ inuentor effectus est, & quæ cum eo sunt apostaticæ desertricesq; uirtutes, id est dæmones. Reliqui autem angelorum chori in bono perstiterunt. Et libro quarto, capite uigesimoprimo: Malus'ne ergo diabolus? Secundum quod factus est, non malus, sed bonus. Angelus enim lucidus & splendens ab opifice creatus est liberæ potestatis, quippe qui rationalis: uoluntariè uerò à uirtute secūdum naturam discessit, & in caligine maliciæ factus est à Deo elongatus, solo bono & lucis indultore. Ex ipso nāq; omne bonum benignè fit: & quantū ab ipso elōgatio uolūtate fit, non loco, tantum in malum proruitur.

Beda ait: Præuaricatione factus est alienus. Libro 2 in Iob, capite 1. Item: Hunc lapidem metaphoricè diabolum in hoc loco intelligere possumus, qui propter errores suos quibus totum mundum inuoluerat, lapis caliginis dictus sit: qui cùm fortis & potens sit per naturam qua à Deo est conditus, confidens per superbiā in uirtute sua, & non in Domino & Deo creatore suo, amiserit sapientiæ lumen, conuersus in stulticiæ tenebras. Lib. 2 in Iob, cap. 11. Et: Ipse diabolus, qui amisit timorem diuinæ reuerentiæ, perdidit semetipsum. Ibidem. Item: Hypocrita uerò & simulatus ideo est appellatus, quoniam transfigurat se in angelum lucis, cùm ipse potius autor sit tenebrarum: id est, omnium criminum & peccatorum inuētor. Libro 3 in Iob, cap. 3. Et: Diabolus ad perpetrandas contra Ecclesiā persecutiones, sedet in quolibet equo suo, in corde uidelicet hominis persequentis. Ibid. cap. 8. Item: Fremens est uitijs diabolus, inimicus sanctorū, & omniū criminum igne cōflagrans, atq; in hominem furore inuidię fremens, ut eū sorbeat illecebris peccatorum, & deuoratū in corpus perditæ cōgregationis suę trāsferat. Ibidē. Et: Angeli in sua obedientia perstiterunt, diabolus inobediēdo & superbiēdo lapsus est angelus, & factus est diabolus. In 8 caput Ioan. Itē: Diabolus bonus creatus est, sed per seipsum malus factus est, declinādo à summo bono. Ibidē. Et: Mali angeli non

non à Deo conditi mali, sed peccando facti sunt mali. In 2 caput epistolæ Petri secundæ.

Aponius inquit: Diabolum ignorare non debet homo, bonum angelum à Deo formatum, et per uoluntatem propriam malum effectum: quem ignorare non debet, uinci nõ posse ab homine, nisi Christi auxilio inuocato. Lib. 2 in Cant. Itẽ: Dęmones, qui cùm boni creati essent à conditore, proprio libertatis arbitrio in maliciã tyrannidis sunt conuersi, & contra salutem hominum quotidiè inflammantur. Ibidem. Et: Dæmones dum angeli boni creati, & super singulas nationes positi sunt agere principatum, in superbia eleuati, unamquamq; mentem uel animũ fellita doctrina criminib. irretire festinãt. Quos per uitia carnis & cupiditatem præuiderint se supplantare non posse, peruersi dogmatis ueneno so poculo perimunt, ne soli in æternis supplicijs crucientur. Ibidem.

Albinus ait: Summi angeli peccatum insanabile fuit, quia angelus sui sceleris inuentor fuit: hominis uerò sanabile, quia homo alterius fraude seductus. Libro 2 de sancta Trinitate, capite 9. Et: Sed quia angelica, non tamen tota, propria delectando potentia, ab amore summi boni recedens, in seipsam delapsa, sui homicida facta est, ærumnosam atq; pœnalem impietatis suæ æternitatem experta. In procemio libri tertij de Trinitate. Item: Cùm causa miseriæ malorum angelorũ quæritur, ea meritò occurrit, quia noluerunt ad illum custodire fortitudinem suam, qui est summũ bonum: sed auersi sunt ab illo, & ad seipsos conuersi sunt, & sua propria delectati potestate. Et iste primus defectus est, & prima inopia rationalis creaturæ. Hoc uitium quid aliud quàm superbia nuncupatur? In quæstionibus in Genesin. Et: Quæritis fortasse, unde ipse diabolus? unde? utiq; unde & cæteri angeli. Cæteri angeli in sua obedientia perstiterunt: ille inobediẽdo & superbiendo lapsus est angelus, & factus est diabolus. Libro 4 in Ioannem, cap. 8. Item: Diabolus bonus creatus est, sed per seipsum malus factus est, declinando se à summo bono: ideo ex proprijs locutus est mendacium, quia in seipso inuenit unde esset mẽdax. Homo uerò deceptus à diabolo, factus est à diabolo mendax: ideoq; filius diaboli, non natura, sed imitatione. Ibidem.

Item: Posteaquam lucifer ob claritudinẽ, sedem suam apud Deum firmatam habere uolens, & contra creatorem suum in superbiam mentis elatus, illinc cum desertorum exercitu ex superillustri DEI principatu per se esset delapsus, cunctorum malorum opifex, autor, inuentor & magister declaratus, defecit: hominem à Deo creatum, in locum à quo ipse deiectus erat, uidere non sustinẽs, omnem aduersus eum improbitatem exhausit, & per fraudem illum à gloria & splendore Dei alienauit, & ut creaturam relicto creatore adoraret compulit. Synodus septima Nicena, falsò sic dicta, tomo secundo Conciliorum.

Carolus Magnus inquit: Diabolus dum sedem suam ab Aquilone ponere disponens, angelico honore & consortio priuatus, tenebris caliginis huius est deputatus. Libro primo de Imaginibus, capite 3. Et: Angeli, qui utiq; à Deo peccando discesserant, perpetua damnatione multati. Libro 2 de Imaginibus, cap. 24.

¶ Plures esse lapsos, Damascenus inquit libro 2 de Orthodoxa fide, capite 4. Collabens autem & comitans ipsam corruit infinita multitudo angelorum, sub ea ordinatorum. Eiusdem igitur naturæ cum angelis existentes, mali facti sunt electione, ex bono uoluntariè in malum declinantes.

Diabolos esse superbos, Beda ait: Qui tamen prius cùm hunc passibilem cerneret, cùm posse mortalia perpeti humanitatis uideret, omne quod de eius diuinitate suspicatus est, ei fastu suę superbię in dubium uenit. Nihil quippe nisi superbum sapiẽs, dum esse hunc humilem conspicit, Deum esse dubitauit: unde ad tentationum se argumenta conuertit. Libro primo in Lucam, capite 4. Et libro 3 in Lucam, capite 10 ait, Diabolum propter superbiam cœlo expulsum.

Pugnant diaboli. Beda: Hostis noster adhuc in hac uita nos positos, quanto magis nos sibi rebellare conspicit, tanto amplius expugnare contendit. eos enim pulsare negligit, quos quieto iure possidere se sentit. Contra nos uerò eo uehementius incitatur, quo ex corde nostro quasi ex iure propriæ habitationis expellitur. Iniquorum omnium diabolus caput est, & huius capitis membra sunt omnes iniqui. Libro primo in Lucam, cap. 4. Item: Vides ipsum diabolũ non esse in studio pertinacem, cedere uerò solere uirtuti. Et si inuidere non desinat, tamen instare formidat, quia frequentius refugit triumphari. Audito itaque Dei nomine, recessit usque ad tempus. Postea enim non tentaturus, sed apertè pugnaturus aduenit. Quamuis sæpe antiquus hostis, postquam menti nostræ tentationum certamen inflixerit, ab ipso suo certamine ad tempus recedit: non ut illatæ maliciæ finem præbeat, sed ut corda quæ per quietem secura reddiderit, repentè rediens facilius inopinatus irrumpat. Ibidem.

De potentia diabolorum, inquit Beda: Diabolus rex mundi fuit ante aduentũ Christi. In 3 caput Exodi.

De membris diaboli, inquit Beda: Corpus

pus diaboli, omnes consortes eius & spiritus immundi intelligendi sunt: quos tanta consensione atq; conspiratione dicit Deus illi adiunctos, ut indissolubili cõnexione eidem sint copulati. Libro 3 in Iob, cap. 8. Et: Nisi quis porci more uixerit, non in eum diabolus accipiet potestatem: aut ad probandũ tantùm, non autem etiam ad perdẽdum. Libro 2 in Marcum, cap. 5.

¶ Effectus & opera diabolorum Damascenus indicat libro 2 de Orthodoxa fide, capite 4. Sciunt autem & scripturas. Omnis igitur prauitas ab ipsis excogitata est, & impuræ perturbationes. Item: Consueuit serpens ille, incentor inuidiæ & maliciç omnis princeps (diabolum intelligo) multifariam cõcire bella aduersus hominem ad imaginẽ Dei formatũ, & eidem per cõtraria dogmata mortem moliri. Siquidem initio statim conditi hominis spem, & immodicam cupiditatem parandæ diuinitatis ei inseuit, perque hanc in mortem brutis communem hominem pertraxit. Libro 2 Apolog. pro ueneratione imaginum.

Beda inquit: Diabolus satagit genus humanum per dulcedinem pompæ terrestris à rectitudine mentis inflectere: & ad sequendam cupiditatem, quæ est simulachrorum seruitus, deceptorum corda peruertere. Libro 2 in Ezram, cap. 8. Item: Spiritus immundi satagunt nostri mundiciam cordis commaculare, & accepto precio consensus nostri uitiorum nobis illecebras ingerere, quo diem maximæ sanctificationis inquinent: id est, lucem piæ cogitationis siue actionis nostrę immissis erroribus obnubilent. Libro tertio in Ezram, capite 30. Et: Sicut Dominus noster caput Ecclesiæ suæ, Ecclesia uerè corpus est eius: ita diabolus caput omnium iniquorum, & omnes iniqui corpus & membra sunt eius. In Thobiam. Item: In peccatis ergo diabolus habitat, & requiescit in secreto cogitationum, siue etiam lumborum. Libro tertio in Iob, capite 8. Et: Angelus crudelis, immũdus est spiritus, qui à Domino contra peccantes mittitur, ut eos in præsenti affligat. Libro secundo in Prouerbia Salomonis, capite 17. Item: Sanguisuga est diabolus, qui siti peccandi ac peccata suadendi incessanter accẽditur. Huic duæ sunt filiæ, quæ duæ specialiter humani generis illecebræ, hunc antiqui hostis imitantur ardorem: luxuria uidelicet, & philargyria. Libro tertio in Prouerb. capite uigesimo nono. Et: Profert mendacia diabolus, qui rectè uersipellis appellatur, quia mala quæ suggerit facienda, bona esse pronunciat: & gaudia promittit æterna, eis quos ad inferni tormenta præparat. Libro secundo in Prouerbia Salom. cap. 14. Item: Vmbra mortis ipse diabolus esse non absurdè uidetur, qui non protegit homines ac defendit, sed premit coarctans in mortem. Libro 1 in Iob, capite 12. Et: Socij siue filij diaboli, ij sunt ministri eius. His igitur dæmonibus beatũ Iob in prædam dandum pater eorum & rebellionis caput diabolus promittebat, dum eum per tantos dolores ad blasphemiam impellendum, & à Deo ob hoc relinquendum esse credebat. Libro primo in Iob, capite 17. Item: Diabolos humana pœna non propter iusticiam, sed propter propriam nequitiam delectat: & ideo semper ad nocendum sunt parati. In 2 Psalmum. Et: Angeli mali sunt ministri irę Dei. In 77 Psalmum. Item: Angelos malos non dubium est uocari illos, quibus æternus ignis paratur: per quos Deus non solùm damnat malos, sed etiã probat pios, ut beatum Iob. Veruntamen aliam potestatem habent in malos, aliam in bonos. In bonos enim nihil operari possunt, nisi permissi: in malis uerò, quia iam in ius & arbitrium eorum uenerunt, quidlibet agere possunt, etiam non permissi. Ibidem. Et: Diabolus adiutor esse, & incentor malarum cogitationum potest, autor non potest. Sin aũt semper in insidijs positus, leuem cogitationum nostrarũ scintillam suis fomitib. inflãmarit: nõ debemus opinari, eũ cordis quoq; occulta rimari: sed ex corporis habitu & gestibus æstimare, quid uersemus intrinsecus. Verbi gratia: Si pulchram mulierem nos crebrò uiderit respicere, intelligit cor amoris iaculo uulneratum. Lib. secundo in Marcum, cap. 7. Itẽ: Plerunq; diabolus dum de corde expellitur, acriores in eo tentationes generat, quàm prius excitauerat, quando hoc quietus possidebat. Lib. tertio in Marcum, capite nono. Et: Trementem Zachariam confortat angelus. quia sicut humanæ fragilitatis est, spiritalis creaturæ uisione turbari: ita & angelicæ benignitatis est, pauentes de aspectu suo mortales mox blandiendo solari. At cõtrà dæmoniacæ est ferocitatis, quos sui præsentia territos senserit, ampliori semper horrore concutere: quæ nulla melius ratione, quàm fide superatur intrepida. Lib. 1. in Lucam, cap. 1.

Aponius ait: Diabolo in hoc mundo permissa est potestas: cui quanto quis uicinior, tanto in illa forma qua creatus est ad imaginem Dei, efficitur magis alienus. Qui ita cõsentientem sibi animam, ab illa gloria, creatoris similitudinem decolorat. solem se iusticię mentiendo: sicut Sol uolubilis in cœli plaga, ubi uicinior terræ ambulat, incolas loci nigerrimos reddere comprobatur. Libro primo in Cantic. Item: Diabolus solus mentitur. Ibidem. Et: Diabolus ad infernum ducit. Libro secundo in Cantica canticorum.

Item:

Item: Dæmones qui super impios reges uel philosophos, magicarumque artium doctores equitabant, & de singulis secundum uirium qualitatem, currus, equos uel arma fecerunt, per quos suo creatori bellum inferre attentabant, deorum sibi nomina usurpando. Sed redemptori nostro triumphanti per crucem, omnes currus & equites, omnisque caterua principis mundi cessisse probantur. Ibidem. Et: Diabolus odit pœnitentes. Libro tertio in Cantica canticorum. Item: Diabolus obtinet regnum in terrenis desiderijs. Ibidem.

Albinus inquit: Diabolus semper rerum nouarum cupidus est, iudices & principes habens eos qui amant huius seculi uoluptates: & solent dicere, Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. In 10 caput Ecclesiastæ. Et: Calcaneum mulieris est extremum uitę nostrę tempus, quo diabolus nos acrius impugnare satagit. Cui si uiriliter resistimus, uictoriam perseuerantiæ cum salute nostra accipiemus. In quæstionib. in Genesin. Item: Diabolus si publicis peccatis seruum Christi subuertere non poterit, opprobrijs & reprehensionibus circumhabitátium à uia ueritatis eum deterrere nititur. In expositione 5 Psalmi pœnitentialis. Et: Quomodo Deus pater genuit filium ueritatem, sic diabolus genuit quasi filium mendacium. Libro 4 in Ioannem, capite 8. Item: Sicut bonas cogitationes benignus spiritus immittit, sic etiam malas cogitationes malignus spiritus suggerit. Libro 6 in Ioãnem, capite 13.

Item: Veterator hostis hoc unum conatur, ut discerpat & conuellat, disturbetq; Ecclesiam sanctá & catholicam. Tharasius Cõstantinop. in prima actione secundæ synodi Nicenæ. Et: Studio perpetuo est dæmoni humani generis osori, hominem ad Dei imaginem factum, à Deo quàm longissimè separare, multijugisque deceptionibus distrahere: neque quicquam illi magis cordi, gratiusque, quàm ueram pietatem oppugnare, ecclesiasticæ pacis statum conturbare. In refutatione septimæ synodi Nicenæ, falsò sic dictæ. Item: Opera diaboli sunt, homicidia, fornicationes, adulteria, ebrietates: quæ nimirum diabolico instinctu prius cogitatione mentis concipiũtur, quàm opere perpetrentur. Pompæ uerò eiusdem sunt, superbia, iactantia, elatio, uana gloria, fastus. Capite decimooctauo Concilij Turonensis, Tomo 2 Concil.

Carolus Magnus inquit: Nequitia quæ per eius suasionem accidit humano generi, minor fit nequitia eiusdé, qui & suę & humanæ autor est & artifex fraudulentiæ: qui sicut est natura subtilior, ita & sagacitate callidior: & quem non grauat corporis fragilitas, acuit uafrę peruersitatis iniquitas. Libro primo de Imaginibus, capite uigesimooctauo. Et: Maligni spiritus sunt humanitatis inimici, & nobis semper infesti: tanto semper debemus de eorum esse deceptione suspecti, & contra eorum nequitias erecti, quanto eos subtilioris esse scimus naturæ uel ingenij. Libro tertio de Imaginibus, capite trigesimoprimo.

¶ Quomodo diaboli futura prædicant, scribit Damascenus libro 2 de Orthodoxa fide, capite 4. Prædicunt & dæmones quandoq;, ea quæ longè futura sunt prospicientes, quandoque uerò conijcientes. unde & pleraq; mentiuntur. Quibus non præstãda fides, etsi sæpenumerò uera proferantur.

Quomodo diaboli Christum cõfessi sint, Beda exponit: Dæmonia filium Dei confitebantur, & sciebãt ipsum esse Christum: quia quem dierum quadraginta ieiunio fatigatũ diabolus hominem cognouerat, nec tentando ualebat, an & Dei filius esset, experiri: iã nunc per signorum potentiam uel intellexit, uel potius suspicatus est, esse filium Dei. Non ergo ideo Iudæis eum crucifigere persuasit, quia Christum siue Dei filium non esse putauit: sed quia se morte illius non præuidit esse damnandum. & Dominus eum loqui de se uetat: ne quis dum prædicantem audit, sequatur errantem. Improbus enim magister est diabolus, qui falsa ueris sæpe permiscet, ut specie ueritatis testimonium fraudis obtexat. Libro primo in Marcum, capite primo.

Cur angelorum peccatum dissimuletur, exponit Albinus, dicens: Angelicum peccatum silentio in Genesi absconditum est, & hominis patefactum: quia angelicum uulnus Deus non prædestinauit curare, hominis uerò sanare prædestinauit. In quæstionibus in Genesin.

De damnatione diabolorum, inquit Damascenus libro 2 de Orthodoxa fide, capite 4. Quapropter diabolo & dæmonibus eius præparatus est ignis inextinguibilis, & supplicium æternum, & ijs qui sequuntur eum. Scire autem oportet, quoniam quod hominibus mors, hoc angelis est lapsus. Post lapsum enim non est illis pœnitentię locus, ut neq; post mortem hominibus.

DE HOMINE.

Beda inquit: Multis in locis Scripturarum, fluminis nomine genus humanũ significari nouerimus. Huic flumini, humano uidelicet generi, in ima atq; ad inferiora more fluminis defluenti, desideria cupiditatum & delectationes præsentes, amoremq; mundi ita insinuat, ut eum absorbere possit, & uelut inferus deglutire. Sic namque

humanum genus præceps in supradicta uitia defluit, ut posit ab inimico facilè deuorari. Libro 3. in Iob, cap.8.

Definit Carolus Magnus hominem, dicens: Verus est homo, qui hac definitione definiri potest, ut dicatur Animalis, rationalis, mortalis, uisus ac sensus qui capax: necesfario enim ille falsus habendus est, qui horũ nihil habet. Libro 1. cap.2.

¶ Vnde, seu ex qua materia sit factus homo, Damascenus exponit lib. 2 Orthodoxæ fidei, cap.12. Proprijs manibus plasmauit hominem Deus, ad suam imaginem & similitudinem. Ex terra quidem corpus fingens, animam uerò rationalem ac intellectiuam, propria insufflatione illi elargiens: quod sanè diuinam imaginem dicimus. Nam id, Ad imaginem, intellectuale ostendit, & liberæ uolũtatis arbitrijq; potestatem: hoc autem, Ad similitudinem, ostẽdit per uirtutẽ (quantum homini possibile est) assimilationem.

Beda ait: Formare autem uel ædificare costam in mulierem, nullus potuit nisi Deus, quo uniuersa natura subsistit. In secundum caput Geneseos. Item; De anima autem, quam Dominus insufflando fecit, nihil confirmo, nisi quia ex Deo est: ut non sit substantia Dei, & sit incorporea: non sit corpus, sed spiritus: non de substantia Dei genitus, nec procedens, sed factus à Deo. Et ita sit factus, ut illius natura non sit alia creatura, in quam posset conuerti: ac per hoc de nihilo. & quòd sit immortalis, secundum quendam uitæ modum, quem non possit amittere. Secundum quandam uerò mutabilitatem, qua possit uel deterior uel inferior fieri, non immeritò mortalis dicitur: quoniam ueram immortalitatem solus habet ille, de quo dicitur, Qui solus habet immortalitatem & lucem inaccessibilem. Ibidem. Et: Trinitas Deus creauit omnia: sed quando hominem fecit, propria & speciali quadam significatione nominum, per diuersam operum nuncupationem se uoluit demonstrare. Libro tertio in Iob, capite primo. Item: Qui utramq; hominis naturam fecit, utráq; mundari desiderat. Hoc contra Manichæos, qui animam tantùm à Deo, carnem uerò à diabolo putãt creatam. Libro quarto in Lucam, capite 11. Et: Angelorum substantiam & hominum Deus creauit. Libro 4. in Lucam, cap.15. Item: Communis est operatio patris & filij, quorum est una natura, una etiam operatio. In 5 caput Ioannis.

Albinus inquit: Inspiratio Dei in faciem hominis, traditio est animæ rationalis. In quæstionibus in Genesin. Item: Mulier de latere uiri dormientis ædificata legitur, & non de terra plasmata sicut uir: certè mysterij causa significãs, quòd Christus propter Ecclesiam in cruce dormiuit, ex cuius latere fons salutis nostræ manauit. Ibidem. Et: Quod uerò ait, De terra facta sunt, & in terrã reuertuntur: hoc eum de corpore dicere manifestum est, quia corpus de terra creatũ est, non anima. sicut uindex peccati sententia homini intulit: Terra es, & in terram ibis. In 3 caput Ecclesiastæ.

¶ Qualis sit homo à Deo formatus, narrat Damascenus libro 2 de Orthodoxa fide, capite 12: Fecit igitur Deus hominem purum, prauitateque carentem, rectum, fortem, iucundum, securum, omni uirtute decorum, bonis omnib. ornatum, ueluti quendam secundũ mundum, in magno quidem mundo paruũ, angelum alterũ; adoratorem mixtũ, inspectorem uisibilis creaturæ, discipulũ intellectualis: eorum quę in terra sunt regem, rectum desuper, terrenum simul & cœlestẽ, temporalem & immortalem, uisibilem & intelligibilem, medium magnitudine & humilitate, eundem spiritum & carnem: spiritum propter gratiam, carnem propter elationem. Item: Fecit autem natura insontem, uoluntate liberum. Insontem autem dico, non quòd nõ esset peccati susceptiuus (nam sola diuinitas peccatum suscipere nequit) sed quòd in eo quod secundũ naturam, peccare situm non esset: uerùm potius secundum uoluntatis delectum potestatem haberet & manendi & proficiendi in bono, diuinæ cooperator gratiæ: identidem & mutari ex bono, & in malum prolabi, Deo id permittẽte propter liberam ipsius potestatem. Nam non uirtus, quod uiolentia sit factum. Anima igitur est substantia uiuens, simplex & incorporea, & corporeis oculis secundum propriam sui naturam inuisibilis, immortalis, rationalis, intellectualis, infigurabilis, organico utens corpore: illi uitam, augmentationem, sensum & generationem tribuens: non habens, præter se ipsam, mentem, sed pars ipsius est purissima. Quemadmodum enim oculus in corpore, sic mens in anima, liberæ potestatis uoluntate prædita, & operationis efficax, uertibilis, id est mutabilis uoluntate, quia creata est. Hæc omnia secundum naturam, ex eius qui illam condidit gratia adepta, ex qua & esse, & natura ita esse suscepit. Ibidem. Et libro quarto, capite quarto: Fecit enim illum ad imaginem suijpsius, intellectualem, & liberæ potestatis. Et ad similitudinem suam: id est, uirtutibus consummatum, quantum hominis ferebat natura. Hæ enim uirtutes ueluti characteres, signaculaque diuinæ existunt naturæ, impartibile, immobile, simplex, bonum, sapiens, iustum, securum, ab omni prorsus malicia liberum. Ad consortiũ enim suijpsius condiderat hominem. In incorru-

corruptione enim fecerat illum propter sui ipsius communionem, illum ad incorruptibilitatem adducens. Posteaquam uerò per transgressionem præcepti, diuinæ imaginis characteres obliterauimus & confudimus, in malicia constituti, diuina communione iustè priuati sumus.

Beda ait: Quemadmodum prius homo creatus est immortalis, quod illi pręstabatur de ligno uitæ: separatus est cùm peccasset, ut possit mori: qui nisi peccasset, posset nō mori. Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis beneficio conditoris. In 2 caput Geneseos. Et: Deus homini prę omnibus animantibus rationem & sapientiam dedit, docet in communibus, erudit in subtilioribus. Docet non solùm per naturæ dona, sed etiā per gratię mensuram. Secundum tropicū uerò intellectum, iumenta homines carnales plerunq; intelliguntur, qui gulæ, uentri, luxuriæq; sunt dediti. Alij autem uolatilibus comparantur, siue propter leuitatem morum, siue propter superbiam, qua tumentes quasi in altum eleuantur. Libro 3 in Iob, capite 4. Item: Adam in abundantia uirtutum potuit, sed non confirmauit, quia labi potuit. In 79 Psalmū. Et: Prima hominis beata uita ita fuit immortalis, ut posset in ea homo non mori, si se à peccati seductione cautus seruaret. Secūda uerò ita fiet immortalis, ut nō possit in ea homo mori, nec ulla peccati pulsantis seductione tentari. Homilia in octaua Epiphaniæ.

Aponius inquit: Rectus itaq; secundum iudicium rectum hominem fecit, & æquo iudicio hoc requirit in homine, quod fecit in eo: ut sicut ipse nullius potentia inclinatur, ita & facturam suam uel imaginem nulli alij præter sibi soli ut inclinet genua cordis requirit. Quicunque ergo unum Deum omnium factorem in tota uirtute crediderit adorandum, & hunc per uerbum & spiritum sibi coæternum omnia fecisse quæ sunt formata, esse rectus in conspectu Dei probabitur. Libro 1 in Cantica canticorum.

Albinus ait: Bonos nos scimus à Deo creatos. In septimum caput Ecclesiastæ. Item: Deus bono homini dedit sapientiam, rationem prudentiæ, occulta Dei nosse mysteria, & arcana eius sensu cordis intrare. In octauum caput Eccles. Et: Duas creaturas rationales cōdidit Creator, unam cœlestem, alteram terrestrem: & utramque liberi arbitrij potestate nobilitauit, ut uoluntariè in dilectione Dei & diuinæ potentiæ laude, perpetualiter atq; beatè permanerent. In Procœmio libri tertij de Trinitate. Item: Homo suæ potestatis autor est creatus, ut sibi ipse autor esset ad uitam, siue ad mortem: si uerò necessitate esset subiectus, tunc nec boni operis haberet gloriam, nec mali pœnam, sed esset quasi unum ex pecoribus. In 12 caput Ecclesiastæ. Et: Eleuatus est homo honore imaginis Dei, & libero arbitrio nobilitatus. sed hoc malè usus, allisus est, & deiectus in hanc conuallem lachrymarum. In expositione 5 Psalmi pœnitentialis.

Item: Factor noster & artifex Dominus Deus, iuxta propriam imaginem & similitudinem, hominem de luto terræ finxit, illuminauitq;, in libera potestate sui ipsum constituens. Præterea primus ille homo liberi arbitrij existens, cuncta animantia terræ, & uolatilia cœli, annuente Deo, nominibus proprijs uocauit. Adrianus papa in epistola ad Constantinum Imperatorem & Irenen, tomo 2 Concil.

DE IMAGINE.

Beda inquit: Fecit Deus hominē: & quod dicitur ad imaginem Dei, non quasi pater ad imaginem filij, aut filius ad imaginem patris. alioquin non uerè dictum esset, Ad imaginem nostram. sed ita dictum est ad imaginem Dei, tanquam diceretur: Fecit Deus hominem ad imaginem suam. homo autem ad imaginem Dei factus dicitur, secundum interiorē hominem, ubi est ratio & intellectus, nō propter corpus: sed illam potestatē Dei, qua omnib. animantibus imperat. Ideo aūt hic nō dicitur, Et factum est sic: sed tantùm, Et fecit Deus hominem: quia & ipsa creatura intellectualis est, sicut illa lux quæ prima facta est. In primum caput Geneseos. Et: Alij inquirunt, in quibus interior homo imaginem Dei & similitudinem teneat: id est, in æternitate & in moribus, secundum Origenem. Secundum uerò Faustinum sex modis homo noster interior ad similitudinem Dei factus est. Immobilis enim, citus, inuisibilis, incorporeus, subtilis, ęternus. Ibidem. Item: Animam à Deo suscepimus, in qua imaginem suam impressit. Si autem misericors sis, sicut pater tuus cœlestis perfectus est, seruasti depositum qualiter accepimus. In sextum caput Leuitici. Et: Quod fecit Deus, ad suam imaginem fecit Deus: id est, animam. Corpus est de terra, quod uiuificauit animæ inspiratione, quam fecit. Imago ad immortalitatem pertinet Dei, similitudo ad potestatem & operationem, ut naturaliter possideret imaginē immortalitatis Dei, & similitudinē potestatis, supra omnia quæ creauerat Deus, & pijs operibus imitaretur. Sub persona ergo sua sanctus Iob conditionem primi hominis loquitur. Libro primo in Iob, capite decimo. Item: Signaculum istud anima hominis intelligitur, quæ ad imaginem & similitudinem facta est. Expressa est quippe in ea similitudo bonitatis Dei, omniumque uirtutum

tutum Deus. Hoc igitur signaculum, ait, imaginis Dei & similitudinis, quod per Adæ peccatum attritum fuerat, & obliteratũ, rursus per Christum iterata impressione restituetur. Libro 3 in Iob, cap. 7. Et: Natura humani generis ad authoris sui similitudinem creata est. Libro quarto in Lucam, capite 12. Itẽ: Conditor noster quos ad imaginem & similitudinem suam creauit, quasi commodato ad seruandũ sublimauit denario. Quinque sunt sensus, quibus in hac uita utentes, imaginem quam accepimus nostri conditoris excolere debemus. Libro tertio in Lucam, capite 7.

Albinus inquit: Homo est sui conditoris imago, in interiore homine. Imago in æternitate, similitudo in moribus. In quæstionibus in Genesin. Item: Homines, qui ad imaginem Dei facti sunt, percipere sapientiam possunt. Libro primo in Ioannem, capite primo.

DE HOMINE POST *lapsum.*

Appellationes eius attingit Beda, dicens: In Scripturis diuinis peccatores homines, dæmones quoq;, & ignorantię atq; tribulationes siue peccata, pro modo & locis tenebræ nuncupantur. Libro 2 in Iob, capite undecimo.

De lapsu hominis inquit Beda: Quæritur autem, cur Deus tentare permisit hominem, quem tentatori præsciebat esse cõcessurum? Non arbitrandum est autem, quòd hominẽ deiecturus iste diabolus tentare permitteretur, nisi prius præcessisset in animam illius quædam elatio comprimenda. Non enim magnæ laudis mihi uidetur futurum fuisse hominẽ, si ꝑpterea posset bene uiuere, quia à nemine malè uiuere suaderetur: cùm & in natura posset, & in potestate haberet, si uellet, non cõsentire. Si autem moueretur quidam de hac primi hominis tẽtatione, quòd eam fieri permiserit Deus, * quasi non uideant uniuersum genus hominum diaboli insidijs sine cessatione tentari. In 2 caput Genes. Item: Adam seipsum Deum putauit suum, & ex suo nutu pendere uoluit. In 35 Psalmum. Et: Primi parentes non per infirmitatem uel ignorãtiam, sed per superbiam mandata Dei neglexerũt. De hoc enim præsumpserunt, quia à serpente dictum, Eritis sicut dij. In centesimum decimumoctauum Psalmum. Item: Primi parentes qui non per infirmitatem uel ignorantiam, sed per superbiam transgressi sunt mandatum Dei, non tãtùm ipsi per peccatum suum mortem meruerunt, sed etiam alijs poculum mortis posteritati suæ propinauerunt. In centesimũ decimumoctauum Psalmum. Et: Præcepta eius sunt ueritas, adimplentes se ueros facientia. A quibus primis parentibus recedentibus, & deinde filijs per culpam ipsorum, diminutæ sunt ueritates in singulis. In 11 Psalmum.

Aponius ait: Ipsi primi homines, qui diu non pluralem deorum numerum receperunt, sed unum Deum factorem suum, nulla in eis incuruatio fuit: sed recti steterunt in conspectu Dei, & in eloquium suum cum omni fiducia, gaudentesque præbebant auditum. Vbi uerò à mandatis eius declinauerunt, incurui, nuditatis pudorem tegentes, inter paradisi syluas fugerunt. Libro primo in Cantica canticorum. Et: Non ignoret, hominem bonum à bono Deo creatum, per liberam uoluntatem malum fieri, propria culpa persuadente diabolo. Non ignoret, cur à bono Deo, quem nullius personam accipere Apostolus affirmat, ad eius imaginem & similitudinem homo creatus, tanta uarietas morum, tanta sæuitia in hominibus uideatur inserta. Cur diuersarum nationum diuersus corporis color, cur energumeni & alieni sensus, cur cæci nascantur. Si ergo hæc non ignorauerit, quæ pulchrior inter cætera prædicatur non naturâ, sed uitio ministrorum naturæ, euenire, per libertatem arbitrij, ięquitiaq́; & crudelitate, omne quod Deo contrarium est, esse contractum, procul dubiò non omne malum ad creatorem retorquetur. Libro secundo in Cantica canticorum.

Albinus inquit: Homo qui fuit lux in Domino, umbra factus est in peccato, & flos uitæ illius sicut fœnum aruit: nec unquam reuiuisceret, nisi sanguine Christi irrigaretur. In expositione quinti Psalmi pœnitentialis. Item: Ipsa uita, in quam intrauimus, misera est, lachrymosa est, laboribusq́; plena. Ideo homo natus flere nouit, ridere non nouit: quia ad laborem natus est, non ad læticiam. In expositione Cantici graduum. Et: Inter harum, scilicet creaturarum, mirabilem & speciosam uarietatem, homo solus ad imaginem & similitudinem conditoris creatus esse legitur: & felicissimus horti qui paradisus dicitur, habitator constitutus: uniusq́; tantummodò epuli prohibitus, quatenus tam facilis obseruatione mandati cœlestem mereretur beatitudinem. sed inuidia ruentis angeli de beatitudine sua, huius mandati transgressor effectus est: atque in huius exilij, sicut comminatus est ei creator, ærumnosam deiectus est miseriam, & pœnali mortis conditione multatus. Libro secundo de Sancta Trinitate, capite decimo.

Carolus Magnus ait: Plerunque humana fragilitas suæ impossibilitatis metas excedit: & quanto se ultra quàm debet extol-

extollit, tanto ab eo qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra, recedit: quantoque ad eum qui excelsus super omnes gentes est, per sublimitatem appropinquare conatur, tanto ab eo propensius elongatur. Quæ si modum suæ conditionis non negligat, & superiora petere nitens, ad humiliora se deuota mente submittat, poterit se inclinando eò conscendere, à quo se exaltando noscebatur descendere: ut quanto se prostrauit humo, tanto fiat proxima cœlo. Libro 1. de Imaginibus, cap. 1.

¶ Quid possit homo, Beda exponit: Homo autem nec à semetipso, nec sine additamento aliquo, quicquam scire ualet. Additamentum autem dico, omnia uisibilia, per quæ instruimur ad inuisibilia intelligenda: sicut scriptum est, Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt. Item additamentum esse dico, illa intelligentiæ dona, quæ in nobismetipsis ex Dei gratia iugiter retinemus. sicut est illud: Quod tibi non uis fieri, alteri ne feceris. Tertium additamentum, in omnibus Scripturæ sacræ libris habetur. In quinquagesimumsecundum Psalmum.

De imbecillitate hominum, inquit Beda: Humana fragilitas conspectum maioris gloriæ ferre non sustinet: ac toto animo & corpore contremiscens, ad terram cadit. Quanto quis ampliora quæsierit, tanto magis ad inferiora collabitur, si ignorauerit mensuram suam. Libro tertio in Lucam, capite 9.

De prauitate inquit Beda: Quicquid à Deo creatum est, bonum est: & omnis homo, quantum creatura Dei est, bonus est. Quantum uerò se subijcit per liberum arbitrium diabolo, à patre diabolo est. Bona enim hominis natura, sed uitiata est per malam uoluntatem, & inde à patre est diabolo. Quod fecit Deus, non potest esse malum, si ipse homo non sit sibi malus. In octauum caput Ioannis.

¶ De fine hominis, inquit Beda: Ab homine in ista adhuc carne constituto, Christus debet cognosci. Libro primo in Marcum, capite secundo. Item: Deus à nobis exigit, ut quemadmodum Cæsari redditur nummus, sic Deo reddatur anima, lumine uultus eius illustrata atque signata. Vnde Psalmista inquit: Signatum est in nobis lumen uultus tui Domine. Hoc quoque lumen est totum hominis & uerum bonum, quod non oculis, sed mente conspicitur. Libro tertio in Marcum, capite 12.

Albinus ait: Ad hoc homo est creatus, ut creatorem suum intelligens, ueneretur eum metu & honore & opere mandatorum. In duodecimum caput Ecclesiastæ. Et: Omnia in decorem hominis creata sunt, homo uerò in gloriam & laudem conditoris sui factus est. In quæstionibus in Genesin.

¶ De nouo homine, inquit Beda: In interiore homine nostro, per fidem resplendet Christi gratia. Libro tertio de Tabernaculo, capite 11.

Albinus inquit: Deus ergo natura bonis propinquat, & gratia. Natura, qua eos facit homines: gratia, qua eosdem peccatores iustificat. natura, qua eos facit ex hominibus nasci: gratia, qua dat eis potestatem filios Dei fieri. natura, qua facit ut uiuant: gratia, qua facit ut sobriè, iustè & piè uiuant. natura, qua eos facit in hoc mundo paruo tempore manere: gratia, qua eos facit in cœlo sine fine regnare. Libro secundo de Trinitate, capite octauo.

¶ Renatos etiam imperfectos esse, docet Beda: Licet anima piorum sit perfecta, absoluta à maioribus criminibus, tamen adhuc indiget lauatione pedum: id est, remissione uenialium peccatorum. Quia quemadmodum si quis per puluerem graditur, necesse est ut saltem pedes eius impuluerētur, quos lauare necesse est: sic quisquis in hac uita, quæ puluerulētæ uiæ comparatur, uersatur, quantumcunq; perfectus sit, non tamen penitus ab omni peccato immunis existit, & ideo saltem lauatione pedum indiget. Vnde dictum est: Qui lotus est totus, non indiget nisi ut pedes lauet. In 24. Psalmum.

¶ Vbi sit anima. Beda: Animæ principale non iuxta Platonem in cerebro, sed iuxta Christum in corde est. Libro secūdo in Marcum, capite 7.

De anima opinionem suam recenset Aponius, scribens: Nec ignoret similem quidem habere ordinem generationis conceptus cū pecoribus, secundum carnem. Sed in anima porrò sublimiore sensu & ratione præcellere, & eam iā formato corpore in utero mitti: & non cum semine, sicut animalium animę, de prauo uiscere infundi. Nec ignoret, se imaginem & similitudinem creatoris non in corpore, sed in anima possidere. Libro 2 in Cantica canticorum.

Carolus Magnus inquit: Animas à Deo dari credimus, quas ab ipso factas dicimus: anathematizantes eos, qui animas quasi partem Dei diuinæ dicunt esse substantiæ. Eorum quoq; condemnamus errorem, qui eas antè peccasse, uel in cœlis conuersatas fuisse dicunt, quàm in corpora mitterentur. Libro tertio de Imaginibus, cap. 1.

PHRASIS DE HOMINE.

Beda: In Scriptura sacra sæpe caput pro mente ponitur. Quia sicut capite reguntur membra, ita cogitationes mente disponuntur. Libro 6 in Lucam, cap. 22.

Aliter caro in Scriptura sacra, iuxta naturā: aliter iuxta culpā, aliter iuxta corruptionem

nem mortalitatis, quę ex culpa contigit, appellatur. Ibidem cap. 24.

Albinus: Homines perfecti hinc dicũtur, non sicut perficiendi sunt sancti in illa immortalitate qua æquabuntur angelis Dei, sed sicut esse possunt hac in peregrinatione perfecti. In quæstionibus in Genesin.

DE LIBERO ARBITRIO *post lapsum.*

IN REBVS EXTERNIS.

Damascenus libro secundo de Orthodoxa fide, cap. 25. 26. 27 & 28. de libero arbitrio differens, tantùm de obiectis externis & carnalibus, & non de spiritualibus loquitur, dicens: Hæc uerò sunt, quæ in nobis sunt adæquè contingentia: ut moueri, & non moueri, quippiam cum concitatione agere, & non agere: appetere quæ non necessaria sunt, & non appetere: mentiri, & non mentiri: erogare, & non erogare: gaudere in quibus par est, & non gaudere. Similiter & in quibus minimè decet, & quæcunque sunt eiusmodi, in quibus sunt uirtutis & uitij opera. Horum enim arbitrij libertatem per se, liberamq; potestatem adepti sumus. Vtrumlibet autem & adæquè contingentes, sunt etiam artes. nam in nobis est, quam uolumus comparare, & non comparare. Est autem operæprecium cognoscere, electionem agendorum semper in nostra potestate esse, actionem uerò plerunque quodam prouidentiæ modo præpediri. Capite uigesimosexto. Distinguit quidem ea quę in nobis sunt, & quæ extra nos sunt, uerùm non explicat.

Beda ait: Quæsiui, & non inueni illum. Hæc eorũ in sancta Ecclesia uox est, qui consueuerunt transcensa labentium rerum solicitudine, summis tantùm incedere bonis, ac patrię cœlestis amare semper ingressum. De quibus dubium non est: quia non una eademq; ui dulcedinis semper, ut uolunt, desiderio supernorum posint affici: quia nimirum hæc uirtus non in arbitrio eleuatæ ad superna mentis, sed in dono est tantùm eleuantis atq; illustrantis Dei. Libro 4 in Cantica canticorum, cap. 5. Item: Neq; ullum Pelagius in domo Dei habet locum, qui se suosq; persuadebat, libertate proprij arbitrij uel liberari à malis, uel confirmari posse in bonis. Libro secundo in Ezram, capite octauo. Et: Quicunq; hominum gressus rectũ iter incedunt, non fit hoc libertate humani arbitrij, sed gubernatione illius cui dicit Esaias, Omnia enim opera nostra operatus es in nobis. Libro secundo in Prouerbia Salomonis, capite uigesimo. Et in præfatione super Cantica canticorum, refutat dogma Iuliani Celanẽsis episcopi de libero arbitrio, qui asserit, nos per arbitrium liberæ uoluntatis posse bona facere quę uolumus, quamuis per auxilium gratiæ Dei facilius perficere ea queamus. Contra hanc sententiam Iuliani, recitat multa Scripturæ dicta. ut 1. Corinth. 2: Deus est qui operatur, &c. Ephes. 2. Fuimus natura filij iræ, &c. Item: Quare tantis sæpe non solùm de foris, sed & de ipsa mente nascentibus præpedimur aduersis: nec omnia quæ desideramus bona, ualemus perficere. Ibidem.

Albinus inquit: Quis uel comedere, uel cùm opus est parcere potest, absq; Deo? qui præcipit sanctum canibus non esse mittendum, & docet quomodo in tẽpore sint danda cibaria. Pulchrè enim homini dat Deus bono sapientiam, & scientiam, & læticiam. Nisi enim bonus fuerit, & mores suos Dei adiuuante gratia, proprio arbitrio antè correxerit, sapientiam & scientiam & læticiam non merebitur. Vt ergo bono coram se dedit Deus sapientiam, & cætera: sic peccatorem suo arbitrio derelinquens, facit congregare diuitias, & hinc inde propterea peruersorum dogmatum consuere ceruicalia. In 2 caput Ecclesiastæ.

IN REBVS SPIRITVALIBVS.

Beda: Homines qui ad imaginem Dei facti sunt, percipere sapiẽtiam possunt, animalia non possunt: sed animalis quicunque est homo, nõ percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Libro 1. in Ioannem, cap. 1.

Distinguit Damascenus liberum arbitrium in Deo, angelis & hominibus, libro tertio de Orthodoxa fide, capite 14. Alio modo in Deo, alio in angelis, & alio in hominibus est liberum arbitrium. Nam in Deo, supersubstantialiter dicitur: in angelis hoc modo, ut habitui adsit prompta prosecutio, neque interpolationem omnino temporis admittat. Nam habent naturaliter liberam potestatem, qua sine impedimẽto usi sunt, nullam ex corpore reluctantiam habentes, neq; suggerentem hostem. At in hominibus, ut tẽporaliter præmeditato prosecutionis habitu. Libera enim potestate est homo, & naturaliter liberam habet potestatem.

¶ Vnde fit, Beda: Christus panem uitæ nobis per se aperiendum demõstrauit, ad cuius interiora cernenda, per nos ipsos penetrare nequiuimus. Lib. 2. in Marcum, cap. 8. Et: Multum sæpe datur etiã quibusq; priuatis, quibus & cognitio Dominicę uoluntatis, & exequendi quę cognoscunt facultas impenditur. Lib. 4. in Lucam, cap. 12. Item: Et sancti quidem homines lux sunt rectè uocati, dicente ad eos Domino: Vos estis lux mundi. Sed multum distat inter lucem quæ illuminatur, & lucem quæ illuminat. Gratiam lucis pectoribus infundere, solius est eius de quo dicitur: Erat lux uera, quæ illuminat omnem

omnem hominem uenientem in hunc mundum: Omnem, uidelicet qui illuminatur sine naturali ingenio, sine sapientia diuina. Sicut enim nemo à seipso esse, ita etiam nemo à se ipso sapiens esse potest: sed illo illustrante de quo scriptum est, Omnis sapientia à Domino Deo est. Mundus eum non cognouit. Mundum hoc in loco dicit, homines mundi amore deceptos, atque inhęrendo creaturæ à noscenda creatoris sui maiestate reflexos. Libro primo in Ioannem, capite primo. & Albinus libro primo in Ioannem, capite primo. Nemo hominum potest dicere quod ueritatis est, nisi illuminetur ab eo qui mentiri non potest. Beda ibidem capite tertio. Item: Quomodo trahit pater? Docendo delectat, non necessitate cogendo: quia nemo necessitate credit, sed uoluntate. Filius docebat, pater docebat: homo, qui uidebatur, loquebatur: sed ut Deus, in corde audientis interius docebat. In sextũ caput Ioãnis. Item: Datur à patre credentibus fides, ut nemo glorietur in fide sua, quæ à se non est quasi propria, sed à Deo data quasi gratia. Ibidem.

Aponius ait: Et quoniam ad tantum altitudinis culmen, quod post Deum currendo ascenditur, non sunt uires propriæ uoluntatis, clamat, Trahe me post te. Libro primo in Cant. canticorum.

Albinus: Non est uolentis, neque currentis, sed Dei miserentis: quia sine gratia Dei nec uoluntas bona erit in homine, neq; cursus boni operis sine Deo fieri ualet. In nonum caput Ecclesiastæ. Et: Sine Spiritus sancti gratia, remissionem accipere nemo poterit. In præfatione quarti Psalmi pœnitentialis. Item: Sordidare me potui, sed emundare nequeo, nisi tu Domine IESV sancti sanguinis tui aspersione mundum me facias. Ibidem. Et: Nihil boni in nobis esse potest, nisi tua operante gratia fiat, qui nos fecisti. In expositione septimi Psalmi pœnitentialis. Item: Spiritus tuus bonus semper est, meus uerò semper malus, nisi per tuum efficiatur bonus. Ibidem. Et: Nisi ab ipso Domino dirigantur uiæ nostræ, ad eius custodiendas iustificationes infirmi erimus, propter fragilitatem carnis. In centesimum octauumdecimum Psalmum. Item: Fecisti me cupidum mandatorum tuorum, fac & efficacem. Adiuua ut faciam quod commendas, dona ipse quod mandas. Ibidem. Et: Nisi Dominus esset nobis adiutor, nequaquam has tribulationes, & has passiones, & has persecutiones sustinere potuissemus. sed quia ille in nobis est, facilè omnia pertransire ualemus, quæ in hoc seculo dura uidentur. In expositione cantici graduum. Item: In uanum est intus homini absq; diuina gratia laborare. Ibidem. Et: Mentis humanæ uisio inualida est, ad prospiciendam diuinæ maiestatis excellentissimam lucem: nisi iusticiæ, fidei & dilectionis, diuina donante gratia, illustretur splendore. In præfatione libri secundi de Trinitate. Item: Liberum arbitrium manet etiamnum in hominibus per naturam, quod in quibus uoluerit, Deus dignatur liberare per gratiam, ne malam habeant uoluntatem. Ex quo enim primus homo libero arbitrio uenundatus est sub peccato, ideo mala cœpit esse libertas hominis: quia ipsi libero arbitrio ablata est bonitas uoluntatis, quam exinde nemo à seipso habere potuit, nisi gratia diuinæ misericordiæ adiutus habuisset, sine cuius adiutorio liberum arbitrium nec conuerti potest ad Deum, nec proficere in Deum. Vtrunque credere debemus, & gratiam Dei, & liberum arbitrium hominis. Si ergo non est Dei gratia, quomodo saluatur mundus? Et si non est liberum arbitrium, quomodo iudicabitur mundus? Libro secundo de Trinitate, capite octauo. Et: Filij Dei per gratiam effecti sumus, sine qua nihil possumus facere: ut ipsa ueritas ait, Sine me nihil potestis facere. Libro sexto in Ioannem, capite quintodecimo.

Item: Non quòd nobis quicquam tribuamus, tanquam sufficere ad hanc rem nostra potestate possemus: sed sufficientia nostra à Deo adimpletur. Tarasius in epist. ad episcopos Antiochiæ, Alexandriæ & sanctę urbis, Tomo 2 Concil.

¶ Contra synergiam interdum loquitur Beda, ut: Pelagius si placet dicat, se suo conamine saluari. Dicamus autem nos: quia uana salus hominis, in Deo faciemus uirtutem. Nam & ipse uirtutem, quę propitietur omnibus iniquitatibus nostris, & sanet omnes languores nostros, nõ ex nobis ipsis, sed de se nouit exire. Libro tertio in Lucam, capite octauo. Item: Ne mercenarij quidem statũ, nisi paterna dignatione, se mereri posse testatur. Vbi ergo sunt Pelagianistæ, qui sua se uirtute saluari posse confidunt, contra apertissimam ueritatis sententiam, quæ ait: Sine me nihil potestis facere? Libro quarto in Lucam, capite 15.

Albinus inquit: Quomodo intelligendum, Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius? Tu, quia liberi arbitrij es, non habet peccatum super te dominium: sed tu super illud, & in tua potestate est, siue compescere, siue concupiscere illud. In quæstionibus in Genesim.

DE PECCATO.

Beda inquit: Frequẽter in Scripturis peccatũ pro delicto, & delictũ pro peccato ponitur. hic noluit tamẽ ostẽdere aliquã differentiam

ferentiam in ijs, in quibus sacrificia diuisit. Et quidam putant, delictum commissum esse leuius quàm peccatum. Nam dicit Scriptura, quòd sit peccatum ad mortem. de delicto non dicit. Aut certè delictum est, cùm non facimus quæ facere debemus: peccatum uerò, cùm committimus illa quæ committere nõ debemus. Eadem autem ratione accipiendũ est de sacrificio pro peccato. In 6 cap. Leuit.

Malum ita definit Damascenus, libro 4. de Orthodoxa fide, cap. 21. Malum nihil aliud est quàm boni priuatio: & ex eo quod secundum naturam, in id quod præter naturam, prolapsio. Nam nihil malũ secũdum naturã.

Diuisionem peccati Beda recitat his uerbis: Ego dormiui, id est oppressa fui (Ecclesia) leuioribus peccatis, uenialibus scilicet. Et soporatus sum: id est, criminalium peccatorum soporem passa sum, à quibus per me exurgere nullo modo poteram. In 3 Psalmũ. Et: Omnia uitia, tam actualia priora quàm originalia, ibi extinguuntur. In 77 Psalmum. Item: In baptismate omnes hostes nostri, id est omnia originalia & actualia peccata, destruuntur. Ibidem.

Non esse malum à Deo, Beda tradit: Nihil in terra sine causa fit, &c. De humo, id est de natura hominum matre, non exit malum, cùm in terra nihil sine Dei iusticia fiat. Hoc dicit, quòd omne malum naturale non sit, quod hic dolorem dixit. Sed omne malum accidens est naturæ bonæ: & est aliud malũ, id est uindicta, quę propter peccatum à Deo infertur hominibus. Malum est quidem peccatum: sed liberi arbitrij malum est, quia hominis uoluntate committitur. Et malum est retributio mali, id est peccati, quando irrogat Deus supplicia peccatoribus. Hoc ergo dicit, quòd nihil horum accidentium malorum sine iudicio Dei fiat. non enim ita naturale est homini, ut à Deo creatum putetur. Libro 1. in Iob, cap. 5. Item: Deus qui uidetur uelle iniquitatem, quia corporaliter iniquos cohabitare iustis patitur, non uult iniquitatem: quia sicut in futuro eos corpore & mente separabit, ita hic etiam mente eos ab inuicem diuidit, malorum scilicet mentẽ excæcando, bonorum uerò mentem illuminando. In 5 Psalmum.

Vnde sit peccatum, docet Damascenus libro 2 de Orthodoxa fide, cap. 28. Corruptio autem ob nostram prauitatem, ad suppliciũ & utilitatem inducta est. Deus enim mortẽ non fecit, neq; delectatur in perditione uiuẽtium. Per hominem autem mors magis, hoc est, per Adæ transgressionem, similiter & reliquæ pœnæ. Item libro 4. cap. 23. Semel transgredientes uoluntariè legẽ Dei, & suggestionem maligni admittentes, dedimus illi ingressum, mãcipati à nobis ipsis peccato, unde promptè ducitur corpus nostrum ad illud. Itẽ: Quia non subiecta fuit Adæ uoluntas diuinę uoluntati, sed sententia ipsius contraria uoluit diuinæ uoluntati, & hæc erat transgressio, & nullus eorum quę Adam secundum omnia obediens factus est diuinæ uoluntati, unaquæq; autem hypostasis secundum propriam sententiam inobediẽs facta est diuinæ uoluntati. Omnes enim peccauerunt, & posteriorantur à gloria Dei, secundum Apostolũ. Libro de duabus in Christo uoluntatibus, cap. 12. Et libro 4 de Orthodoxa fide, cap. 22. Ex propria uoluntatis ignauia inutile sibi facit creatoris beneficiũ.

Beda ait: Peccatum per Adam exemplificatum, multos inuoluendo nullum liberum prætermittit, nisi quem liberat Christus, cui etiam abire in uoluntate non conuenit. Sciendum, quòd Adam non sicut Eua deceptus fuit, ut crederet se sicut Deum unquam futurum: sed quia (ut legitur) maluit non turbare uxorem, resistẽdo eius persuasioni, quàm obedire præceptis Creatoris, in hoc quoque deceptus fuit: quia peccatum confiteri noluit, sed culpam in autorem deflexit, dicens: Vxor, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi. Sicut Eua quoq; per serpentem excusare uoluit, dicens: Serpens persuasit mihi. In 1. Psalmum. Item: Diabolus cecidit ex occulta affectione, & Adam aliena persuasione. In 35 Psalmum. Et: Dęmones quodlibet peccatum homini persuadent. In 7 Psalmum. Item: Fit omne peccatũ ab aliquo aut per se, aut ab alio persuadente. Quod utrunq; uitium in ipso primordio claruit. Malignus enim angelus ex suo occulto cecidit, Adam uerò persuasione aliena peccauit. In 18 Psalmum. Et: Sed tamen hoc quod delinquit, est in semetipso: id est, in libero arbitrio eius. scilicet, non est inde accusandus autor uel natura, sed ipse qui per liberum arbitrium suum ad peccatum se disposuit. In 35 Psalmũ. Item: Non fatum, non fortuna, nõ stella, nec aliquod aliud, sed ego Dauid peccaui tibi. In 40 Psalmum. Et: Quicquid mali habes, ex te est: quicquid boni habes, ex Deo habes. Peruersi autem, & qui sabbatum non habẽt, quod boni faciunt, sibi attribuunt: quod uerò mali faciunt, quem inde accusent, quęrũt. Quidam enim dicunt, Satanas hoc persuasit mihi: quasi potestatem habeat cogendi. Ipse quidem uersutiam habet nocendi, potestatẽ uerò nõ habet cogendi. Non cessat sathanas mala persuadere, non cessat Christus bona admonere. Tunc ergo positus inter hunc monentem & illum suadentẽ, quare potius applicas aurem sathanæ persuadenti & fallenti, quàm Christo monenti & nõ fallenti? Nihil enim satanas te contra tuam uoluntatem cogere potest: & ideo noli accusare illũ, qui non ha-

non habes ueniam: sed accuses teipsum, qui habebis indulgentiam. Alij autem ut se excusent, accusant fatum, stellas, & cætera talia: & hi uolunt uenire per dispendium ad Deum accusandum, quia nolunt uenire per compendium ad Deum placandum. Sunt etiam alij, qui recta fronte ad Dominum ipsum ueniunt, dicentes: Si Deus nollet, ego talis non essem. In nonum Psalmum. Et: In Adam omnis humana natura, tãquam in radice, est uitiata. In 118. Psalm. Item: Tam ex natura, quàm actu, peccatis quasi ueneno pleni existimus. In 52. Psalmum.

Aponius ait: Non ignoret, hominem bonum à bono Deo creatum, per liberam uoluntatem malum fieri propria culpa, persuadente diabolo. Libro secundo in Cant. canticorum.

Albinus inquit: Propterea dat ei solicitudinem siue afflictionem, quia peccator fuit: & non esse causam afflictionis in Deo, sed in illo qui sponte sua antè peccauerit. In secundum caput Ecclesiastę. Et: Vitio nostro ad peiora labimur. In septimum caput Ecclesiastæ. Item: Eleuatus est homo honore imaginis Dei, & libero arbitrio nobilitatus: sed hoc malè usus, allisus est, & deiectus in hanc conuallem lachrymarũ. In expositione quinti Psalmi pœnitentialis. Et: Homines propria uoluntate, non necessitate aliqua, se subijciunt diabolo. Libro sexto in Ioannẽ, capite 14.

Beda inquit: Quadriga diaboli unusquisque peccator, cum gula & fornicatione & ira & superbia. In decimumquartum caput Exodi. Item: Diabolus pater est omnium peccatorum: uos enim, inquit Dominus, ex patre diabolo estis. Donec enim stat mundus, peccata sua non recipit diabolus. Omnia enim illi reseruabuntur in futurum: redduntur tamen in filios quos genuit. Per peccatum enim, homines in carne positi puniuntur à Domino. In uigesimum caput Exodi.

¶ Quomodo peccata committantur, exponit Beda, inquiens: Tribus modis peccatum committitur: delectatione, suggestione, consensu. Per serpentem suggestionem accipimus, per mulierem animalem corporis sensum, per uirum rationem. Serpens suadet, delectatio obtemperat, ratio consentit. In tertium caput Genesis. Item: Triplex uia peccandi, aut uerbo, aut facto, aut cogitatione. In decimumquintum caput Genesis. Et: Omne peccatum aut opere, uel uerbo, uel cogitatione committitur. In 32. caput Exodi.

De effectu peccati, inquit Beda: Hæc captiuitas à rege Assyriorum facta, illam generis humani captiuitatem designat, qua per regem omnium prauorum, hoc est diabolũ de patriæ cœlestis est habitatione proiectum, & in huius exilij peregrinationẽ transmigratum. In Thobiam. Item: Sicut à tinea uestimentum, ita à morte corpora consumuntur & corrumpuntur. Libro primo in Iob, capite quarto. Et: Conditio naturę hominis Adam peccante uitiata est. In octauũ Psalmum. Item: Sanctitas perijt in Adam, quem Deus posuit ante lapsum in plenitudine uirtutum. In undecimum Psalmum. Item: Suggerente diabolo, & Eua præuaricãte, miser Adam oblitus Dominicum præceptum, quod deberet ei esse ad delectationẽ, sicut panis edulium: manum extendit ad uetitum: & non inuenit quod promisit diabolus, sed quod minatus est Deus. In 101. Psalmum. Et: Carnales concupiscentiæ sunt prima mors, & dicuntur portæ mortis, quia sunt introitus ad alias duas grauiores mortes, scilicet ad consensum & operationem peccati. In nonum Psalmum. Item: Transgressor præceptorum damnatur ex propria culpa, non ex ira Dei. Ibidem. Et: Homines per primum parentem captiuitatem incurrerunt. In decimumtertium Psalmum. Item: Homines aspectum Dei per inobedientiam primi hominis amiserunt. In uigesimũ primum Psalmum. Et: Quisquis labitur uel cogitatione, necessariò Domino displicet. In 114 Psalmum. Item: Lucas ipsum Adam filium Dei dixit, cum sit factus à Deo: sed per gratiam quam postea peccando amisit, tanquam filius in paradiso cõstitutus est. Libro primo in Lucam, capite tertio. Et: Fidei & charitatis indumento primi parentes nostri, postquam peccauêre, nudati esse leguntur. Hac stola prima filius luxuriosus, postquam pœnitens ad patrem redijt, induitur. Libro tertio in Lucam, capite octauo. Item: Stola prima est, uestis innocentiæ, quã homo benè conditus accepit: sed malè persuasus amisit, quando post culpam præuaricationis cognouit se esse nudum: gloriaque immortalitatis perdita, pelliceum, hoc est mortale sumpsit indumentum. Libro quarto in Lucam, cap. 15. Et: Per serpentem primi parentes nostri ad peccandum persuasi, atque de immortalibus sunt peccando mortales effecti. Libro primo in Ioannem, capite primo. Item: Ita post peccatum primi hominis nati sumus, ut nondum reddita luce mentis, carnalibus sensibus subditi, carnalem uitã sine ulla ueritatis intelligentia traxissemus. Ibidem capite quarto. Et: Curaturus hominem à paralysi Dominus, primùm peccatorum uincula dissoluit, ut ostenderet eum ob nexus culparum artuum dissolutione fuisse damnatum: nec nisi his relaxatis, membrorum posse recuperatione sanari. Li-

bro primo in Marcum,cap.ſecundo. Item: Et datur nobis intelligentia,propter peccata pleraſq; euenire corporum debilitates.Et idcirco forſan prius peccata dimittuntur, ut cauſis debilitatis ablatis, ſanitas reſtituatur. Libro primo in Marcum,cap.ſecundo. Et: Quo quiſque melius ſapit,eo deterius delinquit. Et ideo inexcuſabiliter merebitur ſupplicium,qui prudenter,ſi uoluiſſet,potuit uitare peccatum.Libro tertio in Marcum,capite nono. Item:Sedentibus quippe in tenebris & in umbra mortis,Domino illuminare eſt,his qui in peccatis & ignorantiæ cæcitate uixerunt,agnitionis amorisq; ſui radios infundere. Quibus dicit Apoſtolus: Fuiſtis aliquando tenebræ,nunc autem lux in Domino. Pedes autem noſtri in uiam pacis diriguntur, cum actionum noſtrarum iter per omnia redemptoris illuminatorisq; noſtri gratiæ concordat.Libro primo in Lucam,capite primo.

Albinus inquit:Cur creator in Adæ maledicto terræ maledixit,& non aquis?Quia de terræ fructu contra interdictum manducauit homo,non de aquis bibit:& quòd prædeſtinauit Deus in aquis abluere peccatum, quod de fructu terrę contraxit homo.In quęſtionibus in Geneſin. Et:Per peccatum hominis maledicta eſt terra, ut ſpinas páreret, & uenenoſas herbas,uel ad pœnam & exercitationem mortalium, ut ante oculos homo ſemper habeat originale crimen, & uel ſic admonitus ſe auertat à peccatis. Ibidem. Et:Peccantibus,& non pœnitentibus, futura imminet pœna. Sæpe quidem reproborũ nequitiæ hinc quidem multę proficiunt,ſed in poſterum feriuntur.Ibidem. Et:Homines in terram,unde ſumpti ſunt,redeũt,poſtquam in primo audierunt peccatore: Terra es,& in terram ibis.In primum caput Eccleſiaſtæ.

De morte animæ, inquit Beda: Omnis mors animæ fit tribus modis: aut delectatione tantum,aut delectatione & conſenſu, & peccati perpetratione. Delectatio eſt uoluntas peccandi,quæ fit in anima, ex titillatione & fomite & aptitudine peccandi,quæ in nobis eſt: & ex ſuggeſtione, id eſt incitatione diaboli ſuperueniente. Secunda uerò eſt conſenſus, quando nos ad peragendum peccatum,quantum poſſumus,extrinſecus applicamus. Tertia eſt, ipſius peccati actio, quæ diuiditur in actionẽ ſimplicem & infrequentem,ſicut & præmiſſa duo. Et hoc dictum eſt de uoluntarijs peccatis. Dicuntur autem hæc tria mors animæ, quia per ea anima, ab eo qui uita & maritus eius eſt, recedit:id eſt,à Deo ſeparatur,& ſociatur morti,id eſt diabolo.In 1.Pſalm.

Omnes eſſe peccatores, docet Beda: Sine leuibus quotidianiſq; peccatis, nec iuſtorum quiſpiam eſſe in hac uita poteſt. Libro 2. in prouerbia Salomonis,capite 26. Et:Nec ſanctus quiſquam in carne conſtitutus, peccata ad integrum cauere poteſt. In 129. Pſalmum.

DE ORIGINALI.

Quòd ſit peccatum originis,docent patres huius ſeculi, ut Beda: Propter hoc renaſcimur,ut Deo placeamus:cui meritò diſplicet quod naſcendo contraximus. Lib. 4. in Lucam,cap.11.

Vnde ſit,Beda tradit: Crimina, inquit,ſeminum ſunt,quæ ex Adam originalia traximus:morum uerò,ſiue uoluntatum,ſeu fragilitatis & ignorantiæ, quæ ipſi per nos crimina addimus. In præfatione ſuper Cantica canticorum. Item: Verè profitemur,omnes homines in lucem iſtam plenos iniquitatis, ex reatu primæ præuaricationis uenire: incapaces autem bonitatis, abſit ut nos naſci iuremus. Ibidem. Et: Omnis homo qui hunc mundum ingreditur, in patre & matre contaminabitur, ex quibus originale peccatum trahit. In uigeſimumprimum caput Leuitici. Item: Vbi magis putredo peccatum accipiendum eſt:ideo pater, quia corrumpit naturam,& generat mortem: mater ipſa natura, de qua in peccato concipimur: ſoror ipſa mortalitas, çum qua naſcimur, uel ipſum originale peccatum, proficiens per germina peccatorum, uermibus comparanda:uel omnis poſteritas Adæ,quę de corruptione mortalitatis uelut de ſanie putredinis naſcitur. Libro primo in Iob, capite 17.

Albinus inquit: Quis me poteſt ex immundo ſemine conceptum, mundum facere, niſi tu Deus ſolus, qui ſine peccato es? Quid mirum eſt autem,ſi fecerim,in quibus me peccatorem confiteor, qui iam ex originali peccato in iniquitatibus ſcio me eſſe cõceptum?qui antè peccata contraxi, quàm uitæ principia haberem? In expoſitione 4 Pſalmi pœnitentialis.

¶ Omnes peccato originis obnoxios eſſe,Beda teſtatur: uerùm quia nos in iniquitate concepti, & in delictis editi, quamuis multum nitentes,peccatum ad integrum carere, & uirtutis arcem comprehendere nequimus:Tu qui uerbum caro factus es, perfecti per omnia uincendi ac docendi, quas noſtra fragilitas non capit dapibus ueſcere. Libro ſecundo in Samuelem, capite ſecundo. Item:Omnes natura filij iræ,omnes in iniquitatibus concepti, & in delictis ſunt à matre generati. Libro tertio in Samuelem, capite ſecundo. Et: Confiteatur catholicus, quia nemo immunis à noxa primæ præuaricationis naſcitur: & inuocet gratiam

Dei,

Dei, qua liberetur de corpore mortis, per IESVM CHRISTVM Dominum nostrum. Libro tertio in Marcum, capite nono. Item: ad distinctionem nostræ sanctitatis, IESVS singulariter sanctus nasciturus asseritur. Nos quippe, etsi sancti efficimur, non tamen nascimur: quia ipsa naturæ corruptibilis conditione constringimur, ut meritò cum propheta gementes singuli dicamus, Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum. Libro 1. in Lucam, cap. 1.

Albinus ait: Tempus opportunum ad orandum pro peccatis hæc uita est, in qua ideo sancti orant, quia non est à peccatis immunis aliquis. In secundum Psalmum pœnitentialem. Et: Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens.) Omne genus humanum significat originali peccato obnoxium. In septimum Psalmū pœnitentialem. Item: Omnes homines, præter illum solum qui ex uirgine natus est, originali peccato ceci, id est cum peccato nati sunt, quod ex radice peccatrice primi parentis traxerunt. Lib. 5 in Ioannem, cap. 9.

Carolus Magnus inquit: Originali peccato omne hominū genus ante baptismū connexū tenetur. Tanta ergo illius antiqui peccati est, cum quo nascimur, massa, ut si particulatim diligenti consideratione diuidatur, omnia in eo criminalia possint inueniri peccata. Nam & superbia est illic, quia homo in sua potius esse quàm in Dei potestate dilexit: & sacrilegium, quia Deo non credidit: & homicidium, quia sese præcipitauit in mortem: & fornicatio spiritualis, quoniam integritas mentis humanæ serpentina suasione corrupta est: & furtum, quia cibus prohibitus usurpatus est: & auaricia, quia plus quàm sufficere illi debuit, appetijt. Quibus omnibus tanto est genus humanum irretitum, ut de legitimo etiā matrimonio procreatus dicat: In iniquitatibus cōceptus sum, & in peccatis peperit me mater mea.

¶ De effectu originalis peccati, Beda inquit: Signaculum imaginis Dei & similitudinis, per Adæ peccatum fuit obliteratum. libro tertio in Iob, capite septimo. Item: Per Euam serpens peccatum homini propinauit, & exinde genus Adæ ob delictum inobedientiæ perdita immortalitate, ad breue tempus uitæ redactum est, & repletum multis præsentium laboribus ærumnarum. Libro primo in Iob, capite duodecimo. Et: Sacculus significatiuo nomine, quasi tota massa peccatricis generationis Adæ dictus uideri potest: in quo quasi sub signaculo imaginis eius (genuit quippe Adam ad imaginem & similitudinem suam) totam sobolem illius in ipso præuaricatricem effectam, per multa secula Deus clausam tenuerit sub peccato: & tamen in nouissimis seculorum temporibus, per baptismum uulnera delictorum preciosa redemptione curauerit. Libro primo in Iob, capite decimoquarto. Item: Ex pœna enim originalis peccati est hoc, quod in potestate nostra non sint illiciti motus: sed tunc maximè insurgant in nobis, quando minus uellemus per suggestiones diaboli, & per fomitem peccati, qui in est nostræ carni. Et ideo eos, ne ad actum perueniant, coercere debemus. In quartum Psalmum.

Albinus ait: Quamuis in huius exilij ærumnosam cæcitatem, pro originalis peccati iustissima pœna, à gaudio beatæ felicitatis deiecti sumus: non tamen ita inde præcisi atque abrupti sumus, ut non etiam in istis mutabilibus & temporalibus, æternitatem, ueritatem, beatitudinem quærere uel desiderare ignoremus. Libro primo de Trinitate, capite 1.

De Iohanne, inquit Beda: Ab illo debuit ipse Iohannes baptizari: id est, à peccati originalis contagione mundari. qui quamuis nullo inter natos mulierum minor, tamen quasi natus ex muliere, culpæ næuo non carebat. Ideoq; cum cæteris mulierum natis, ab eo qui natus ex uirgine Deus in carne apparuit, opus habebat ablui. Quoniam igitur scriptum est, Quid est homo ut immaculatus sit, & ut mundus appareat natus ex muliere? iure timuit homo quamuis sanctus, natus tamen ex muliere, & ob id à culpæ macula non immunis, baptizare Dominum, quem ex uirgine natū nouerat nullam prorsus habere maculam culpæ. Homilia in octaua Epiphan.

Aponius ait: Terra ista quæ tecto tegitur cœlo, per peccatum primi hominis facta est domus leprosi. Nulla enim tam fœdissima lepra, quàm nota peccati, quæ facit proijci à facie Dei. Libro tertio in Cantica canticorum.

DE ACTVALI.

De peccatis actualibus, inquit Beda: Quia per ignorantiam, per obliuionem, per cogitationem, per sermonem, per surreptionem, per necessitatem, per fragilitatem carnis, singulis diebus uel inuiti uel uolentes frequenter reatum incurrimus. Libro secundo in Prouerbia Salomonis, capite uigesimosexto.

De uenialibus, inquit Beda: Filij licet delinquant, sunt tamen uia: id est in præceptis ambulant, & non nisi uenialia committunt. In 24 Psalmum.

De peccatis in sanctis, Beda ait: Quæritur, quomodo idem faciat, & idem non faciat peccatum. Ad quod sic est respondendum. Quandocunque illiciti motus nobis insur-

gunt, si tantum surgat affectus, & nullus relaxetur effectus: hoc est, si uoluntatem non præbemus eorum desiderijs, & si sic nos refrenamus, ut non exhibeamus membra nostra arma iniquitati ad iniquitatem, ecce peccatum non operamur. Sicut Apostolus quoque præcipit: Ecce peccatum in mortali uestro corpore non regnet. Sed tamen quoniam non est uigor alienæ naturæ, sed languor infirmitatis nostræ, illud unde desideria illicita insurgunt in nobis (unde Apostolus, Sed quòd habitet in me peccatum) ideo & nos facimus peccatum, & sic idem & facimus & non facimus peccatum. Et ideo rursum quæritur, an nos quotidie in oratione Dominica dicamus, Dimitte nobis debita nostra: uel pro his quæ consentientes facimus, uel pro desiderijs, quæ non nos, sed peccatũ quod habitat in nobis, facit. Quod beatus Augustinus soluens inquit: Prout ad præsens sapere possum, dico, uniuersus reatus nostri languoris & nostræ infirmitatis, cum omnibus quæ consentientes diximus, fecimus aut cogitauimus, sacramento baptismatis est deletus. Et ideo, etsi languor nobis inest: non tamen obest, si non consentiamus ei faciendo, dicendo, aut tacitè assentiendo. Sed tamen quoniam uita hominis est militia super terram, ideo uigilamus quidem contra maiora crimina: & sæpe nobis incautis subrepunt quædam: quæ etsi singula sua mole non conterunt, tamen multa cõtra nos collata aceruo nos obruunt. Et ideo quotidie pro his orandum est, ieiunandum & eleemosynandum. In 118 Psalmum.

De capitalibus, ait Beda: Non tantum capitalium incendia criminum, in quibus apertum opus diaboli claret, sed & parua quę que, & quæ hominib. extrema uel leuia fortè peccata uidentur, districti iudicis sententia reprobans damnat. In Samuelem capite decimo.

De criminalibus, Beda ait: Septem sunt criminalia peccata. In 119. Psalmum.

Discrimen inter peccatorem & impium Beda commemorat: Distat inter peccatorem & impium. quia peccator appellatur, omnis qui uel in paruis uel in magnis sceleribus decidit: impius autem, qui uel nunquam fidem recipit: uel enormitate scelerum ab ea quam accepit, anathema factus est. Libro primo in prouerbia Salomonis, capite quinto.

De peccato ad mortem, Beda inquit: Peccatum ad mortem puto esse, cum post agnitionem Dei, per gratiam Domini nostri IESV CHRISTI, oppugnat quisquam fraternitatem: & aduersus ipsam gratiam, qua reconciliatus est Deo, inuidentiæ facibus agitur. Peccatum autem non ad mortem est, si quis quam amorem à fratre nõn alienauerit, sed officia fraternitatis debita per aliquam infirmitatem animi non exhibuerit. Homilia feriæ sextæ post Cineres: & Libro 2. in Lucam, capite 6.

De peccato in Spiritum sanctum, ait Beda: Qui autem blasphemauerit Spiritum sanctum, non remittetur ei. Hoc intelligendum est, quod aliqua exigua, præualentibus magnis operibus, uox sanctorum intercessionibus remittatur. De blasphemis autem, de his dictum uideri potest, qui pœnitentiam negant, de maximis noxis non pœnitendo: de quibus dicitur, Impius cum uenerit in profundum malorum, contemnet. Secundum hoc ergo Domini dictum sunt delicta, quæ illic donanda sunt, ubi & indelebile peccatum blasphemiæ spiritus memoratur. non enim diceret Deus, Hoc peccatum non remittetur, si alia peccata non remitterentur illic. Quæ sint autem illa peccata, uel cuiusmodi sint, solus Deus nouit, qui ea remissurum se esse promittit. Libro primo in Iob, capito duodecimo.

De desertione Dei sic scribit Damascenus, libro 2 de Orthodoxa fide, cap. 29. Derelictionis duæ sunt species. est enim derelictio dispensatiua, correctiuaq; & eruditiua: & est derelictio finalis, & desperatiua. Dispensatoria quidem, & eruditiua ad correctionem, salutem & gloriam patientis facta, aut ad aliorum zelum & imitationem, aut ad Dei gloriam. Finalis autem derelictio, cum Deo cuncta quæ ad salutem sunt faciente, incorrigibilis & immedicabilis, magis auté insanabilis, ex proprio proposito permaneat homo. Tũc enim traditur in finalem perditionem, ut Iudas. Quod à nobis auertat Deus, & à tali nos derelictione defendat.

De mendacio, Beda ait: Duo sunt mendacia: quæ licet à culpa penitus libera non sint, paruam tamen culpam habent. Quorum alterum fit causa iocandi: ut quando alicui puero dicimus de magistro eius absente, Magister uenit, ut eum perterrefaciamus. Alterum uerò est officiale, id est, fit causa beneuolentiæ: ut si illum quem alius assequitur districto gladio, cum eum sciamus latitare, negabimus eum uidisse, uolentes eum liberare. Quod licet bonum uideatur, tamen peccatum est, quia mendaciũ est: & ideo uitandum est, quia mendacium est mors animæ. Potest enim & ille à Deo, ad quem pertinet, liberari: & nos ueritatem tacentes, non incurrere mortem animæ. Tacere namq; ueritatem, non est peccatũ. quod inde apparet, quia Christus, qui solus non peccauit, ueritatem tacuit, cum dicit, Multa habeo, &c. Volunt quidam inter mendacia claudere illa, in quibus est duplex uoluntas:

ut si quis alicui sibi gladium committenti, promitteret se reddere ei, quàm citò reposceret: postea uerò illi poscenti gladium, ad hoc ut uel se uel alium interficeret, se reddere denegaret, ut illius furorem compesceret. Hic duplex uoluntas esset: quia priore uoluntate manente, alia accessisset. nec esset dicendum hoc mendacium, quia non hic quod promissum fuisset, negaretur scilicet, quin quàm citò committens bono animo reposceret, ille cui commisit, sibi statim redderet. In 5 Psalmum. Item: Minus est loqui mendacium, quàm operari peccatum: maius uerò perdere, quàm odisse. Ibidem.

De superbia, inquit Beda: Caput omnis peccati superbiá diaboli, & opus idololatriæ, quod quasi duabus palmis, impietatis professione, laudum & uictimarum ceremonijs, agebatur. In Samuelem capite decimo. Item: Superbia rex & caput est scelerum cæterorum, utpote ex sua radice prodeūtium, quæ incautos fictè blandiendo, quasi lingendo decipere, atque uniuersa uitalis gratiæ quærunt erodere genimina. Libro secundo in Samuelem, capite undecimo. Et: Superbia ideo dicitur maximum delictum, quia & initium est totius peccati: & quia deiecit angelum, & ex angelo fecit diabolum, atque interclusit ei regnum cœlorum. Et ideo etiā maximum: quia sicut primum occurrit recedentibus, ita nouissimum occurrit redeuntibus. In 18 Psalmum.

Peccatum non esse substantiam, Beda docet: Iniquitas non est creaturæ, quia non est natura, quam Deus creauit: sed corruptio naturæ, quam ipse homo in se fecit. Ab Adamo iniquitas uenit, & non est substantiæ: quia non est iniquitas à Deo facta. Nam non est facta, quia omnia per ipsum facta sunt, & omnis creatura à Deo facta. In sexagesimūoctauū Psalmum. Et: Omne peccatum fundamentum non habet, ut quod non ex propria natura subsistit. Malum quippe sine substantia est: quod tamen utcunq; sit, in boni natura coalescit. Libro secundo in Lucam, capite sexto.

De peccato hominum Albinus inquit: Angelicum peccatū silentio in Genesi absconditum est, & hominis patefactum: quia angelicum uulnus Deus non prædestinauit curare, hominis uerò sanare prædestinauit. In Quæstionibus in Genesin.

DE LEGE.

Definitionem legis talem ponit Damascenus libro quarto de Orthodoxa fide, capite uigesimotertio. Lex autem est, quod docet eius mandatum, ut in ipso manentes, in luce simus. Cuius quidem mandati præuaricatio, peccatum est: quod per suggestionem diaboli, & nostram incoactam & liberam admissionem paritur.

De duabus tabulis inquit Beda: In duabus tabulis scripta est Lex, propter duo testamenta, uel propter amorem Dei & proximi. In 20 cap. Exodi.

¶ Vnde sit. Albinus ait: Deus in principio legem non dedit, sed eam postea per Mosen tradidit, quia in hominibus primis diu lex bonæ naturæ seruabatur. at ubi naturalis lex euanuit, oblata consuetudine peccandi, data est lex literæ per Mosen, ut bona quæ sciebantur, autoritatem haberent: & quæ latêre cœperunt, manifestarentur: & ut terror disciplinæ corrigeret delinquentes, & fidem reformaret in Deum. In Quęstionibus in Genesin.

Carolus Magnus dicit: Cum igitur Deus primùm hominibus naturalem legem dederit, qua ab hominibus corrupta, dederit postea scriptam, qua etiam uiolata sese per præsentiam corporalem uidendum exhibuerit, & ante legem, & sub lege, & sub gratia semper humanæ saluti credatur consuluisse. Libro tertio de Imaginibus, capite uigesimoseptimo.

De decalogo ait Beda: Dominus legem in decem uerba cōstituit. Nullus numerus crescit amplius nisi usq; ad decem: ac per hoc in plenitudine numeri, plenitudinem mandatorum constituit, quæ scilicet mandata sic quidam distinguunt, ut tria pertineant ad dilectionem Trinitatis, septem uerò ad amorem fraternum, quibus societas humana nō læditur. Primum mandatum pertinet ad Deum patrem, secundum ad filium, tertium ad spiritum sanctum pertinet, cuius dono requies nobis sempiterna promittitur. In uigesimum caput Exodi. Item: Post tria pręcepta septenarius succedit numerus, pertinens ad amorem proximi: & incipit ab amore parentum, à quibus in hac uita sumimus exordium, &c. Fortasse ideo non una, sed duæ tabulæ dictæ sunt, quia decem mandata hæc ad dilectionem pertinent Dei & proximi. Ibidem. Et: Decem præceptorum tria pertinent ad Dei dilectionem, septem ad hominum dilectionem, quæ in duabus tabulis distincta Moysi data fuerunt. Tria quæ pertinent ad Dei dilectionem, hæc sunt: Dominus tuus Deus unus est, ne fornicceris post deos alienos. Secundum mandatum, Ne accipias nomen Dei tui in uanum: id est, ne credas uerbum propter te incarnatum, tantum creaturam, & non creatorem esse: quod, hoc nomen Christi in uanum sumere esset. nam ut testatur Ecclesiastes: Omnis creatura quæ sub sole est, uanitas est. Tertium mandatum est, Obserua sabbatum. Mandata septem quæ pertinent ad homines, hæc sunt: Honora patrem & matrem:

Non occides: Non mœchaberis: Nō furtum facies: Non falsum testimonium dices: Non concupisces uxorem proximi tui. In præfatione Psalmorum.

De sententia legis inquit Albinus: Charitas est plenitudo legis: & cessantibus cæteris mandatis, sola permanet in æternum. In 118 Psalmum.

¶ Officia legis sunt: Ostendere peccata. Beda: Ipse sacerdos Dominus Christus, aquas amaras, hoc est, per Scripturæ diuinæ disciplinam hypocrisin contemnit, & peccatum manifestat uel hic, uel certè in futuro. In 5 caput. Numer. Et: Lex admonet, ut se quisq; reum agnoscat, uidens se eam non posse implere. In trigesimumprimū Psalmum. Item: Lex sine gratia est litera occidens, & ualet tantum ad conuincendam iniquitatem, non ad dandam salutem. In septuagesimum Psalmum. Item: Etenim benedictionem lator legis dabit: hoc est, Dominus qui dedit legem deprimentem, dabit & gratiam subleuantem. Lex ideo dicitur deprimens; quia non potuit saluare, sed peccata tantùm ostendere. Vnde ait Apostolus: Si enim data esset lex quæ posset uiuificare, &c. Potuit etiam Lex peccatum demonstrare, sed non potuit auferre. quod idē Apostolus ostendit, dicēs: Occasione enim accepta peccatum per mandatum, &c. Et ita lex quidem producebat infirmos, sed non sanabat eos. In octuagesimumtertium Psalmum. Et: Ad hoc data est Lex, ut crescente peccato superbi humiliarentur, humiliati confiterentur, confessi sanarentur. In centesimumsecundum Psalmum. Item: Quid magis stupendū, quàm quòd Deus bonus, cum bona præceperit, eis tamen legem dederit, quos eadem lex uiuificare non posset, & quibus ex ipsa lege nulla iusticia esset. Vnde Apostolus: Si enim data esset lex quæ uiuificare, &c. Cur ergo data est lex, quæ non posset uiuificare, & ex qua nulla iusticia esset, nempe mirandum, nempe stupendum. Noli superbire, nec de te præsumere: & intelliges cur bona lex à bono Deo data est, cum tamen non posset uiuificare, & ex qua nulla iusticia esset. Ideo enim data est, ut te magnum faceret paruum, & ut te ad perficienda mandata de tuo uires non habere demonstraret: & sic indigus opis confugeres ad gratiam, & clamares, Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum. Quis enim potest mandata Domini ita facere, sicut sunt facienda, nisi per fidem quæ operatur per dilectionem, & nisi in cuius corde charitas per Spiritum sanctum diffundatur? In 118 Psalmum.

Albinus: Lex quidem per Mosen data est, in qua quid agendum, quid uitandum sit, cœlesti iure decernitur: sed quod illa præcipit, non nisi gratia Christi completur. illa siquidem monstrare peccatum, iusticiam docere, & transgressores sui reos ostendere ualebat. Porrò gratia Christi diffusa per spiritum charitatis in cordibus fidelium, facit ut quod lex præcipit, impleatur. Vnde illud quod scriptum est, Non concupisces, per Moisen lex est, quia iubetur: sed per Christū fit gratia, quando quod iubetur, impletur. Lib. 1 in Ioannem, cap. 1.

Carolus Magnus inquit: Lex est nobis in præsentis seculi caliginoso itinere, ad dirigendos nostrarum mentium gressus à Deo collata: cuius iubare mentis acies perlustrata, mysticorum sensuum possit intueri secreta. Libro primo de Imaginibus, capite decimosexto. Item: Lex peccata tantummodo ostendit: gratia autem quæ per Christum data est, peccata quæ lex monstrauerat, curauit. Libro tertio de Imaginibus, capite uigesimoquinto.

¶ Legem non impleri. Carolus Magnus: Deus præcepit, sed homo non fecit. Lex enim posita est in ueteri Testamento, quæ conuinceret transgressores. Non enim implebatur timore, quæ non impletur nisi charitate. & ideo dicitur opus Dei, quia Deus legem constituit, Deus conscripsit. Nullum opus hominis, quia homo Deo non obtemperauit, & eum potius reum lex fecit. Hoc est ergo quòd prima data est lex, ubi significatur uetus Testamentum, quod est opus tantummodo Dei, & conscriptio digiti Dei. Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum & iustum & bonum. Lex ergo sancta & bona Dei opus est: ubi homo nihil agit, quia non obtemperat, sed reatu potius premitur, lege minante atque damnante. Libro primo de Imaginibus, capite decimoquarto. Et: Deus iugum legis homini imponit, homo ferre non ualet. Libro 1. cap. decimoquinto.

Legem non iustificare, docet Beda: Lex non liberauit mundum, sed Christus. In 3 caput Exodi.

Legem per Christum declarari, inquit Beda: Nec lex sine Christo, nec Christus sine lege esse potest. In decimumtertium caput Numer.

¶ De abrogatione legis, Beda inquit: Lapis uerò litera legis, quæ celauit sensum spiritualem, quam Christus aduenieēs amouit. In uigesimumnonū caput Geneseos. Item: Diuinitùs autem procuratum est, ut patefacta per orbem fidei euangelicæ gratia, templum ipsum quondam augustum cum suis ceremonijs tolleretur, ne quis fortè ad huc paruulus ac lactens in fide, si uideret illa permanere, quæ à prophetis sanctis facta, quæ à Domino sunt instituta, admirando sanctum

ctum seculare, paulatim à synceritate fidei quæ est in CHRISTO IESV, ad carnalem laberetur Iudaismum. Prouidens ergo Deus infirmitati nostræ, & Ecclesiam suam multiplicari desiderans, omnia illa subuerti fecit, ac penitùs auferri, quatenus umbra & typo cessante, ueriorem ipsa iam ueritas per orbem declarata palmam teneret. Libro quarto in Marcum, capite decimotertio. Et: Verùm passo in carne Domino, ac resurgente à mortuis, tempus fuit ut legalis illa & figuralis obseruatio cessaret, atque ea quæ secundum literá gerebantur, in spiritualem translata sensum, melius in nouo Testamento, iuuante Spiritus sancti gratia tenerentur. Non ultra carnalibus synagogę ceremonijs delectabor, in quibus etiam ista paschalis agni sacra locum tenuêre præcipuum. Ibidẽ capite 14.

Albinus: Tempus amandi legem, & ea quæ ex lege fuerint imperata, circumcisionem, hostias, sabbata, neomenias: & tempus odiendi eas, Euangelij gratia succedente. In 3 caput Eccles.

De lege naturæ. Albinus ait: Legem naturalem homines habent in corde fixam: Quod tibi fieri non uis, alteri ne feceris. Libro quinto in Ioannem, cap. undecimo.

DE EVANGELIO.

DE Euangelij uoce inquit Beda: In luce gratiæ singulariter bona prædicaturi uenimus, adeò mimirum bonũ, ut & regnum Dei inauditũ mortalibus prædicet, & ad hoc uniuersum genus conuocet hominum: à qua etiam bonitate præcipua, Euangelium græcè nomen accepit. Libro 4 in Samuelem, cap. 4.

Quid sit, Beda exponit: Euangelium quippe bonum nuncium dicitur. Quod autem melius est nuncium, quàm, Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum? Dei est, regni cœlestis introitum pœnitentibus prædicare. Rectè Marcus filium Dei nominat, quem in prima uoluminis sui fronte autorem Euangelij, & sponsorem regni designat æterni. Libro primo in Marcum, cap. 1.

Carolus Magnus ait: Euangelium est bonum nuncium: & reuera bonum nuncium, quoniam qui id suscipiunt, filij Dei uocantur. Est enim amnis quadrifluus, ab uno ineffabili paradisi fonte progressus, & in quatuor amnes insigniter deriuatus, & ad arentia corda irriganda salubriter emissus. Est uia, quæ ducit ad uitam: est lux, à tenebris uitiorum reducens, & inoffenso calle gressus mortalium ad cœlestia dirigens. Est urbis florentissimæ munimentum, in quo firmiter stare præstantissimum uitæ emolumentum, à quo recedere periculosissimum detrimentum est. Sunt fluenta ueritatis, quæ fallere falliq; nesciunt, in quorum uastissimis amnibus plura Dominicorum gestorum insignia habentur. Libro quarto de Imaginibus, cap. 10.

Doctrinam Euangelij Beda indicat, dicens: Scire debetis, omnibus diuinæ Scripturæ paginis meritò Euangelicam excellere autoritatem: quia quod lex & Prophetæ futurum prænunciarunt, hoc redditum atque completum in Euangelio demonstratur. Libro 1 in Ioannem, cap. 1.

De effectu inquit Beda: Via est & Euangelij prædicatio, per quam lux fidei spargitur super corda credentium. Et pulchrè spargi dicitur, quia infidelitate mentes hominum aridæ, ubertate diuinæ gratiæ cum quadam dispensatione rorantur: & ita diuiditur ęstus feruentis sancti Spiritus super terram fidelium. Sic inquam diuiditur, cum unicuiq; datur gratia secundum mensuram donationis Domini Christi. Et paulo pòst: Sic ergo diuiditur ipsum bonum Euangelij, ut uitam alijs largiatur, alijs mortem crimine infidelitatis operetur. Libro 3 in Iob, cap. 7. Item: Euangelij imber terram Ecclesiæ, quæ fuerat desolata à Deo, & inuia, charitatis Dei adipe repleuit, atq; pinguedine, ut ex ubertate donorum cœlestium produceret ac proferret herbas uirentes satiui seminis, secũdum genus suum. Ibidem. Et: Christi Euangelium, secundum uoluntatis arbitrium unicuique, alijs est odor mortis in mortem, alijs est odor uitæ in uitam. Libro tertio in Iob, capite 8.

De differentia Legis & Euangelij, sic ait Beda: Lex addita est ad naturá, ut quod mala consuetudo uitiauit in natura, lex reformaret in litera. Gratia cœlestis per Christum uenit: & sicut nec lex naturæ bonum destruxit, ita nec gratia legem soluit, sed adimpleuit, naturamq; pristinæ reddidit nobilitati. natura tamen & lex sine gratia impleri non potuit. Nec sic homini liberum arbitrium datum est, uel legis præceptum, ut gratiæ non indigeret: sicut Pelagiana hæresis affirmat. In 12 cap. Ioannis.

Aponius inquit: Lex namque lactat Ecclesiam, gratia generat. Rectè ergo usque ad Christi aduentum primùm mater ponitur lex, ad quam nos gratia generatos cœlo alendos transmittit. Iam enim à Christi aduentu gratia præcedit: quia omnis natus, nisi renatus per gratiam, nec putabitur natus. Et paulo pòst: Animabus generatis per gratiam, præ omni censu terreno necessaria est obseruantia legis diuinæ, ad quam nos gratia nutriendos transmittit. Libro quinto in Cantica canticorum.

DE PRAEDESTINATIONE.

DAmascenus libro primo de Orthodoxa fide, capite decimooctauo inquit: Nam ipse omnia quæ in nostra potestate nō sunt, præscientia prædeterminauit, unumquodque secundum proprium & conueniens tempus & locum. Item: In Dei consilio præsignata erant omnia, quæ ab ipso sunt præfinita: & citra ullam demutationem quæ erant futura ante suam quæque generationem: perinde atque si quis ex ædificare uelit domum, imaginatur primùm & uelut imaginem in arcano mentis recessu reuoluit figuram & descriptionem futuræ domus. Lib. 1. Apologetico pro ueneratione sanctarum imaginum.

Beda inquit: Nullus de his qui ad uitam prædestinati sunt, perire in perpetuum potest. Libro primo in Ezram, capite primo. Item: Hoc quotidie facit Dominus, hoc usque ad finem seculi facturus est, cum derelictis eis quos suos non esse cognoscit, ad illorum corda uisitanda & illustranda conuertitur, quos ad uitam prædestinauit æternam. In Thobiam. Et: Iudas non per imprudentiam, sed per prouidentiam inter Apostolos eligitur. Libro primo in Marcum, capite tertio. Item: Primò Iudæi, ut in Apostolorum actibus legimus, deinde etiam gentiles acriori ac fortiori persecutione frequenter instabant, ne illuminandus sanandusq; Christum mundus inuocaret: nec tamen eos qui ad uitam erant præordinati æternam, uesanus impugnantium furor dispo sita ualebat salute priuare. Lib. tertio in Marcum, cap. 10.

Albinus ait: Consideremus opera Dei, quàm magna, & quàm mirabilia sint: & quo modo alium gratuita pietate elegerit, alium iusto iudicio despexerit. Sicut de Iacob & Esau dicitur: Iacob dilexi, & Esau odio habui. Dicitur & in Psalmo: Vniuersæ uiæ tuæ misericordia & ueritas. In octauum caput Ecclesiastæ. Item: Sed quomodo intelligendum est, Non'ne ego uos duodecim elegi? dum ille unus filius diaboli dicitur esse: nisi quia aliter electi sunt illi undecim, aliter & ille unus. Electi sunt illi ut manerent in Christo, & ut sonus illorum exiret per orbem terrarum: electus est ille unus, ut dispensatio diuinæ misericordiæ in salutem humani generis impleretur per eum, unde bonitas Dei bene utebatur malitia illius: sicut in uenditione Ioseph bene usus est Deus malitia fratrum, ut ex opere malo illorum bonitas Dei ostenderetur in salutem multorū. Sic malum Iudæ in bonum uersum est nostrum. Quod facit malus, malè utendo bonis Dei, sibi nocet, non bonitatem Dei destruere poterit. Libro tertio in Ioannem, capite sexto. Et: Omnia Deo sunt præsentia: & in diuina prædestinatione, futura qua si transacta esse credenda sunt. Quod enim futurum fuit ut fieret, hoc quasi transactum fuit. Libro septimo in Ioannem, capite decimoseptimo. Item: Quos de mundo Dei filius elegit cum patre, idem ipse homo filius de mundo eos accepit à patre. Ibidem.

De induratione & electione scribit Albinus: Cum quæstiones huiusmodi in medium uenerint, quare alius sic, & alius sic iudicetur: quare ille Deo deserente excæcetur, ille Deo adiuuante illuminetur: non nobis iudicium de iudicio tanti iudicis usurpemus, sed contremiscentes exclamemus cum Apostolo: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles uiæ ipsius? De talibus uerò quæstionibus uel iudicijs Dei admonentem audiamus Scripturam, atque dicentem: Altiora te ne quæsieris & fortiora te ne perscrutatus fueris. Libro quinto in Iohannem, capite decimotertio.

De numero credentium, ait Beda: Nouit Dominus qui sunt eius, & apud ipsum certus est suorum numerus electorum. Quumque tot in Iudæa credituros non inuenit, quot ad fidem uitamq; prædestinatos nouit æternam, quasi alia nauis receptacula piscibus quærens suis, corda quoque gentium si dei gratia replet. Lib. secundo in Lucam, capite quinto. Item: Nouit Dominus qui sint eius. Nouit qui permaneant ad coronā, qui permaneant ad flammam. Nouit in area sua triticum suum, nouit & paleam: nouit & segetem, nouit zizania. Lib. 1. in Iohannem, capite 3.

Quæstionē de Iudæis, Beda soluit dicens: Hic quæstio difficilis oritur, quid fecissent Iudæi mali, uel quæ culpa illorum esset, ut non crederent: si necesse erat ut sermo Esaiæ prophetæ impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro, & brachiū Domini cui reuelatum est? Cui quæstioni respondemus: Deum præscium futurorū per Prophetā prędixisse, tamen non fecisse. Non enim propterea quenquam Deus ad peccandum cogit, quia futura hominum peccata iam nouit: ipsorum enim præsciuit peccata, non sua, non cuiusquam alterius, sed ipsorum. Quapropter si ea quæ ille præsciuit ipsorum, non sunt ipsorum, non uera præsciuit: sed quia illius præscientia falli non potest, sine dubio nō alij, sed ipsi peccant, quos Deus peccatores esse præsciuit. Fecerunt ergo peccatū Iudæi, quod eos facere non compulit, cui peccatum non placet: sed facturos esse prędixit, cui nihil latet. In duodecimum cap. Ioannis.

DE IVSTIFICA-tione.

DE iusticia Dei inquit Albinus: Magna est in utroque iusticia Dei, rectumq; iudicium, quo & peccatori pœna decernitur, & pœnitenti iustificatio non negatur. In 118 Psalmum.

Vnde sit iustificatio, Beda declarat inquiens: Nemo potuit genus humanum liberare à morte, nisi Christus. In secundum caput Geneseos. Et: Quod autem dicitur, Salus nostra in manu tua est: significat, salutem nostram in Christi esse potestate constitutam. In quadragesimumseptimũ caput Genesis. Item: Non lex mundum, sed Christus in sua passione & resurrectione liberauit. In tertium caput Exodi. Item: Quod ira per Adam fuit temporalis, misericordia uerò per Christum concessa est æternalis. In 88 Psalmum. Et: Omnes detinebamini sub lege peccati & mortis, & omnes sub peccato uenundati essemus æternaliter, nisi Deus pater per uerbum suum nos uelut seruos empticios liberasset. In decimũseptimũ Psalmum. Item: Cum omnes peccatores essemus, per Christum Deus ex peccatoribus iustos, ex seruis filios, ex impijs pios, ex damnatis fecit in regnum cœlorum assumptos. Quod uerè fuit Dei gloria, non nostrum meritum: quia cum nos nihil boni meruissemus, tantum bonum accepimus, iuxta quod dicit Apostolus: Apparuit benignitas saluatoris Domini nostri Dei, qui non ex operibus iusticiæ, &c. In decimumoctauũ Psalmum. Et: Omnes creaturæ ut beatitudinem æternitatis uel immutabilitatis obtineant, non hoc per suam naturam, sed per creatoris sui participationem & gratiam consequuntur. Libro tertio in Lucam, capite undecimo. Item: Dominus noster IESVS CHRISTVS, pro salute humani generis à paterna sede nunquam recedens, descendisse dicitur. Libro primo in Ioannem, capite primo. Et: Per cognitionem Domini & saluatoris nostri, omnia diuinitatis eius mysteria, quibus saluaremur, agnouimus. Qui nos propria gloria & uirtute uocauit: quia non angelum ad saluationem nostram, non archangelum misit, non in nobis aliquid meriti boni pro quo saluaremur inuenit: quin potius infirmos & inglorios cernens, sua nos uirtute recuperauit, & gloria. Hinc etenim dicit: Non uos me elegistis, sed ego elegi uos. In primum caput epistolæ Petri secundæ.

Aponius: Deus ad cœlorum regnum ducit. Libro secundo in Cantica canticorum. Et: Sicut corpus sine esca & potu subsistere non potest: ita Ecclesiæ uoce declaratur, sine botre, qui est Christus, æterna uita de cœlo descendens, animam uiuere non posse, qui in nulla alia terra, nisi in terra repromissionis, ab esurientibus & sitientibus iusticiam inuenitur. Libro tertio in Cantica canticorum.

Albinus inquit: Sicut Christus maledictioni subiacuit, ut nos à maledicto legis erueret: ita & peccatorem se profitetur, quo peccata nostra portaret, & pro cogitatu ac consilio nos ab eis eriperet. Super tertium Psalmum pœnitentialem. Et: In ipso spiritu sancto omnes fideles remissiones peccatorum, siue in baptismo siue in pœnitentia consequuntur. Libro secundo de sancta Trinitate, capite decimonono. Et: Sol Christus omnia illuminat spiritalis gratiæ splendore & uirtute, in cuius pennis sanitas est, qui credenti in eum oritur, & infideli cuilibet occidit. In primum caput Ecclesiastæ. Item: Dominus angelorum descendit, & respersos nos sanguine suo sanauit ab omni infirmitate peccatorum nostrorum. In septimum caput Ecclesiastę. Et: Eripe animam meam ab imminenti scilicet supplicio: & saluum me fac, non meis meritis, sed tua misericordia. In primum Psalmum pœnitentialem. Item: Humilitas Christi soluit peccata nostra. In quartum Psalmum pœnitentialem. Et: Quod ait, Deus salutis meæ: significat Dominum saluatorem, per quem salus piè credentibus datur. In quartum Psalmum pœnitentialem. Item: Patri dicitur, Tunc acceptabis sacrificium iusticiæ: id est, filij gloriosissimam passionem, qui se sacrificium pro omnibus obtulit, ut salutem, quam mundus suis operibus non merebatur, acciperent. Ibidem. Et: Flos uitæ hominis sicut fœnum aruit, nec unquam reuiuisceret, nisi sanguine Christi irrigaretur. In quintum Psalmum pœnitentialem. Item: Totius humani generis salus fieri non potuit, nisi adueniente filio Dei. Ibidem. Et: Propitiatio est sanguis Christi, quæ nos liberauit à seruitute timoris, quæ in lege fuit ueteri. In canticum graduum. Item: In uerbum quod caro factum est, sperauit anima mea, per quod uerbum mihi omnia dimisisti peccata. Ibidem. Et: Mitissimus creator nolens facturam imaginis suæ æternaliter perire, misit filium suum unigenitum Deum, per quem creauit hominem, ut per eum redimeretur, per quem creatus est. Libro secundo de Trinitate, capite decimo. Item: Est pater uita, & filius uita, utrique tamen una uita, non duæ: quia unus Deus, non duo dij. in hac uerò uita uiuet mundus, & uiuet quamdiu obedierit huic uitæ. capite 15 eiusdem libri. Et: Nullus planè ueram pacem cum Deo habere poterit, nisi per mediatorem Dominũ Christum, qui est in duabus naturis uerus Deus, uerusq; homo, unus Christus,

ſtus, idem ſacerdos & ſacrificium, ueniens ad nos offerre pro nobis quod ſumpſit ex nobis, ut auferret à nobis quod inuenit in nobis, id eſt peccata. Sicut enim diabolus mediator eſt ad mortem, qui ſuperbus ſuperbientem hominem perduxit ad mortem: ita Chriſtus mediator ad uitam, humilis, hominem inobedientem reduxit. quia ſicut ille elatus cecidit, & deiecit conſentientem: ſic iſte humiliatus ſurrexit, & erexit credentem. Idcirco autem mediator, quia idem Deus atque homo uerus, habens cum patre eandem diuinitatis naturam, & humanitatis eandem cum matre ſubſtantiam, habens ex nobis uſque ad mortem iniquitatis noſtræ pœnam, habens incommutabilem de Deo patre iuſticiam: propter noſtram iniquitatem temporaliter mortuus, propter ſuam iuſticiam & ipſe ſemper uiuus: qui crucifixus eſt ex infirmitate noſtra, ſed uiuit ex uirtute ſua. Libro tertio de Trinitate, capite duodecimo. Et: Salua proprietate utriuſque naturæ, & in unam coeunte perſonam, ſuſcepta eſt à maieſtate humilitas, à uirtute infirmitas, ab æternitate mortalitas: & ad perficiendum opus ſalutis humanæ, natura incommutabilis naturæ eſt unita paſsibili, ut mediator Dei & hominum homo CHRISTVS IESVS & mori poſſet ex uno, & mori non poſſet ex altero. Cap. decimoquinto eiuſdem libri. Item: Lex per Moſen data eſt, cum populus aſperſione ſanguinis agni mundari pręceptus eſt: gratia & ueritas, quæ in lege figurabatur, per IESVM CHRISTVM facta eſt, cum ipſe paſſus in cruce lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Libro primo in Ioannem, capite primo. Et: Sicut æneus ſerpens effigiem quidem ignitis ſerpentibus ſimilem, ſed nullum prorſus in ſuis membris habuit ardorem ueneni nocentis: quin potius percuſſos à ſerpentibus, ſua exaltatione ſanabat: ſic nimirum, ſic redemptor humani generis, non carnem peccati, in qua mortem crucis patiendo, credentes in ſe ab omni peccato & ab ipſa etiam morte liberaret. Et paulo pòſt: Sicut illi qui exaltatum pro ſigno ſerpentem æneum aſpiciebant, ſanabantur ad tempus à temporali morte & plaga, quam ſerpentium morſus intulerat: ita & qui myſterium Dominicæ paſsionis credendo, confitendo, ſynceriter imitando aſpiciunt, ſaluantur in perpetuum ab omni morte, quam peccando in anima pariter & carne contraxerant. Lib. ſecundo in Ioannem, capite tertio. Et: Ille ſolus liberare poteſt de peccato, qui uenit ſine peccato, & factus eſt ſacrificium pro peccato. Libro 4. in Ioannem, cap. 8.

Item: Non aliunde ſalutis ſpem ſiue in hoc mundo, ſiue in futuro ſeculo expectamus, niſi ab unigenito filio Dei, qui ſimul cum patre & Spiritu ſancto diuina dona largitur. Non enim aliud nomen, per quod ſaluari queamus, hominibus datum eſt. In epiſtola Germani patriarchæ Conſtantinopolitani ad Iohannem epiſcopum Synnadon, tomo 2 Concil.

Carolus Magnus inquit: In ſolo Domino ſaluatore noſtro fœdus pacis apud patrem habemus. Libro primo de Imaginibus, capite decimoquinto. Hæc omnia Chriſtus, qui eſt unicus Dei patris filius, ante ſecula à patre ineffabiliter genitus, in fine ſeculorum ad terras humanæ ſalutis cauſa miſſus peregit, qui eſt unctus à patre oleo læticiæ præ conſortibus ſuis: qui ſecundum Apoſtolum pacificauit omnia per ſanguinem crucis ſuę, ſiue quæ in cœlis, ſiue quæ in terris ſunt. Libro 4. de Imaginibus, cap. 1.

¶ Media per quæ Deus iuſticiam tribuit. Aponius: Peccatorum emundatio per aſperſionem in ueteri Teſtamento celebrabatur, quod nunc in ueritate, per ſacerdotem, per Baptiſmum, & per ſanguinem Chriſti, qui unius fidei multitudines per faſces circumplexas, à diaboli infeſtatione defendens, æterna & intemporali peccatorum remiſsione celebrari docetur. Libro tertio in Cantica canticorum.

¶ De materia iuſtificationis ait Beda: Quomodo Chriſtus peccata mundi tollat, quo ordine iuſtificet impios, apoſtolus Petrus oſtendit, qui ait: Non corruptibilibus argento & auro redempti eſtis de uana ueſtra conuerſatione. Et in Apocalypſi Ioannes apoſtolus: Qui dilexit nos, & lauit nos à peccato in ſanguine ſuo. Homilia in Epiphan. Domini.

Albinus ait: Præuidens in ſpiritu propheta, non niſi in ſanguine Chriſti peccata redimi poſſe, laudat iuſticiam eius, qua diabolum damnauit: & miſericordiam, qua mundum redemit. In expoſitione quarti Pſalmi pœnitentialis.

Carolus Magnus inquit: Legalibus ſiue Euangelicis præceptis ſupereminet miſericordia eiuſdem mediatoris, per quam non ex operibus legis, quæ fecimus nos neque uolentes neq; currentes, ſed eius miſeratione ſaluamur. Libro primo, cap. decimoquinto. Item: Mediator Dei & hominum, ut totius mundi peccata dilueret, ſe Deo patri in ſacrificium obtulit: & ut remiſsionem peccatorũ perpetim Eccleſia conſequi ualeret, ſpiritus ei ineffabile donũ, & ſui characteris inſuperabile ſignũ, & ſacroſancti baptiſmatis ſalutiferũ ſacramentũ conceſsit. Fit enim per ſpiritum ſanctum, per quem remittũtur peccata: ſiue ſanguinem Chriſti, qui à nobis in ſacramento ſumitur, & pro nobis effuſus eſt in

in remissionem peccatorum. Fit & per aquã baptismatis, in qua originalis noxæ antiquum & obsoletũ uulnus diluitur. Vnde & Apostolus, tres dicit testimonium perhibere, spiritum, sanguinem & aquam. Quia per spiritum sanctum, & per sanguinem Christi, & per aquam baptismatis, ad remissionem peccatorum peruenitur. Libro 3 de Imaginibus, cap. 6.

¶ De impulsiua iustificationis, Beda inquit: Et hic talis accipiet benedictionem, id est multiplicationẽ à Domino, hanc scilicet: ut in præsenti bene promereatur, & in futuro benè remuneretur. Et hoc non ex meritis, sed ex sola gratia: quia accipiet misericordiã à Deo, id est, quia præcedit bona uoluntas Dei in eo, & gratia eius, quæ non ex meritis est, sed à Deo. A' Deo dico, salutari suo: id est, qui secundum misericordiam præcedentem saluabit eum. & ideo saluabit eum, quia hæc generatio est quærentium eum: id est, tales sunt de his qui quærunt in præsenti ipsum Dominum per fidem, & bonam operationẽ, & tandem inueniunt. In uigesimumtertium Psalmum.

Albinus ait: Quamuis peccator peccatorum mole prematur, adest misericordia Dei in Christo: qui sine peccato uenit, ut peccata solueret. Apud quem copiosa est redemptio: quia ubi abundauit peccatũ, superabũdauit gratia. In 6 Psalm. pœnitentialem. Et: Vnũ est Domine tuæ miserationis donum, ut eo quia sancta custodientes, in tua æquitate uiuificemur: hoc est, ut æqualem te patri & spiritui sancto fateamur. In 118 Psalmum.

¶ De applicatione, docet Beda: Dominus & saluator noster ianuã nobis salutis in dextro latere sui corporis uoluit aperire: per cuius sacramẽta abluti ac sanctificati, altiorem regni cœlestis aulam possimus intrare. Lib. 2 in Ezram, cap. 7.

¶ Ex misericordia & gratis dari iustificationem seu remissionem peccatorum, Beda inquit. Secundum misericordiam.) Ne memineris delicta, sed potius memẽto mei Domine, ut miserearis secundum misericordiã tuam, id est te condignam: non secundum iram, me condignam. Tu dico, ad quem pertinet: qui solus misereris, solus mederis, solus peccata dimittis. Et hoc non facias propter merita mea, sed propter bonitatem tuam. In 24 Psalmum. Item: Beati quorum remissa.) Instruit Dauid, ut nemo uel libertatem arbitrij, uel merita sua sufficere sibi ad beatitudinem credat, sed sola gratia Dei se saluari posse intelligat. In 31 Psalmum. Et: Gratia Dei uerè dicitur gratia gratis data, quia non eam præcedentia conferunt merita. Ibid. Item: Nullus ad beatitudinem per liberum arbitrium, aut per sacrificium legale, sed per solam gratiam potest contingere. In 39 Psalmum.

Albinus inquit: Quid natura humana in homine Christo meruit, ut in ueritatem personę unici filij Dei singulariter esset assumpta? Quæ bona uolũtas, cuius boni propositi studium, quæ bona opera præcesserunt, quibus mereretur iste homo una fieri persona cum Deo, imò & homo ipse Deus, nempe ipse Deus: ipse ex quo homo cœpit, non aliud cœpit esse quàm Dei filius. Et hoc unicus, unigenitus & proprius, & ꝓpter Dei uerbũ quod caro factũ est, utiq; Deus: ut quemadmodũ est una persona quilibet homo, anima scilicet rationalis & caro, ita fit Christus una persona & uerbum caro. Vnde naturæ humanæ tanta gloria, nullis præcedentibus meritis, sine dubitatione gratuito munere, nisi quia magna hic & sola Dei gratia fideliter & sobriè cõsiderantibus euidenter ostenditur, ut intelligant homines per eandem gratiam se iustificari posse à peccatis, per quam factũ est ut homo Christus nullũ posset habere peccatum. Lib. 3 de sancta Trinitate, cap. 1. Et: Munere misericordiæ tuæ laua me Domine, ab iniusticiæ meæ maculis: nec solùm laua, sed etiam munda, ne quid sordidum remaneat in uita mea. Sordidare me potui, sed mundare nequeo, nisi tu Domine IESV sancti sanguinis tui aspersione mundum me facias. In quartum Psalmum pœnitentialem. Item: Quia non iustificabitur in cõspectu tuo omnis uiuens. Omne genus humanum significat originali peccato obnoxium, ideo nullus nisi gratia liberatus tua iustificari poterit. In septimum Psalmum pœnitentialem. Et: Sic clementissima Dei gratia commendatur, cuius miseratione in nomine Saluatoris, non nostris meritis uiuificati sumus. Ibidem. Et: Sufficienter expressum est, quòd per misericordiam consequamur uitam ęternam. illa autem meditatio beatos facit, qui operibus sanctis cœlorum regna conquirũt. In 118 Psalmum. Item: Nec adhuc de gratia loquimur, qua Deus se gratuito munere misericordiæ suæ, saluandis hominibus præbet. Libro secundo de Trinitate, capite septimo. Et: Deus ergo natura bonis appropinquat, & gratia: natura, qua eos facit homines: gratia, qua eosdem peccatores iustificat. Ibidem. Item: Hoc certissimè sciendum est, quia nemo nisi per indebitam misericordiã Dei liberabitur, & nemo nisi per debitum iudicium damnabitur. Lib. 3 de Trinitate, cap. 20. Et: Nisi dono Dei quisq; uocatus fuerit, nunquam reatum primæ transgressionis, nũquam malè blandientia augescentiũ quotidie peccatorũ umbracula euadit, nunquã saluadus uenire meretur ad Christũ. Vnde dicit Apostolus: Gratia enim saluati estis. Lib. 1. in Ioannem,

Ioannem, cap. 1. Item: Maius est quòd nos saluatos gratia suę cognitionis imbuit, quòd cœli nobis gaudia pādit, quòd prædicatores suæ fidei in mūdo dispersit, quàm quòd nos saluandos potentia suæ maiestatis ante secula præsciuit. Ibidem.

¶ De ordine inquit Carolus Magnus: Si cōfessus fueris Dominū IESVM CHRISTVM, & credideris in corde tuo quòd Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. Lib. 1 de Imaginibus, cap. 16.

¶ Fide nos saluari, Beda docet: Dominus Deus noster fidem in qua stamus, ex qua uiuimus, per quam & saluamur, multipliciter, uarieq; per scripturas sacras reuelauit nobis. Sacramenta quidem uerborum uarians, fidem tamen eandem cōmendans. In 46 Psalmum. Item: Per iusticiam factorum nullus saluabitur, sed per solam iusticiā fidei. In 77. Psalmum. Et: Interna sanatio in fide est. libro 1. in Marcum, cap. 2. Item: Ideoq; ad remissionem peccatorum, quæ per gratiam fidei ipsius obtinenda est, non merentur attingere. cap. 4 eiusdem libri. Et: Non dixit dare animam suam redemptionem pro omnibus, sed pro multis: id est, pro eis qui credere uoluerunt. Lib. 3 in Marcū, cap. 10. Item: Ad lucem, quam nec initium inchoat, nec finis angustat, uia fides est. Ibidem. Et: Nam & in præputio positus Abraham, ipse credidit: reputatumq; est ei ad iusticiam. Atq; eiusdem fidei signaculum circumcisionem accepit, ut sic utriusq; populi pater fieret per fidem. Lib. 1. in Lucam, cap. 1. Item: Pastores isti sine mora inuenerunt, quia ad illum fide inficta currebant: ad quem festinanter ire, est nō pedum gressus accelerare, sed in fide semper ac uirtute proficere. Lib. 1. in Lucam, cap. 2. Et: Qui uel ante tempora circumcisionis, uel etiam post datam circumcisionem de exteris gentibus extitere fideles, ut exemplar patientiæ Iob, & amici liberiq; illius, sine uictimis hostiarum se suosq; ab originali peccato, seu certè sola fide saluabant: quia iustus ex fide uiuit, & sine fide impossibile est placere Deo. Ibidem. Et: In fide mediatoris Dei & hominū, hominis IESV CHRISTI, & gentilitas plenitudinem gratiæ accepit, & Iudæa per errorem perfidiæ hoc, unde tumebat, perdidit. Eiusdem libri cap. 3. Item: Si igitur nos per fidem Christi, Abrahæ iam semen existimus, Iudęi propter perfidiam, Abrahæ filij esse disierunt. Ibidem. Et: Per adoptionem filij Dei, credendo in filium Dei. Ibidem. Et: Immundi sunt omnes: quos nō mundat fides Christi: de qua scriptū est, Mundans fide corda eorum. Propter hoc renascimur, ut Deo placeamus: cui meritò displicet, quod nascendo cōtraximus. Lib. 4 in Lucam, cap. 11. Item: Si autem fides saluum fecit eum, quem ad agendas saluatori & emundatori suó gratias inclinauit: ergo perfidia perdidit eos, qui de acceptis beneficijs Deo gloriam dare neglexerunt. Lib. 5. in Luc. cap. 17. Et: Crede ergo, & si mortuus fueris, uiues: si aūt nō credis, & cum uiuis, mortuus es. Libr. 5 in Lucam, cap. 20. Item: Postquam Deus homo cœlum penetrauit, etiam nobis in eū credentib. supernæ patrię patefactum cognoscimus ingressum. Lib. 1. in Ioan. cap. 1. Et: Ascensio uel ingressus regni fieri non potest absq; fide & sacramentis Dominicæ passionis. cap. 3 eiusdem libri. Item: Exaltatio serpētis ænei, quem dum percussi aspicerent, sanabantur, passionē nostri redemptoris signat in cruce, in cuius solum fide regnum mortis & peccati superatur. Et paulò pòst: Redemptor humani generis nō carnem peccati, sed similitudinem induit carnis peccati, in qua mortem crucis patiendo, credentes in se ab omni peccato, et ab ipsa ętiā morte liberauit. Item: Qui mysteriū Dominicæ passionis credēdo, confitēdo, synceriter imitādo aspiciūt, saluantur in perpetuū ab omni morte, quam peccando in anima pariter & carne cōtraxerunt. Quia qui credit in Iesum, nō solùm perditionem euadit pœnarum, sed uitam etiam percipit æternam. Lib. 1 in Ioan. cap. 3. Itē: Et non uultis uenire ad me, ut uitam habeatis.) Venire nostrū ad Christum, est credere uerum illū filium Dei, & ueram nos per illū habere salutem. Cap. 5 eiusdem libri.

Aponius inquit: Summa ergo perfectionis, sperare in Deum, est. In spe enim consistit, quicquid in suprascriptis cellarijs congregatum est. Qui sperat ergo, ipse credit in Deum. Et qui credit, omnia quæcunq; promisit, siue impijs pœnam, siue refrigeria iustis redditurο, huic perfecta manet regni cœlorum dulcedo. Libro 1. in Cant. canticorū.

Albinus ait: Eorum fidem sitit, pro quibus sanguinem fudit. Libro 2 in Ioannem, cap. 4. Et: Catholica fides humanū genus sola uiuificat, sola sanctificat. In Præfatione ad Carolum. Item: Ad ueram & sempiternam beatitudinem, nisi per fidem catholicæ pacis, cooperante charitate Dei & proximi, neminem peruenire posse certissimum est. Lib. 1 de sancta Trinitate, cap. 1. Et: Deniq; ad ueram beatitudinem peruenire uolentibus, primò omnium fides necessaria est, sicut Apostolica docet autoritas, dicens: Sine fide impossibile est Deo placere. Constat ergo, neminem ad ueram peruenire posse beatitudinem, nisi Deo placeat: & Deo neminē posse placere, nisi per fidem. Fides namq; est bonorum omnium fundamētum. Fides est humanæ salutis initium: sine hac nemo ad filiorum Dei potest consortiū peruenire: quia sine ipsa nec in hoc seculo quisquam iustificationis

cationis consequitur gratiam, nec in futuro uitam possidebit æternam. Et si quis hic nõ ambulauerit per fidem, non perueniet ad speciem beatæ uisionis Domini nostri IESV CHRISTI. Eiusdem libri cap.2. Item: Ad sacratissimæ huius beatitudinis uisionem, nemo nisi per fidem mundato corde attingere poterit, dicente ipsa ueritate: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt. Libro secundo de sancta Trinitate, capite quarto. Et: Viuit iustus ex fide, nõ illa quæ labiorum tantũ confessione profertur, sed ea quæ per dilectionem operatur. Alioquin fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa. Nullus seipsum despiciat, nullus de sua salute desperet: curramus omnes, curramus singuli: ut qui eramus longè, mereamur fieri propè, in sanguine Christi. Libro primo in Ioannem, capite primo. Item: Dabitur à patre credentibus fides, ut nemo glorietur in fide sua, quæ à se non est quasi propria, sed à Deo data quasi gratia. Libro tertio in Ioannem, capite sexto. Et: Sicut anima corporis, uita est corporis: ita fides animæ, uita est animæ. Lib. quinto in Ioannem, capite undecimo. Item: Pistis Græcè, Latinè fides dicitur: sine fide Deo placere impossibile est, nec bona fama sine fide catholica fieri poterit. Libro 5 in Iohannem, cap.12.

Item: Christus credentibus in se uitam æternam promisit. Gregorius II. in epistola tertia ad Thuringos, tomo secundo Conciliorum.

Carolus Magnus inquit: Nullum opus bonum ad perfectam salutem quenquam adducere ualet, nisi fidei fundamento superponatur, & eius munimine fulciatur. Libro tertio de Imaginibus, cap.17. Item: Vnde datur intelligi, cæteris uirtutibus fidem præeminere: & quanquam ei spes & charitas cõnectantur, tamen per fidem ad eas peruenitur.

¶ Omnes eodem modo iustificari, docet Beda: Sicut & nos peracto iam Dominicæ incarnationis, passionis & resurrectionis mysterio saluari speramus, & credimus: ita & prior Ecclesiæ pars eandẽ Domini ac redemptoris incarnationem, passionem ac resurrectionem adhuc futuram expectans, per eius se gratiam quam magnopere aduenire cupiebat, saluandam esse credebat. Lib.2 in Cantica Cantic. cap.1. Et: Hæc autem Christi gratia non solum noui Testamenti fideles iustificat: uerùm quicunq; in lege perfecti fuêre, non ex operibus legis, sed eadem Christi in carne uenturi gratia sunt salui facti per fidẽ. Lib.1 in Lucam, cap.2.

¶ De incrementis fidei inquit Beda: Euangelij prædicatio crescit in mente cuiusq; credentis: quia nemo repentè fit perfectus. Lib. 4 in Lucam, cap.13.

De fine, inquit Beda: Hæc est uera iusticia, ut modò in illum quem non uidemus, credamus. Merces autem huius iusticiæ est, ut mundati corda fide, tandem illũ uideamus, in quem modò non uisum credimus. In 109. Psalmum.

DE FIDE.

Damascenus inquit lib.4 de Orthodoxa fide, cap.12. Fides est inscrutabilis consensus, *ἀπολυπραγμόνητος συγκατάθεσις*.

Beda: Fides ipsa accessus est ad ueram salutem. In 26 Psalm.

Satis obscurè definit fidem his uerbis Beda: Quid est ergo credere in eum? Credendo amare, credendo diligere, credendo ad eum ire, & eius membris incorporari. Ipsa est ergo fides, quã de nobis exigit Deus, quæ per dilectionem operatur. In 7. caput Ioannis.

Beda de fide inquit: Spiritualiter omnes qui per fidem ueniunt ad agnitionem Dei, possunt filij Abraham dici. Sed in his sunt alij qui pro charitate ueniũt, alij pro metu futuri iudicij. In 21 caput Geneseos. Item: IESVS est CHRISTVS filius Dei, & credentes habent uitam ęternam in nomine eius. In Samuelem cap.8. Et: Non omnium est fides, sed de omnibus tamen personis, conditionibus, locis, & ætatibus qui fidem suscipiunt, eliguntur ab eo qui dixit: Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me. Neq; ibi dixit Omnes, sed Omnia: ut significaret, ex omni genere hominum futuros credentes. Libro 3 in Samuelem, cap.3. Item: Via uinearum, fides Ecclesiarum est: uel, uia uinearum Christus est, per quem itur ad uitam æternam. Libro secundo in Iob, capite septimo. Et: Vna est fides, in qua tota saluatur Ecclesia: una eademq; uita, ad quam festinat, æterna. Libro secundo de Tabernaculo, cap.3. Item: Finis fidei meæ Christus est, finis fidei meæ Dei filius est. Libro secundo in Marcum, capite octauo. Et: Intelligat scriba doctus in regno cœlorum, in hoc dæmoniaco à Domino curato saluationem omnium fidelium esse designatam, qui originalis culpæ reatu astricti ueniunt in mundum, nec nisi unius redemptoris IESV CHRISTI fide sunt & gratia saluandi. Fides non ficta, omnia quæ saluбriter petit, impetrare meretur. Sed quia per occultam inspirationem gratiæ meritorum suorum gradibus fides crescit, uno eodemq; tempore is qui necdum perfectè crediderat, simul & credebat, & incredulus erat. Libro tertio in Marcum, capite nono. Item: Hoc opus Dei est, ut credatis in eum quem misit ille. Hoc est ergo manducare cibum, non qui perit, sed qui permanet in uitam æternã. Vt quid paras dentem & uentrẽ? Crede, & manducasti. Discernitur quidem ab operibus fi-

 des,

des, ſicut Apoſtolus dicit: Arbitramur iuſtificari hominem per fidem, ſine operibus legis. Et ſunt opera quæ uidentur bona ſine fide Chriſti: & non ſunt bona, quia non feruntur ad eum finem ex quo ſunt bona. Finis enim legis Chriſtus, ad iuſticiam omni credenti. Ideo noluit diſcernere ab opere fidē, ſed ipſam fidem dixit eſſe opus. Ipſa eſt enim fides, quæ per dilectionem operatur. Nec dixit, hoc eſt opus ueſtrū: ſed dixit, Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum. In 6 caput Iohannis.

¶ De fidei effectu inquit Beda: Fides impetrat, quod lex imperat. Cum enim ſpiritus Dei cooperatur ſpiritui noſtro, tunc quod lex iubet impletur. Quod fieri nequit, niſi credendo in eum qui iuſtificat impium. Habere autem ſpiritum creditum cum Deo, eſt credere ad aliquod bonum opus ſe non ſufficere ſine ſpiritu Dei cooperante. Et hoc eſt credere in Deum, hoc eſt fidem habere: id eſt, credendo Deo adhærere bona operanti, ad bene cooperandum. In ſeptuageſimumſeptimum Pſalmum. Item: Opera Decalogi quæ litera non poterat, fides perficit. Verùm quia neutri noſtris uiribus, ſed illius gratia ſalui facti ſumus per fidem, rectè dicitur: Non habentibus illis unde redderent, donauit utriſque. Libro tertio in Lucam, capite ſeptimo. Et: Conſideremus quanta uirtus eſt fidei, cuius merito poteſtas datur hominibus filios Dei fieri. Vnde bene ſcriptum eſt: Quia iuſtus ex fide uiuit. Viuit enim iuſtus ex fide, non illa quæ labiorum tantum confeſsione profertur, ſed ea quæ per dilectionem operatur. Alioqui fides ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa. Nullus ſeipſum deſpiciat, nullus de ſua ſalute deſperet. Curemus omnes, curemus ſinguli, ut qui eramus longè, mereamur fieri propè in ſanguine Chriſti. Videamus quod dicitur: Quotquot receperunt eum, dedit illis poteſtatem filios Dei fieri. Quotquot (inquit) receperūt eum. Non eſt enim perſonarum acceptor Deus: ſed in omni gente qui timet Deum, & operatur iuſticiam, acceptus eſt illi. Quo autem ordine credentes filij Dei poſſent fieri, & quantum hæc generatio à carnali diſtet, ſubſecutus Euangeliſta deſignat: Qui non ex ſanguinib. Libro primo in Ioannem, cap. primo. Item: Quid ergo accipimus de plenitudine bonitatis illius? ſcilicet remiſsionem peccatorum, ut iuſtificemur fide. Inſuper quid? Et gratiā pro gratia: id eſt, pro gratia in qua ex fide uiuimus, recepturi ſumus aliam: quid tandem? niſi gratiam, hoc eſt æternam uitam. Ibidem.

Aponius ait: Animam ſine noticia rectæ fidei, in qua Creator noſter, in qua æterna trinitas probatur conſiſtere: & ſine adiutorio diuinæ perfectionis, nec uitam ęternam adipiſci, nec à diaboli morſibus liberari. Cibum uerò ſpiritualem & potum Chriſtus in ſe credentibus quotidie ſubminiſtrat. Libro tertio in Cantica canticorum. Et: Ad æternam militiam introducuntur credentium animæ. Ibidem. Item: Quicunque ergo deſiderat ab hoſtibus aereæ poteſtatis illæſus euadere, in foraminibus huius petræ, quam beatus Paulus demonſtrat, rectam fidem ſeruando ſemper ingrediatur. Libro 4 in Cantica canticorum.

De fide incerta, ait Beda: Qui fidem tranſitoriè, nec fixa intentione percipiunt, non ſolum nihil commodi credendo merentur, ſed & pœnam de precio ſalutis miſeri mercantur æternam. In Samuelem capite decimo.

Non deſperandum eſſe, Beda monet dicens: Vocauit Deus, Adam ubi es? Ergo non deſperandum eſt quibuslibet peccatoribus, dum & ipſi impij ad ſpem indulgentiæ prouocantur. In 3 cap. Geneſeos.

DE BONIS OPERIBUS.

Opera bona eſſe neceſſaria, docet Beda inquiens: Dominus electos ſuos famulos crebra compunctione ſolicitat, ne ad audiendū uerbum Dei, & quærendam ſuam uiam, quæ Chriſtus eſt (nemo enim uenit ad patrem, niſi per illum) uacui mente uel actione cōueniant: ſed ſedulò perquirant, quid obedientię congruentis, quid reliquarum uirtutū ſuo doctori, quibus meritò uerbum committere debeat, oſtendant. Sed & in ueteri Teſtamento, quicunq; Chriſtum ad complenda uaticinia Prophetarum in mundum uenire, qui Saulem in ciuitatem Samuelis intrare, & quæ ipſe doceret agere deſiderabant, mox ab ipſo Chriſto ſecreta inſpiratione bonis docerentur operibus inſiſtere, quo digni fierent uidere & audire, quæ multi iuſti & reges antea cupientes non audierunt, neque uiderunt. Libro ſecundo in Samuelem, capite ſecundo. Et: Si tantillum animal, formica ſcilicet, principe carēs, & rationis expers, natura duce ſibi præuidet in poſterum: multo magis tu, ad imaginem Dei conditus, ad uidendam gloriam eius uocatus, doctorum magiſterio adiutus, ipſum conditorem habens ducem, debes in præſenti bonorum operum fructus congregare, quibus æternum uiuas in æuum. Libro primo in Prouerbia Salomonis, capite ſexto. Item: Qui accepta fidei myſteria bene ſeruat, lætificat Deum patrem: qui uerò hęc actione mala uel hęreſi commaculat, matrem contriſtat Eccleſiam. Libro ſecundo in Prouerbia Salomonis, capite decimo. Et: Perfectio uirtutum eſt in hac uita, ut timeamus Dominum timore ſancto: hoc eſt, ſyncera illum dilectione

ne colamus.cap.22 eiusdem libri. Item:Sapientiam timoris Dei non habet quispiam, nisi carnem suam crucifixerit cũ uitijs & concupiscentijs.Libro secundo in Iob,capite undecimo. Et:Corda electorum ad offerenda Deo sacrificia bonorum operum, ipsius sunt dono consecrata.Libro secundo de Tabernaculo,capite undecimo. Item:Nullus Deum dignè uidere potest, nisi qui cuncta terrena & mortalia uitia deponunt. In 3 caput Exodi. Et: Nos spiritualiter opera nostra Deo offerre debemus.Pręcipitur autem nobis,ut semper pascha celebremus:id est, transitum nostrum ad meliora de prioribus.In duodecimum caput Exodi. Item: Moraliter nos uitulum offerimus Deo, cum carnis superbiam uincimus: agnum, cum irrationabiles motus corrigimus: hœdum, cum lasciuiam superamus: columbam, cum simplicitatem mentis custodimus:turturem, cum castitatem seruamus: panes azymos, cum nõ in fermento maliciæ,sed in azymis synceritatis & ueritatis ambulamus.In 1.2 & 3 cap. Leuitici. Et: Ad ædificandum domum Domini ascendebant, cum uerbis sanctarum Scripturarum admoniti,& gratia sui conditoris accensi, ueternum negligentiæ prioris discutiunt:atq; arrepto proposito instituti melioris, quotidianis bonorum operum profectibus, uelut quibusdam gradibus ascensionũ ad summa uirtutum, quæ sunt in æternæ pacis uisione,tendere satagunt.In quibus uidelicet gradibus primi sunt,ut quisque propriam uitam à uitijs bene uiuendo compescat. Secundi,ut etiam proximos à suis erratis siue negligentijs bene docendo conuertat.Supremi,ut post bona opera & doctrinam,gaudia perpetuæ remunerationis expectent. libro primo in Ezram,cap.1. Item: Et illi in muro sanctæ ciuitatis, à porta uallis usq; ad portam sterquilinij, mille cubitis ædificando perueniunt,qui percepta humilitatis gratia, tanta se industria perfectionis bonis operibus mancipant,ut omne rudus à se non solum noxiæ actionis, siue inutilis locutionis, uerumetiam superuacuæ cogitationis eijciant.Lib.3 in Ezram,cap.18. Et: Neque enim sufficit credentes solum in confessione mortis Domini ac resurrectionis baptizari & consecrari, si non etiam baptizatus quisq; studuerit,in quantũ ualet,similitudini mortis Domini continenter uiuendo ac ponendo pro illo assimilari,ut & resurrectionis eius particeps existere mereatur.Libro secundo de Tabernaculo, capite tertio. Item: Non sufficit alicui ad beatitudinem abstinere à malo,quin operetur bonum.In primum Psalmum. Et: Iustus Deum suum quanto ardentius diligit, tanto solertius offendere cauet.Libro primo in Lucam,cap.2. Item: Dicitur fidelibus, Vt filij lucis ambulate. Fructus enim lucis est in omni bonitate & iusticia & ueritate.Deus autem sine aliquo profectu semper bonus,iustus,uerusq; existit. Si ergo in luce ambulamus, sicut & ipse in luce est,societatem habemus ad inuicem.Quia uidelicet manifestum dat indiciũ, quòd in uia lucis ambulando proficimus, si fraternæ societatis, cum qua pariter ad lucem uerã perueniamus, copula gaudemus. Sed & si lucis opera facere comprobamur, si inuiolata mutuæ dilectionis iura tenere uidemur, nec sic tamen putare debemus,nostro nos profectu aut industria à peccatis ad integrum posse mundari.In 1 caput epistolæ Ioannis primæ. Et: Fideles post acceptam in Baptismo remissionem peccatorum, nõ solum ad exercenda opera uirtutum, uerumetiam ad tolerandã propter iusticiam persecutionem sunt accingendi.Lib.1 in Marcum,cap.1. Item:Christus baptizatus desertum ingreditur, ubi nobis pariter ordinem rectè conuersandi præmonstrat, ut post acceptam uidelicet in Baptismo remissionem peccatorum,spiritusq; sancti gratiam,arctius contra nouas antiqui hostis insidias accingi,mente seculum deserere,& quasi manna deserti, sola æternæ uitæ gaudia discamus esurire.Lib.1 in Lucam, capite 4.

Albinus ait: Sed generaliter omni præcipitur Christiano, ut fidem opere compleat: & non sit similis Iudæorum,qui spondent se omnia facere quæ Dominus præcipit,dicentes:Omnia quæcunq; præcipit nobis Dominus,faciemus.Postea uitulos facientes,adorauerunt idola. In quintum caput Ecclesiastæ.

Carolus Magnus inquit:Sicut iustis & honestis rebus inhærere,sanctum:ita nimirum pessimis & inordinatis rebus animũ accommodare,peccare est.In pręfatione libri de cultu Imaginum.

¶ De duplicibus operib.Beda inquit:Sancta Ecclesia abstinens ab operibus mortuis, uiua uirtutum germina parturit, secundum genus scilicet suum: id est, uitam imitando sanctorum.Producit quoq; bestias,homines in potentia rerum, siue ferocitate superbiæ. In 1 cap.Genes.

Vnde sint,Beda monet:Sed & ille Dominum de sua substantia, suarumq; frugum primitijs honorat,qui omne quicquid boni operatur,non hoc suis uiribus ac meritis, sed supernæ gratiæ tribuit, memor illius uerbi: Quia sine me nihil potestis facere. Libro primo in Prouerbia Salomonis, cap. 2. Item: Sine Christo nulli bonorum operum subsequuntur effectus.Libro secundo in Iob,capite nono. Et: Deduc me,& ita hoc agas, ut dirigas uiam meam:id est, directa facias ope

ra mea, ita ut sint in conspectu tuo: id est, ut placeant tibi. In quintum Psalmum. Item: Cum in fide cœperis bene operari per dilectionem, nec hoc meritis tuis adscribas, sed diuinæ gratiæ attribuas. In trigesimumprimum Psalmum. Et: Per ignem, id est spiritum sanctũ nostra bona opera, ut uel inchoari uel perfici ualeant, iuuantur. Lib. 3 in Marcũ, cap. 9. Item: Christus fidelibus suis concessa Spiritus sancti gratia facultaté tribuit bonis seruiendi. Libro 4 in Marcum, cap. 13. Et: Omné uictum suum in Dei munera mittit Ecclesia, quæ omne quod uiuit nõ sui meriti, sed Dei esse muneris intelligit. Lib. 5 in Lucam, cap 20. Item: Quia ergo de plenitudine conditoris nostri non quiddam, sed quicquid boni habemus, accepimus: curandum summopere est, ne quispiá se de sua bona actione uel cogitatione incautus extollat, ne si ingratus largitori remanserit, perdat bonum quod accepit. Cum autem dixisset Euágelista, nos omnes de plenitudine Christi accepisse: confestim subiunxit, & ait, Gratiam pro gratia. Geminam ergo nos gratiam accepisse testatur. Vnam uidelicet in præsenti, alteram uerò in futuro. in præsenti quidé fidem, quæ per dilectionem operatur: in futuro autem, uitam æternam. Lib. 1. in Ioannem, cap. 1.

Albinus: Fecisti me cupidum mandatorũ tuorum, fac & efficacem. Adiuua ut faciam quod commendas, dona ipse quod mandas. In 118 Psalmum.

¶ Qui bene operari queant, Beda: Filios intelligamus, iam solido robore fidei ac uirtutibus compositos atq; firmatos, & per incrementa uirtutum tanquam per annorum seriem iam de omni infirmitate uitæ incompositæ nihil habentes. Libro tertio in Iob, capite octauo.

Aponius ait: Qui ergo, ut iustum est, in toto corde, in tota anima, & in tota uirtute diligit Deum, nullum in se officium membrorum uacans relinquit peccato, nullum iræ, nullum cupiditati, nullum mendacio, nullũ kenodoxiæ, nullum libidini. Lib. 2 in Cantica canticorum.

Item: Vbi Christus fundamentum est, ibi bonorum operum structuram sequi in confesso est. Adrianus papa in epistola ad Tarasium Constantinop. patriarchá, tom. 2 Concil.

¶ De quatuor uirtutibus Beda loquitur: Quatuor uirtutes, in quarum operatione eadem est charitas exercenda: id est, temperantia, fortitudo, iusticia, prudentia: ut uidelicet incorrupta in Deo charitas atq; integra custodiatur, quod est temperantiæ: nullis frangatur incõmodis, quod est fortitudinis: nulli alij seruiat, quod est iusticiæ: uigilet in discernendis rebus, ne fallacia dolus ue paulatim surripiat, quod est prudentiæ. Libro 2 Tabernaculo, cap. 2.

Fidem precedere opera, ait Beda: Fides in nobis debet præcedere, & postea superædificari bona opera, alioquin ingrata & inutilia. In 83. Psalmum.

Ex fide bene operandum esse, monet Beda: Fides est fundamentum bonorum operum. Si desint ipsa bona opera, ociosa & mortua est: iuxta illud, Fides sine operibus mortua. Et hęc fides ideo altare dicitur, quia sine ea nihil quod acceptabile sit sacrificatur. Quoniam nõ est locus ueri sacrificij extra catholicam Ecclesiam, id est extra fidei unitatem. In 25 Psal. Et: Sine fide omne bonum opus inutile & incassum est. In 77 Psal. Item: Bona opera ubi sine fide, quæ per dilectioné operatur, fiunt, nihil agentibus prosunt. Beda, de Muliere forti.

Qualia debeant esse bona opera, Carolus Magnus exponit, dicens: Omnipotés Deus nõ opera, sed deuotionem operũ: nec actus, sed uoluntates actuum: nec res, sed causas rerum: nec quid quis faciat, sed qua mente id faciat, plerunq; aut probat, aut improbat. Libro 3 de Imaginibus, cap. 22.

Quòd non sint plena, Albinus testatur dicens: Lætemur in studio bonorum operum, quæ læticia licet bona sit, nec tamen plenè bona est, donec manifestetur Christus: cuius uisio perfecta bonitas est, & iucunditas. In 5 cap. Ecclesiastæ.

De fine, inquit Beda: Vita sancti uiri & in Euangelio Christi perfecti, non est necessaria sibi, sed aliorum dispositioni. Nec ipse propter se uiuit, sed ut eius uita exemplum præbeat alijs. In 30 Psal.

De præmijs bonorũ operum, loquũtur hę sententiæ. Beda: Mos apud ueteres fuit, ut legitimè certantes, coroná in capite tanquá in collo acciperent. Et nobis ergo, si disciplinã cõditoris nostri, si gratię matris scita custodimus, maior inde spiritualiũ uirtutum charitas augetur. Additur enim gratia capiti, cum charitas quę principale mẽtis ornabat, ardentius inflammatur: additur & collo torques, cum fulgore perfectæ operationis sermo prędicationis confirmatur. Lib. 1 in Prouerb. Salom. cap. 1. Item: Si Deũ timueris, & nõ tuis uiribus, sed superna protectione confisus, à malis abstinere studueris, sanitas erit umbilico tuo, et irrigatio ossium tuorũ: quia & infirmitas operis per hæc ad statum perfectionis conualescit, & fortia quęq; tua acta unde amplius roborentur accipiunt. Lib. 1 in Prouerbia Salom. cap. 2. Et: Finis uirtutum in futuro, ut diuitias hæreditatis promissæ, regni cœlestis gloriam, & uitam sine fine percipiamus à Domino. Capite 22 eiusdem libri. Item: Qui infatigabilis in bonis operibus persistit,

persistit, nunquam fidei luce priuatur. Iacet spiritualiter, & dormit fatigatus, qui uigilare & stare in fide, uiriliter agere, confortari negligit. In Thobiam. Et: Anima quæ moritur mundo ut Deo uiuat, geminata requie suscipitur: id est, in actione boni operis, & in contemplatione diuinitatis. In uigesimumtertium caput Geneseos. Item: Resurrectionis Christi gloriam pòst læti uidebimus, si modò à uitijs ad uirtutũ celsitudinem transmigramus. Libro quarto in Marcum, capite decimosexto.

Perseuerandum in pietatis studio, docet Aponius: Non nobis hoc tantum sufficit ad uitam æternam obtinendam, quòd baptismate à sordibus prævi, i peccatorum deleti, quòd osculum Christi per corporis eius & sanguinis gustũ anima nostra suscepit, quòd in cellaria noticię Scripturæ diuinæ introducta est, quòd directionem fidei (ut Apostoli tradiderunt) retinet inconcussam, nisi semper ea quæ operata est bona postponat, & inhiando ad ea quæ necdum perfecta sunt, petendo, quærendo, pulsando, totis uiribus extendatur. Libro secundo in Cantica canticorum.

In sanctis quę imitanda sint, Beda monet: Virtutes, non uitia sanctorum sectanda. Lib. 6 in Lucam, cap. 22.

De spe Beda ait: Sperare in Domino, est, cum uera de benefactis conscientia fiducialiter remunerationem uerorum et futurorum bonorum à Domino expectare. Spes enim tantum est de futuris & ueris bonis. De futuris ideo, quia nullus quod præteritum est, uel præsens, sperat, sed tantum quod futurũ est. De ueris bonis autem ideo tantum est, quia dicit Apostolus, Spes non confundit. Quod falsum esset, si aut de falsis bonis, aut de malis spes esse posset. Ponitur tamen aliquando Sperare pro timere. In quartum Psalmum.

De timore Beda dicit: Radix sapientię est, timere Deum: fructus sapientiæ qui sunt, nisi uidere Deum? Libro primo in Prouerb. Salomonis, capite secundo. Item: Timor Dei est principium cunctarum, custosq; uirtutum, Scriptura dicente: Timor Domini principium sapientiæ. Hinc est enim quòd B. Iob & in prosperitate uirtutibus incomparabiliter floruit, & in aduersitatibus insuperabilis hosti permansit: quia ueraciter dicere potuit, Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre nõ potui. Lib. de Muliere forti.

De duplici timore inquit Beda: Duo sunt timores Domini: Primus seruilis, qui principium scientiæ uel sapientiæ uocatur: secundus amicabilis, qui perfectionem sapientiæ comitatur. Timor seruilis principium est sapientiæ: quia quisquis post errorem delictorum sapere incipit, primò timore diuino corripitur, ne ad tormenta ducatur. Sed hunc timorem perfecta dilectio foras mittit. Succedit autem timor Domini sanctus, permanẽs in seculum seculi, quem non excludit, sed auget charitas: ipse est quo timet filius bonus, ne uel in modico oculos amantissimi patris offendat. Nam inchoatiuo timore seruilis adhuc animus metuit, ne ab irato Domino pœnis subigatur. Vterque autem timor in futura uita cessabit. Charitas uerò nunquam excidet, sed in plenitudine sapientiæ perpetua manebit: quod est cognoscere uerum & unum Deum, & quem misit IESVM CHRISTVM. Libro primo in Prouerbia Salomonis, cap. 1.

De dilectione Beda inquit: Vna est charitas, hoc est, simplex & pura mentis pietas, qua & Deum & proximos, & ipsos quoque inimicos amare iubemur. quamuis magna distantia ac distinctione rectissima ipsius amoris, Deũ primo loco, inimicos ultimo diligere debeamus: ipsis quoq; proximis pro differentia meritorum dispar sit modus impendendus amoris. Libro primo de Tabernaculo, capite sexto. Et: Charitas in nostra mente recondita eò usq; crescere debet, donec totam mentem in sui perfectionem commutet, ut nihil uidelicet præter ipsam conditoris sui dilectionem diligere, agere, recolere anima possit. Quod hic quidem inchoari, sed ibi habet perfici: ubi cum sit Deus omnia in omnibus, omnes uno eodemq; suæ dilectionis igne calefecit. Lib. quarto in Lucam, capite 13.

De eleemosyna, Beda dicit: Honora Dominum de tua substantia.) Notandũ, quòd non solum de substantia pecunię, quam pauperi porrigimus: sed & de cunctæ bonæ operationis, quam agimus, & de uniuersæ cœlestis gratiæ, quam percipimus, substantia uel frugibus Dominum honorare iubemur: hoc est, eius in omnibus, & non nostram quærere laudem. Libro primo in prouerbia Salomonis, cap. 2. Item: Minus proximum amare conuincitur, qui non cum eo in necessitate illius, etiam ea quæ sibi sunt necessaria partitur. Inter hæc autem sciendum est, quantum misericordiæ opera ualeant, cum ad fructus dignos pœnitentiæ ipsa præ cæteris pręcipiuntur. Hinc etiam per semetipsam ueritas dicit: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt uobis. Et paulò pòst: Publicanos omnes pariter in suo quemq; gradu ab agenda fraude cohercet, ut dum primò se ab alienorum temperarent appetitu, tandem ad propria cum proximis communicanda pertingerent. Nullum ergo officium, nullũ ab agenda misericordia genus excipitur: quę

plenitudo uirtutum est, & sola à morte liberat, uitamq; confert æternam: ipso iudice attestante, qui se dicturum promisit, Venite benedicti, &c. Libro primo in Lucam, capite tertio. Et: Non pauperes ipsi, sed Christus mercedem his qui eleemosynam fecere, redditurus est. Quam tamen in sinum dare dicuntur, qui promerendæ illius occasionem dedêre, cum uel egentes miserè, uel improbè sæuientes, fortiorum sunt & tolerati patientia, & beneficentia sustentati, & ad ipsam aliquoties fidem dulci gratia prouocati. Et paulo pòst: Si mitem te, tranquilliq; pectoris, alterius improbitas inuenerit, & ille ad pœnitentiam mouebitur, & tu patientiæ prę mio donaberis. Libro secundo in Lucam, capite sexto.

Albinus inquit: Nihil est melius in uita ista, nisi quod lætetur homo in opere suo, faciens eleemosynam, & futuros sibi thesauros in regno cœlorum præparans. Hanc solam habemus ueraciter portionem, quam nec fur, nec latro ualet, nec tyrannus auferre, quæ nos tantummodo post mortem sequetur. In tertium caput Ecclesiastæ. Item: Quòd si semper benefeceris, & omni ætate æqualem cursum habueris, uidebis Deum patrem dulcissimum lumen, uidebis Christum solem iustitiæ. In undecimum caput Ecclesiastæ.

Misericordiam definit Beda: Misericordia est, ad miserias eorum qui tribulantur, compatiendo cordis mœrore deflecti. Lib. primo in Iob, cap. 6.

Omnibus benefaciendum. Albinus: Timens Dominum, & imitator conditoris sui, qui pluit super iustos & iniustos, absq; respectu personarum omnibus benefacere festinat. In 7 cap. Eccles.

Diuitijs rectè utendum. Albinus: Homo non putet se plus de suo labore lucrari posse, quàm cibum & potum: & si quid de opibus suis in bonis operibus expenderit, hoc solum Dei donum est. Non ut ad desperationem & luxuriam prouocemur: sed habentes uictum & uestitum, his contenti simus: & quicquid plus est, necessitate corporis in pauperum expendatur solatia. Quia sicut caro cibo alitur & potu, ita anima eleemosynis pauperum & solatijs miserorum. In 3 caput Ecclesiastæ.

De milite Christiano inquit Beda: Hic miles Christi, indutus armorum munitione describitur. Pharetra ac receptaculum cordis illius, refertum diuinis eloquijs resonat, dū quasi bellator Domini & fortis in prælio, euangelizat uerbum uirtute multa, dum compungentia sacrorum tela uerborum ex interiore producit, percussurus charitatis sagittis eos qui parati sunt hoc salutis uulnus excipere. Hasta est, quæ manu agitur laudabilis operatio, ac dexterę fortitudo clypeus, scutum fidei in quo omnia excipiuntur atque extinguuntur ignea tela nequissimi. Vibrantur autem, quia semper in exercitio prę parata sunt. Nam & de talibus armis uibranti fulgure radiantibus, ita ad Deum dicitur: In luce iacula tua ibunt. In tertium librum Iob, cap. 8.

De Iuramento Beda dicit: Iuramentum proferre est, uoto nos diuinæ seruitutis alligari: cum autem bona opera promittimus, bene nos facere spondemus. In quintum caput Leuitici.

DE ORATIONE.

Beda inquit: Ille Deum inuocat, qui ipsum Deum in se uocat, propter se eum, & non propter aliud: & qui adimplet quæ præcipiuntur. Ille uerò uocat, qui dicit Domine Domine, & non facit quæ præcipiuntur: & Deum non propter Deum, sed propter aliud uocat. In 4 Psalm.

Quòd orandum sit. Beda: Quanto grauiori tumultu carnalium cogitationum premimur, tanto orationi insistere ardentius debemus. Cum orationi uehementer insistimus, stat IESVS, & lucem restituit: quia Deus in corde figitur, & lux amissa reparatur. Lib. 5 in Lucam, cap. 6.

Damascenus ita definit orationem libro 3 de Orthodoxa fide, cap. 24. Oratio est ascensio mentis in Deum, aut decentium à Deo petitio.

¶ Quis inuocandus. Beda: Nos exemplo Christi informati, ubi aduersa imminere senserimus, nos patrem Deum, Hebræi Abba inuocantes, una fidei & charitatis deuotione præsidium cœleste quæramus. Libro quarto in Marcum, cap. 14.

Item: Christianorū fidem, cultum & adorationem in unum & solum Deum existere dixi, quemadmodum scriptum est, cùm ab ijs quæ in cœlo sunt sanctis & intelligibilibus incorporeis potestatibus, tum ab ijs qui in terra sunt, quotquot ueritatis uiam nouerunt. Germanus episcopus Constantinopolitanus, in epistola ad Iohannem episcopum Synnadon, tomo 2 Conciliorum.

Et: Apud nos unus Deus adorandus, una & in eum fides, unum salutare baptisma, sic quoque una quæ illi debetur latria. Germanus Constantinopolitanus in epistola ad Thomam Claudiopoleos episcopum, tom. 2. Concil.

Carolus Magnus: Neq; adorandum quicquam præter Deum legimus: quia scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis. Libro secundo de Imaginibus, cap. quinto. Item: Adoramus in monte sancto eius.) id est, in Ecclesia, non imagines uel quasdam superstitiosas

stitiosas res; sed eundem Dominum qui illius montis caput est. Ibidem cap. 6. Et: Tu solus adorandus, tu solus sequendus, tu solus colendus es, qui in unitate substantiæ cũ patre & spiritu sancto perpetim regnas. Ibidem capite uigesimooctauo. Item: Cultus adorationis soli Deo, & confessio filij Dei illi soli qui uerè eius filius coessentialis est, nõ adoptiuus exhiberi debet. Libro quarto de imaginibus, capite primo. Et: Adoratur Deus, sed non osculatur: uenerantur sancti, qui è seculo cum triumphis meritorum migrauerunt: sed nec adorari debent cultu diuino, nec osculari possunt: cap. uigesimotertio eiusdem libri.

¶ Quæ sint petenda, Beda monet: Cum in monte Dominus orat, quasi tacitè nos admonet, sublimia tantum orando inquiri, & pro cœlestibus bonis supplicari debere. At cum in ualle orat pinguium siue pinguedinis, ipsius æquè insinuat nobis humilitatem semper in orationibus, internæ pinguedine dilectionis esse seruandam: ne quis orans Deum, iactare sua merita in exemplum pharisæi superbientis audeat: quin potius humili uoce ac mente proclamet, Deus propitius esto mihi peccatori: ne aridum à dilectione proximi cor gestans, ad placandam sibi conditoris gratiam genu flectat, iuxta eum qui centum denarios fratri quos sibi debebat, dimittere nolens, decem millia talentorum sibi à Domino frustrà precabatur remitti: ne ieiunum ab amore cõditoris habens pectus, tẽporalia quælibet potius in oratione, quàm eius uisionem requirat: annumerãdus in eis, de quibus ait ipse, Quia receperunt mercedẽ suam. Homilia feriæ 3 Palmarum. Et: Pro peccatis delendis propriè fit deprecatio, pro perseuerantia in bono oratio. In 6 Psalmum. Item: Christus peti uult hoc, quod & nos petere, & se concedere prænoscit. Ad hoc requirit ut petatur, ut cor ad orationẽ excitet, non falsas diuitias, non terrena dona, non fugitiuos honores à Domino, sed lucem quæramus. Illam uidelicet lucem, quam uidere cũ solis angelis possumus: quam nec initium inchoat, nec finis angustat. Ad quam profectò lucem uia fides est. Lib. 3 in Marcum, cap. 10, & lib. 5 in Lucam, cap. 6. Et: Notanda distinctio deprecantium. Qui perfectam habet fidem, quę per dilectionem operatur, ille orando, uel etiam iubendo potest montes transferre spirituales. Qui uerò tantæ fastigiũ perfectionis necdum conscendere queunt, postulent sibi peccata dimitti, quò ad uitam intrare mereantur perpetuam: & absq; dubio impetrabunt quod petunt, si tamen in se peccantibus alijs primò ipsi dimittunt. Sin autem hoc facere contemnunt, nõ solùm orando uirtutes facere, sed nec suorũ possunt ueniam consequi peccatorum. Libro 3 in Marcum, cap. 11.

¶ In nomine Mediatoris orandum. Beda: Omnis oratio quæ non fit per mediatorem Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, nõ purgat peccatum, sed auget. In 108 Psalmum. Et; Dominus IESVS CHRISTVS misericorditer nobis, in hoc miserrimo mundi ergastulo constitutis, patronos pro nobis laudabiles ad intercedendum procurauit. Homilia dicenda in solennitate Vuigberthi.

Albinus ait: Ille in nomine Saluatoris petit, qui illud petit quod ad uerã salutem pertinet. Nam si id quod non expediat petitur, non in nomine IESV petimus. Lib. 6 in Ioannem, cap. 15.

Carolus Magnus inquit: Sancta & uniuersalis Ecclesia non per imagines Deum adorare nos mortales homines, neq; æthereas potestates, sed per Christum Dominum confitetur. Lib. 4. de Imaginibus, cap. 2.

¶ Christum esse intercessorem nostrũ, Carolus Magnus affirmat: Quoniã quidem nec nostra uox est qui patrem in spiritu & ueritate adoramus, nec illorum qui Deum eiusq; sanctos in imaginib. adorare conantur: quia prophetam magnũ habemus IESVM CHRISTVM Dominum nostrum, de quo per Moisen dicitur: Suscitabit Dominus Deus ꝓphetam uobis, ipsum audietis. quem etiam, secũdum Apostolum, aduocatũ habemus apud patrem, quem quotidie spiritualibus oculis intuemur, & cuius uaticinijs sedulò perdocemur. Lib. 2 de Imaginibus, cap. 2.

¶ Interioribus etiam motibus orandum. Beda: Clamabo non uoce exteriori, quę strepitu uerberati aeris fit: sed uoce cordis, quæ licet hominib. silet, Deo tamen clamor est: & qua non minus aliquid orando impetratur, licet nulla uox è corpore reddatur, si nullæ terrenæ cogitationes ab effectu orationis intercedant, sed tota mentis affectio ad eũ intẽdat. Dicitur aũt hæc talis uox, id est huiusmodi mentis applicatio, propter uim ipsius affectionis, clamor ad Dominũ: quòd nequaquam frustratur, sed semper exauditur. Hac uoce clamat, qui corde clauso ab omni affectione terrena, tota mentis affectione non ad aliquid terrenum, sed ad Deum aspirat. Ille uerò non hac uoce clamat, qui magis terrena quàm Deum desiderat: & ideo Deum nõ pro se, ut ipsum præmium habeat, sed pro ipsis terrenis postulat. Qui infelicior est cum exauditur, quàm si non exaudiretur. Quanto magis enim quæ desiderat nociua cõmoda, recipit hic: tanto grauiorib. in futuro urgebitur incommodis. In 3 Psalmum. Et: Oratio generalis non in uerbis solùm est, quibus diuinam clementiam inuocamus: uerumetiam in omnibus quę in obsequium

nostri conditoris fidei deuotione gerimus, teste Apostolo qui ait: Semper gaudentes, sine intermissione orate. Tunc sine intermissione oramus, cum ea solum opera gerimus, quæ nos pietati nostri commendent autoris. Quo nimirum ieiunio, & qua oratione, iuuante Domino cunctas antiqui hostis debellabimus ac propulsabimus insidias. Libro tertio in Marcum, capite nono.

¶ Formam orationis talem recitat Damascenus, concludens historiam de Barlaam & Iosaphat: Conuersus ad te Deum patrem, Dominum omnipotentem, puro corde tibi, quantum potest paruitas mea, maximas atque uberes gratia ago, deprecās toto animo singularem tuam mansuetudinem, ut preces meas in beneplacito tuo exaudire digneris: inimicum quoq; à meis actibus & cogitationibus tua uirtute expelle, multiplica mihi fidem, mentem guberna, spirituales cogitationes accende, & ad beatitudinem tuam perducere dignare, per IESVM CHRISTVM filium tuum.

Beda: Obsecro Domine IESV, cūctas meæ ciuitatis portas, iusticiæ facias, ut ingressus in eas confitear nomini tuo: tuæq; maiestati cum ministris cœlestibus eam crebrius inuisenti, non fœtor elati corporis occurrat, sed occupet salus muros illius, & portas eius laudatio. Libro secundo in Lucam, capite septimo. Item: Deus omnipotens miserere supplici tuo, quia non sum sicut innumeri serui tui, contemptu seculi sublimes, iusticiæ merito gloriosi, castitatis laude angelici, uelut etiam multi illorum qui post flagitia publica pœnitendo tibi meruerunt esse deuoti: qui etiamsi quid boni tua gratia largiente fecero, quo fine hoc faciam, quaue à te districtione pensetur, ignoro. Libro 5 in Lucam, cap. 18.

Albinus ait: O' Domine, quamuis magna sit iniquitas mea, tamen maior est multitudo miserationis tuæ: in qua ut deleas deprecor iniquitates meas, quas contra me scriptas horresco, ut te miserente merear scribi in libro uitæ tuæ: quia nemo ibi scribitur, nisi cui hic omnes iniquitates delētur. In quartum Psalmum pœnitentialem. Item: Nos quoque famuli tui Domine IESV, supplices deprecamur, ut pietatis consilio magnis facinoribus nostris immensam misericordiam largiaris: nosq; per cordis contritionem humiliatos in mactando uitia, iugulando delicta, dignum & acceptabile præpares holocaustum, Amen. Ibidem.

¶ De promissione, quòd Deus exaudiat, ait Beda: Inuenitur semper à bene quærentibus, ut misereatur: respondet semper bene uocantibus, ut perpetuùm consulat ad salutem: sed non semper ad hoc respondet, aut se inueniendum offert, ut quod in patriam peruenientibus promittit, hoc in itinere huius exilij adhuc pergentibus proroget. Denique quotidie sæpius genu flexo dicamus patri, Veniat regnum tuum: nec nos exaudiri diffidimus, nec statim quod postulamus accipimus: sed effectum nostrę precis, donec in fine consequamur, patienter gaudenterq; sustinemus. Libro quarto, capite quinto in Cantica canticorum. Et: Deus etsi subtrahit aurem ploranti exterius, misericordiam tamen apponit deprecanti interius. Nouit enim reficere nos, qui fecit nos. In 21 Psalmum. Item: Nemo orat, quod se accepturum desperat. Lib. 1 in Lucam, capite 1.

Cur non exaudiamur, Beda monet: Quotiescunque petentes non exaudimur, ideo fit, quia uel contra auxilium nostræ salutis petimus: ac propterea à misericorde patre beneficij gratia nobis, quod ineptè petimus, denegatur. quod eidem Paulo apostolo contigisse probatur, cui ter petenti responsum est: Sufficiat tibi gratia mea, nam uirtus in infirmitate perficitur. Vel utilia quidem, & quæ ad ueram salutem respiciunt, petimus: sed ipsi malè uiuendo, auditum à nobis iusti iudicis auertimus. Vel dum pro peccantibus ut resipiscant oramus, etsi salubriter petimus, atque ex nostro merito digni sumus auditu, ipsorum tamen peruersitas ne impetremus obsistit. Fit etiam aliquādo, ut salutaria prorsus, & precibus solicitis & deuotis quæramus actionibus: nec tamen statim obtineamus quæ petimus, sed in futurum petitionis nostræ differatur effectus, dicentes, Adueniat regnum tuum, &c. Idem tamen regnum non mox oratione finita, sed tempore congruo sumus accepturi: quod pia prouisione nostri conditoris constat actitari, ut desideria nostræ deuotionis dilatione crescant: & incremento quotidiano magis magisque prouecta, tandem perfectius capiant gaudia quæ requirunt. Etsi pro peccantibus oramus, & eorum saluationem impetrare nequimus, nequaquam tamē fructu precis frustramur: quia etsi illi digni non sunt saluari, nos tamen amoris, quem illis impendimus, mercede donabimur. Homilia dominicæ Vocē iucunditatis. Item: In te sperauerunt.) Hic remouet, non ex iniusticia Dei hoc esse, quòd suos clamantes non exaudit: sed potius ex eorum culpa esse, qui immundis uerbis delictorum clamant. Nam si dignè clamarent, eos exaudiret: sicut patres priores, patriarchas scilicet, & illos quos de Ægypto eduxit, sæpe quia dignè, id est uerbis iusticiæ clamauerunt, exaudiuit. Quod sic dicit: Patres nostri sperauerunt, id est spem suam in te Domine, & non in se posuerunt. Sperauerunt dignè inquam, sed ad te: id est,

uerbis

uerbis iusticiæ clamauerunt, & ideo à te uerè salui facti sunt. In 21 Psalmum.

Pater noster qui es in cœlis.) in cœlis, id est sanctis. Albinus libro secundo de Sancta Trinitate, capite quinto.

¶ De gratiarum actione, Beda inquit: Ille uerò Deo gratias agit, qui represſis præsumptionis suæ cogitationibus, quàm in semetipso infirmus sit, humiliter uidet: qui nihil sibi uirtutis tribuit, qui bona quæ agit esse de misericordia cōditoris agnoscit. Libro quinto in Lucam, capite decimoseptimo. Item: Deus quòd dat gratias agentibus, tollit non agentibus. Libro primo in Ioannem, capite tertio. Et: Secreta libertate Dominum inuocātes, & de perceptis ab eo beneficijs gratias agamus, & de percipiendis humili deuotione precemur. Libro primo in Ioannem, capite quinto.

¶ Sobriè orandum esse, in quit Beda: Oportet namq; omnimodè, ut quicunq; ad deprecandum misericordiam Domini ingreditur, primò continentius uiuendo, dignè se qui exaudiatur præbeat: atq; ita Dominum rogans, non dubitet sibi prosperè euentura quæ postulat. Libro secundo in Ezram, capite octauo.

¶ De oratione Christi, inquit Beda: Christus suspexit in cœlum, ut inde mutis loquelam, inde surdis auditum, inde cunctis infirmitatibus medelam doceret esse quærendā. Ingemuit, non quia ipsi opus esset cum gemitu aliquid petere à patre, qui cūcta petentibus donat cum patre: sed ut nobis gemendi daret exemplum, cum uel pro nostris, uel pro nostrorum erratis proximorum, supernæ pietatis præsidia inuocamus. Libro primo in Marcum, cap. 7. Item: Christus panibus acceptis gratias agit, ut nos ad agendas semper Deo gratias informet, cum uel terreno pane carnem, uel animam cœlesti, superna gratia largiente reficimus. Libro 2 in Marcum, cap. 8.

De loco Psalmi, Septies in die, &c. sic Beda ait: Septies in die laudem dixi tibi.) Nihil est aliud, quàm Semper laus eius in ore meo. Lib. 5 in Lucam, cap. 17.

De honorandis sanctis, Damascenus lib. 4 de Orthodoxa fide, cap. 16 inquit: Horū omnium attendentes conuersationem, æmulamur fidem, bonitatem, spem, zelum, uitam, tolerantiam paſsionum, & sustinentiam usque ad sanguinem, ut & corona gloriæ cum ipsis participemus.

DE POENITENTIA.

ENcomiū pœnitentiæ recitat Tharasius: Pœnitētia insignis est armatura, magna salutis uia, hospitij regni cœlorū dispensatrix, incorruptibilis uitæ dux, martyricorū certaminum æquiparatio, ad Deum uiam indicans, & cum ipso nos esse faciens: humani generis baculus, cadentium & lapsorum surrectio. Beati qui hanc amplectuntur, & huic adhærent: qui hanc exercent, cum angelis uitam æqualem ducunt. Ab omni malo declinant, & bonum faciunt. Pœnitentia est coalūna & familiaris dilectionis, eleemosynę, ieiunij, abstinentiæ, temperantiæ, probitatis, honestatis, mansuetudinis: & ut uerū uno uerbo dicam, hæc omnia pollet pœnitentia. Si quis hanc autem contaminat & contemnit, non inter seruatos, sed inter perditos numerandus est, quorum uermis non moritur, & ignis non extinguitur. In epistola ad Iohannem presbyterum, tomo 2 Concil.

Ita definit pœnitentiam Damascenus lib. 2 de Orthodoxa fide, cap. 30. Pœnitentia est, ex eo quod est cōtra naturam, in id quod est secundum naturam, & ex diabolo ad Deum reuersio, per exercitium & labores.

Albinus ait: Perfecta pœnitentia est, futura cauere peccata, & lugere præterita. In præfatione 4 Psalmi pœnitētialis. Verùm est nimium angusta definitio. Item: Vera est pœnitentia, iugiter fletibus commissa diluere, & abluta non iterare. In centesimum decimumoctauum Psal.

Quòd sit agenda pœnitentia, Beda monet: Si animam, quæ à Deo pulchra creata est in gentili conuersatione inuenimus, & sociari illam uoluerimus corpori Christi, deposito idololatriæ cultu, induatur lugubribus pœnitentiæ indumentis. In 21 Deuteronomij. Item: Homo unusquisque baptizatus, si peccauerit, debet iudicari morti: id est, in uindicta uel pœnitentia. Ibidem. Et: Nemo utiliter Dei recordatur, dum à criminali peccato impeditur. Quia etsi aliquando compungatur, non ideo saluabitur, nisi à criminali peccato penitus remoueatur. In sextum Psalm. Item: Impleta sunt tempora, pœnitemini. Quàm olim est quod hoc clamatur, & utinā aliquando audiatur: Quoniam impleta sunt tempora, & appropinquauit regnum Dei: Pœnitemini, & credite Euangelio: Renunciate operibus mortuis: Credite in Deum trinum. Quid prodest credere, sine bonis operibus? Non te bonorum operum meritum adduxit ad fidem, sed fides incipit ut bona opera consequantur. Libro primo in Marcum, capite primo. Et: Ille Christum non quærit, qui salutem animæ suæ per pœnitentiam non quærit. In octauum caput Ioannis. Item: Christus docet, sibi pœnitentiā magis peccatorum, quàm iusticiam placere superborum. Libro primo in Lucam, capite quinto.

Vnde sit, monet Beda: Per spiritum sanctum nobis & deuotio pœnitendi infunditur, & pœnitentibus donum ueniæ cōfertur.

Libro

Libro tertio in Ezram, cap. uigesimotertio. Et: Non solum cum agitur pœnitentia, uerùm ut agatur, Dei misericordia necessaria est. Sed quia in atrio Caiphę retentus Petrus non poterat agere pœnitentiam, egreditur foras: ut ab impiorum concilio secretus, pauidæ negationis sordes liberis fletibus abluat. Libro sexto in Lucam, capite uigesimosecundo. Item: Nisi Dominus cor illustrauerit auditorum, doctor in nocte laborat. Nisi in uerbo gratiæ supernæ laxata fuerint instrumenta disputationum, frustra uocis suæ prædicator iaculum mittit. Quia fides populorum non sapientiam uerbi compositi, sed diuinæ uocationis munere prouenit. Libro secundo in Lucam, capite quinto.

Non facile esse resurgere. Beda: Facilius est cauere ne labamur, quàm resurgere à lapsu. In 12 Psal.

De ordine pœnitentiæ, inquit Beda: Necesse est ut prius peccatorem mœror pœnitentię salubriter humiliet, & ita postmodum per iudicium sacerdotis sermo datæ reconciliationis lætificet. Li. 2 in Prouerbia Salomonis, cap. 12. Hic de fide in Christũ nihil audis.

Albinus: Quasi duæ res sunt, homo & peccator. Quod audis homo, Deus fecit: quod audis peccator, ipse homo fecit. Dele quod fecisti, ut Deus saluet quod fecit. Oportet ut oderis in te opus tuum, & ames in te opus Dei. Libro secundo in Ioannem, cap. tertio.

De contritione, Beda: Qui contemnit humiliari, non potest utiq; saluari. Libro primo in Lucam, capite primo. Et: Necesse semper est, ut cum peccatores quosque conspicimus, nosmetipsos prius in illorum calamitate defleamus: quia fortasse in similibus aut lapsi sumus, aut labi possumus, si lapsi non sumus. Districtionem debemus uitijs, compassionem naturæ. Libro tertio in Lucam, capite septimo. Item: Nos singuli uitia deflemus, ut ad gratiam splendoremque peruenire mereamur æternum. Lib. 3 in Lucam, cap. 8.

Albinus: Si homo peccatum non cognoscit, Deus non ignoscit. In 2 Psalmum pœnitentialem.

¶ A' malis cessandum. Albinus: Non possumus ædificare bona, nisi prius destruxerimus mala. In tertium caput Ecclesiastæ.

¶ Deum peccatores recipere, testatur Beda, inquiens: Christus delectatur super salute credentium, & contristatur super infidelium obduratione. Libro secundo in Iob, capite decimoquarto. Et: Sicut Petrus qui culpam negationis pœnitentiæ lachrymis abluit, & confessione Dominici amoris funditùs extirpauit, recuperationem ostendit eorum qui in martyrio labuntur: ita cæteri discipuli, qui articulum comprehensionis fugiendo præuenerant, cautelam fugiendi docent eos qui se minus idoneos ad toleranda supplicia sentiunt. Lib. 4 in Marcum, cap. 14.

Albinus ait: Dauid iubet nos suo intelligere exemplo, nullum esse tam graue peccatum, quod non gratuitò nobis Deus remittat, si parati simus illud confiteri, & à prauis uijs abstinere. In præfatione secundi Psalmi pœnitentialis. Et: Cum Dominus loquatur, Nolo mortem peccatoris, sed tantum ut conuertatur & uiuat: semel peccasse sufficiat, debemus nos erigere post ruinam. Si enim iuxta eos qui de Physicis disputant, nouit hirũdo pullos suos de sua oculare chelidonia, dyctamum capræ appetunt uulneratæ: cur nos ignoremus, medicinam pœnitentiæ propositam esse peccantibus? In septimum caput Ecclesiastę. Item: Peccatricem animam hortatur hic suo exemplo Dauid, ut non statim desperet, etiamsi grauiter peccarit, sed abluto lachrymis pœnitentiæ conscientiæ suæ lecto, ad medicum Deum recurrat, qui ulcera peccatorum suorum sanet. In argumento primi Psalmi pœnitentialis. Et: Valida est misericordiæ precatio, peccati cõfessio. Ille misericordiam Dei inueniet, qui se miserum confitetur. In primum Psalmum pœnitentialem. Item: Dauid nos iubet suo exemplo intelligere, nullum esse tam graue peccatum, quod non gratuitò nobis Deus remittat, si parati simus illud confiteri, & à prauis uijs abstinere. In præfatione 2 Psalmi pœnitentialis. Et: Habemus exempla in sancta Scriptura de peccatis sanctorum, & de pœnitentia eorum, & de remissione peccatorũ illis à Deo data. Nemo igitur dubitet de Dei misericordia, quãuis maximis inuolutus sceleribus. Nemo peccatum cõfiteri erubescat: cum Dauid propheta, multarum rex gentiũ, promissionibus de Christo gloriosus, peccatum suũ non erubuit publicè confiteri, & ad Domini pœnitendo confugere clementiam. In præfatione 4 Psalmi pœnitentialis. Et: Quapropter ô peccator, noli desperare de indulgentia peccatorum. In quacunq; die fuerit conuersus peccator, uita uiuet, & non morietur. Sed noli tardare cõuerti ad Dominũ. Indulgentia tibi conuertenti à peccatis certa est, sed crastinus dies tibi incertus est. Hodie conuertere, ne fortè cras moriaris. Si malè uixisti heri, bene uiue iam hodie, memor illius de quo ueritas ait: Stulte, hac nocte morieris. Corrige te, ut in corpore Christi hanc uocem habere ualeas: Quoniã cinerem tanquã panem manducabam. In 5 Psalmum pœnitentialem. Item: Quãuis peccator peccatorum mole prematur, adest misericordia Dei in Christo, qui sine peccato uenit, ut peccata solueret. Apud quem est copiosa redemptio: quia ubi abundauit peccatũ, superabũdauit gratia.

gratia. In sextum Psalmum pœnitentialem. Et: Noli dicere, nõ sum dignus misericordia illius propter peccata. Cogita apud eũ multam esse redemptionẽ, qui seipsum tradidit, ut te redimeret. Ibidem. Et: Nunc animarum in Ecclesia per filium Dei, uerbum Dei, fit resurrectio, quando per gratiam Dei uiuificatæ resurgunt à morte iniquitatis. Et hæc est prima resurrectio: quam qui habent, in secunda, quę est corporum, feliciter resurgent in uitam ęternam. Lib. 3 de sancta Trinitate, capite 18.

Item: Et ego dico, quòd omnem pœnitentem Deus suscipit, & commissa peccata per pœnitentiam condonat. Nouimus enim & Dauid in adulterio & cæde simul deprehensum, sed post pœnitentiam receptũ. de quo testimonium datum est: Inueni Dauid filiũ Isai, uirum secundum cor meum, qui faciet omnem uoluntatem meam. Noui & Manassen per confessionem ab impietate absolutũ, noui & meretrices et telones per pœnitentiã receptos. Tharasius episcopus Constantinopolitanus, in epistola ad Ioannem presbyterum, tomo 2 Concil. Item: Omnis uir qui in pœnitentia perdurat, per bonitatẽ & mansuetudinem Dei ueniam peccatorum suorũ obtinet. Nouatum & eius impiæ hæresis assseclas anathematizo: utpote qui iniurius sit aduersus pœnitentiam, & mansuetudinem Dei eleuat. Quare eius opinionis sum, ut cõfitear recipiendum episcopum per pecunias ordinatum, modò pœniteat. Bonus enim Deus est in omnibus, & uiscera aperta sunt super omnem hominem pœnitentem, quem etiam in regnum suum inducit. Ibidem. Et: Gratum est & perquàm liberale apud Deũ, resipiscẽtes suscipere. Tharasius in 1 actione Concilij secundi Niceni. Item: Omnẽ iniquitatem bonus Dominus remittit, si quispiam ex toto corde pœnituerit. In 4 actione eiusdem Concilij. Et: Noui Dei mansuetudinem, qui omnem ad se uenientem recipit. Dixit enim per prophetam: Tu primus dic peccata tua, ut iustificeris. Esaiæ 43. Et dixi: Eloquar iniquitatem meam coram Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei, & pro ea orabit omnis sanctus. Nam si pater filio peregrè existẽte, & rem impiè & iniquè agente, redeuntẽ iterum ad se naturali amore prosequitur: quanto magis Deus omniũ nostrûm pater, omnem pœnitentẽ suscipiet in ulnis suis, cũ sit singulariter misericors? Non enim mortem petit peccatoris. Tharasius in epistola ad Iohannem presbyterum.

❡ Nemini desperandum. Beda: Ipse autem Matthæus, Matthæum se & publicanum nominat: ut ostendat legentibus, nullum debere cõuersum de salute diffidere, cum ipse de publicano in apostolum, de telonerio in euangelistam sit repentè mutatus. Libro 1 in Marcum, cap. 2.

Non reuertendum ad peccata. Albinus: Benignus & misericors super eos futurus est Deus, qui habent timorem illius, & ad uerbum eius contremiscunt, & agunt pœnitentiam de præteritis, & de futuris sibi cauere incipiunt: quia peccator post pœnitentiã si reuertetur iterum ad peccata priora, cani comparatur, qui redit ad uomitum suum. In octauum caput Ecclesiastæ. Et: Liberatus per pœnitentiam, noli iterum ligari per peccatum. In sextum Psalmum pœnitentialem.

De impœnitentia ait Beda: In peccato suo moritur, qui in peccato permanet usque ad mortem. In octauum caput Ioannis.

Albinus: Malis qui conuerti non uolunt, sed in malicia sua permanere, melius est mori quàm uiuere: quia quanto plures uiuunt dies, tanto atrociorem sibi præparant pœnam. Vnde & Comicus ait: Quid mali imprecer homini, nisi ut diu uiuat? In octauum caput Ecclesiastæ. Et: Non prodest adolescentiæ frugalitas, si senecta ducatur in luxuria. qua enim die iustus errauerit, ueteres eum iusticiæ à morte liberare non poterunt. In 11 cap. Eccles.

❡ Hic agendam esse pœnitentiam. Beda: Quicquid apud Deum semel damnatur, ęternaliter damnatur: unde meritò in præsenti locus tantum misericordiæ esse dicitur. Nullus enim in futuro misericordiam assequetur, nisi qui promeruerit hic eam. In 2 Psal.

Albinus: Vsque ad terminum huius seculi, in hac spe nobis uiuendum est, ut modò resurgamus in anima, & in nouissimo die resurgamus in corpore. Qui uerò à morte animæ modò resurgit per uerbum filij Dei, tũc feliciter resurget in carne per uerbum Dei filium hominis. In 6 Psal. pœnitentialem.

❡ Nullam pœnitentiam esse in inferno. Albinus: In inferno non est fructuosa pœnitentia, nec aliquis uirtutis recursus. Dum in isto seculo es, festina, contende, age pœnitentiam: dum habes tempus, labora. Libenter enim Deus suscipit pœnitentiam. Et comede panem charitatis, & uinum sapientiæ bibe, ut Deo placeant opera tua. In 9 caput Ecclesiastæ.

De pœnitentia Dei inquit Albinus: Non Deum de facto suo pœnitet, nec Deus dolet sicut homo: cui est de omnibus rebus omnino tam fixa sententia, quàm certa præscientia. In Quæstion. in Genesin.

De effectu, Beda inquit: Per pœnitentiam ueteris hominis regeneramur in nouum hominem. In 10 Psalmum. Item: Pœnitentia delictum abolet, sapientia pręcauet. Lib. 4 in Lucam, cap. 11.

❡ De

¶ De confessione coram Deo, inquit Beda: Magna res est, Deoq; plurimum acceptabilis, ut homo errores suos confiteri non erubescat, præsertim si pro eis se intelligat castigari: & se ita humiliet, ut qcquid castigationis sustinuerit, pro meritis suis paruũ se passum esse pronunciet. Lib. 2 in Iob, cap. 2.

Albinus ait: Illorum scilicet remittuntur iniquitates, quorum peccata per confessionem à Domino Deo diluuntur, & quorũ tecta sunt per charitatem peccata. iuxta illud: Charitas operit multitudinem delictorũ. uel quorum tecta sunt peccata, ut hic per pœnitẽtiam uelentur, ne in iudicio reuelentur. In 2 Psal. pœnitentialẽ. Et: Nullus nostrûm cum Adam ad noxias confugiat excusationes, sed apertè proferat, quod iniquè se gessisse agnoscit. Refugium faciat ad clementissimum iudicem: præueniat faciem eius in confessione, ne experiatur in futuro iudicio iratum, si modò contempserit eum misericordem. In 4 Psalmum pœnitentialem. Item: Nostrũ est, peccata nostra cognoscere humiliter, & confiteri: Dei præcipuum est, non imputare nobis, sed misericorditer ignoscere. Plurimi scire sua peccata possunt: sed soli illi bene ea agnoscere probantur, qui illa uidentur propria execratione damnare. Perfecta enim pœnitentia est, futura cauere peccata, & lugere præterita. Ibidem.

¶ De confessione ante Baptismum, Beda inquit: Exemplum confitendi peccata, ac meliorem uitam promittendi, datur eis, qui baptisma accipere desiderant: sicut etiam prędicante Paulo in Epheso, multi credentium ueniebant confitentes & annũciantes actus suos, quatenus abdicata uita ueteri renouari mererẽtur in Christo. Vnde etiam B. Petro ostensis in linteo cœlesti diuersi generis animantibus, dictum est: Surge Petre, occide & manduca. Quod est apertè dicere: Occide infideles, ab eo quod fuerant prius, abrenũciatione scelerum, & promissione piæ religionis: ac sic fidei Christianæ sacramenti imbutos, in sanctæ Ecclesiæ membra commuta. Lib. 1 in Marcum, cap. 1. Et: Iustificatur Deus ipse per baptismum, dum se homines peccata propria confitendo iustificant. Is qui peccat, & confitetur Deo peccatum, iustificat Deum, cedens ei uincenti, & ab eo gratiam sperans, in baptismate etiam est confessio & uenia peccatorum. Lib. 2 in Lucam, cap. 7.

De duplici confessione, ait Beda: Confessio alia laudabilis, alia pœnalis. Laudabilis est, quãdo aliquis de benefactis Deo laudes agit. Pœnalis est, qua aliquis sua peccata confitens, ea damnat, & inde pœnam postulat. In 6. Psal. Et: Confitemini Domino, quoniã bonus. Confessio alia laudis, alia peccatorũ. Hic autem non est accipienda confessio uulnera medico ostendens, sed pro percepta sanitate gratias agens: hoc non peccatorũ, sed laudis. In 117 Psal.

Item: Quidam solummodo Deo confiteri debere dicunt peccata, quidam uerò sacerdotibus cõfitenda esse percensent: quod utrũq; non sine magno fructu intra sanctam fit Ecclesiam, ita duntaxat, ut & Deo qui remissor est peccatorum, confiteamur peccata nostra: & secundum institutionem Apostoli confiteamur alterutrum peccata nostra, & oremus pro inuicem, ut saluemur. Confessio itaque quæ Deo fit, purgat peccata: ea uerò quę sacerdoti fit, docet qualiter ipsa purgentur peccata. Deus namq; salutis & sanitatis autor & largitor, plerunq; hanc præbet suæ potentiæ inuisibili administratione, plerunq; medicorum operatione. Cap. trigesimotertio Concilij Cabilonensis, tomo secundo Conciliorum.

¶ De priuata confessione ait Beda: Peccati uirtus salubriter apitur in confessione, quod pestiferè latebat in mente. Lib. 5 in Lucam, capite 16. Et: Qui confitetur peccata sua, & accusat peccata sua, iam cum Deo facit. Accusat Deus peccata tua: si & tu accuses, coniungẽris Deo. Initium bonorum operum, confessio est malorum operum. Lib. 1 in Ioannẽ, capite 3.

De fraterna confessione Beda inquit: Confitemini alterutrum peccata.) In hac sententia illi debet esse discretio, ut quotidiana, leuiaq; peccata alterutrum coæqualibus confiteamur, eorumq; quotidiana credamus oratione saluari. Porrò grauioris lepræ immundiciam iuxta legem sacerdotij pandamus: atque ad eius arbitriũ, qualiter & quanto tempore iusserit, purificari curemus. In 5 cap. epistolæ Iacobi.

Confessio pro celebratione. Beda: Cognitam ueritatis lucem sequi confessio debet, Dominus ad confessionem fidei Catechizatorum ora instruit. Christus genus humanũ per confessionem utriusq; suæ naturæ, ab ingenitis errorum suorum tenebris eruit. Lib. 2 in Marcum, cap. 7. Item: Ille solus rectè loquitur, siue Deum confitendo, seu alijs prędicando, cuius auditum, ut cœlestibus possit auscultare & obsecundare mandatis, diuina gratia reserat: cuius linguam Dominus tactu sapientiæ, quæ ipse est, ad loquendum instituit. Libro 2 in Marcum, capite 7. Et: Nunc apud se homines dicunt, Nos iam Dominum & sermones eius non erubescimus, quia aperta eum uoce confitemur. Quibus ego respondeo, quòd in hac plebe Christiana sunt nonnulli, qui Christum ideo cõfitentur, quia cũctos Christianos esse conspiciũt. Non ergo ad probationẽ fidei, uox sufficit ꝓfessionis, quã defendit à uerecũdia professio genera-

generalitatis. libro 2 in Marcũ, cap. 8. Item: Confessio non semper pœnitentiam, sed & gratiarum actionem significat: ut in Psalmis sæpissimè legimus. Libro 3 in Lucam, cap. 10. Et: Qui beatam Trinitatem rectæ deuotionis officijs reficere, id est lætificari desiderat, mortem quoq; debet unigeniti filij Dei in carne, quæ est una in eadem Trinitate persona, piæ confessionis synceritate celebrare. libro 4 in Lucam, cap. 15.

DE SACRAMENTIS IN *genere.*

Beda inquit: Possumus accipere uestimenta Christi, sacramenta Ecclesiastica, quibus ipse tegitur, & quasi uestitur. In 21 Psalmum.

De duobus Sacramentis inquit Beda: Sicut ex latere Adam dormiẽtis nata est Eua, ita ex latere Christi in cruce dormientis exierunt sacramenta, sanguis scilicet & aqua, ex quibus constituta est Ecclesia. In quadragesimum primum Psalmum.

Quis distribuat. Albinus: Ipse Spiritus sanctus paracletus, id est consolator dicitur, quia reuera dum dona sacramentorum distribuit, consolationem animæ præbet, per quem diffunditur in cordibus nostris Dei charitas, per quam nos tota inhabitat Trinitas. Libro 2 de sancta Trinitate, cap. 19.

De effectu, Beda inquit: Sacramenta, quæ sunt scilicet baptismus & cætera talia, quæ sunt portæ, id est accessus ad saluationem. In 9 Psalmum. Item: Vnda baptismatis, & effusio sanguinis Christi, ab errore paterni delicti, à squalore uetustæ gentilitatis, in nouo Testamento per gratiam Spiritus sancti abluendo sanctos purgauit. Homilia in solennitate omnium Sanctorum. Et: De latere Christi lancea patefacto, sacramenta sibi sanguinis & aquę, quibus nascatur simul & nutriatur Ecclesia, emanarũt. Libro 6 in Lucam, cap. 24. Item: Vigilanti uerbo usus est Euãgelista, ut non diceret, latus eius percussit, aut uulnerauit, aut quid aliud: sed Aperuit, ut illic quodammodo uitæ ostium panderetur, unde sacramenta Ecclesiæ manauerunt: sine quibus ad uitam, quæ uera uita est, non intratur. Ille sanguis in remissionem fusus est peccatorum: aqua illa salutare temperat poculum, hæc & lauacrum præstat & potum. in 19 caput Ioannis.

DE BAPTISMO.

Vnde sit Baptismus, Beda indicat. Iordanis fluuius Baptismi continet sacramentũ. Dum enim in ipso Christus Dominus baptizãtur, nostrũ baptisma consecratũ est. Lib. 3 in Iob, cap. 8. Et: Trinitas inhabitat sancto baptismati, & uirtutem & benedictionẽ dat Dominus, qui ex eo renatus fuerit, populo Christiano. In 28 Psal. Item: Baptizat Dominus in Spiritu sancto, per Spiritus sancti gratiam peccata dimittendo. Siue enim ipse aliquos discipulorum suorum primus baptizauerit, per quos ad cæteros fideles baptismi riuus proflueret: eosdem etiam spiritu baptizabat, peccata illis relaxando, & spiritus dona ministrando: siue fideles eius inuocato nomine ipsius aqua baptizent electos, & chrismate sacro perungãt eosdem, nihilominus ipse Spiritu sancto baptizat: quia nemo præter ipsum peccatorum nexus soluere, aut Spiritus sancti ualet dona tribuere. Baptizat etiam Dominus in Spiritu sancto, ac per afflationem eiusdem spiritus corda fidelium suorum feruore sui siue fraternæ charitatis accendit. Charitas enim, inquit, Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctũ. Baptisat in Spiritu sancto, cum cui libet electorum dat manifestationem spiritus ad utilitatem uirtutes operando. De quo baptismate ascẽsurus in cœlum dixit discipulis. Homil. in epiph. Domini.

De duplici Baptismo inquit Beda: Baptizamur à Domino in spiritu sancto, non solùm cum in die baptismatis fonte uitę in remissionem peccatorum abluimur: uerùm etiam quotidiè, cum per gratiam eiusdẽ spiritus ad agenda quæ Deo placent, accendimur. Libro 1 in Marcum cap. 5.

Quæ efficiant Baptismum. Beda: Tolle aquam, non est baptisma: tolle uerbum, non est baptisma. In Iohannem lib. 1. cap. 4. Et Albinus libro 2 in Ioannem, cap. 4.

Omnes debere baptizari. Beda: Per obedientiam fidei omnes debent ad baptisma peruenire. Lib. 1 in Ioannem, cap. 1. Et: Nullus dignus est introire in regnum Dei, nisi qui renatus est ex aqua & spiritu. Ibidem capite 2.

Infantes esse baptizandos, inquit Beda: Gratia fidei renatos fonte baptismatis etiã paruulos, atq; ipsa paruula ætate defunctos superna ad gaudia perducit. Libro 4 in Cantica canticorum.

De modo Beda inquit: Boues qui portãt mare æneum, singulas terni aspiciunt, ut in fide sanctæ Trinitatis orbis baptizetur uniuersus. Libro 1 in Lucam, cap. 3.

De trina immersione Damascenus: Si quis dicat, Pro quo baptizantes trinam facimus immersionem? quid utiq; aliud dicemus, quàm, quoniam secundum unãquamque deitatis hypostasin, unam immersionem, & tres propter trinam hypostasin. In epistola de Trisagio.

Fide accipiendus Baptismus. Albinus: Bene præcursor Domini nostri in Bethania baptizasse dicitur. nam Bethania domus obedientiæ interpretatur: ut demonstraret, per obedientiam fidei omnes ad Christi ba-

ptisma debere peruenire. In Iohannem lib. 1. capite 1.

De abrenunciatione, Beda ait: De hæretico quolibet, uel schismatico, uel etiam malo catholico, tempore baptismatis spiritus immundus, qui in eo prius habitauerat, ad confessionem catholicæ fidei, abrenũciationémque mundanæ conuersationis eijcitur. Lib. 4 in Lucam, cap. 11.

Semel baptisandum, Damascenus testatur lib. 4 de Orthodoxa fide, cap. 10. Quemadmodum igitur semel cõpleta est Domini mors, sic semel oportet baptizari. Baptizari autem, iuxta Domini uerbum, in nomine patris & filij & spiritus sancti, instructos confessionem patris & filij & spiritus sancti. Quicunque igitur in patre & filio & spiritu sancto baptizati sunt, & unam naturam diuinitatis in tribus hypostasibus edocti, & rursus rebaptizantur, illi iterum crucifigunt Christum, ut inquit diuinus Apostolus Heb. 6. Impossibile nãq; est, eos qui semel illuminati sunt, renouari in pœnitentiam, iteratò crucifigentes sibijpsis Christum, & ludibrio subijcientes. Quicunq; uerò in sancta Trinitate baptizati non fuerint, illos rebaptizari oportet.

Beda ait: Notandum autem, quia quod de carnali dixit, hoc etiam de spirituali est regeneratione sentiendum: nequaquam uidelicet eam, postquam semel expleta fuerit, posse repeti. Siue enim hæreticus, siue schismaticus, siue facinorosus quisq; in cõfessione sanctæ Trinitatis baptizet, non ualet ille qui ita baptizatus est à bonis catholicis rebaptizari, ne confessio uel inuocatio tanti nominis uideatur annullari. In Iohannem libro 1, capite 3. & Albinus lib. 2 in Ioannem, cap. 3.

Item: Quisquis in nomine patris & filij & spiritus sancti baptizatus est, rebaptizari minimè licet. Non enim in nomine baptizantis, sed in nomine Trinitatis, huius gratię donum percepit. Et teneatur quod Apostolus ait: Vnus Deus, una fides, unũ baptisma. Gregorius III. in epistola ad Bonifacium, tomo 2 Concil.

Carolus Magnus: Baptisma unũ tenemus, quod ijsdem sacraméti uerbis in infantibus, quibus etiam in maioribus, esse celebrandũ. Lib. 3 de Imaginibus, cap. 1.

De ordine, ait Beda: Rectissimus ordo prędicandi, & modernis quoq; prædicatoribus Ecclesiæ diligentissimè sectandus, ut primò quidem doceatur auditor, deinde fidei sacramentis imbuatur, deinde seruandis Domini mandatis ex tempore liberius instruatur. Quia neq; indoctus quisq;, & ignarus Christianę fidei, potest eiusdem fidei sacramentis ablui, neq; lauacro baptismi à peccatis emundari sufficit, si nõ post baptisma studeat quisque bonis operibus insistere. Prius ergo docere gentes, id est sciẽtia ueritatis instruere, ac sic baptizare præcipit Christus: quia sine fide impossibile est Deo placere: &, Nisi quis renatus fuerit. Homilia feriæ sextæ Paschæ.

De effectu Baptismi inquit Damascenus: Optimum ergo elementũ aqua, & plurimo usui accommodum, sordis purgatiuum, nõ modò corporis, sed & animæ, modò spiritus sancti gratiã assumpserit. Lib. 2 de Orthodoxa fide, cap. 9. Item: Confitemur autem unũ baptisma in remissionem peccatorum, & in uitam æternam. Baptisma siquidem Domini mortem insinuat. Consepulti enim sumus Domino per baptismum, ut inquit Apostolus. Lib. 4 de Orthodoxa fide, cap. 10. Et cap. 11. eiusdem libri: Sciendum quod per Baptismum circumcidimur omne quod à generatione contraximus indumentum, id est peccatum: & Israelitæ spirituales & Dei populus euadimus. Item: Quemadmodum circumcisio non utile membrum amputabat corporis, sed superfluitatem inutilem: sic per sanctum baptisma à peccato circũcidimur. Manifestum autem, quòd peccatum superfluitas concupiscentiæ est, & non necessaria concupiscentia. Impossibile enim est quenquam nullo modo concupiscere, aut tandẽ sine gustu uoluptatis esse. Sed quod inutile est uoluptatis, id est inutilis concupiscentia & uoluptas, hoc est peccatum, id ipsum est quod circumcidit sanctũ baptisma, præbens nobis signum honorabile, crucem in fronte: non à gentilibus discriminans nos (nam omnes gentes baptisma cõsecutæ sunt, & signo crucis insignitæ) sed in unaquaq; gente fidelem ab infideli distinguit. Veritate igitur apparente, inutilis figura & umbra est. Quare superuacanea nunc circumcisio, & contraria sancto baptismati. Nam qui circumciditur, obligatur totam legem obseruare. Dominus autem ut impleret legem, circumcisus est. Et omnem legem atq; sabbatũ seruauit, ut impleret & sisteret legem. Ex quo uero baptizatus est, & Spiritus sanctus hominibus apparuit, in similitudine columbę descendens super eum in Iordane, ex tunc spiritualis cultus & conuersatio, & cœlorũ regnum prædicata sunt. Lib. 4 de Orthodoxa fide, cap. 26. Et: Peccatorum remissio omnibus æquè per baptisma donata est, gratia uerò Spiritus sancti secundum proportionem fidei & puritatis. Lib. 4 de Orthodoxa fide, cap. 10.

Beda inquit: Tunc purgati sumus ab immundicijs & contagijs omnibus sordidis, cum in uespera huius mundi lauacro baptismi ablutis Sol iusticiæ Christus per passionem occubuit. In 21 cap. Leuitici. Item: Allegoricè producunt aquæ reptilia animarũ uiuarum, homines scilicet renouatos in uitã per Baptismi sacramentũ. In 1 cap. Geneseos.

Et: Baptiſmus eſt ſignum ſecuritatis Eccleſiæ Chriſti, à uindicta. In nonum caput Geneſ. Item: Etenim homines in baptiſmum per aquam & ignem Spiritus ſancti ſaluantur. Ibidem. Et: Dominus noſter in aqua baptiſmatis trium perſonarum nouum propoſuit populo fideli, ut quiſquis pleno corde aſpexerit, efficiatur ouis Dei. In trigeſimum caput Geneſeos. Item: Nemo uidit Deum, niſi ad baptiſmum peruenerit, & ad perfecta opera. In 46 caput Geneſeos. Et: Diabolus in ſpirituali lauacro, id eſt baptiſmo ſuffocatur. In decimumquartum Exodi. Item: Per aquam baptiſmi ſaluat Deus iuſtos. In decimumquintum caput Exodi. Et: Dominus ſuum populum, quem per lauacrum ſanctum liberauit, in iuſticia gubernabit, & in refrigerium deducet. Ibidem. Et: Per baptiſmum mundantur fideles. In decimũnonum caput Num. Item: Per fidem autem crucis, & per ſanctum lauacrum ſanguinis Chriſti ſacramento purgamur. Ibidem. Et: Anima per lauacrum baptiſmi purificata, coniungitur ſanctis. In uigeſimumprimũ caput Deuteron. Item: Egreſsi ſumus & nos per ſanguinem agni de Ægyptia ſeruitute, ut ueniremus ad terram repromiſsionis, cum in ſacramenta Dominicæ paſsionis baptizati, iugum graue præuaricationis abiecimus, quatenus in libertatem gloriæ filiorũ Dei adoptati, hęredes regni cœleſtis eſſe poſſimus. Libro primo in Ezram, capite tertio. Et: In huius perfectione fidei, & generaliter omnis Eccleſia per baptiſma à morte ſuſcitatur peccatorũ: & cum poſt baptiſma denuò mortem peccati incurrimus, per eandem neceſſe eſt fidem pœnitendo reuiuiſcamus. Ibidem. Et: Aſcendimus namq; per hoſtium lateris medij in ſuperius cœnaculum, quando per aquam baptiſmatis & poculum Dominici calicis conſecrati, ab hac terreſtri conuerſatione ad cœleſtem animarũ uitam peruenimus. In Ezram lib. ſecundo, capite ſeptimo. Item: Talis eſt ædificatio ſpiritualis, quæ in animarum ſalute geritur, ut in baptiſmate renati per fidem & confeſsionem ſanctæ Trinitatis, abſq; ullo noſtro labore, per gratiã Dei ciuitas ac domus eius efficiamur. Libro tertio in Ezram, capite uigeſimo. Et: Poſt abrenunciationem diaboli, poſt confeſſionem rectæ fidei, ſequitur remiſsio peccatorum, expulſo dæmonio per aquam baptiſmi. In Thobiam. Item: Hæc eſt uera & ſola nobilitas, qua per inæſtimabilem dignationem diuinam nobilitatem homines, ut per baptiſmum de Deo naſcantur, ipſiq; deorum nomine ſublimentur, & membra efficiantur Dei ſui & ſacerdotes æterni. In Iob libro primo, capite decimoquarto. Et: Signaculum imaginis Dei & ſimilitudinis, quod per Adæ peccatum attritum fuerat & oblitteratum, rurſus per Chriſtum iterata impreſſione reſtituetur. Quod ſignaculum nũc quidem per fidem & baptiſmum gratia renouatur, & uita meliori menti inſculpitur. Libro tertio in Iob, capite ſeptimo. Item: Abſit ut originem noſtram poſt præuaricationis malum Deo dicamus eſſe gauiſam, ante remedium ſecundæ regenerationis, quæ fit ex aqua & Spiritu ſancto, donãte gratia Dei per Chriſtum Dominum noſtrum. In præfatione ſuper Canticum canticorum. Et: Semel etiam unicuiq; credentium lauacrum ſacri fontis in myſterium ſui ſanguinis ad ſoluenda peccatorum uincula donauit Chriſtus. Libro 3 de Tabernaculo, cap. 12. Item: Quotquot donante Deo ad uitam præordinati ſumus ęternam, ex aqua & Spiritu ſancto renaſcimur. Homilia de annunciatione Mariæ. Et: In baptiſmo à peccatorum ſordibus mũdamur. In 3 Pſalmum. Item: Tu Domine nos, id eſt me Eccleſiam, cum omnibus meis protexiſti iam in baptiſmate, ab impugnationibus diaboli: & coronabis, id eſt proteges nos in futuro, ab ęterna damnatione, bona uoluntate tua: id eſt, gratia & miſericordia tua exiſtente nobis hic & illic ut ſcuto. In 5 Pſalm. Et: Deus baptiſmatis beneficio Chriſtianum populum de orbis uniuerſitate colligit. In 17 Pſal. Item: Aquæ baptiſmi reparauerũt nos de uetuſtate in nouitatem. In uigeſimũſecundũ Pſalmum. Et: Gratia baptiſmi eſt cõuerſationis nouæ fundamentum. Ibidem. Et: In baptiſmate omnes hoſtes noſtri, id eſt omnia originalia & actualia peccata deſtruuntur. In ſeptuageſimumſeptimum Pſalmum. Item: Deus nos eductos de conualle erroris & tenebrarum, per fidẽ & gratiam baptiſmatis induxit iam ſpe, etſi nõ re, in montem ſanctificationis ſuæ: id eſt, in cœleſtem Hieruſalem, ubi uerè ſanctificamur per ueram confeſsionem, id eſt laudem Dei: quia tunc nouiſsima mors deſtruetur. Quem montem non merita noſtra acquiſiuerunt, ſed eius dextra: id eſt, filius eius ſanguine ſuo nobis illum acquiſiuit. Ibidem. Et: De tenebris peccatorum tranſeundo, per aquam baptiſmatis rubricatã ſanguine Chriſti eximus. In 80 Pſalmum. Item: Ideo baptiſandorum corpora uiſibiliter ablui à Deo præcipiuntur, ut per hoc admoneamur credere, animas ibi pariter inuiſibili baptiſmo purificari. In 52 Pſalmum. Et: Vnuſquiſque noſtrûm prius aqua baptiſmi à peccatis omnibus, quaſi uera circumciſione purgatur, ut ſic proficiente gratia nouæ lucis, ad altare ſanctum ſalutari hoſtia Dominici corporis & ſanguinis conſecrandus ingrediatur. Homilia de purificatione Mariæ. Item: Solum baptiſmi genus, quod ex Spiritu ſancto

regenerat, saluat. Vnde iure caro eius post lauacrũ, uelut caro pueri parui apparuisse memoratur. Siue quia cunctos in Christo baptizatos, in unam parit gratia mater infantiã, Christi corpori per Baptismum tota credentium soboles adunatur. Et ut cuncta hic Baptismi scires sacramenta præmonstrata, in quo abrenunciare satanæ, fidem confiteri præcipimur, negat se Naaman ultra dijs alienis litaturum, super omnia Domino seruiturus. In Lucam libro secundo, capite primo. Et: In Baptismate igitur iustificatur Deus, in quo est & confessio & uenia peccatorum. Libro secundo in Lucam, cap. septimo. Item: Natura spiritus inuisibilis est, atque ideo spiritualis generatio tota inuisibiliter agitur. Nam uidetur quidem, qui baptizatur, in fontem descendere, uidetur aquis intingi, uidetur de aquis ascendere: quid autem in illo lauacrum regenerationis egerit, minimè potest uideri. Sola autem fidelium pietas nouit, quia peccator in fontem descendit, sed purificatus ascendit: filius mortis descendit, sed filius resurrectionis ascendit: filius præuaricationis descendit, sed filius reconciliationis ascendit: filius iræ descendit, sed filius misericordiæ ascendit: filius diaboli descendit, sed filius Dei ascendit. Sola hoc Ecclesia mater, quæ generat, nouit. Cæterùm oculis insipientiũ uidetur talis exire de fonte, qualis intrauit, totumq; ludus esse quod agitur, &c. Qui ex aqua & spiritu regeneratur, inuisibiliter in nouum mutatur hominem, & de carnali efficitur spiritualis. In Ioannem lib. 1. cap. 3. Et: A' peccatis quæ lex ostenderat, per aquam baptismatis abluimur, testante Apostolo: Quia quicunq; baptizati sumus in CHRISTO IESV, in morte ipsius baptizati sumus. Lib. 1 in Ioan. cap. 5. Item: Propter peccatum ad Baptismũ curritur: propter peccatũ etiam surgens paruulus à matre pijs manibus ad Ecclesiam fertur, ne sine baptismo exeat, & in peccato quo natus est moriatur. In octauum caput Ioannis. Et: Sicut incorruptibile est precium Dominicæ passionis, quo redempti sumus: ita etiam incorruptibile est sacramentum fontis sacri quo renascimur. Quæ ita sibi inuicem connectuntur, ut unum nobis sine altero salutem conferre nequeat. Quia nimirum ita Dominus nos tempore incarnationis suæ suo sacro sanguine simul omnes redemit: ut nos quoque nostro tempore uiritim per regenerationem Baptismi, ad consortium eiusdem regenerationis peruenire debeamus. De qua regeneratione bene dicitur, quia non ex semine corruptibili, sed per uerbum Dei uiui & permanẽtis in æternum agatur: ut hinc colligatur, quia sicut ex semine corruptibili caro quæ corrumpitur nascitur, sic per aquam uerbo Dei consecratam uita nobis quę finem nesciat tribuitur. In primã epistolam Petri, capite primo.

Aponius inquit: Per sacrosancti baptismatis undam clemens Dominus IESVS CHRISTVS, eam multitudinem quam diabolus amarus, & propria excidens mente mala uoluntas, ignominioso generat ordine, sibi consortem regni facere dignatus est, ubi gloriosa copula Christi filij Dei & Ecclesiæ celebratur. Libro primo in Cantica canticorum. Item: Per sanctum lauacrũ baptismatis Christus pristinam pulchritudinem reparauit. Libro secundo in Cantic. Et: Nam certum est, unum esse fontem baptismatis in toto mundo, ubi trinitatis æternæ inuocato nomine tincti sanctificantur, ut ex hœdis agni efficiantur. Fons enim baptismi propter peccatores est constitutus, qui hœdi sunt appellati: non propter iustos, qui lauari non indigent. Iusta ergo ratione fons hœdi, lauacrum sanctificationis intelligitur, qui non propter iustum, sed propter peccatorem populum à Christo in præfatis uineis est productus. Libro tertio in Cantica. Item: Semel tonsi noui & ueteris Testamenti gemino cultro doctrinæ, & abscissa ab eis uetere consuetudine sordentis peccati, lauacro baptismatis ad meliorem & immaculatam uitam superascendunt. Libro sexto in Cantica canticorum. Et: Baptismate à sordibus prçuijs peccatorum lauamur. Libro secundo in Cantica. Item: Sed iam Christo credendo in Apostolis, qui uerè ualidissima membra Ecclesiæ sunt, & lucem recepit, & pristinam pulchritudinem reparauit per sanctum lauacrum baptismatis. Libro primo in Cantic.

Albinus inquit: Quis sine lauacro regenerationis remissionem peccatorum consequi, & regnum ualet intrare cœlorum? Libro secundo in Ioannem, capite tertio. Item: In Christi baptismate remissio peccatorum est, & sanctificatio, & spiritus sancti donum, ipso Iohanne attestante: Hic est qui baptizat in Spiritu sancto: & ego uidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei. In expositione Cantici graduum. Et: Certè qui nascuntur ex aqua & spiritu, neque filios eos rectè quisquam dixerit aquæ uel Spiritus sancti: sed planè dicuntur filij Dei patris, & matris Ecclesiæ. Libro tertio de sancta Trinitate, capite tertio. Item: Et quidem gaudendum est, quia ipsi sumus in baptismo templũ Dei facti, teste Apostolo qui ait: Templum Dei sanctum est, quod estis uos. Libro secundo in Ioannem, capite secundo. Et: Propter hoc sugens paruulus à matre pijs manibus ad Ecclesiam fertur, ne sine baptismo exeat, & in peccato qui natus est non moriatur. Lib. 4 in Ioannem, capite 8. Item: Quare non ait, mundi estis propter

baptismum quo abluti estis: sed ait, Propter uerbum quod locutus sum uobis? nisi quia & aquam uerbum mundat. Detrahe uerbũ, & quid est aqua nisi aqua? Accedit uerbum ad elementum, et fit sacramentum. Vnde ista tanta uirtus aquę, ut corpus tingat, & cor abluat, nisi faciente uerbo? non quia solum dicitur, sed quia creditur. Nã tria in baptismo uisibilia sunt: corpus, aqua & sacerdos. tria inuisibilia: anima, fides & spiritus Dei, qui hęc omnia operatur, ut fiat spiritualiter filius Dei renatus ex aqua & spiritu, carnaliter filius peccati natus ex traduce primorum parentum carne. Libro sexto in Ioannem, capite decimoquinto. Et: Nascimur per gratiam sancti Spiritus, & sacramentum baptismi in regnum. In quartum caput Ecclesiastæ.

Carolus Magnus inquit: Baptismus resurrectionis pignus est & imago, ut iam in præceptis Christi manentes ad præterita denuò non reuoluamur. Libro primo de Imaginibus, capite primo. Et: Per Sacramentum baptismatis quod Christus stabiliuit, ad æternam patriam peruenitur. Libro primo, capite uigesimoprimo. Item: Signati itaque sumus in eo, quando secundum Apostolum in morte eius baptizati, sacrosancti unguinis liquore delibuti sumus, & accepimus Christiani nominis prærogatiuam. Et paulo pòst: Signamur ergo in eo qui secundum Apostolum signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris, in quo etiam spiritus pignore signati sumus in die redemptionis. Signati autem sumus spiritu Dei sancto, ut & spiritus noster & anima imprimantur signaculo Dei, & illam recipiamus imaginem, ad quam in exordio conditi sumus, quam peccando nec in totum amisimus, nec in totum in nobis intemerata remansit: quia si hanc in totum amisissemus, nequaquam diceretur, Quanquam in imagine ambulat homo, tamen uariè conturbatur. Et si hanc in totum intemeratam conseruassemus, nequaquam amplius diceret: Reformamini in nouitate mentis uestræ. Libro secundo de Imaginibus, capite decimosexto. Et: In baptismate originalis noxæ antiquum & obsoletum uulnus diluitur: Per aquam baptismatis ad peccatorum remissionem peruenitur. Libro tertio de Imaginibus, capite 6.

DE REGENERA-
tione.

Albinus ait: Tu es Deus meus, tu creasti me: per aliũ recreari nequeo, nisi per te, per quem creatus sum. Creasti me per uerbum Deum manens apud te, recreas per uerbum carnem factum propter nos. In 7 Psalmum pœnitentialem. Et: Aliquid etiam factum est, & natum, & renatum: ut homo factus à Deo, natus à parentibus, renatus gratia Dei in ministerio baptismatis. Quæ regeneratio in solo homine inuenitur, sed non in omni. Quiddam uerò in his quæ facta sunt, rationale est & mortale, ut idem homo: sed hoc in solo homine, & in omni reperitur. Lib. 2. cap. 9. de sancta Trinitate.

¶ Baptizatos emendare se debere, docet Beda: Post acceptam in baptismo remissionem peccatorum, uigilijs, ieiunijs, orationibus, cæterisq; spiritus fructibus operam demus, ne nobis torpentibus, minusq; sollicitis, immundus spiritus, qui de corde nostro expulsus baptismo fuerat, redeat: nosq; spiritualibus diuitijs uacuos inueniens, septemplici peste deprimat, & sint posteriora nostra peiora prioribus. Caueamus sedulò, ne ignẽ nobis ipsi, qui uitæ iter occludat, nostrorum crebrò accendamus fomitem uitiorum. Flãmeus namq; gladius qualiscunque ille est, qui paradisi ostia seruat, singulis quibuscunque fideliũ fonte baptismatis extinctus est, et ut redire posit homo ablutus: in fidelibus autem manet semper immobilis, sed & falsò fidelibus. Vocatis quidem, sed nõ electis, dum post baptisma criminibus se implicare non metuũt, quasi post extinctionem idem ignis reaccenditur, ne mereantur intrare regnum, quod fide ac duplici corde requirunt. Homilia in 8 Epiphaniæ.

Cur Christus baptizatus sit, Beda ait: Triplicem ob causam Saluator à Ioanne accepit baptismum. Primò, ut quia homo natus erat, omnem iusticiam & humilitatem legis impleret. Secundò, ut baptismate suo Ioannis baptisma comprobaret. Tertiò, ut Iordanis aquam sanctificans, per descensionem columbæ, Spiritus sancti in lauacro credentium monstraret aduentũ, &c. Quod in Christum baptizatum descendere uisus est spiritus, signum erat conferendæ nobis in baptismo gratiæ spiritualis, quibus in remissionẽ peccatorum ex aqua & spiritu regeneratis, amplior eiusdem spiritus gratia per impositionem manus episcopi solet cœlitùs dari. Sicut etiã hoc, quòd apertos cœlos uidit post baptisma, nostri utiq; gratia factum est, quibus per lauacrũ undæ regeneratricis ianua panditur regni cœlestis: quæ peccantibus quondam protoplastis, ac paradiso eiectis, toti generi humano interpositis Cherubim & flammeo gladio clausa est. In Marcum libro primo, capite primo. Item: Baptizatus est Dominus, non ipse aquis mundari, sed ipsas mundare cupiens aquas: quæ ablutę per carnem eius, peccati utique nesciam, baptismi ius induerẽt, & quod tam innumera sub lege baptismata non poterant contra præuaricationis malum uim regeneratiuæ sanctificationis concipere. Dum corporis humilitate

tate Dominus undas Iordanis subijt, diuinitatis suæ potentia cœli nobis ianuas pandit: dumq; caro innoxia frigentibus tingitur aquis, opposita quondam noxijs romphea restinguitur ignea, &c. Virtus ibi baptismatis ascendit, de quo quisq; cum egreditur, regni cœlestis ei ianua declaratur. Sicut & illud quod IESVS, cuius omnia quæ patris sunt, baptizatus orasse memoratur, ad nos informandos actum non dubitatur, quibus post lauacrum baptismatis ut aula cœli pandatur, non ociose uiuendum, sed ieiunijs, precibus atque eleemosynis est insistendum. Quia etsi peccata sunt omnia in baptismo laxata, non adhuc tamen est carnis fragilitas solidata, &c. Libro primo in Lucam, capite tertio.

Aponius dicit: Baptismum accessit Christus, propter aquarum sanctificationem. Lib. 1 in Cant. canticorum.

Albinus inquit: Baptizatus est Christus, nō ut eius ulla dilueretur iniquitas, quia omnino nullam habuit: sed ut eius magna commendaretur humilitas. ita quippe nihil in eo Baptismus quod ablueret, sicut mors nihil quod puniret inuenit. Qui solus ita nasci potuit, ut ei non esset opus renasci. Et paulo pòst: Nec credendum est, tunc dona eum sancti Spiritus suscepisse, qui à prima conceptione Spiritu sancto plenus semper extitit: sed ut sanctę & indiuiduę trinitatis in baptismate demonstraretur mysterium, filius Dei baptizatur in homine, spiritus Dei descendit in columba, pater Deus est in uoce: sine cuius inuocatione, id est sanctæ Trinitatis, nullum baptisma prodesse poterit. Ideo Dei filius primus ipso suo in baptismate totam personaliter ostendere uoluit adesse Trinitatē, qui sacramentorum suorum dispensatorib. erat præcepturus docere omnes gētes, & baptizare eas in nomine patris & filij & spiritus sancti. Libro tertio de Trinitate, capite decimoseptimo. Item: Quare baptizabat Ioānes? Quia oportebat ut baptizaretur Dominus. Quare oportebat ut baptizaretur Dominus? ne aliquis, magna licet præditus gratia uel potestate, cōtemneret baptizari. Lib. 2 in Ioannem, cap. 2.

DE CLAVIBVS.

De Clauibus scribit Beda: Nonnunquam hi qui per sua peccata à communione ac societate sanctæ Ecclesiæ separati, infidelium sorti ac numero copulabātur, rursum per donum spiritus sancti studio se bonæ operationis exercent, ac per hoc consortium fidelium domus uidelicet & ciuitatis Domini de qua fuerant eiecti recipiūt. In Ezram lib. 1, in Præfatione. Item: Claues autem regni cœlorum, ipsam discernendi scientiam, potentiamq; nominat Christus, qua dignos recipere in regnum, indignos secludere deberet à regno. Quæ soluendi atq; ligandi potestas, quamuis soli Petro uideatur à Domino data: absq; ulla tamē dubietate noscendum est, quia & cæteris Apostolis datur, ipso teste qui post passionis resurrectionisq; suæ triūphum apparens, eis insufflauit, & dixit eis: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt. Nec non etiam nunc in episcopis ac presbyteris omni Ecclesiæ idem officium cōmittitur, ut uidelicet agnitis peccantium causis, quoscunque humiles ac uerè pœnitentes aspexerit, hos iam à timore perpetuę mortis miserans absoluat: quos uerò in peccatis quæ egerint persistere cognouerit, illos perennibus supplicijs obligādos insinuet. Vnde aliàs Dominus de correpto semel & iterum ac tertio, sed non pœnitente fratre, præcipit dicens: Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus. Et ne leue quisquam putaret Ecclesiæ iudicio condemnari, mox terribiliter adiunxit: Amen dico uobis, quæcunq; ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunq; solueritis super terram, erūt soluta & in cœlo. Omni igitur electorum Ecclesiæ iuxta modum culparum uel pœnitentiæ, ligandi ac soluendi datur autoritas. Homilia in die sanctorum Petri & Pauli apostolorum. Et: In pede, sicut & in manu, charos inemendabiles docet alienādos à nobis, ne per immundiciem eorum quos castigare nequimus, & ipsi polluti pereamus. Libro tertio in Marcum, capite nono. Item: Omnis qui post agnitionē ueritatis retrò redit, neque ipse fructum boni operis ferre, neque alios excolere ualet: sed foras mittēdus, hoc est ab Ecclesiæ est unitate secernendus. Lib. 4 in Lucam, cap. 14.

A malis discedendum. Beda: Christus docet, pijs in omnibus communicare, ab impiorum uerò per omnia societate secerni. In Lucam lib. 3. cap. 10.

DE ABSOLVTIONE.

Beda: Verum dicunt Scribæ, quòd nemo dimittere peccata nisi Deus potest: qui per eos quoq; dimittit, quib. dimittendi tribuit potestatem. In Marcum libro primo, capite secundo.

DE COENA.

De appellationibus, Beda scribit: Panem ociosa nō comedit Ecclesia, cum sacrificium Dominici corporis percipiens, studet imitari actu. In Prouerbia Salomonis libro tertio, capite trigesimoprimo.

Vnde sit. Beda: Christus discipulis suæ carnis & sanguinis mysterium credit. Lib. 2 in Marcum, cap. 6. Item: Christus licet die

sequenti,

sequenti, hoc est 15 sit luna crucifixus: hac tamen nocte qua agnus immolabatur, & carnis sanguinisq; sui discipulis tradidit mysteria celebranda. In Marcum lib.4.cap.14. Et: Finitis paschæ ueteris solennijs, quę in commemorationem antiquæ de Ægypto liberationis populi Dei agebantur, transijt ad nouum, quòd in suæ redemptionis memoriam Ecclesiam frequentare uolebat, ut uidelicet pro carne agni, ac sanguine, sui corporis sanguinisq; sacramentum substitueret: ipsumq; se esse monstraret, cui iurauit Dominus, & non pœnitebit eum. In Marcum libro quarto, capite decimoquarto: & in Lucam lib. 6. cap.22.

Carolus Magnus inquit: Ipse namque autor humani generis, qui pro salute nostra carnem nostri causa non est dedignatus accipere, cum & ueteris Testamenti terminum, & noui, appropinquante suæ sacratissimæ passionis die salutiferum constitueret initium, & in se lapide angulari duos ex aduerso parietes connectens, accepto pane benedicto & fracto, hoc salutare discipulis dedit præceptum: Accipite, inquit, & manducate, hoc est corpus meum. similiter & calicem, postquam cœnauit, accipiēs, dedit discipulis suis dicens: Accipite & bibite, hic est enim calix sanguinis mei. Libro secūdo de Imaginibus, capite uigesimoseptimo.

De materia cœnæ, inquit Damascenus libro quarto de Orthodoxa fide, capite decimoquarto: Non est figura panis & uinū corporis & sanguinis Christi, absit enim hoc: sed est ipsum corpus Domini deificatum, ipso Domino dicente: Hoc est meum (non figura corporis, sed) corpus: & nō figura sanguinis, sed sanguis. Et ante hoc ipsis Iudæis: Quoniam nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam æternā. Caro mea uerus est cibus, & sanguis meus uerus est potus. Et rursus: Qui manducat me, uiuet. Et: Verbum Dei uerum est, & efficax, & omnipotens: modus autem inscrutabilis. Ibidem: Item: Etsi quidem exemplaria (ἀντίτυπα) corporis & sanguinis Domini, panem & uinum uocauerunt, ut deifer uocauit Basilius: non tamen post sanctificationem dixit, sed priusquam sanctificaretur ipsa oblatio, ita uocabant. Ibidem.

Beda ait: Edent pauperes.) Ego quidem reddam uota, de quibus uotis edent pauperes, id est mundi contemptores: edent quidem realiter, si ad sacramenta referatur: & saturabuntur æternaliter, quia intelligent in pane & uino uisibiliter sibi proposito inuisibile, scilicet corpus uerum & sanguinem uerum Domini, quæ uerus cibus & uerus potus sunt, quo nō uenter distenditur, sed mēs saginatur. In 21 Psalmum. Et: Christus quodammodo ferebatur in manibus suis, quando in nouissima cœna panem benedictū & ore suo commendatum porrexit discipulis suis dicens: Hic est sanguis meus, commendando nobis humilitatem suam: scilicet ut & humile corpus eius comederemus, aggratulando eius natiuitati: & sanguinem eius biberemus, cōformando nos eius passioni. In 33 Psalmum.

Aponius inquit: Christus pro loco uel tempore uel causa, esca & potus Ecclesiæ factus est per corporis sui & sanguinis sacramentum. Libro tertio in Cantica canticorum. Et: Desponsationem annuli, & osculi traditionem, corporis & sanguinis sui sacramentum sub passionis tempore in Apostolis tradidisse probatur. Lib. 6 in Cantica canticorum.

Albinus ait: Bonum est ueros cibos & ueram sumere potionem, quos de agni carne & sanguine in diuinis uoluminibus inuenimus. de quibus dicitur in Cantico canticorum: Comedite amici mei, bibite & inebriamini. ad quos ipsa uocat Sapientia dicens: Venite comedite panem meum, & uinum quod miscui uobis. In secundum caput Ecclesiastæ.

Carolus Magnus: Non sanguinis & corporis Dominici mysterium imago iam nunc dicendum est, sed ueritas: non umbra, sed corpus: non exemplar futurorum, sed id quod exemplaribus præfigurabatur. Christus rex iustus, rex pacis, non pecudum uictimas, sed sui nobis corporis & sanguinis sacramentum contulit. nec ait, Hæc est imago corporis & sanguinis mei: sed, Hoc est corpus meum, quod pro uobis tradetur: &, Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Libro quarto de Imaginibus, capite decimo quarto.

¶ Quales ad cœnam accedere debeant, Beda docet: Lauent manus suas ac pedes in aqua labri ænei, & sic ad altare accedant: abluant lachrymis actus & incessus, ac deinde manus ad contingenda Christi mysteria proferant, pedumque gressus in atria Domini ponant. Quod æquè præceptum reor his qui eorundem sacramentorum perceptione mundandi sunt, ut cautiore cura prius actus suos cogitatusque discutiant, euentilent, purgent, ac sic ad participanda fidei sacramenta procedant, ne audire cogantur illud Apostoli: Quicunque enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Libro 3 de Tabernaculo, cap.14. Item: Si tam solerter mundicia quærebatur eius qui sanctificatū Moysi manibus panem typicum gustaret: quantam ne-

cesse est mundiciæ curam gerat, qui in sanctas ac uenerabiles Christi manus acceptum panem in sacramentum corporis eius consecratum, in memoriam mortis eius mortalibus creditum, ad uitæ perennis est auxilia sumpturus? Nempe illud Apostoli necesse est semper animo retineat: Quia quicunque manducauerit panem, uel biberit calicē Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Libro tertio in Samuelem, capite octauo.

Fide oportere accipi cœnam Domini, Damascenus docet libro quarto de Orthodoxa fide, capite decimoquarto: Omni cum timore, & conscientia pura, & indubitabili fide accedamus, & omnino fiet nobis quemadmodum credimus non dubitantes, & ueneremur ipsum omni puritate animi & corporis.

Vsus duarum partium in cœna sacra Ecclesiæ datus. Beda: Panem ociosa non comedit Ecclesia, cum sacrificium Dominici corporis percipiens studet imitari actu, quod mysterio celebrat: multum solicita, ne indignè panem Domini comedendo, & calicem bibendo, iudicium sibi manducet & bibat: sed ut patiēdo pro Christo, ac lachrymas fundendo, bonis quoq; actibus insistendo, passionum ipsius exempla sequatur, quantum ualet. Libro de muliere forti.

Carolus Magnus etiam docet, laicis utranque partem datam. nam sic inquit: Carnem redemptoris nostri in remissionem peccatorum sumimus, & sanguinis tinctione percutientis angeli impetum euadimus. Libro secundo de Imaginibus, capite uigesimoseptimo. Item: Sanguis Christi, qui à nobis in sacramento sumitur, pro nobis effusus est in remissionem peccatorum. Libro tertio de Imaginibus, capite sexto. Et: Corporis & sanguinis Dominici mysterium quotidie in sacramento à fidelibus sumitur. Lib. 4 de Imaginibus, cap. 14.

Item: Semper laudem eius qui nos fecit, in ore ferentes, & exultationes eius in gutture habentes, omnis populus Christi in transsumptione sanguinis & corporis eius, per quam memoriam mortis & resurrectionis illius iuxta suam traditionem celebramus, insatiabili desiderio & à Deo incitato studio ad ea incitatur magis, quàm ad fontes aquarum ceruus. Germanus Constantinopolitanus in epistola ad Thomam Claudiopoleos episcopum, Tomo secundo Conciliorum.

¶ De fine & effectu cœnæ inquit Damascenus libro quarto de Orthodoxa fide, capite decimoquarto. Corpus uidelicet & sanguis Christi in stabilimentum animæ nostræ & corporis inconsumptum & incorruptum, non in secessum iens (absit enim) sed in nostram substantiam & conseruationem omnimodi nocumenti reparatio, sordis omnis purgatio.

Beda ait: Sicq; corpus & sanguis illius non infidelium manibus ad perniciem ipsorum funditur & occiditur, sed fidelium ore suam sumitur in salutem. Homilia in epiphania Domini. Et: Christus pulchrè discipulos sacramentis suis corporis ac sanguinis imbutos, & hymno piæ intercessionis patri commendatos in montem educit Oliuatum, ut typicè designet nos per acceptionem sacramentorum suorum, perque opem suæ intercessionis ad altiora uirtutum dona & charismata sancti Spiritus, quibus in corde perungamur, conscendere debere. Libro quarto in Marcum, capite decimoquarto.

Carolus Magnus inquit: Corporis & sanguinis Dominici sacramentum, ad commemorationem suæ passionis & nostræ salutis nobis concessum, ab eodem mediatore Dei & hominum, per manum sacerdotis & inuocationem nominis diuini conficitur. Libro secundo de Imaginibus, capite uigesimoseptimo.

¶ De spirituali manducatione inquit Beda: Tunc caro Christi comeditur, cum eius passionis Sacramentum & ore ad emundationem percipitur, & corde ad imitationem cogitatur. Vitulus ille in corpore & sanguine Dominico & offertur patri, & pascit totam domum. In Lucam libro quarto, capite decimoquinto. Item: Quisquis uiuere uult, credat in Christum, manducet spiritualiter spiritualem cibum, incorporetur corpori Christi: & nō sit putridum membrum, quod resecari mereatur: sit pulchrum, sit sanum, sit aptum capiti suo. In sextum caput Ioannis.

Albinus inquit: Qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, proculdubio nec manducat spiritualiter eius carnem, licet carnaliter & uisibiliter premat dentibus sacramentum corporis & sanguinis Christi, sed magis tantæ rei sacramentum ad iudicium sibi manducat & bibit: quia immundus præsumpsit ad Christi accedere sacramenta, quæ alius non dignè sumit, nisi qui mundus est. de quibus dicitur: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt. Libro tertio in Ioannem, capite sexto.

Iudam cœna usum affirmat Beda: Christus Iudæ nefanda consilia cognoscens, eius præsentiam pertulit, nec à sacratissima cœna, in qua figuram sacrosancti corporis, sanguinisque sui discipulis tradidit, ipsum exclusit. In 3 Psalmum.

DE SACRIFICIIS.

De uero sacrificio inquit Beda: Vbi Christus suspensus est in ligno, dispensatio carnis finita est. Hoc holocaustũ namq; carnis illius, per lignũ crucis immolatũ, diuinis humana sociauit. In primum caput Leuitici. Item: Sanctum sanctorum erit.) Significauit, quia illa pro peccatis oblata, Sanctum sanctorum unigenitus est filius Dei. Quod dicit, Sacerdos qui offert, aliud comedet: ostendit, quia sic Apostolus dicit de Christo, qui seipsum obtulit ipse sacerdos, & ipse sit hostia, & ipse peccata nostra comedit & consumpsit, qui est sacerdos secundũ ordinem Melchisedech. Consequens autem, ut & ueri sacerdotis ministri Ecclesiæ, sacerdotes comedant peccata populi, ut accipientes peccata populi, tribuant illis remissionem peccatorum in loco sancto, in Ecclesia, in qua peccata remittuntur. In Leuiticum capite 6. Et: Offerant pro emundatione sua, sicut præcepit Moyses.) id est, exhibeant corpora sua hostiam uiuentem, sanctam, Deo placentem. In Lucam, lib. 2. cap. 5.

De spirituali sacrificio, ait Beda: Nos spiritualiter opera nostra Deo offerre debemus, ut est alibi. Præcipitur autem nobis, ut semper pascha celebremus: id est transitum nostrum ad meliora, de peioribus. Et primogenita Deo consecremus nostrorum operum, qui pro nobis dæmones occidit. In Exodum capite duodecimo. Item: Quod autẽ in prima parte Tabernaculi quotidie pontifex ad immolandas hostias introiuit, instãtia nobis quotidiana præcipitur, ut confessionis & laudis quotidie nos spirituale sacrificium offeramus: id est, humilitatem in castitate animarum nostrarum. Sacrificium enim Deo spiritus contribulatus. In Exodum capite uigesimooctauo, & uigesimonono. Et: Oblatio super altare offertur: id est, corpus Christi in Ecclesia. In Numer. capite quinto. Item: Ille ueraciter uictima Domini existit, qui suum corpus & animam à uitijs emundando, per amorem sancti Spiritus Deo consecrat. Nec solùm uictima talis sale aspergitur, sed & igni consumitur: quando non peccati tantùm contagio pellitur, sed ab electorum mente, ipsa etiam uitæ præsentis quæ in carne est delectatio tollitur, & futuræ magis uitæ conuersatio intenta mente suspiratur. An non hostia sacro igne salita erat, qui dicebat: Nostra autem conuersatio in cœlis est? Et paulo pòst: Altare Dei est, cor electorum: hostiæ uerò & sacrificia in hoc altari offerenda, bona sunt opera fidelium. In omnibus autem sacrificijs sal debet offerri, quia nullum est opus bonum, quod non sal sapientiæ ab omni corruptione uanæ laudis, cæterisq; prauis siue superfluis cogitationibus expurget. In Marc. lib. 3. cap. 9.

Albinus ait: Sacrificium Deo spiritus contritus. quasi dicat: O' homo si peccaueris, noli extrinsecus pecus quod mactes inquirere, habes intus quod occidas. Postquam enim dixit, quæ sacrificia Deus respuit: nunc dicit illa quæ poscit. Istud enim damus sacrificium Deo, spiritum scilicet superbiæ confessionis humilitate mactatum: unde non sanguis egreditur, sed lachrymarum fluenta decurrunt. Cor autem contritum uocat, pœnitentiæ laboribus uehementer afflictum, humiliatum Deo scilicet: ut quod antè fuerat elatione superbum, foret pia confessione deuotum. Constat enim, tales oblationes Deum non spernere, sicut illa cognoscitur priora sacrificia respuisse. In 118 Psalmum.

DE ECCLESIA.

De appellationibus Ecclesiæ.

ARca Ecclesiam significat, quæ natat in fluctibus mundi huius. Beda in Genesin, capite quinto. Et: Cunctis legentibus liquet, domum siue templum Dei in Scripturis sanctis, & unum quemque electorum, & omnem simul Ecclesiam, hoc est uniuersitatem iustorum solere appellari, pro eo quod in cordibus in se credentibus ac sperantibus, seque diligentibus, Deus inhabitare dignetur. Libro primo in Ezram. Item: Ecclesia Christi quæ lapis uocatur & petra, ipsa aliquando in Scripturis & ciuitas nuncupatur. In Iob libro secundo, capite decimo quarto. Item: Ecclesia & synagoga Græca nomina sunt, et unam eandemq; rem Latinè significant: id est, conuentum plurimorum ad inuicem. Si autem subtilius distinguantur, Ecclesia conuocatio, synagoga congregatio interpretatur. Et uetus quidem Dei populus utroque nomine uocabatur: nunc autem gratia distinctionis ille Synagoga, noster Ecclesia dicitur: merito scilicet fidei & scientiæ maioris, quia & irrationabilis creatura potest congregari. In Prouerbia Salomonis libro primo, capite quinto. Et: Mulier fortis Ecclesia catholica uocatur: Mulier uidelicet, quia spirituales Deo filios ex aqua & spiritu sancto gignere consueuit: Fortis, quia cuncta secula aduersa simul & prospera pro conditoris sui fide contemnit: quam ipse in carne apparens infirmam quidem inuenit, sed inuentione sua, hoc est pia uisitatione fortem reddit. In Prouerbia Salomonis libro tertio capite trigesimoprimo. Item: Vtrumque autem Græcum est nomen, Synagoga congregatio Latinè, Ecclesia dicitur conuocatio: quo quidem nomine magis fideles temporis huius, ob ampliorem spiritualis scientiæ cognitionem, appel-

lari placuit. Quia conuocari, proprium est eorum qui audire & discernere norunt: Congregari autem, & lapides uel alia quædam insensibilia possunt. Vtraque autem hęc portio iustorum, una et eadem Christi fide ac dilectione constans, quanquam habeant sacramenta pro temporis ratione disparia. Libro secundo in Cantica canticorum, capite primo. Et: Sion mons altus est intra Hierusalem, unde à longè solebant aspicere hostes, uel quoslibet aduenientes: & interpretatur specula. Vnde tum propter significationem, tum propter interpretationem rectè hoc nomen Sion conuenit Ecclesiæ, id est fidelibus, quia & alti sunt eminentia uirtutum, & firmi fundamento: id est, stabilitate fidei, sicut mons & altus & firmus est. Et inspicere debent quæ à longè sunt, id est futura, non præsentia, anteriora, non posteriora, sicut à Sion longè posita inspiciebantur. In secundum Psalmum. Item: Hæreditas Ecclesiæ est Christus, qui pascet eam in futuro, quando ipse erit omnia in omnibus: & est idem Christus in uita æterna eius, designata per terram illam de qua dicitur, Credo uidere bona Dei: &, Beati mites, quoniam possidebunt terram. Ipsa quoq; Ecclesia est hæreditas Christi, quia ipse excolit eam doctrina sua: & ipsa pascit eum bonis operibus suis, quibus ipse tanquam bono cibo delectatur. In quintum Psalmum. Et: Hæreditas filij Ecclesia est cunctis ei data de gentibus, quam non moriens ei pater reliquit, sed ipse sua morte mirabiliter acquisiuit, quam resurgendo possedit. Hanc autem occiso eo mali coloni præripere moliebantur, cum crucifigentes eum Iudæi, fidem quæ per eum extinguere, & suam magis quæ ex lege est iusticiam præferre, ac gentibus imbuendis conabantur inferre. In Marcum libro tertio, capite duodecimo. Item: Luna comparatur Ecclesiæ, quia sicut luna non habet lumen à se, sed recipit illud à sole: ita Ecclesia lucem non habet, nisi recipiat eam ab illo, qui illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. In septuagesimumprimum Psalmum. Et: Regnum Dei hoc loco præsens Ecclesia uocatur. In Marcum libro tertio, capite undecimo. Item: Domum Iacob totam Ecclesiam dicit, quæ uel de bona radice nata, uel cum oleaster esset, merito tamen fidei in bonam est inserta oliuam. Libro primo in Lucam, capite primo. Et: Synagoga Græcè, Latinè dicitur congregatio: quo nomine non solum affluentium turbarum conuentum, sed & domum qua ad audiendum docendúmue Dei uerbum conueniebant Iudæi, appellare solebant. Sicut & nos Ecclesias fidelium, & loca & choros uocamus. Verùm differt inter synagogam quæ congregatio, & Ecclesiam quæ conuocatio interpretatur: quòd ueteris Testamenti populus utroque uocabulo, noui autem tantum Ecclesia nuncupatur. Libro secundo in Lucam, capite quarto. Item: Hortus est Ecclesia, semper Christi & disciplinis excolenda, & donanda muneribus. In Lucam libro quarto, capite decimotertio. Et: Ecclesia est regnum Dei, de quo alibi discipulis ait: Regnum Dei intra uos est. In quo regnat Dominus, hodieq; uetus pascha impletum manducat, quando ea quæ Moses rudi populo carnaliter obseruanda præcepit, in membris suis, hoc est in ipsa Ecclesia spiritualiter exercet. Libro sexto in Lucam, cap. uigesimosecundo. Templum quoque & domus Dei est ipsa mens atq; conscientia fidelium. Lib. quinto in Lucam, cap. 19.

Aponius ait: Ecclesiæ uocabulum Græco sermone congregationem populi, quæ Hebraicè dicitur synagoga, interpretari, nemo est qui nesciat: quæ pro loco uel tempore diuersis nominibus à uerbo Dei uocata esse probatur. Aliquando Hierusalem, nonnunquam Sion, plerunque amica, sæpenumero dilecta, interdum soror uel speciosa dicitur, aut sponsa, columba, seu immaculata, uel perfecta in Christi persona, ore prophetarũ appellata cognoscitur. In Cantica canticorũ libro 1.

Albinus: Sion est Ecclesia, in qua est speculum uitæ, æternitatis uisio, cuius caput est Christus. In expositione Cantici graduum.

Carolus Magnus inquit: Domus Dei aut secundum allegoriam Ecclesia est, aut secundum anagogen cœlestis patria, aut secundum tropologiam anima hominis: & idcirco in plerisque Scripturæ sanctæ locis, cum domus Dei legitur, non parietes, nec quædam materialis ædificatio, sed spiritualis & inexistimabilis Dei intelligenda est habitatio. Libro primo de Imaginum cultu, capite uigesimooctauo. Item: Ciuitas Dei interdum anima hominis, interdum præsentis temporis Ecclesia, quam fluminis impetus lætificat, accipitur: plerumque cœlestis Hierusalem, quæ patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, confessorum agminibus constructa intelligitur. Libro secundo de cultu Imaginum, capite tertio. Et capite sexto eiusdem libri: Mons Sion est Ecclesia, quæ est mons montium, & sancta sanctorum, cuius ipse habitator est Christus. Item: Christus Ecclesiam blandis nominum uarietatibus alloquitur, modò eam columbam, modò formosam, modò amicam uocans: quam surgere, id est credere, properare, in operibus

bonis

bonis excrescere, uenire, ad æternam remunerationem accedere iubet. Lib. 2 de Imaginibus, cap. 10.

Definitionis loco esse potest, quod Beda inquit: Ecclesia Christi possessio est. In Numer. cap. 24. Et: Omnis electorum congregatio generaliter uocatur Ecclesia. In Cant. canticorũ lib. 2 cap. 1. Item: Ecclesia corpus Christi est. In Christo enim continetur caput, & corpus, & singula membra. In quintum Psalmum.

Aponius ait: Hæc ergo Ecclesiā in qua omnium credentium in Christo multitudo consistit, quæ ante sponsi aduentum in suo sanguine ignominiosè iacebat, de proiectione pro Christo collecta à propheta Ezechiele refertur. Lib. 1 in Cantica cānticorum.

¶ Vnde sit, Beda monet: Ecclesia à Christo condita est. In Genesin cap. 2. Item: Dormiuit in cruce Christus, pungitur latus illius lancea, ut sacramentis quæ inde fluunt, formetur Ecclesia. In Genesin cap. 2. Item: Etenim Ecclesia Domino IESV in occulto uxor, in secreto quippe spirituali, anima humana uel Ecclesia inhæret uerbo Dei, ut sint duo in carne una. In Genesin capite 20. Et: Sanctimonium, hoc est sanctum ædificium Dei sumus, nō facti manibus hominum, sed Dei agricultura sumus. In Exodum cap. 15. Item: Christus immolatur in similaginem, propter Ecclesiam quæ est corpus illius ex multis membris, uelut ex multis granis collectum, per legis & Euangelij molam comminutum, per aquam baptismi tinctū, chrismatis oleo perunctum, Spiritu sancto solidatum. In Leuiticum cap. 1. 2 & 3. Et: Dedit Dominus Ecclesiæ spiritum gratiæ suæ, quo ipsa fœcundata, genuit ei sobolem spiritualem, partim ad indaganda uel prædicanda sanctæ Trinitatis sacramenta potentem, partim cum perfecto Dei & proximi amore sua simplicitate contemptam: quia suscepta ad tempus à Christo incarnationis humilitas, magni habita est apud patrem, à quo omnis qui se humiliat exaltabitur. Vnde erit, In omnem terram exiuit sonus eorum. In Samuelem lib. 1. cap. 5. Item: Non nisi per fidem & sacramenta Euangelij, unitatē Ecclesiæ quis ingredi poterit. Lib. 2 de Tabernaculo, cap. 13. Et: Sicut in medio paradisi lignum uitæ positum Moses testatur: ita per sapientiā Dei, uidelicet Christum, uiuificatur Ecclesia: cuius & nunc sacramentis carnis & sanguinis pignus uitæ accipit, & in futuro, præsenti beatificatur aspectu. In Prouerbia Salomonis libro 1. cap. 3. Item: Christus Ecclesiam misso Spiritu sancto per prædicationem Apostolorum, in unitatem fidei collectam, de aquis multis, id est de gentibus pluribus assumpsit in hæreditatem præclaram, carentem ruga & macula. In decimumseptimum Psalmum. Et: Christus qui ædificatam super se ciuitatem siue donum Domini, id est, Ecclesiam in altum bonorum operum extollit, & cunctis manifestam gentibus exhibet, ipse hanc ab infimis delectationibus abstractam pane cœli reficit, atq; ad appetitum supernæ suauitatis dato pignore cibi spiritualis accendit. In Marcum libro secundo, capite octauo.

Albinus ait: Tunc imponent super altare tuum uitulos, sacerdotes scilicet, quando Ecclesia catholica fuerit Domini passione constructa. In 4 Psalm. pœnitentialem.

¶ Ecclesiam illustrari à Christo, Beda docet: Christus est lux mundi, qui Ecclesiam illuminat. Sicut luna de sole dicitur percipere lumen, ut per ipsum possit illuminari: sic Ecclesia suscepto Christi lumine, illuminat ignorātiæ tenebris excæcatos. In 1 cap. Genes.

Ex quibus constet Ecclesia, Beda inquit: De sanctis mente & corpore ædificatur Ecclesia: quasi aurum radiare debet, tam interius ex uitę splendore, quàm exterius doctrinæ claritate. In Exodum cap. 25. Item: Quatuor personæ cooperantur in Tabernaculi ornatu: id est, Dei, & Moysi, & Aaron, & plebis. Sic et Ecclesia his quatuor personis ornatur: id est, ex Deo, & lege, & sacerdotio, & plebe, & ex quatuor Euangelijs. In Numer. cap. 1. Et: Non est hæreticorum ædificare domum Domini, quæ est Ecclesia, à qua ipsi probantur esse alieni: sed eorum solummodo, qui Christo uero regi ac sacerdoti adhærentes, principes patrum uocari meruerunt, ob curam uidelicet piam quam habent erga eos qui Deum uidere desiderant, quod interpretatur Israel. In Ezram lib. 1. cap. 4. Et: Per sacerdotum necesse est manus diluantur in baptismo & conseruentur Domino, quicunq; ad consortium sanctæ Ecclesiæ pertingere desiderant. Libro secundo in Ezram, capite nono. Item: Nullus Ecclesiam, nisi sacramentis Dominicæ passionis imbutus, ingreditur. in Cant. cānticorum libro 3. cap. 3. Et: Dominus Ecclesiam de uiris fidelibus adunando construit, quam perfectè consummatam in die iudicij, præsentia suæ uisionis æternus habitator illustrat. In Lucam libro 5. cap. 17. Item: Et quidem gaudendum est, quia ipsi sumus in baptismo templum Dei facti, teste Apostolo qui ait: Templum Dei sanctum est, quod estis uos. Ciuitas regis magni, de qua canitur: Fundamentum eius in montibus sanctis. id est, fundamentum Ecclesiæ in soliditate fidei Apostolorū & Prophetarum. In Ioannem libro primo, capite secundo.

¶ Duplices esse homines in Ecclesia. Beda: In sancta Ecclesia non solum carnales, sed etiam

se attrahat semper. Lib. 1. in Cantica cantic.

Ex multis populis constare. Beda: Ipsam Ecclesiá, quę corpus meũ est, elegit de populis multis in hæreditatẽ præclaram, non habentem maculam & rugam. In 17 Psalmum.

Esse exiguam Ecclesiam. Albinus: Parua ciuitas, & uiri in ea pauci, ad comparationẽ totius mundi Ecclesia est. In nonum caput Ecclesiastæ.

¶ Ecclesiam esse ubiq; diffusam & catholicam, Beda tradit: Omnes iusti per donum Spiritus sancti, charitatis uinculo sociantur. In Exod. cap. 27. Item: A congregatione uniuersitatis Ecclesia catholica nomen accepit. In cuius unitate positos quosque, ipse patri Saluator orando commendat, qui ante passionem suam pro Apostolis orans ait: Non pro his autem rogo tantùm, sed & pro eis qui per uerbum eorum credituri sunt in me, ut omnes unum sint. In Samuelem libro primo, capite 12. Et: Fugatis per diuersa hostibus, Ecclesia toto terrarum orbe diuisa, uno eodemq; semper fraternitatis amore lętatur. Libro 2 in Samuelem, capite octauo. Item: Ecclesia omnibus est ad fidem conuocata de gentibus, rectè primogenita filia de multitudine secunda ex omnibus interpretari perhibetur. Capite decimo eiusdẽ libri. Et: Sancta uniuersalis Ecclesia ex multis electorum personis, ex multis per orbem ecclesijs, ex uarijs uirtutum floribus ædificatur. Cuius omnis perfectio in denario numero continetur: quia quaquà uersum Ecclesia per mundum in diuersis gentibus, tribubus & populis & linguis diffusa est, tota in sola Dei & proximi dilectione, quę Decalogo legis est comprehensa, subsistit. Neque aliter quisquam potest ueraciter ad Ecclesię membra pertingere, nisi integro corde, & eum per quem ædificatur, & eos in quibus ædificatur Ecclesia, hoc est, Deum & electos eius amare didicerit. Libro secundo de Tabernaculo, capite secundo. Item: Commune est gaudium totius catholicę Ecclesiæ, ut omnes electi pro eius statu Dominum precentur. In Cantica canticorum libro quinto, capite quinto. Et: Inde catholica uocatur Ecclesia, quòd per totas mundi partes in una pace, in uno Domini timore ædificetur, una eademque Spiritus sancti consolatione repleatur. Capite sexto eiusdem libri. Item: Electos in pluribus linguis & gentibus una fides ac pietas toto orbe pacificando confirmat, reprobos autem plures sectæ quàm linguæ dissociando confundunt. In Marcum libro secundo, capite quinto. Et: Tunica Domini nec ab ipsis qui eum crucifixêre militibus scindi potuit: quo figurabatur, quòd soliditas sanctæ uniuersalis Ecclesiæ, quę uestis sui redemptoris solet appellari, nunquam ualeat disrumpi. Libro quarto in Marcum, capite 14.

De Ecclesia gentium inquit Beda: Tollẽs sibi de gentibus Christus diuersorum morũ animas, ad unitatem omnes præcedentis in ipso Ecclesiæ cõgregare festinat. Libro 4 in Samuelem, cap. 6. Itẽ: Nauicula deseruiẽs Domino in mari, Ecclesia est, congregata de gẽtibus, & fluctus seculi labentis liberę mentis uirtute transgressa. Quæ quanto sinum cordis amplius recipiendę gratiæ sui conditoris dilatat, tanto sublimius cunctis transeuntium rerum uoluminibus, quasi fluctibus pelagi æstuantis, nauicula uentis agitata secundis insultat. In Marcum libro primo, capite tertio. Item: Quòd Christus docens sedebat in mari, præfigurabat Ecclesiam in medio nationum non credentium & contradicentium ædificãdam. Libro primo, capite quarto in Marcum. Et: Christus temporaliter in carne uiuens, paucos Iudęorum docuit, calcato regno mortis, omnibus per orbem gentibus fidei salutisque dona transmisit. Libro primo in Marcum, capite 1.

Albinus ait: Superbia fecit diuersitates linguarum: & quos turris dissociauerat, Ecclesia collegerat. In quæstionib. in Genesin.

Carolus Magnus ait: Sancta Ecclesia de diuersarum gentium siue linguarum uarietate colligitur. Libro 1 de Imaginibus, capite duodecimo. Et: Fideles utriusque populi, Iudæorum scilicet & gentilium compotes secum habẽt aulæ cœlestis: non quòd in illa patria inter utrũq; populum sit quædam distinctio localis, sed quia maior fiat festiuitas internæ beatitudinis de consortio adunatæ fraternitatis. Libro primo de Imaginibus, capite 20.

¶ Vna. Beda: Posuit pro Ecclesia carnem suam: Os de ossibus meis, & caro de carne mea. siue enim spirituales & fortes, siue minus perfecti, unum corpus Christi sunt. In secundum caput Geneseos. Item: Vnus Deus pater, ex quo omnia: & unus Dominus, & una Ecclesiæ fides, & unum baptisma. In quintum caput Geneseos. Et: In sola Ecclesia unitas est confessionis. In undecimum caput Genes. Item: Cùm sit Ecclesia septiformis, tamen per unitatem una est. In Exodum capite secundo. Et: Cùm populus uterque, Iudæorum scilicet & gentium, fraterna sibi in Christo charitate consentit, unam iam catholicæ Ecclesiæ ciuitatem construit. Libro secundo in Samuelem, capite decimooctauo. Item: Vna est columba mea, perfecta mea. Vna est enim, quia diuisionem schismatis non recipit. Vna est, quia non alia ante legem, alia sub lege, alia sub gratia, alia de circumcisione, alia de præputio collecta: sed sicut unus Dominus, una

fides, unum baptisma, unus Deus pater omnium, ita est una catholica electorum omnium multitudo per omnia. In Cantica canticorum libro quinto, capite sexto. Et: Distincti per orbem ecclesiarum conuentus, unam catholicam faciunt Ecclesiam. Libro secundo in Marcum. Item: Ex duabus partibus unitas Ecclesiæ congregatur, eorum uidelicet qui peccare nesciunt, & eorum qui peccare desistunt. In Lucam libro quarto, capite undecimo. Et: Non latet rabies hæreticorum de angulo, toto terrarum orbe Ecclesia diffusa est: omnes gentes habent Ecclesiam. nemo nos fallat, ipsa est uera, ipsa est catholica: cœpit ab Hierusalem, peruenit ad nos: & ibi est, & hic. Non enim ut huc ueniret, inde discessit. Creuit, non migrauit. Libro sexto in Lucam, capite uigesimoquarto.

Aponius inquit: Nam si Ecclesia unum corpus cum Christo effecta est, cuius in capite dicimus ubera Apostolos debere intelligi, per Euangelistarum Apostolorumque doctrinam: non erit incongruum patriarchas & prophetas etiam Ecclesiæ ubera nuncupari. Libro tertio in Cantica canticorum.

Quòd perpetua. Beda: Nunquam exterminari potest Ecclesia Christi de medio. Lib. 3. in Samuelem, cap. 5.

Albinus ait: Ecclesia ab initio generis humani exorta, nullis generationibus defuit. In 118 Psalmum.

¶ Non omnes esse pares in Ecclesia, & esse mixtum cœtum, Beda monet: Licet in Ecclesia omnes intra unam fidem continentur, atque uno baptismate diluantur, non tamen idem omnibus profectus est. In Genesin capite quinto. Item: Ecclesiæ sine malorum permixtione esse non possunt, in quibus per operationem ministrorum Dei agitur, ut boni separentur à malis nunc mente, quandoque etiam separandi corpore. In octauum Psalmum. Et: Ecclesia tota significatur à luna, propter defectum quem patitur. Nullus enim tantæ perfectionis in Ecclesia uiuit, qui non multotiens cadat & resurgat. Vnde dictum est: Iustus in die septies cadit. Singulæ uerò ecclesiæ ideo stellis comparãtur, quia sicut stella differt à stella in claritate, ita diuersæ ecclesiæ inter se in diuersorum charismatum concessione. Alia enim præualet in largitate, alia in castitate. In octauum Psalmum. Item: Sicut in area simul sunt paleæ & grana, sic in Ecclesia mali bonis permixti sunt. In uigesimumoctauum Psalmum. Et: In corpore Christi (Ecclesia) duo sunt genera, scilicet perfectiores boni, & minus. Minus perfecti sunt illi, qui uidentes malos feliciter uiuentes, & in omni terrena prosperitate florentes; indignantur de flore illorum, & illum affectant. In trigesimumsextum Psalmum. Item: Boni & mali simul mixti sunt in Ecclesia, quos in extremo iudicio segregabit uentilatio illa per angelos facta: bonos ponẽs ad dextram, malos uerò ad sinistram. In quadragesimum nonum Psalmum. Et: In præsenti Ecclesia multi sunt uocati, pauci uerò electi. Ita ea grana supernis recipienda mansionibus, in comparatione loliorum, quæ flammis sunt mancipanda perpetuis. Cuius areæ purgatio & nunc uiritim geritur, cùm quisq; peruersus uel ob manifesta peccata de Ecclesia sacerdotali castigatione reijcitur, uel ob occulta post mortem diuina districtione damnatur: & uniuersaliter in fine perficietur, quando mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala. In Lucam libro primo, capite tertio. Item: Christus uarijs hominum personis unam sibi catholicam Ecclesiam construit, erudit & gubernat, in uitam dedicaturus æternam. In Lucam libro secundo, capite sexto. Et: Christus est sponsus uerus, sponsa uerò sancta Ecclesia ex omnibus congregata gentibus, de qua Apostolus ait: Despondi uos uni uiro, uirginem castam exhibere Christo. Virgo est, & sponsum habet, quæ quotidie generat, & uirgo perpetua manet. Virginitas hæc integritas est mentis, charitatis perfectio, unitas catholicæ fidei, pacis concordia, castitas in corpore & anima: quia nihil ualet corporis castitas, sine catholicæ fidei integritate. Cuius uirginis, id est, uniuersalis Ecclesiæ amici sunt prædicatores Euangelicæ ueritatis. In Ioannem libro primo, capite tertio.

¶ Proprietas Ecclesię est credere, Beda inquit: Filiæ decurrerunt super murum.) id est, generatio, uel ecclesiæ quæ crediderunt in Christum. Hæ super soliditatem fidei, quasi super murum amore pulchritudinis Christi ascensurę discurrunt, ut uerum sponsum per contemplationem aspiciant, & osculo charitatis illi copulentur. In Genesin capite 48. Et: Tunc secularis quisq; potest sanctis Dei coniũgi, cùm perfectè crediderit in patrem, filium & spiritum sanctũ, uel cùm spe, fide, charitate sit ornatus. In Deuteron. cap. 23. Itẽ: Mediator Dei & hominum, destructo per orbẽ diaboli regno, electos suos qui erant dispersi, ab eius tyrannide reuocatos, in suam congregat Ecclesiam. Quę & in præsenti iustificata ex fide pacem habet ad Deum per ipsum, & ad uisionem perpetuæ pacis festinat in futuro. Libro primo in Ezram, capite primo. Et: Ecclesia in fide & doctrina Apostolorum perficitur. Libro 2 in Ezram, cap. 7.

Aponius

Aponius ait: Habet ergo Dominus noster Christus animas nimia sibi charitate coniunctas, quas in claro intelligentiæ uel dilectionis suæ meridiano lumine semper conseruat, quę per innocentiam & mansuetudinem supradictæ integritatis, uel solerti uigilantia in scrutandis testimonijs eius flagrantes amore diuino fuerunt: & quas non solùm baculo proprio regit, sed & brachio constringere & sinu portare prophetarum ore probatur. Libro secundo in Cantica canticorum. Et: Prima laus est Ecclesiæ bonitatis, unum confitendo Deum, qui testimonio Christi solus est bonus. Secunda laus est disciplinæ, unicum filium credendo Dei. Tertia uerò odoris, est laus scientiæ, & cognitio spiritus sancti. Quia tria omnium bonorum fundamenta esse probantur. Libro tertio in Canticum canticorum. Item: Ab omni macula peccatorum Ecclesiam mundatam sacrosancto baptismate, & omni ruga hæreticæ attractionis, doctrinæ luto extensa, pulcherrimam reddidit Iesus Christus Dominus noster: cui est gloria & imperium in secula. Libro quinto in Canticum canticorum.

Carolus Magnus inquit: Ecclesia mater nostra preciosissimo sponsi Christi sanguine redempta, & regeneratione salutaris gurgitis lota, & salutifero ediculo corporis & haustu sanguinis satiata, & nectarei liquoris unguine delibuta, & per uniuersum orbem terrarum in pace diffusa, aliquando externa, aliquando intestina perpetitur bella, aliquando exterorum concutitur incursibus, aliquando ciuium pulsatur tumultibus: nonnunquam uidelicet incredulorum uel hæreticorum impellitur infestationibus, nonnunquam uerò schismaticorum uel arrogantium turbatur simultatibus. Est enim arca, saluandas intra se continens animas. In Præfatione libri primi, de Imaginum cultu.

¶ De doctrina Ecclesiæ Beda ait: Bene autem bases Prophetæ & Apostoli sunt. Super fundamentum enim Prophetarum & Apostolorum sancti doctores Ecclesiam collocant. In uigesimumsextum caput Exodi. Item: Anima quoque eius, id est Ecclesiæ, quæ est fidei & spei suæ unus idemque consensus, habens quoque in charitate Christi cor unum & animam unam, donec ueniant tempora refrigerij à conspectu Domini, quę ei promissa sunt, uitam in gemitibus aget. Libro primo in Iob, capite decimoquarto. Et: Media pars iugeri arandi Ecclesia est, quæ in terris adhuc inter reprobos conuersata, correptione prædicatorum gaudet ad gignendos uitæ fructus exerceri. Libro secundo in Samuelem, capite octauo. Item: Necesse habet semper Ecclesia Christi diligenti exploratione dignoscere, qui sint illi in quorum ipse professione & opere possit inueniri, ipsumque pijs uocibus ut se demonstrare dignetur exorare. Libro secundo in Cantica canticorum, capite primo. Et: Custodes namque Ecclesiæ Prophetæ, custodes sunt Apostoli, custodes Prophetarum & Apostolorum successores, qui diuersa mundi ætate regimini illius superna iussione dati sunt. Custodes sunt exercitus militiæ cœlestis, qui omni tempore seculi labentis pro Ecclesiæ statu curam gerunt, ne malignorum uel hominum uel spirituum irruptione turbetur. Libro sexto in Cantica canticorum, capite octauo. Item: Præcepta diuinorum librorum sunt fundamentum & uniuersalis Ecclesiæ, & singularum ecclesiarum, quibus ipsæ roborantur & sustentantur, uelut ædificium à fundamento. In octauum Psalmum. Et: Sancta Ecclesia doctorum floribus uernans, habet in pace lilia, in bello rosas. Libro de Muliere forti.

Item: Christianis character proprijssimus est fides, & confessio in unum Deum patrem, filium & spiritum sanctum, Trinitatem increatam, sempiternam, incomprehensibilem, inuisibilem, consubstantialem, in eodem throno sedentem. Germanus Constātinopol. in epistola ad Thomam Claudiopoleos episcopum, Tomo 2 Concil.

¶ De fundamento Ecclesiæ ait Beda: Per Apostolos exposita sunt scripta Prophetarum, quæ fundamentum Ecclesiæ fuerunt. In decimumseptimum Psalmum. Item: Sed & Petro claues regni cœlorum promissas, Ecclesiamque Domini super petram fidei, à qua ipse nomen acceperat, ædificandam esse, occasionem contentioni discipulorum præbebat. Libro 3 in Marcum, cap. 9. Et: Venire ad patrem, est in Ecclesia constitui per fidem, ubi iam possit esse peccatorum legitima & fructuosa confessio. Libro 4 in Lucam, cap. 15.

Item: Supra petram Christum Deum nostrum fundatam Ecclesiam, nunc esse discissam uideo. Tarasius in epistola ad Conciliū secundum Nicenum, act. 1.

¶ Sacramenta pertinēt ad Ecclesiam. Beda: Cùm ritè in Ecclesia Christi sacramenta celebrantur, Christi uerbum auditur & conseruatur (qui est sapientia Dei) cōstat quòd angelicæ uirtutes ibi sint, & in excelsis cœlorum conuiuæ fidelium: panem enim cœli dedit eis. Libro primo in Prouerbia Salomonis, capite nono.

Casta. Beda: Turturis fertur hæc esse natura, ut si iugalis sui fuerit solatio deserta, nulli ulterius alteri copuletur. Quod Eccle-

siæ castitati congruenter aptatur: quæ etsi Domini sponsi sui morte uiduata est, tanta tamen eius memoria, quem resurrexisse à mortuis, & in cœlis iam regnare nouit, tenetur, ut nullatenus externorum possit recipere consortium, solo illius ad quem se quandoque peruenturam speret amore contenta. Libro secũdo in Cantica canticorum, capite primo.

¶ Dona differre in Ecclesia. Albinus: Sicut unius corporis membra diuersa habent officia, quæ tamen omnia una operatur anima, & regit, distribuens unicuique membro quid faciat, oculo ut uideat, manui ut operetur, pedi ut ambulet, auri ut audiat: sic sunt etiam diuersa dona fidelibus, tanquam membris ad mensuram cuique propriam distributa. Quamuis enim ut in omni fidelium multitudine diuersæ sunt donorum gratiæ, unum tamen corpus est Ecclesię per unum spiritum, una charitatis compage conglutinatum atque connexum. Libro secundo de sancta Trinitate, capite uigesimosecundo.

Spe nos accipere etiam quædam in Ecclesia, Beda inquit: Iam suscepit Ecclesia hæreditatem illam, si non re, saltem spe. Vnde dicit Apostolus: Spe enim salui facti sumus, expectantes redemptionem corporis nostri. In 5 Psalmum.

Quòd sit Ecclesia cruci subiecta, monet Beda dicens: Hæc ergo caro Christi, quæ est Ecclesia eius, per successionem temporum, tribulationibus diuersisque persecutionibus affecta, dolebit usque in finem mundi. Libro primo in Iob, capite decimoquarto. Item: Ecclesiam suam Dominus quantalibet numerositate iam dilatatam, tamen usque ad finem mundi humilitate uult crescere, & ad promissum regnum humilitate pertingere: in ea itaque se mori uelle, pro ea moriturus annunciat. In Iob libro secundo, capite decimoquarto.

Non nisi in Ecclesia homines saluari. Aponius: Ecclesiam foris nemo saluatur. Libro 2 in Cantic.

De effectibus inquit Beda: Terræ quippe nomine Ecclesia designatur, quæ spiritualem fructum Deo germinare consueuit, in qua iusti habitant & permanent, quia à consortio eius nec morte separantur: sed terminata hac uita, ad illam eius partem quę cum Christo in cœlis regnat, perueniunt. Libro primo in Prouerbia Salomonis, capite secundo. Item: Catholica Ecclesia palàm mundo diuinorum eloquiorum conuiuia pandit, diuinitatis & humanitatis Christi mysteria celebranda pręcepit. Libro primo, capite nono, in Prouerbia Salomonis. Et: Ecclesia sancta sollicitè perquirit, quibus se pietatis fructibus exerceat, quomodo carnalibus emundet illecebris: & hoc utrunque consilio prudentissimo, hoc est, supernæ solummodò retributionis facit intuitu. Libro tertio in Prouerbia Salomonis, capite trigesimoprimo. Item: Ecclesia in exemplum beatæ semper uirginis Marię nupta, simul & immaculata, concipit nos uirgo de spiritu, parit nos uirgo sine gemitu: & quasi alij quidem despõsata, sed ab alio fœcundata, per singulas sui partes, quæ unam catholicam faciunt, præposito sibi pontifici uisibiliter iungitur, sed inuisibili spiritus sancti uirtute cumulatur. In Lucam libro primo, capite secundo. Item: Stabulum est Ecclesia præsens, ubi reficiuntur uiatores, de peregrinatione hac in æternam patriam redeuntes. Et bene, iumento impositum duxit in stabulum: quia nemo nisi baptizatus, nisi corpori Christi adunatus, Ecclesiam intrabit. Libro tertio in Lucam, capite decimo. Et: Accipimus & nos spiritum sanctum, si amamus Ecclesiam, si charitate compaginamur, si catholico nomine & fide gaudemus. Igitur quantum quisque amat Ecclesiam Christi, tantum habet spiritum sanctum. Habemus ergo spiritum sanctum, si amamus Ecclesiam: amamus autem, si in eius compage & charitate consistimus, quam Apostolus omnibus uirtutibus fiducialiter præposuit. In septimum caput Ioannis.

De Ecclesia degenerante inquit Beda: Videat lector, nec sine lachrymis rem lachrymis dignam contempletur, quantum Ecclesiæ status ad peiora quotidie, uel (ut mitius dicam) ad infirmiora deuoluatur. Libro quarto in Samuelem, capite secundo.

De reconciliatione cum Ecclesia, inquit Beda: Cùm per baptisma denuò mortem peccati incurrimus, per eandem necesse est fidem pœnitendo reuiuiscamus, ac per conciliationem sacerdotum Ecclesiæ rursus fidelium cœtui reddamur. In Ezram libro 1. capite tertio.

DE ANTICHRISTO.

De appellationibus ait Beda: Abominatio desolationis, potest intelligi aut simpliciter de Antichristo: aut de imagine Cæsaris, quam Pilatus posuit in templo: aut de Hadriani equestri statua, quæ in ipso sancto sanctorum loco multo tempore stetit. Abominatio quoque secundum ueterem scripturam, idolum nuncupatur. In Marcum libro quarto, capite 13.

Damascenus docet quidem uenturum esse Antichristum, sed multas habet opiniones,

nes, quæ ex Scriptura probari non possunt, ut suo loco declaratur.

Beda ait: Relegens historiam Ecclesiasticam, infinita martyrum gesta reperies, quibus cunctis immanior temporibus Antichristi concisio plaustri huius, hoc est Ecclesiæ perturbatio, non dubitatur esse uentura. Neque aliquid uetat duas has uaccas quæ arcam Domini referentes Israelitis, holocaustum sunt Domino datæ, super Enoch & Helia interpretari, qui tunc Iudæis fidei gratiam aperturi, nec mora ab Antichristo mortem creduntur esse suscepturi. In Samuelem capite undecimo. Item: Persecutio quæ tempore Antichristi fiet, grauior erit illa quæ per tyrannos facta est, quia erit & fraudulenta & uiolenta. Violenta propter regnum, quia rex erit: fraudulenta uerò propter miracula, & ideo ualde erit periculosa. In nonum Psalmum. Et: Nam dum magis ille impius Antichristus superbit persequendo, tanto magis uerus pauper incendetur in bono patiendo. Ipse uerò Antichristus cum suis membris comprehendentur: id est, damnabuntur in consilijs, quæ cogitant. Ibidem. Item: De Antichristo dicit Apostolus, quòd extollitur super omne quod dicitur, aut quod colitur Deus. In octuagesimumsecundum Psalmum. Et: De Antichristo sub Antiochi specie per Danielem dicitur: Robur datum est ei contra iuge sacrificium, propter peccata, & prosperabitur. Quod Salomon ait, Incedit feliciter: hoc Daniel dicit, Prosperabitur. In trigesimum caput Prouerbiorum. Item: Multi in nomine Christi uenêre Antichristi, quorum primus est Simon Magus, cui (sicut in Actib. Apostolorum legimus) auscultabant omnes qui in Samaria erant, à minimo usque ad maximum, dicentes: Hic est uirtus Dei quæ uocatur magna, eo quòd multo tempore magicis suis artibus demen tasset eos. In Marcum libro quarto, capite tredecimo. Et: Contra Ecclesiam uenientes hæretici, Christos se esse mentiuntur: quorum primus Simon Magus fuit, extremus autem ille maior cæteris est Antichristus. Ibidem. Et: Antichristi tempora Matthæus describens dicit: Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modò, neque fiet. Libro sexto in Lucam. Item: Quis est iste qui uenit in nomine suo, nisi ille qui propriam gloriam quærit, & non illius qui misit illum? Quis est quem accepturi erunt Iudæi, nisi Antichristus, qui uenturus est propriam gloriam quærere? In quintum caput Ioannis.

¶ Vnde sit. Beda: Filius autem diaboli Antichristus, non ab ipso nascendo, sed ut cæteri peccatores illum imitando, uocatur. In Lucam libro sexto, capite uigesimotertio.

Quando sit uenturus, Beda inquit: Tribulatio Antichristi quanto cæteris quę præcessere pressurarum pondere grauior, tanto est temporis breuitate moderatior futura. Namque tribus annis & dimidio, quantum de prophetia Danielis & Apocalypsi sancti Ioannis conijci potest, Ecclesiam per orbem impugnatura esse creditur. In Marcum libro 4. capite 13.

De eius crudelitate inquit Albinus: In Antichristo iniusticia est, & uerax non est: quia gloriam suam quæsiturus est, non eius à quo missus est. non enim est missus, sed uenire permissus. Omnes ergo pertinentes ad corpus Christi, ne inducamur in laqueum Antichristi, non quæramus gloriam nostram. Libro in Ioannem, capite septimo.

DE MINISTERIO *uerbi.*

Encomion ministerij recitat Beda: Et dentes lacte candidiores.) Dentes pręceptores sunt sancti, qui præcidunt ab erroribus homines, & illi qui in comedendo corpus Christi transmittunt. Candidiores autem effecti sunt doctores Ecclesiæ lacte ueteris legis, qui ualidum uerbi cibum mandunt atque distribuunt. Et bene candidiores dicuntur. omnes enim qui Scripturarum cibos Ecclesiæ subministrant, candidi esse & immaculati debent. In Genesin capite quadragesimooctauo.

De dignitate ministerij inquit Aponius: Hæ utique animæ quę diligunt firmissima charitate, quę studio scientiæ sermonis suę rectam fidem docendo, instruunt paruulos in fide, reuincēdo peruersorum dogmatum assertores, magnam lęticiam magnumq; spectaculum angelis uel sanctis animabus exhibere noscuntur. Libro quarto in Canticum canticorum.

De appellationibus Beda ait: Significant ligna prædicatores sanctos, quorum & uerbo & exemplo structura eiusdem Ecclesię, ut subsistere possit, continetur: qui suę robore doctrinę turbines hæreticę impulsionis, ne eam deijciant, arcent. Libro 2. cap. 1. in Cantica canticorum. Item: Arietes dicuntur Apostoli: & quia principaliter duces omnium sunt, & quia alios in fide genuerunt per Euangelicam prędicationem: & quia utroq; cornu feriunt, id est utroque testamento sententias suas approbant, & dicta inimicorum confringunt. In 28 Psalmum. Et: Fundamenta quando pluraliter in Ecclesiæ mysterio ponuntur, doctores significāt, de quibus dicitur: Fundamenta eius in montibus

sanctis. Quando uerò singulariter fundamētum, tunc ipse doctorum doctor, & fundamentū fundamentorū exprimitur Christus. In Lucam libro 2. capite 6. Item: Sed & omnes qui sacerdotij nomine censentur, Angeli uocantur, Propheta attestante qui ait: Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est. Nec non etiam unusquisque fidelium, in quantum sufficit, in quantum gratiam supernæ aspirationis accipit, si à prauitate proximum reuocat, si exhortari ad bene operandum curat, si æternum regnum uel supplicium erranti denunciat, cùm uerba sanctę annunciationis impendit, profectò angelus existit. In Lucam libro 2. cap. 7. Et: Sæpe etiā Apostolica scriptura prophetas, nō eos solùm qui futuram Christi incarnationem, sed & eos qui uentura cœlestis regni gaudia prædicent, appellat. Prophetę, inquit, duo aut tres dicant, & cæteri dijudicent. Sed nequaquam hos crediderim Apostolis in catalogi ordine præferendos. Libro 4 in Lucam, capite 11. Item: Nonnunquam solent in sacro eloquio per canes, prædicatores intelligi. Canum enim lingua, uulnus dum lingit, curat: quia & doctores sancti, dum in confessione peccati nostri nos instruunt, quasi uulnus mentis per linguam tangunt. Et quia nos loquendo à peccatis eripiunt, quasi tangendo uulnera ad salutem reducunt. In Lucam libro quinto, capite 16.

Albinus: Neque immeritò prædicatores sancti typicè angeli uocātur, quibus consuetè deriuatum ab angelis nomen Euangelistarum conceditur: ut sicut hi nuncij, ita & illi propter idem summę prædicationis officium, boni nuncij cognominantur. Libro 1 in Ioannem, cap. 1.

¶ Vnde sit, Beda scribit: Dominus est noui sacerdotij autor, quod est secundum ordinem Melchisedech. In Samuelem libro 1. capite 12. Et: Christus absens corpore, præsens autem deitate, per præcones ueritatis. In 13 Psalmum. Item: Non Apostolorum electionis ac studij, sed diuinę erat dignationis & gratiæ, ut in apostolatum uocarentur. Vnde & eis alibi dicit: Non uos me elegistis, sed ego elegi uos. In Marcum libro primo, capite 3. Et: Christus spiritualis dona scientię tribuens Apostolis, per eorum ministerium uoluit Ecclesiæ per orbem uitæ cibaria distribui. Libro 2 in Marcum, capite octauo. Item: Christus prædicatores dispersit in mundum, in quorum dictis atque consolationibus ab huius uitæ fatigatione fideles quiq; respirarent. Libro 4 in Lucam, cap. 13. Et: Paulus uoce Domini audita, Quid me persequeris? &, Ego sum IESVS, quem tu persequeris: ad Ananiam tamen missus est, ut illo sacerdotio, quod in Ecclesia constitutum est, sacramentum doctrinæ fidei perciperet, & uerus eius approbaretur color: non quia non potest per seipsum Dominus omnia facere (nam quis alius hæc facit, etiam in Ecclesia?) sed ut ipsa societas congregatorum fidelium approbando in inuicem atque communicando uerę fidei doctrinam, in omnibus quę dicuntur uerbis, uel signantur sacramentis, tanquam unam speciem ueri coloris obducat. Cornelius etiam, cùm & eleemosynæ eius acceptę & preces eius auditæ illi ab angelo nuncientur, propter doctrinę tamen sacramentorumque unitatem ad Petrum iubetur mittere: tanquam illi & suis diceretur, Ite ostendite uos sacerdotibus. nam & cùm irent, mundati sunt. Iam enim ad eos uenerat Petrus: sed tamen ipsi nondum accepto Baptismatis sacramento, nondum spiritualiter ad sacerdotes peruenerant, & tamen infusione Spiritus sancti & admiratione linguarum eorum mundatio declarata est. In Lucam lib. 5. cap. 17.

Albinus: Sacerdotis est benedicere, Dei est effectum tribuere benedictionis. In quæstionibus in Genesin.

Item: Apostolos rectè Spiritus sancti tubas dicimus. Tarasius in prima actione secundæ synodi Nicenę, tomo secundo Conciliorum.

¶ Omnibus ætatibus donatos esse doctores. Beda: Nullum fuit tempus seculi à sanctis alienum doctoribus, qui siue uerbis, siue exemplis, siue etiam scriptis uiam uitæ mortalibus panderent. In Ioannem libro 1. capite 2.

Quales Deus soleat uocare. Beda: Piscatores & illiterati mittuntur ad prædicandū, ne fides credentium non in uirtute Dei, sed eloquentia atq; doctrina putaretur. In Marcum lib. 1. cap. 1.

De electione ministrorum, Beda ait: Fidelis plebs per baptismum terram Ecclesiæ possidens, debet constituere sacerdotes & magistros, qui conuersatione magni & prę clari habentur, qui uerba legis & diuinam scripturam custodiant. Labia enim, inquit, sacerdotis custodiunt scientiam. In Deuteron. cap. 27.

De ordine uocationis, Beda ait: Vidit Christus prædestinando per gratiam, uocauit illustrando per doctrinam, imposuit manus spiritualibus donis adiuuando, erexit ad glorificandum Deum, in operibus bonis usque in fidem firmam prouehendo. Quos, inquit Apostolus, prædestinauit, hos & uocauit: & quos uocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & magnificauit.

uit. In Lucam libro quarto, capite decimotertio. Item: Sicut illi peccatores fuerunt, qui uocati uenire noluerunt: ita hi quoque peccatores sunt, qui inuitantur, & ueniunt. sed peccatores superbi respuuntur, & peccatores humiles eliguntur. Hos itaque eligit, quos despicit mundus: quia plerunque ipsa despectio hominem reuocat ad semetipsum. Pauperes & debiles, cæci & claudi uocantur, & ueniunt: quia infirmi quique, atque in hoc mundo despecti plerunque tanto celerius uocem Dei audiunt, quanto & in hoc mundo non habent ubi delectentur. Vocat Deus per se, per angelos uocat, per patres uocat, per prophetas uocat, per Apostolos uocat, per pastores uocat, plerunque per flagella uocat: aliquando per mundi huius prospera uocat, aliquando per aduersa. nemo contemnat: ne dum uocatus excusat, cùm uoluerit intrare non ualeat. Libro quarto in Lucam, capite decimoquarto.

Typum ministerij pingit Aponius, dicens: Habet equos, habet equites, habet & currus Dominus IESVS Christus, quibus uehitur. Equi autem sunt uirtutes angelicæ, in quibus ante incarnationem Domini uehebatur Spiritus sanctus multipliciter. Quibus equis sociati coniunctique intelliguntur Apostoli, simul & illi qui succedunt in eorum locum uel ordinem, qui sedentem super se Spiritum sanctum, multiplicem gratiam impertientem portent Deum in corpore suo. Libro 2 in Cantica canticorum.

Qualis debeat esse minister, Beda monet: Verùm præsul quisque, siue minister uerbi, ita solùm pro subditis efficaciter laborare, siue prædicando uerbum, seu Domino supplicando potest, si animus eius semper diuini nominis sit memoria prędicus. Libro tertio de Tabernaculo. Item: Bene loqui, & malè uiuere, nihil aliud est quàm seipsum propria sua uoce damnare. In decimumoctauum Psalmum. Et: Meritò contemnitur lingua prædicatoris, si non sit ex re prædicationis: id est, si aliud uerbis, & aliud docet factis. In nonum Psalmum.

¶ De officio ministrorum, inquit Beda: Fortes perseuerantesq; doctores uelut imputribilia quærendi sunt, qui instructione sacrorum uoluminum semper inhærentes sanctæ Ecclesię, semper unitatem denuncient, & quasi intromissis circulis arcam portent: qui iubentur quoque auro operiri, ut cum sermone alijs inseruierint, ipsi etiam uitę splendore fulgescant. In Exodum, capite uigesimoquinto. Item: Cognita perfecti quique Rectores desidia negligentium doctorum, quòd peccent Domino, baptizantes eos quos à carnali cogitatione, necdum plena fidei institutione purgauerint, continuò tales præuaricationis reos arguunt, & catholica autoritate uitæ cœlestis regulam palàm proponi iubent, magistrisque inertibus, quos uulgaris eatenus imperitia uexaret imperari, ut adductis usq; ad eam quam ipsi à patribus didicerant, uitę formulam cunctis quos imbuendos susceperint, super firmissimum catholicę perfectionis exemplar eos catechizando à pristina conuersatione paternæ traditionis accidant, & baptizando Ecclesię membris incorporent, neq; ultra peccent Domino, fidei & uitę cœlestis ignaros unitati sui corporis, hoc est Ecclesię Christi nectentes. Libro secundo in Samuelem, capite nono. Et: Labia catholicorum disseminabunt prædicando scientiam rectę fidei. cor hæreticorum dissimile erit, quia perfidiam pro scientia concipit, ut doceat. Libro secundo in Prouerbia Salomonis, capite decimoquinto. Item: Eodem ordine etiam nunc non solùm episcopi ac presbyteri, & plebem fidelium, domum uidelicet Dei debent ædificare docendo, & doctores illi quí opus uerbi sanctissimum diligenter impleant, consulendo præponere: sed & ipse populus de captiuitate uitiorum ad uisionem uerę pacis uocatus, ministerium sibi uerbi necesse est ab his qui dicere norunt exigat. Libro primo in Ezram, capite quarto. Et: Oportet ut doctores Ecclesiæ nunquam obliuiscantur sanctimoniæ, qua ipsi sunt Domino consecrati per Spiritum sanctum in die redemptionis: ad quam suscipiendam etiam suos auditores instituant, ut qui iam Domino oblati sunt per rudimenta fidei, etiam per eorum qui in fide præcesserunt exempla ac monita magis magisque confirmentur, ac supernæ ciuitatis introitu digni efficiantur. Quibus uigilandum est per omnia, & curandum ne aliqua de creditis sibi animabus, uasis uidelicet Domini, pereat: sed integro eos numero ad sancta ciuitatis adyta perducant. Libro secundo in Ezram, capite nono. Item: Qui portas & turres ædificant, per quas uel ciues ingrediantur, uel arceantur inimici, ipsi sunt Prophetæ, Apostoli & Euangelistæ, per quos nobis forma & ordo fidei ac rectę operationis, per quam unitatem sanctę Ecclesiæ intrare debeamus, ministrata est: quorum uerbis, qualiter aduersarios ueritatis redarguamus ac repellamus, discimus Qui uerò reliquos uerbis extruũt, ipsi sũt pastores & doctores, quos secũdo loco posuit Apostolus: p quorũ industriã usq; hodie, ea quę p magnos Ecclesię architectos ædificata est fides catholica, p totũ orbẽ seruatur.

uatur. Libro tertio in Ezram, capite decimooctauo. Et: In hac quidem uita filij sacerdotum in dedicatione ciuitatis Dei tubis canunt, quoniam ad memoriam patriæ cœlestis corda auditorum prædicando succendunt: & hoc in uasis cantici Dauid uiri Dei, quando non sensu uel desiderijs innitentes, sed patrum ac prophetarum per omnia uitam sequentes, doctrina uerbo prædicationis insistunt. Libro tertio in Ezram, capite trigesimotertio. Item: Quemadmodum animæ hominum uirtutum uestibus induuntur: ita & sensus diuini, dum euangelizantiũ prędicationibus enunciantur, quodammodo sermonibus uestiuntur. Libro secundo in Iob, capite decimo. Et: Sancti fulgura ideo appellantur, quia isti mittuntur à Deo, ut prædicatione Euangelij mundum illuminent. quibus Dominus ait, Vos estis lux mundi. Libro tertio in Iob, capite septimo. Item: Prædicator fidelis & audientes uerbo reficit, & eadem refectione apud Dominum ipse reficitur. Libro secundo in Prouerbia Salomonis, capite decimoquarto. Et: Liberat animas catholicus doctor, qui testimonia Scripturarum fideliter, id est rectè prædicat. Ibidem. Et: Vigiles namque qui custodiunt ciuitatem, præcones sunt ueritatis: qui ad custodiam sanctæ Ecclesiæ, quæ per mundum diffunditur uniuersum, pia solicitudine semper excubant: ac uerbo prædicationis, ne hæc à perfidis corrumpatur, insistunt. Libro tertio in Cantica canticorum, capite tertio. Item: Pascuntur sancti doctores puris ac nitidis Scripturarum diuinarum floribus: & ne lac doctrinæ salutaris, quo paruulos nutriant, deficiat, semper ipsum in monumentis patrum quid agere, qualiter sua pectora satiãt, & hoc usque ad finem seculi. Libro quarto in Cantica canticorum. Et: Vectes quibus arca portatur, sancti sunt doctores, qui Dominum prædicando audientium cordibus inferunt. Qui uidelicet uectes semper esse iubentur in circulis: quia nimirum necesse est, ut quicunque alij cœlestia sacramenta prædicant, nunquam ipsi mentem à memoria sacræ Scripturæ, nunquam manus à diuinorum obseruantia mandatorum contineant. Libro primo de Tabernaculo, capite quarto. Item: Omnes domestici Ecclesiæ uestiti duplicibus, & sapientia uidelicet ad reuelandas hæreticas falsorum fratrum doctrinas, & patientia ad tolerandas apertorum hominum pugnas. Vel certè uestiti sunt duplicibus: quia promissionem habent uitæ quæ nunc est, & futuræ. Libro tertio in Prouerbia Salomonis, capite trigesimoprimo. Et: Pax quæ ab ore prædicatoris offertur, aut requiescit in domo, si in ea fuerit filius pacis, aut ad eundem prædicatorem reuertitur: quia aut erit quisque prædestinatus ad uitam, & cœleste uerbum sequitur quod audit: aut si nullus audire uoluerit, ipse prædicator sine fructu non erit, quia ad eum pax reuertitur, quoniam ei à Domino pro labore sui operis recompensatur. Libro tertio in Lucam, capite decimo.

Aponius ait: In quibus equis uel quadrigis sedens Christus redemptor noster loquens in Apostolis, acutissimo gladio uerbo suo expugnat exercitum dęmonum, qui super impios reges uel philosophos, magicarumq; artium doctores equitabant, & de singulis secundum uirium qualitatem, currus, equos uel arma fecerũt. Libro 2 in Cantica canticorum.

Albinus: Euenit interdum, ut cùm modicum sapientiæ quis habuerit, elatus in superbiã discere desistat: paulatim uerò quod sciebat, ex eo quod nihil ei additur, detrahitur, & uacuum ei disciplinis pectus remanet. In decimum caput Ecclesiastæ. Et: Veri pastoris, & cui syncera est cura de ouibus, euidens ac speciale indicium est, cùm quisque non solùm commodis omnibus uitæ temporalis carere, sed ipsam quoque uitam pro grege Christi ponere, in promptu habet. Libro septimo in Ioannem, capite uigesimoprimo.

¶ Non pudeat discere. Beda: Ne etenim paruuli à senioribus erubescant discere, & ipse ob ætatis humanæ congruentiam hominibus auscultare non erubescit Deus: ne infirmus docere quis audeat, & ille puer doceri interrogando uoluit, qui per diuinitatis potentiam uerbum scientiæ ipsis suis doctoribus ministrauit. In Lucam libro primo, cap. 2.

¶ De doctrina, Beda ait: Par boum in die arans, concordia doctorum est, de legis & Euangelij disciplina, sub eodem fidei iugo conuenientium, in luce præceptæ scientiæ subditorum corda castigans, & ad ferendum Deo fructum spiritus excolens. Libro secundo in Samuelem, capite octauo. Et: Apostoli remissionem peccatorum in nomine Trinitatis per totum orbem prædicauerunt. In trigesimumsecundum Psalmum. Item: Omnis qui fidem rectam & bona opera prædicat, quid aliud quàm uenienti Domino ad corda audientium uiam parat, ut hæc uis gratiæ penetret, ut lumen ueritatis illustret, ut rectas Deo semitas faciat, dũ mundas in animo cogitationes per sermonem bonæ prædicationis format? Libro primo in Marcum, cap. 1. Et: Formam dicendi ministris uerbi præfixit, ut capacitatem considerantes auditorum, pro suo quęq; modo instruere

instruere meminerint, neque infirmis auditoribus altiora quàm capiunt arcana committant. Libro secundo in Marcum, capite octauo. Item: Notandum, quòd duas ob causas maximè scientia ueritatis est occultanda quęrentibus: cùm uidelicet is qui quærit, aut minus capax est ad intelligendum quod quærit: aut odio uel contemptu ipsius ueritatis indignus est cui debeat aperiri quod quærit. Propter quorum unum Dominus ait: Adhuc multa habeo uobis dicere, sed non potestis illa portare modò. Propter alterum uerò discipulis præcepit: Nolite dare sanctum canibus, neq; mittatis margaritas uestras ante porcos. In Marcum libro tertio, capite undecimo. Et: Sicut is qui bene ministrauerit, gradum bonum sibi acquirit: ita qui officium docendi sibi indoctus usurpare tentauerit, qui Christum non syncerè annunciat, maius iudicium damnationis meretur, quàm si solus in suo scelere periret. In tertium caput epistolæ Iacobi.

Aponius inquit: Monentur per hæc qui præsunt populo Christiano, ut sine intermissione annuncient plebi, quid præcipiat uox ista dilecti Ecclesiæ: quomodo scilicet uenit de sinu patris ad humanum consortium, ut uerbum fieret caro: quomodo secundum Abacuc prophetam, humiliando dæmonum superbiam confregerit montes uiolentiæ, & liquefecerit colles æternales. Libro quarto in Canticum canticorum. Et: Dei sermo iubet custodibus uineæ, scilicet qui præsunt populo Christiano, & locum doctoris suscipiunt, solertissimè rete fidei tendere prædicando. Libro quarto in Canticum canticorum. Item: Quicquid doctor profitetur, & animarum nutritor, nisi de utroq; Testamento docuerit auditores, id est, uetere & nouo, ab uno omnipotenti Deo processisse, homicida est animarum. Libro sexto in Canticum canticorum. Et: Illorum de quibus lac doctrinæ in auditorum corda infunditur, semper debent & sermo & uitæ exempla, non de inferioribus flosculis secularium literarum, sed de supernis Apostolicis montibus exhortando flores depasci: semper in eis de pudicitia, de continentia, de conseruanda integritate, exhortatorius sermo ad populum respondere, & semper eis in castarum animarum exemplis pascua doctrinæ esse collocanda. Ibidem.

Albinus: Ecclesiasticus uir, in Scripturis cœlestibus eruditus, omnem laborem habet in ore suo, id est, in doctrina spirituali: & anima eius non implebitur, dum semper cupit discere quod doceat. In sextum caput Ecclesiastæ. Item: Nec nimis rigidus, aut animo solutus magister debet esse, sed uia regia ingredi: & considerare diligenter, quid cui conueniat ad salutem animæ suæ. In septimum caput Ecclesiastæ. Et: Doctorum est, cognoscere distantiam Legis & Euangelij, ueritatis & umbræ: cunctisque ueteribus institutis, cunctis regni terreni promissis, nouam Euangelicæ fidei gratiam, & perpetua cœlestis patriæ dona præferre. Libro primo in Ioannem, capite secundo.

¶ De peccatorum reprehensione, inquit Beda: Apostoli per Spiritum sanctum confirmati, apertè uitia omnium malorum reprehenderunt. In 9 Psalmum.

Albinus inquit: Et respondebo exprobrātib. mihi uerbū.) Hæc nobis indicat absolutè sententia, respondendum esse uiriliter aduersantibus, ne malignantium præsumptio superior esse uideatur. In centesimum decimumoctauum Psalmum.

¶ De constantia ministrorum Beda inquit: Nolite erubescere Euangelium Dei, sed inter tenebras persecutorum lumen uerbi supra uestri corporis candelabrum leuate. Libro 3 in Lucam, cap. 8.

¶ De uita doctorum. Beda: Sermo doctoris in potestate fit, cùm ea quæ docet operatur. Nam qui actis ipse sua dicta destruit, contemnitur. Cui contrà doctorem instituens Apostolus ait: Nemo adolescentiam tuam contemnat. In Lucam libro secundo, capite quarto. Et: Omnis doctor qui auditores, quos uerbo ædificat, exemplo scandalizat: nec ipse regnum Dei intrat, nec eos qui poterant intrare permittit. Libro quarto in Lucam, capite undecimo.

Aponius ait: Sacerdotes quibus docendi officium commissum est, monentur, uigilanter doctrinæ operam dare, uel uitę immaculatæ exemplo ad eos, uel maximè qui adhuc paruuli sunt in Christo. Libro 4 in Cantica canticorum.

¶ Fidendum esse ministro in Deo. Beda: Tanta prædicatori debet in Deo esse fiducia, ut præsentis uitæ sumptus quamuis non præuideat, tamen sibi hos non deesse certissimè sciat. Ne dum mens eius occupatur ad temporalia, minus alijs prouideat æterna. Libro secundo in Marcum, capite sexto.

De contemptu ministrorum, Beda ait: In audiendo quisq;, uel spernendo Euangelij prædicatore, non uiles quasq; personas, sed Dominum saluatorem, imò ipsum patrem spernere se uel audire discet. Nam sequitur: Qui autem me spernit, spernit eum qui me misit. Quia proculdubiò in discipulo magister auditur, & in filio pater honoratur.

tur. Libro tertio in Lucam, capite decimo.

Omnes uocari ministerio uerbi. Beda: Sonus prædicationis Apostolorum exiuit à Iudæa, perueniens in omnem terram, id est in omnes partes terræ: & etiam ad omnes angulos partium, quia uerba eorum in omnes fines orbis terrarum peruenerunt. Nullus enim angulus terræ habitabilis est, ubi doctrina Apostolica aut per ipsos, aut per discipulos & successores eorum non innotuerit. In decimumoctauum Psalmum. Et: Scinditur uelum templi, ut arca Testamenti & omnia legis sacramenta quæ tegebantur appareant, atque ad populum transeant nationum. Libro quarto in Marcum, capite decimoquinto.

De fine & effectu ait Beda: Vnusquisque Euangelij prædicator ita debet in Ecclesia laborare, ut defuncto fratri, id est Christo suscitet semen. In Deuteronomium, capite uigesimoquinto. Et: Aedificat magister quisque perfectus in audientium corde fidem Dominicæ passionis. Libro secundo in Samuelem, capite nono. Item: Hoc est unicum aduersus hostes uniuersos Ecclesię suffugium, oratio uidelicet ad Deum, & industria doctorum: qui die noctuque in lege eius meditantes, corda fidelium contra insidias diaboli ac militum eius prædicando, consolando, exhortando præmuniant. Libro tertio in Ezram, capite decimonono. Et: Lingua catholici doctoris, ad fructum uitæ ducit sempiternum: quæ autem modum Ecclesiasticæ normæ ignorat, & suum spiritum, & eorum qui se audiunt malè loquendo conteret. Libro secundo in Prouerbia Salomonis, capite decimoquinto. Item: Per ministerium prædicantium perficitur unanima coniunctio credentium populorum. Libro quinto in Canticum canticorum, capite quinto. Et: In conuertendo inimicum meum retrorsum.) id est, Facies per prædicationes Apostolorum aduertere morbum, & humiliter me sequi, ac uenerari me medicum. In nonum Psalmum. Item: Anima saluari cupiens, primò omnium ministris qui eam subleuent, & Christo afferant, id est, bonis doctoribus, qui spem sanationis, opemque intercessionis suggerant, indiget. Libro primo in Marcum, capite secundo. Et: Instantia magistri loquentis nil ualet, si non augmentum superni iuuaminis, ut audiatur, acceperit. Libro 1. in Lucam, cap. 2.

Albinus: Homines foris uerbum sonare possunt: sed in uanum laborant, nisi intus Deus docens aperiat sensus. Ille est Dei docibilis, quem Deus intus ueritatis instruit agnitione & amore. Libro tertio in Ioannem, capite sexto. Et: Multa Christus quotidie dicit per sanctos prædicatores, quę audientes interius non recipiunt: quia spiritus sanctus non suggerit eis interius, quæ audierunt exterius. de quo rectè promittitur: Ipse uos docebit omnia. Quia nisi idem spiritus cordi adsit audientis, ociosus est sermo doctoris. Nemo enim docenti homini tribuat, quod ex ore docentis intelligit: quia nisi intus sit qui doceat, doctoris lingua exterius in uacuum laborat. Aliter itaque prædicantem Christum audierunt Iudæi, aliter Apostoli: illi ad iudicium, isti ad salutem. quia hos spiritus in animo docuit, quod foris audierunt in aure. Libro 6 in Ioannem, cap. 14.

DE REGNO CHRISTI.

APpellationes ita exponunt patres. Beda: Cornu salutis, regnum saluatoris Christi uocatur, quo mundo spiritualis, & quæ carnis gaudia superet, altitudo nunciatur: in cuius figuram Dauid uel Salomon cornu olei sunt, in regni gloriam consecrati. Libro primo in Lucam, capite primo. Item: Aut enim regnum Dei appellauit, quod nondum accepimus, & in quo nondum sumus. Vnde in fine dicturus est: Venite benedicti patris mei, percipite regnum. Aut si regnum Dei intelligi uoluit huius temporis Ecclesiam, cuius filij sunt omnes ab institutione generis humani, usque quotquot iusti & sancti esse potuerunt. Libro secundo in Lucam, capite septimo. Et: Regnum Dei Christus seipsum dicit, intra Apostolos positum: hoc est, in cordibus eorum, ubi credidère regnantem. Regnum Dei intra nos est: quia qui quandoque iudex uenturus est omnium, nunc etiam præsens in corde fidelium regnat. In Lucam libro quinto, capite decimoseptimo.

Quid sit, Beda inquit: Regnum Dei prædicatio Euangelij est, & noticia Scripturarum, quæ ducit ad uitam, & de qua dicitur ad Iudæos: Auferetur à uobis regnum Dei. Libro primo in Marcum, capite quarto. Et: Regnum Dei nunc dicit, quo damnantur impij, & à fidelibus de peccatis suis pœnitentiam nunc agentibus secernuntur. Libro quarto in Lucam, capite undecimo.

Quale sit, & in quibus consistat. Beda: Non dixit in acquisitione gloriæ, gazarumque terrestrium: non in uictoria gentium plurimarum, urbiumque debellatione superbarum: sed in iudicio & iusticia. Per hæc enim regnum Christi & in singulis quibusque fidelibus, & in uniuersa per orbem multiplicatur pariter & con-

confirmatur Ecclesia. Libro primo in Lucam, capite primo. Et: Cùm cognouisset Iesus, quòd rapturi essent eum, ut facerent eum regem.) An fortè hoc erat rapere eum, præuenire uelle tempus regni eius? Etenim uenerat modò non iam regnare, quomodo regnaturus est in eo quod dicimus, Adueniat regnum tuum. Semper quidem ille cum patre regnat, secundum quod est filius Dei, uerbum Dei, uerbum per quod facta sunt omnia. Prædixerunt autem prophetæ regnum eius, etiam secundum quod homo factus est Christus, & fecit fideles suos Christianos. Erit ergo regnum Christianorum, quod modò colligitur, quod modò comparatur, quod modò emitur sanguine Christi: erit aliquando manifestum regnum, quando erit aperta claritas sanctorum eius, propter iudicium ab eo factum. In 6 caput Ioannis.

Esse æternum. Beda: Si autem omne regnum in se ipso diuisum desolatur, ergo patris & filij & spiritus sancti regnum non est diuisum, quod sine ulla contradictione, non aliquo impulsu desolandum, sed æterna est stabilitate mansurum. Libro 4 in Lucam, capite 11.

DE LIBERTATE CHRI*stianorum.*

QVòd sit aliqua libertas Christianorum, testatur Beda dicens: Nota quòd primi Apostoli Saluatoris, literam sabbati destruunt, aduersum Hebionitas, qui cùm cæteros recipiant Apostolos, Paulum quasi transgressorem legis repudiant. Libro primo in Marcum, capite secundo. Et: Maior est cura sanitati & uitæ hominis, quàm custodiæ sabbati adhibenda. Sic enim & mandatum est sabbatum custodiri, ut tamen si necessitas esset, reus non esset qui sabbatum uiolasset. Ideo sabbato circuncidi non est prohibitum, quia necesse erat fieri. Et Macchabæi necessitate instante sabbato pugnabant. Iosue muros Hiericho septem diebus cum exercitu circuiuit. Vnde discipulis esurientibus, quod licitum non erat in lege, necessitate famis factum est licitum. Talis hæc causa est, qualem hodie in ieiunijs legimus: ubi si quis æger ieiunium corruperit, nulla ratione reus tenetur. Libro primo in Marcum, capite secundo.

Albinus ait: Quæ est libertas uera? Maxima libertas est seruire iusticiæ, & à peccato liberum esse. In quæstionibus in Genesin. Item: Prima libertas est, non permanere in peccato, seruire iusticiæ, dicente Apostolo: Cùm serui essetis peccati, liberi eratis iusticiæ. Nunc autem habetis fructum uestrum in sanctificatione, finem uerò uitam æternam. Perfecta uerò libertas est, Christo seruire, illum diligere, qui uerè nos liberauit, qui uerus est filius Dei, & Dominus in forma serui. Non seruus, sed in forma serui Dominus. Libro 4 in Ioannem, capite 8.

Carolus Magnus: Ab ignis obligatione ille nos liberos efficiat, qui nos in libertatem redemit: & nobis sedentibus in tenebris, suæ claritatis lucem magnam ostendit, siue habitantibus in regione umbræ mortis ipse lux uera exortus est, atque idem eius seuerissimæ damnationis nos reddat expertes, qui suæ clarissimæ fidei, speique & charitatis fecit esse sequaces. Libro secundo de cultu Imaginum, capite octauo.

¶ De libertate ciborum, ait Beda: De genere autem ciborum, quia possunt bono animo & simplici corde, sine uitio concupiscentiæ, quicunque humani cibi indifferenter sumi, prohibet Apostolus iudicari eos qui carnibus uescebantur & uinum bibebant, ab eis qui se ab huiusmodi alimentis temperabant. Qui manducat, inquit, non manducantem non spernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet. Ad hoc pertinet etiam illud: Nolite ante tempus quicquam iudicare. Sunt ergo quædam facta media, quæ ignoramus quo animo fiant, quæ bono & malo fieri possunt: de quibus temerarium est iudicare, maximè ut condemnemus. Horum autem ueniet tempus, ut iudicemur, cùm Dominus illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit cogitationes cordis. Duo sunt autem in quibus temerarium iudicium cauere debemus, cùm incertum est quo animo quidque factum sit: uel cùm incertum est, qualis futurus sit, qui nunc uel bonus uel malus apparet. In Lucam libro secundo, capite sexto.

DE CRVCE.

QVòd Ecclesia sit cruci subiecta, docet Beda: Ex his tribus cuneis Ecclesiam quotidie tentari, omnis qui in castris illius legitimè militat, sentit. Tres enim ad prædandum de castris Philistinorum egrediuntur cunei, cùm immundi spiritus interioris hominis custodiam tentantes, aut rationabilem eius partem, aut irascibilem aut concupiscibilem, uel in singulis singulas, uel in uno omnes uirtutum diuitias nudare conantur. Libro secundo in Samuelem, capite octauo. Et: Non enim unum, sed plura contra Israel agmina ducunt: cùm

cùm iuxta dispartitam suæ nequitiæ qualitatem, alij spiritus iræ, alij inuidię, alij superbiæ, alij cenodoxiæ, alij luxuriæ, alij gastrimargiæ, alij discordiæ, alij philargyriæ telis electos sternere tentant. Libro 3 in Samuelem, cap. 2. Itē: Omne tempus populi Dei quamdiu in præsenti pauper est, afflictionibus abundat, & ærumnis, quia necdum ad diuitias supernæ bonitatis & perpetuæ mansionis peruenit. Libro 2 in Prouerbia Salomonis, cap. 15. Et: Sancta Ecclesia, si fieri posset, semper in tranquillitate mundanæ pacis Domino famulari, & sobolem ei cœlestē propagare atq; educare desiderat. At uerò ipse crebris eam in præsenti tribulationibus exerceri disponit, quo mundior ad perpetua bona perueniat: & ne, si cuncta temporalia fortè prospera currant, incolatu præsentis exilij delectata, minus cœlestem patriam suspiret. Lib. 2. cap. 1. in Cantica canticorum. Item: Christus semper prosperis miscet tristia, ut cùm repentè uenerint, non terreant Apostolos, sed à præmeditatis ferantur animis. Libro 3 in Marcum, cap. 9. Et: Prædicit Christus discipulis, quòd passuri sunt: ut cùm passi fuerint, nō desperent salutem, sed agentes pœnitentiam liberentur. Libro 4 in Marcum, cap. 14. Item: Impossibile est, humanam animam non tentari. Vnde & in oratione Dominica dicimus, Et ne nos inducas in tentationem: quam ferre non possumus. non tentationem penitùs refutantes, sed uires sustinendi in tentationibus deprecantes. Libro 4 in Marcum, cap. 14. Et: Nos in hac quidem sexta mundi ætate pro Domino pati, & uelut mundo crucifigi necesse est. In Lucam lib. 6. cap. 23.

Albinus ait: Sancta Ecclesia, quamdiu in mundo spiritualium uirtutum profectibus insistit, nunquam mundi tētationibus exerceri desistit. At cùm deuicto laborum certamine ad palmam peruenerit, iam non meminit pressuræ præcedentis, propter gaudium perceptæ retributionis. non sunt enim condignæ passiones huius temporis, ad superuēturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Libro 6. in Ioannem, cap. 16. Et: Quamdiu in hoc seculo sumus, tempus est belli: cùm migrauerimus autē de hoc seculo, pacis tempus adueniet. In pace est laus Dei, & ciuitas nostra Hierusalem de pace sortita uocabulū est. Nemo ergo nunc se putet esse securum, in tempore belli, ubi certandum est, & Apostolica arma tractanda, ut uictores quōdam requiescamus in pace. In 3 caput Ecclesiastę. Item: Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea.) Vox est Ecclesiæ, sustinentis falsos fratres, & in exempla priora respicientis, & super ipsa exhortātis, exemplis patrum inuincibiliter sustinere: quia olim expugnata Ecclesia, & non nouiter, sed semper ab initio quo cœpit esse. Nam Abel Ecclesia fuit Christi, sed à fratre expugnatus est. Etiā & Moyses in Ecclesia Christi sępissimè expugnatus est à populo, cui præfuit. Occisus fuit Christus à synagoga, sed nō separatus. Ecce enim exēplis docebat nos aduersus falsos fratres, fortiter sustinere. In Canticum graduū. Et: Quid est nauicula quæ à fluctib. iactabatur, nisi Ecclesia, quæ persecutionibus fatigatur & foris & intus? foris à paganis, aperta persecutione: intus à falsis fratribus, occulta seditione. Libro 3 in Ioannem, cap. 6.

Carolus Magnus inquit: Ecclesia mater nostra, aliquando intestina, aliquando externa perpetitur bella: aliquando exterorum concutitur incursibus, aliquando ciuiū pulsatur tumultibus. Nonnunquam uidelicet incredulorum uel hæreticorum impellitur infestationibus, nonnunquam uerò schismaticorum uel arrogantium turbatur simultatibus. Est enim arca, saluandas intra se continens animas, quæ in huius seculi sęuissimas diluuij, absq; naufragij periculo trāsigit procellas: & nescit mortiferis præsentis seculi alluuionibus cedere, nec infestantium aduersarum potestatum obsidione fatescere: sed illo pro ea, & maximè in ea pugnāte, qui positus est in ea murus, & qui super eius muros constituit custodes, qui tota die & tota nocte in perpetuum non tacebunt. In præfatione libri de cultu Imaginum. Et: Sancta mater Ecclesia quanto amplius mundi aduersitatibus feritur, tanto auctioribus siue excellentiorib. uirtutibus dilatatur: & quanto plus premitur, tanto amplius exaltatur. Ibidem. Item: Ecclesia dum in huius seculi mortalitate & ærumnis uersatur, plangere dicitur: cùm uerò ad æternam remunerationem peruenerit, tunc lætitia præcingetur.

¶ Duo esse genera, annotat Beda: Duo sunt genera tentationis. alterum quidē, quo Deus erudit bonos ad salutem: alterū, quo diabolus permissus decipit malos ad damnationem. In 25 Psalmum.

Carolus Magnus inquit: Duo sunt genera tentationum. unum uidelicet, quo quis decipitur: aliud, quo quis diuino examine probatur. Lib. 3. de Imaginibus, cap. 28.

¶ De duplici tentatione inquit Albinus: Quid illud, Tentauit Deus Abraham? Et Iacobus apostolus dicit, Deus neminem tentat: quomodo utrumq; intelligendum est? Duobus modis tentatio in Scripturis solet intelligi. Vna est, quę per Deum fit, probationis causa; ut iustificetur homo, & coronetur. de qua & dicitur: Tentat uos Dominus Deus uester, ut sciat si diligatis eum: hoc est, ut scire uos faciat. Alia est, de qua Iacobus dicit: Deus neminem tentat. qua peccato implicatur,

plicatur, de qua Apoſtolus dicit: Ne fortè tentauerit uos is qui tẽtat. Igitur Abraham à Deo tentatus eſt,ut probaretur,iuſtificaretur,coronaretur,& ut eius obediẽtia tali probata examine poſteris innoteſceret. In quęſtionibus in Geneſin.

¶ Quòd diabolus affligat Eccleſiã, Beda monet: Et ipſe aduerſarius antiquus acrioribus tentationum flagris fatigat eos, quos ſibi fortes fide & actione repugnare contuetur:aut quos uel inertes in fine, uel prorſus infideles ſiue apoſtatas uidet: hos quaſi proprios,& ſibi per omnia ſubiectos quieto iure poſsidere contentus, nullis ſæpè, uel certè rarioribus iræ,ſuperbiæ, fornicationis & inuidiæ,cæterarumque talium paſsionum tentamentis infeſtat. Libro 4 in Samuelem, cap.1. Et: Aſtutia & malicia diaboli, hoſtis antiqui,nobis agnita,proficiunt ad medelam:quia quanto ea certius exploramus, tanto cautius declinamus. In Thobiam.

Aponius: Diabolus perſequitur ſanctos, & diuerſis dilacerat pœnis. Libro 2 in Cant.

Albinus ait:Parua ciuitas,& uiri in ea pauci,ad comparationem totius mundi Eccleſia eſt.Aduerſus eam ſæpe conſurgit rex magnus diabolus: non quòd magnus ſit, ſed quòd magnum ſe eſſe iactitet,& circumdat eam obſidione, ſiue perſecutione, ſiue alio anguſtiarum genere : & inuenit in ea uirum pauperem,& ſapiẽtem,Dominum noſtrum Chriſtum, qui pro nobis factus eſt pauper, & liberat urbem in ſapientia ſua. In 9. caput Eccleſiaſtæ.

De falſis fratribus, ait Albinus: Non eſt tempus in hoc ſeculo, quo Eccleſia Chriſti perſecutionẽ non patiatur à falſis fratribus. In expoſitione Cantici graduum.

Qui perſecutionem patiantur, Aponius exponit: Si quis in Chriſti uineam uenerit, & in ea ſaniſsimis ſermonibus & uitæ ſanctę exemplo culturã impenderit,hunc perſẽquuntur,contra hunc pugnant huius gentis homines:& inflammante diabolo, acutiſsimis contra eum uerborum iaculis concitantur ad pugnam.libro 2 in Cant.

Quomodo tententur homines, exponit Beda: Non ſolùm,inquit Heliu, uiſionibus horrendis terret Deus hominum animas, ut corrigat delinquentes: uerùm etiam infirmitatibus corporis eos diſcutit,ut emendet.libro 3 in Iob,cap.2. Et: Multis modis ac diuerſis alijs inenarrabilib. iudicijs ſuis Deus flagellat & corripit genus humanum, ſicut etiam Aegyptios, quos fulminibus & grandine deuaſtauit: & generaliter alijs rebus frequentat hominum caſtigationem,hoſtili humiliat incurſu, terrarum motu uaſtat, hiatuq; deuorat atq; conſumit, turbinibus perdit,ruinis opprimit,naufragijsq; demergit,alijs quoq; plagis innumeris uerberat,ſiue lentis infirmitatibus,ſiue acutis languoribus atq; aere còrrupto. lib.3 in Iob, cap.7.

Ad Deum confugiendum. Beda: Audiens Eccleſia flatibus tentationum ſe eſſe probandam, nequaquam dilecti ſui prouiſioni ac diſpoſitioni contradicit:ſed potius ne ſuperetur aduerſis,ne'ue proſperis corrumpatur,eius in omnibus quærit auxilium, qui producit uentos de theſauris ſuis.libro 4 in Cantica canticorum,cap.4. Et: Singulæ noſtræ domus quotidie uel immundorum ſpirituum, uel improborum hominum, uel ipſa ſuę mentis aut carnis inquietudine pulſantur: & quantum proprijs uiribus fidunt, inclinantur:quantũ uerò inuictiſsimę illi petræ adhærent,labefactari nequeunt.In Lucam lib.2.cap.6. Item:Verùm inter huiuſmodi procellas ad illum neceſſe eſt gubernatorem curramus, illum ſeduli excitemus, qui non ſeruiat,ſed imperet uẽtis.Mox tempeſtates compeſcet, refundet tranquillitatem,portum ſalutis indulgebit. lib.3 in Lucam,cap.8.

Patiendum eſſe,Beda monet:Quadraginta dies & noctes,quibus diabolus Chriſtum tentat,totum huius ſeculi tempus inſinuãt, quibus membra eius,uidelicet ſanctam Eccleſiam,tentare non deſiſtit. Baptizatus expellitur à ſpiritu in deſertum, & tentatur à ſatana,ut exemplum uitę ſuis fidelibus prębeat, qui poſt acceptam in baptiſmo remiſſionem peccatorum, non ſolùm ad exercenda opera uirtutum,uerùm etiam ad tolerandam propter iuſticiam, perſecutionem, ſint accingendi. Tentatur ſolitarius à diabolo, ut nobis inſinuet, quòd omnes qui piè uolunt uiuere in Chriſto, perſecutionem patiuntur,& quòd per multas tribulationes oporteat nos intrare in regnum Dei. Tentatur quadraginta diebus & quadraginta noctibus,ut indicet, quòd quamdiu hic uiuentes Domino ſeruimus, ſiue proſpera blandiantur,ſeu nos aduerſa feriant,ſemper ambulantibus in lege Domini adſit toto orbe aduerſarius, qui iter noſtrum tentando impedire nõ ceſſat.lib.1 in Marcum, cap.1. Item: Chriſtus uoluit deſeri, uoluit prodi, uoluit ab apoſtolo ſuo tradi:ut tu à ſocio deſertus, moderatè feras tuũ erraſſe iudicium, periſſe beneficium. libro 1 in Marcum,cap.3. Et: Crux à cruciatu dicitur. Et duobus modis crucem baiulamus, cum aut per abſtinentiam carnẽ afficimus, aut per compaſsionem proximi neceſsitatem illius noſtram putamus. Qui enim dolorem exhibet in aliena neceſsitate,crucem portat in mente. Sciendum uerò eſt, quòd ſunt nonnulli qui carnis abſtinentiam non pro Deo, ſed pro inani gloria exhibent: & ſunt pleriq;,qui com-

m paſsio-

passionem proximo non spiritualiter, sed carnaliter impendunt, ut ei non ad uirtuté, sed quasi miserando ad culpas faueant. Hi itaque crucem quidem uidentur ferre, sed Dominum non sequuntur. Libro quarto in Lucam, cap. 14.

Non murmurandum. Albinus: Sciamus esse nobis mandatum, non solùm contra Christum nihil temerè loquendum: uerùm etiam in arcanis cordis, quamuis uarijs coartamur tribulationibus, nihil blasphemum, nihil impium sentiendum esse. In 10. cap. Ecclesiastæ.

Pugnandum esse, Beda ait: Manifestum quidem est, maiora tentationum obstacula maiore uirtutum nisu debere transcendi: quod tunc ritè perficitur, cum armatus contra hostem humilis auditor spiritualis, per omnia sequitur exempla præceptoris. Lib. 2 in Samuelem, cap. 8.

Albinus inquit: Quòd si princeps mundi istius, & rector tenebrarum harum, & operans in filijs diffidentiæ, in cor nostrum ascéderit, & animus malæ cogitationis uulnus acceperit, non debemus locum ultro tribuere: sed pugnare contra cogitationem pessimam, & liberari à peccato maximo, ne scilicet cogitationem opere compleamus. Quia aliud est cogitatione peccare, aliud opere. In 10 cap. Ecclesiastæ.

¶ Consolationes in cruce etiam doctores exponunt, ut Beda: Præsentibus tribulationibus filiorum suorum Ecclesia dura & impia uidetur, quoniam non ingemiscit & plágit angustias, interitumque natorum. In cuius figura sancta mater Machabæorum super filiorum cruciatibus exultabat. Videbat quippe in spiritu, sicut & hæc sancta mater Ecclesia per fidem quotidie contemplatur, quantam gloriam in æternum pariant pœnæ præsentes, professione ueritatis exceptę. Libro tertio in Iob, cap. 8. Item: Sancti cum exterius opprimuntur aduersis, spe certa salutis in corde dilatantur, scientes se ab illo exaudiri clamantes, cuius se uerba iubentis audire meminerunt. Hinc etenim Propheta ait: Cum inuocarem, exaudisti me Deus. In Prouerbia Salomonis lib. 1. cap. 1. Et: Sancta Ecclesia non erubescit crucem Christi, sed & ipsa gaudet in contumelijs & passionibus pro Christo, uexillumque crucis ipsius gestare solet in facie. Libro tertio cap. 4. in Cantica canticorum. Item: Potest hic Psalmus tertius legi totus in uoce Ecclesiæ, quæ inter sæuiétes procellas tribulationum loquatur ad Dominum Deum suum: ostendendo quòd non debeat deficere in tribulationibus, cum & ad glorificationem suam augendã sibi datæ sint, & ipsum habeat consolatorem & adiutorem suum, qui ipsam ab omni angustia sua liberabit, intendés membra sua hortari per hoc, ut constanté in tribulationibus patientiam habeant. Quasi dicat: Domine, propter quid ubiq; terrarũ multiplicati sunt, qui tribulát me? Non'ne ad magnũ perfectionis meæ cumulum, hoc tua permissione factum est? uerè est. Quapropter non deberent me deterrere. In 3 Psalmum. Et: Si minutissima animalia, & quæ quólibet per ea feruntur uolatilia, Deus obliuisci non potest: uos qui ad imaginem facti estis creatoris, nõ debetis terreri ab ijs qui occidunt corpus: quia qui irrationabilia gubernat, rationabilia curare nõ desinit. Quærat aliquis fortasse, quomodo dicat Apostolus: Nunquid de bobus cura est Deo? cum utiq; bos passere preciosior existat? Sed aliud cura, aliud uerò est scientia. Capillos numeratos esse, immensam Dei erga homines ostendit prouidentiam, & ineffabilem signat affectum: quòd nil nostrum Deum lateat, & parua etiam ociosaq; dicta eius scientiam non fugiant. Libro quarto in Lucam, cap. 12. Item: Nonnunquam Ecclesia tantis gentilium pressuris non solùm afflicta, sed & fœdata est, ut si fieri posset, redéptor ipsius eam prorsus deseruisse ad tépus uideretur. unde est illa uox eius: Vt quid Domine recessisti longè? Verùm ille non obliuiscitur orationem pauperum, neq; auertit faciem suam à sperátibus in se, quin potius & certantes cum hostibus ut uincant adiuuat, & uictores in æternum coronat. Etsi ad horam differre uideatur auxilium tribulatis impendere, nihilominus eos ne in tribulationibus deficiant, suæ respectu pietatis corroborat: & aliquando etiam manifesto adiutorio uictis aduersitatibus, quasi calcatis sedatisque fluctuum uoluminibus liberat. libro 2 in Marcum, cap. 6. Et: Cum propter Christum ducimur ad iudices, uoluntatem tantùm nostram pro Christo debemus offerre. Cæterùm ipse Christus, qui in nobis habitat, loquitur, & Spiritus sancti gratia in respondendo ministratur. Libro 4 in Marcum, capite 13. Item: Aduersa pro Christo pati, imò ipsam mortem non timeamus obire. Qui enim minante mortem persecutore, si non negauerit Christum, magis eligit ad tempus saluare animam suam, negando procul dubiò æternæ perditioni præparat. Qui hic perdiderit, illic uiuificabit: qui propter Christum morti tradiderit, tota die æstimans eam ut ouem occisionis, exurgente tunc & adiuuante Christo, liberam eam inueniet propter nomen Christi. Libro quinto in Lucam, cap. 17.

Albinus: Hic tribulantur iusti, ibi uerò in requie beatitudinis gloriabuntur, & consolabuntur, persecutionem pro Christi nomine

mine patientes. In 7 Psalmū pœnitentialem.

Carolus Magnus inquit: Non diu permittit Dominus flagellari iustos ab impijs, ne in desperationis labē corruant diutinis addicti flagellis: sed si ad tempus ad probationem quibusdam eos aduersis macerat, secūdis eos denuò diuturnitate temporis interrupta subleuat, qualiter eorum innocentia inconuulsa permaneat. Libro 2 de Imaginibus, cap. 7.

¶ Dignitas crucis declaratur ab Aponio: Inter tot uenenosas spinas Ecclesia incolit mundum, quot dogmate gentilium uel hæreticorum uario & diuerso ritu pro defensione patris sui, prouocabula hominum mortuorum impugnāt Ecclesiam. Sed quę Christi præsentia agitur, ne ocio torpescat contra hostes armari, impugnari quidem permittitur, ut post pugnā eius fortitudo appareat: impugnata uerò nequaquam permittitur superari. Nam quomodo in toto mundo fulgeret, nisi in magnis conflictibus pro Christi nomine cum persecutoribus decertasset, & diabolum in martyribus moriendo uicisset? Libro 3 in Cantica canticorum.

De fine inquit Damascenus, libro 2 de Orthodoxa fide, capite uigesimonono. Nam sinit frequenter iustum incidere in calamitates, ut uirtutem quę in illo latebat, alijs apertā manifestamque faciat: ut in Iob. Aliquando sinit quippiam absurdum fieri, ut per operationem quæ absurda uidetur, magnum aliquod & admirabile dirigat & operetur: ut per crucem salutem hominum. Et alio etiam modo sinit sanctum malè affici, ut ex recta conscientia non excidat, aut ex indulta ei uirtute gratiæ in superbiam non extollatur: ut in Paulo. Interdum deseritur quis in malis, ad uitam aliorum in melius commutandam, ut alij uidentes quòd apud illum est, emendentur: ut in Lazaro & diuite.

Beda: In frigore tentationum maximè humilitas & discitur, & probatur. Libro 2 in Samuelem, capite octauo. Et: In his examinationibus iusti iudicij Dei alij puniuntur, alij corrigūtur, alij probantur: sicut etiam & hic beatus uir Iob. Libro 1 in Iob, cap. 12. Item: Hoc loco duos quosdam correptionū gradus Heliu diligēter enarrat, & dicit quòd eruditio diuina uel castigatio circa hominē & in noctis uisionibus fiat. Itemque in lectulo contabescere faciat hominem, donec ad uitæ huius extrema perueniat: & cum ab aliquo sancto pro eo fuerit interuentum, ut fecit Esaias pro Ezechia rege, ut restitueretur pristinæ sanitati. & ait in subsequentibus, quòd tribus uicibus hæc Deus circa homines operetur: id est, euidenter & probabiliter confirmatiuo modo, uel propter trini numeri perfectionem, uel propter trium testium ueritatē. quo genere etiam patiētiam Dei, clementiamque significat, quæ non statim, sed per partes & per uices castiget & arguat delinquentem: quia per has uices quibus dissimulat, ne statim puniat peccatores, conuersionem eorum & locum conferendę remissionis expectat. Tres ergo has uices non irrationabili sermone distinxit, per quas nunc uisionibus terribilium somniorum animam hominis erudit Deus, nunc ægrotationibus acerbissimarum infirmitatum carnem afficit, nunc mentem etiam uisitatione consolationis illuminat. Libro tertio in Iob, cap. 2. Et: Mala secundum uisum hominum quæcunque Christus faciet, id est fieri permittet à diabolo in suis, ad ipsorum prosperitatem fient. Licet enim uideatur nocuisse Petro, quòd Dominum negauit: multum tamen profuit, cum ipse correctus qualiter aliorum fragilitati deberet misereri, in seipso didicit. In 1 Psalmum. Itē: Dominus Iesus Christus nefariū scelus proditoris ita in suæ misericordiæ atq; prouidētiæ ordinem conuertit, ut quod ille ad perniciem unius hominis peruersa mente faceret, hoc ipse ad salutem omniū prouida gubernatione conuerteret. In 7 Psalmum. Et: Temporalia flagella Deus ad custodiam sanctitatis in præsentiam concedit perfectis, & ad exemplum iusti iudicij sui. Qui enim nō parcit hic dilectis filijs, multo minus parcet in futuro seruis fugitiuis. Ibidē: Item: Quid agitur in tanta persecutione malorum, & tribulatione bonorum, quando scilicet ipsi boni flagellantur, atq; omnibus modis angustiantur, quàm ut mortalia corpora eorum uelut esca bestijs terræ proijciantur, animæ eorum in apothecas æternæ beatitudinis recondantur? In 8 Psalmum. Et: Flagella tua erunt custodia sanitatis meæ. Semper enim persecutio malorum, salus est bonorū. Vnde dictum est: Impius uiuit pio. Quod enim fornax facit auro uel paleæ, quod lima ferro: hoc impius facit pio. Nam sicut palea incineratur, aurum uerò purgatur: sic in persecutione iustus fit iustior, & sordidus sordidior. In 7 Psalmum. Item: Deus infert supplicium malis, non ex sua ira, sed ex eorum propria nequicia, ita ut quæ fuerunt blandimenta homini peccāti, sint instrumenta Deo punienti. In 7 Psal. Et: Sicut in torcularibus pressæ uuæ durissimis gigartis comminutis, follibusq; uacuatis dulcissima uina profundunt: sic in Ecclesia, de obstinatis morib. tumidaq; superbia, pressura pœnitentię lachrymæ salubriter exprimuntur. Ecclesia ergo prisci temporis, in qua reuera torcular est quidem corporum, sed fructus salutaris animarum. In 8

Psalmum. Itē: Ille in toto corde Deum laudat, qui intelligit gaudendum esse in tribulationibus: quia scit, quòd omnis pœna præsens uel ad hoc datur, ut exerceat conuersos iam ad purgationem, aut admoneat nō conuersos ad conuersionem, aut nolentes conuerti præparet ad ęternam damnationem. In 9 Psal. Et: Deus exhibet paterna flagella etiam filijs, quos recipit in exemplum iudicij, scilicet ut per hoc intelligamus quid futurum sit de seruis fugitiuis. In 24. Psalmū. Item: Sicut argentum examinatum, fusum non dissilit, sed in longum & in latum crescit: ita qui perfectè tribulationum igne pro fide recocti sunt, tamen ab inimicis non dissiliūt: id est in charitate nō deficiunt, sed charitas eorum in latum extēditur: quia etiā usq; ad inimicos porrigitur, in longum etiam per perseuerantiam ducitur. In 65. Psal. Et: Malum tribus modis parit profectum, his dūtaxat qui timent Dominū. Vnus quippe modus est, cum Deus aliquos dissolutos, & ad cuncta boni operis studia negligentes uidens, permiserit eos cadere in aliquod crimen uel periculum grande, ut ex hoc humiliati & afflicti, cogantur eum pro necessitatibus suis inuocare. Hoc modo, taliq; malo plures compulsi ad Dominum sunt cōuersi. De qua compulsione & in Euangelio legitur: Compelle intrare. Alter modus est, cū in tribulatione uel tentatione aliqui tanquā aurū in fornace probati, exinde præmiū cœleste adipisci meruerunt: iuxta illud, Beatus uir qui suffert tentationē. In hoc persecutor omnis, nolit uelit, bonorū profectib. seruit: quod nimirum in B. Iob satis declaratur. Nam quanto magis eum nequissimus hostis tentando supplantare studuit, tanto meliorem licet inuitus fecit. Tertius, cum peruersorum studia in contrarium uertentes, ea contētione & æmulatione fecerimus bona, qua illi facere student mala. Quo uidelicet argumento Dominū in Euangelio legimus uti, cum parabolam protulit de homine uillicum habente: qui agnoscens se à uillicatione deijciendum, prouidit per fraudem, quæ sibi profutura forent post deiectionem. Hāc itaq; parabolam nō ideo Dominus retulit, ut quenquā incitaret ad fraudem faciendā: sed ut nos doceret ita prudentes esse in bonis, sicut ille uillicus fuit in malis: bene uidelicet dispensando omnia, quæ à Deo nobis conceduntur in hoc mundo. In 51 Psalm. Item: Quinque sunt differentiæ causarum, pro quibus in hac uita molestijs corporalib. affligimur. Aut enim ad merita augenda per patientiam iusti corporis infirmitate grauamur: aut ad custodiam uirtutum perceptarum: aut ad intelligenda & corrigenda peccata nostra: aut ad gloriam Dei saluantis siue per seipsum, siue per famulos suos: aut ad inchoationem damnationis æternę, quod reproborum est proprium. In Marcum lib. 1 cap. 2. & homilia Dominicę 19. Trinitatis. Et: Aduersitas circumspectū semper reddit, & cautum. Quod Christus regnum fugit, & crucifixoribus suis se sponte obtulit, euidenti nos informat exemplo, ut parati simus ad aduersa seculi toleranda, cauti ad blandimēta, cum fortè arriserint, declinanda: & ne nos prospera mundi, si affluant, emolliendo decipiant, crebris à Domino precibus implo remus. In Marcum libro secundo, capite 6. Item: Igne tribulationis patientia fidelium, ut perfectum opus habere possit, exercetur. Omnis fidelis, qui æterni uermem tormenti cauere uult, igne uel gratiæ spiritualis, uel incurrentium deforis tribulationum debet castigari, ut dignū Deo sacrificium fieri possit. Igne saliri, est tentationibus exerceri, proximos nobis ac dilectos ob Christi amorem negare. Libro 3 in Marcum, cap. nono. Et: Vtile sanctis est, tentationum flammis examinari, ut uel tentati quàm fortes fuerint appareant, uel cognita per tentationes sua infirmitate fortiores discant: & sic cum probati fuerint, accipiant & ipsi coronam uitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Lib. 6 in Lucam, cap. 22.

Aponius: Cum ergo ad multas infirmitates à diabolo inflictas, sanandas, multas à Deo correptiones patienter pertulerit anima, uel diuersas pro eius nomine illatas gaudens sustinuerit passiones, fasciculus myrrhæ efficitur ei Christus, ad omnes uitiorum morbos de eius pectore expellendos. Lib. 3 in Cantica cant.

Albinus: Deus non delectatur pœnis nostris, sed confessionem quærit erroris. In 4 Psal. pœnitentialem. Et: Sanat ad pœnitentiam prouocās, occidit iuxta illum sensum: In matutino interficiebam omnes peccatores terræ. In tertium cap. Ecclesiastæ. Item: Plangendum est in præsentiarum, ut in futuro seculo spirituali saltatione gaudeamus. Ibidem. Et: Dei in occulto patientia est, tribulari nunc sanctos, ut recipiant mala in uita sua, & peccatores non uisitare pro scelere suo in hoc seculo præsenti, ut & illis possit æterna bona restituere, & his mala æterna inferre: sicut de Lazaro & de diuite legitur. In 7 cap. Ecclesiastę. Item, Inter omnia tentamentorum genera Ecclesia proficit: laborat, non mergitur: Christum expectat, quando per eum ad portum perueniat tranquillitatis. Libro tertio in Ioannem, capite sexto.

De differentia tribulationū inquit Beda: Hoc loco differentiā puto esse tribulationū inter illud quod dixit, Pes cōculcet: & illud quod

quod ait,Et bestiæ agri conterant: ut hoc sit contritio bestiarum, quasi asperi,truces, sæui persecutores , & immanitate morum crudelitati similes bestiarum, Christum confitentes usque ad atrocitatem mortis affligunt. Pedis uerò conculcatio sit huiusmodi tribulatio , quando opprobrijs & nimio contemptu iniquorum sancti usquequaque humiliantur, uelut quadam conculcatione protriti.Libro tertio in Iob,capite octauo. Item: Prior pro nobis, & de nostro, uoluit Christus capi , teneri, flagellari & cædi, ut exemplum nobis daret uiuendi. De me enim sibi infirmitas, de illo mihi fortitudo: de me sibi ignominia,de illo mihi gloria:de me sibi mors, de illo mihi uita: de me sibi humiliatio,de illo mihi exaltatio.In sexagesimum Psalmum. Et: Ecclesia pro se patitur,at Dominus pro Ecclesia. Libro quarto in Marcum,capite decimoquarto.

De pœnis,inquit Albinus. Sed quoniam seruat in finem iudicium & in consummationem mundi,quando in maturas segetes messores uenire iussurus est, ut separetur triticum, & in horreum cœlestis regni condatur,lolium autem ęterno tradatur incendio: ideo nunc expectat & differt sententiam,donec in fine mundi iniqui puniantur, & iusti coronam recipiant iusticiæ. In quintum caput Ecclesiastæ.

Insultatores punientur. Beda:Qui sanctis hic certantibus insultant, eis illic coronatis æterna damnatione plectentur.Libro 5 in Lucam,cap.17.

De fuga Christi,inquit Beda: Christus exemplum dedit suis,si in una ciuitate persecutionem paterentur, in alteram fugiendi. Deniq; Paulus exemplo simul & præcepto Domini edoctus fugit ex Damasco,ubi insidijs appetebatur prauorũ:sed inde digressus innumeros alibi,qui se ad pietatẽ sequerentur,populos inuenit.lib.1 in Marcum,cap. 2.

DE MIRACVLIS.

Vnde sint. Beda:Benignus & clemens Dominus ac magister, non inuidet seruis atq; discipulis uirtutes suas: & sicut ipse curauerat omnem languorem & omnem infirmitatem, Apostolis quoq; suis dedit potestatem,ut curarent omnem infirmitatem & omnem languorem. Sed multa distantia est inter habere & tribuere, donare & accipere. Iste quodcunque agit, potestate Domini agit:illi si quid faciunt, imbecillitatem suam & uirtutem Domini confitentur,dicentes ut Petrus,In nomine Christi Iesu Nazareni surge & ambula. Libro 2 in Marcum, capite 6. Et uirtutem spiritus signa miraculorum dicit:Libro 2 in Lucam, capite 4.

De fine, inquit Beda: Ad hoc fiebant signa,quæ uel ipse Dominus in assumpto homine faciebat, uel discipulis facere dedit: ut per hæc Euangelio regni Dei quod prædicabatur,certius crederetur. Dum hi qui cœlestia terrigenis gaudia futura promittebant,cœlestia in terris ac diuina opera monstrabant.Verùm discipuli, ut puri homines, donante Domino cuncta gerebant. At Dominus ipse singularis uirtute potentiæ & sanitates ac miracula operabatur: & quæ à patre audiebat,loquebatur in mundo. Libro 1 in Marcum,cap.1.

De fine corporalium sanationum, Beda ait:Surge & ambula.)Fit carnale signum,ut probetur spirituale.Libro 1 in Marcum,cap. 2. Et: Discumbente ad nuptias Domino, uinum defecit, ut uino meliore per ipsum mirabili ordine facto, manifestaretur gloria in homine Dei, & credentium in eum fides aucta proficeret.Libro 1 in Ioannem, capite primo.Item: Dominum cum Christo fuisse, è miraculis Nicodemus intellexit. Lib. 1. in Ioannem,cap.3.

Quare iam non fiant miracula, Beda ait: Nunquid quia ista signa non facimus,minimè credimus? Sed hæc necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt. Libro 4 in Marcum, capite 16.

DE TRADITIONIBVS *humanis.*

De differentia præceptorũ & Adiaphororũ,inquit Beda: Sunt uirtutes quæ semper obnixeq; tenendę sunt, quæ pro tempore locoq; prouida sunt discretione mutandæ.Quis enim nesciat uiscera misericordię benignitatem,humilitatẽ, patientiã,modestiam,castitatem,fidem,spem, charitatem,& his similia sine ulla temporum intercapedine,fidelibus esse seruanda? At uerò famem,sitim, uigilias,nuditatẽ, lectionem, psalmodiam,orationem,laborem operandi, doctrinam,silentium, & cætera huiusmodi si quis semper exequenda putauerit , non modò se horum fructu priuabit : sed & notam indiscretæ obstinationis, imò stulticiæ peruicacis incurret. Libro sexto in Lucam, capite 22.

De imaginibus rectè inquit Carolus Magnus:Imagines uerò omni sui cultura & adoratione seclusa, utrum in basilicis propter memoriam rerum gestarum & ornamentum sint,an etiam non sint, nullum fidei catholicæ adferre poterunt præiudicium: quippe cum ad peragenda nostræ salutis mysteria nullum penitùs officium habere noscantur. Libro secundo de Imaginum cultu,cap.21.

De uita actiua & contemplatiua , Beda scribit:Propter Rachel, & non propter Liam seruitur. Quis enim actualem uitam

propter semetipsam expetierit? sed tamen nocte supposita expertus est fœcunditatem eius. Actualis enim uita per exempla atq; doctrinam multos generat filios: cum autem unicuiq; subdealbationis gratia, constituto per septem mandata legis, quæ sunt dilectio proximi, tolerantia laboris, adhæserit in uarijs tentationibus, uelut in nocte Lia inopinata coniungitur, & hanc sustinet, ut ad illã perueniat, acceptis alijs septem præceptis, quasi seruiens alijs septem annis, ut sit pauper spiritu, mitis, lugens, esuriens, sitiensq; iusticiam, misericors, mundo corde, pacificus. Vellet enim homo, si fieri posset, sine ulla laboris tolerantia statim ad pulchræ contemplationis delicias peruenire. In uigesimumnonum caput Genesis. Item: Hic actiuæ & contemplatiuæ perfectionis intuere distantiam. Ecce enim arca Domini, quæ uix una die qua uenerat, in agro Iosue Bethsamitis perseuerare potuit: & non solùm Gabaa, id est arcem Bethsames ascendere, sed ne ipsas quidem eius ualebat planè portas intrare. Perueniens autem in Cariathiarim, & collem illius illata, uicesimum usque ibidem (multiplicatis uirtutum diebus) permansit ad annum: quia cœlestis uitæ contemplatio degentibus in carne sanctis, uix ad momentum potest delibari. Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Vita autem actiua multo prolixiore & temporum spacio, & cooperantium consortio fratrum ualet indefessa celebrari: adeò ut legis in ea Decalogus, per Euangelij gratiam geminatus, uel certo corpore & men te consummatus, quasi uicesimus iam manentis secum arcæ annus proficientibus bonorum meritis probetur impleri. Libro primo in Samuelem, cap. 12. Et: Animæ fidelium castæ in duarum conuersatione uitarum, actiuæ scilicet & contẽplatiuæ, Christo adhærent. Libro 4 in Samuelem, cap. 6.

DE VOTIS.

ALbinus: Melius est non promittere, quàm promissa non facere: quia displicent Deo uota infidelium, qui non implent quod promittunt Deo. Deus uerax est & ueritas, eosque amat qui ueritatis opera faciunt: consideret homo quid Deo uouerit, an implere possit quæ uouere cogitat. In 5 caput Ecclesiastæ.

De fermento Pharisæorum inquit Beda: Fermentum Pharisæorum est, decreta legis diuinæ traditionibus hominum postponere: uel certè legem uerbis prædicare, factis impugnare. In Marcum libro secundo, capite octauo.

DE SCANDALO.

DE appellatione Beda inquit: Scandalũ quippe sermo Græcus est, quod nos offendiculum uel ruinam impacti pedis dicere possumus. Quidã scandalum Græcè, Latinè scrupulum dicunt. Ille ergo scãdalizat fratrem, qui ei dicto, facto'ue minus recto occasionem ruinæ dederit. In Marcum lib. 3. cap. 9.

De dato, Beda inquit: Apostoli disputãtes inter se, quis esset illorum maior, uidebantur inuicem de dignitate contendere. Et si in hoc uitio permansissent, poterãt eos quos ad fidem uocabant, per suum scandalũ perdere, dum Apostolos uiderẽt inter se de honore pugnare. Et reuera melius est innoxiũ pœna, quamuis atrocissima, tẽporali tamen, uitam finire corporeã: quàm lædendo fratrẽ mortẽ animæ mereri perpetuam. Rectè aũt, qui scandalizari potest, pusillus appellatur. Qui enim magnus est, quæcũq; uiderit, quæcunq; passus fuerit, non declinat à fide. Qui autem pusillus est animo, & paruus, occasiones quærit quomodo scandalizetur. Propterea deniq; oportet nos maximè cõsulere ijs qui parui sunt in fide, ne occasione nostri offendantur, & recedãt à fide, ac decidant à salute. Notandũ sanè, quòd in nostro bono opere, aliquãdo cauendum est scandalũ proximi, aliquando uerò pro nihilo contemnẽdum. In quantum enim sine peccato possumus, uitare proximorũ scãdalum debemus. Si aũt de ueritate scandalum oritur, utilius permittitur scandalum nasci, quàm ueritas relinquatur. Qui ad sanctitatis speciẽ deductus, uel uerbo cæteros destruit, uel exẽplo: melius profectò erat, ut hunc ad mortẽ sub exteriori habitu terrena acta cõstringerent, quàm sacra officia in culpa cæteris imitabilẽ demonstrarent. Quia nimirum si solus caderet, utcunq; hunc tolerabilior inferni pœna cruciaret. Deinde Christus admonet nos, quantũ cauere debeamus eos qui scandalizare nos, id est, uerbo uel exemplo suo ad ruinam peccati propellere certant. Necessarius amicus, si nos lædere in causa animæ uoluerit, excludendus est à nostra societate, ne si cum perdito in hac uita partẽ habere uoluerimus, simul in futura cũ illo pereamus. Lib. 3 in Marcũ, cap. 9. Et: Impossibile est in hoc mundo, erroribus ærũnisq; plenissimo scandala sæpissimè nõ uenire: sed uæ illi, qui quod impossibile est, nõ uenire suo uitio facit, ut per se ueniat. Qui recta loquentem uituperat, scandalum profectò, id est offendiculum & ruinam auditoribus præbet infirmis, maximè si & Pharisæis legis uideatur habere sciẽntiam. Quem increpans Apostolus, ait: Et peribit infirmus in tua sciẽtia frater, propter quem Christus mortuus est. Quo ordine scãdala

dala declinare, & uę perpetuum uitare posśimus, insinuat. Si nos, uidelicet ipsos, ne quẽ lędamus, attendimus: Si peccantem zelo iusticię corripimus: Si ex corde pœnitenti, misericordiæ pietatisq; uiscera pandimus. In Lucam lib.5.cap.17.

De accepto, Beda ait: Scandalũ & error Iudæorum salus nostra est, & hęreticorũ condemnatio. Lib.2 in Marcum, cap.6.

DE CONIVGIO.

ENcomium cõiugij recitat Damascenus: Hæc dicimus, non nuptijs derogantes. absit enim. Nã scimus, Dominũ præsentia sua nuptias benedixisse: & eum qui dixit, Honorabiles nuptiæ, & thorus immaculatus. Et paulo pòst: Bona quidẽ liberorum procreatio, quam nuptiæ constituunt: & bonæ nuptiæ ob fornicationes, quas præscindunt: rabiem concupiscentię per legitimam commixtionem non sinentes ad iniquos furere actus. Bonæ nuptiæ, quibus non adest continẽdi gratia: melior autem uirginitas. Lib.4 de Orthodoxa fide, cap.25.

De fine ait Beda: Vxores sunt adiumẽtum, etsi non uirginalis castitatis, tamen coniugalis. In 77 Psalmum. Et: Connubia propter filios, filij propter successionem, successio propter mortem. Vbi ergo mors non est, neque connubia. Lib.5 in Lucam, cap.20.

DE MAGISTRATV.

VNde sit, Albinus docet, inquiẽs: Dum dignitas Imperialis à Deo ordinata, ad nil aliud exaltata esse uidetur, nisi populo præesse & prodesse. Proinde datur à Deo electis, potestas & sapientia. Potestas, ut superbos opprimat, & defendat ab improbis humiles. Sapientia, ut regat & doceat pia solicitudine subiectos. In Præfatione librorum de S. Trinitate, ad Carolum Magnum.

De officio inquit Albinus: Principem populi Christiani cuncta scire & prædicare quę Deo placeant, necesse esse, notisśimum est. Neq; enim quenquam magis decet uel meliora nosse, uel plura, quàm Imperatorem, cuius doctrina omnibus prodesse debet subiectis. In Præfatione librorum de sancta Trinitate, ad Carolum Magnum.

Pro magistratu orandum. Beda: Pia humilitate commota synagoga credẽtium, rogat Dominum, ne impios suos magistratus ac proceres ante punitionem extremi iudicij, usq; ad internecionem deleat: ut quos pro suæ stultitiæ perfidiæ perennis expectat interitus, his saltem ad modicum temporali gaudio liceat hac uoluptate perfrui. Lib.4 in Samuelem, cap.4.

Eos esse honorandos, docet Carolus Magnus: Quia ergo Imperatores & reges sint à subditis honorandi, quibusdam diuinæ Scripturæ exemplis potest approbari. Quàmdiu in ea dignitate est, honorandus est, si nõ propter se, uel propter ordinem. Lib. tertio de Imaginibus, cap.29.

Tributa reddenda. Beda: Quod ait, Reddite Cęsari quæ sunt Cæsaris: nummum, tributum & pecuniam, & quæ sunt Dei, Deo: decimas, primitias, oblationes ac uictimas sentiamus. Quomodo & ipse reddidit tributa pro se & Petro, & Deo quæ Dei sunt reddidit, patris faciens uoluntatem. Libro 3 in Marcum, cap.12.

DE MORTE.

QVòd moriendum nobis sit, Beda monet: Quàmdiu in carne sumus, locus mortis est semper in nobis. In 7 Psal.

De duplici morte ait Beda: Quomodo autem mortui mortuos sepelire queunt, nisi geminam intelligas mortem? unam naturæ, alteram culpæ: unam, qua anima à carne: alteram, qua Deus separatur ab anima. Sine mortuos.) non credentes, dicit. Mortuos suos autem, qui nihilominus sine fide de corpore exiret. Lib.3 in Lucam, cap.9.

Albinus inquit: Sine mortuos, scilicet anima: sepelire mortuos suos, scilicet corpore. Lib.3 de S. Trinit. cap.18. Et: Mors hominis est duplex, animæ uidelicet, & corporis. Animę mors est, dum propter peccatũ quodlibet animam deserit Deus. Corporis mors est, dum propter necesśitatem quãlibet corpus deseritur ab anima. Et hãc duplam mortem Christus sua simpla morte destruxit. Nã sola carne mortuus est ad tempus: anima uerò nunquam, qui nũquam peccauit. In quæstionibus in Genesin. Item: Mors animæ est, quando Deus deserit eam ob peccatorũ magnitudinem: Corporis, quãdo anima deserit corpus. Lib.3 de sancta Trinitate, cap.18. Et mors corporis, migratio quædam est sanctis ad meliorem uitam, impijs uerò ad pœnas perpetuas. Lib.4 in Ioannem, cap.8.

Vnde sit. Beda: Diabolus author mortis est. In 7 Psalmum. Item: Licet pro peccatis corpora moriantur, corda tamen piorum uiuent per fidem & bona opera æternaliter. In uigesimumprimum Psalmum. Et: Dies præsentis uitæ, non dies uitæ, sed dies mortis dicuntur: quoniam dum in præsenti uita sumus, asśidue peccamus, & peccando morimur. Peccatum enim mors est animæ. Dies uerò futuræ uitæ, quando iam mors nouisśima destructa erit, & aculeus eius, id est peccatum, rectè dies uitæ dicuntur, quoniam illos nulla nox aduersitatis interpolabit. In 26 Psalmum.

¶ Omnibus moriendum. Beda: Potestate mortis omnes qui cõmuniter nascuntur, tenentur. In 9 Psalmum.

Albinus: Sicut eadem cõditio est nascẽdi, ita sors una moriendi. In 3 cap. Ecclesiastæ.

Animam non mori, Beda docet: Anima non potest mori. sed cum exit de corpore, cito moritur corpus: & antequam exeat de corpore, magnum sustinet pauorem: quia uidet ante se Michaelem, qui expectat eam, & propter misera agmina timet exire. Væ illis animabus, quas diabolus suscipit, & ligat sub laqueo: quia non possunt de eius laqueo euadere, non per eleemosynas & orationes fideliũ. In Sermone ad populum, tomo septimo.

DE RESVRRECTIONE *mortuorum.*

DE uocabulis inquit Beda: Mos Christianus obtinuit, ut mortui, qui resurrecturi esse non dubitantur, dormientes uocentur. In Marcum lib. 2. cap. 5.

Quòd resurrecturi simus, docet Damascenus libro quarto de Orthodoxa fide, cap. 28. Resurgemus ergo, animabus iterum coniunctis corporibus, incorruptilibus factis, & exutis corruptionem: & repręsentabimur terribili tribunali Christi. Item: Credimus autem & resurrectionem mortuorum. Erit enim reuerà resurrectio mortuorum. Resurrectionem autem dicentes, corporum intelligimus resurrectionem. Est enim resurrectio secunda, eius quod interijt statio. Nam animæ cum immortales sint, quomodo resurgent? Siquidem mortem definientes, dicimus esse separationem animæ à corpore. Resurrectio omnino erit, coniunctio rursus animæ & corporis: & secunda iterataque eius quod dissolutum fuerit, ierirq; pe:ium, animalis restitutio. Ipsum igitur corpus quod corrumpitur & dissoluitur, idem resurget incorruptibile. Ibidem.

Et Beda: In Christi resurrectione atque clarificatione certitudo nobis data est, quod & resurgemus, & cõglorificabimur, si ipsum tantùm Christum imitabimur. In quartum Psalmum. Item: Hæc præcipua uirtus fidei nostræ est, ut credamus eum non tãtùm mortuum esse, sed etiam resuscitatum: & ut speremus nos quoq; resuscitandos per illũ. unde dicit Apostolus: Si credideris in corde tuo, quia Christus est Dominus: & cõfessus fueris in ore tuo, quia Deus resuscitauit illũ, saluus eris. In 101 Psal. Et: Perdidisset Christus fructum passionis, si non esset ueritas resurrectionis. In Lucam libro 6. capite 24. Item: Qui dum palpanda discipulis ossa carnemque præmonstrat, apertè statum uerę resurrectionis quæ in se facta, & in nobis est futura, significat. Ibidem.

Albinus inquit: Quòd si & dormierit unus, hoc est, si morte fuerit dissolutus, & secum Christum habuerit, calefactus citius reuiuiscit: & si aduersus hominem robustior in expugnando diabolus extiterit, stabit homo, stabit & Christus pro homine suo, pro sodali suo. Homines donec uiuunt, possunt fieri iusti: post mortem uerò nulla boni operis occasio eis datur. In 9 caput Ecclesiastæ. Et: Spera te resurrecturum, & te futurum omni modo sine peccato: quoniam ille surrexit, qui primus fuit sine peccato. In 6 Psal. pœnitentialẽ. Itẽ: Arca Christi, Ecclesia est Christi: resurrectio præcessit in capite, quæ secuta erit in membris. ut fiat quod ipsa Veritas ait: Volo pater, ut ubi ego sum, & isti sint mecum. Et paulo pòst: Sicut Christus surrexit in gloria, ita & sancti cum Christo surrecturi sunt in gloria. In expositione Cantici graduum.

Carolus Magnus inquit: Carnis quoque resurrectionem credere & fateri Christianorum est: non credere uerò, Sadducæorum est. Libro 3 de Imaginibus, capite 6. Et: Sanctis ergo corporibus honorem impendere, magnum est fidei emolumentum: quo præsertim & illi in cœlestibus sedibus cum Christo uiuere, & eorum ossa quandoq; resurrectura credũtur. Lib. 3 de Imaginibus, cap. 24.

Duas resurrectiones ponit Beda, dicens: Duæ sunt resurrectiones, altera prima, altera secunda. Prima est in præsenti, quando aliquis à morte uitiorum per pœnitentiam in anima resurgit. Secunda erit in die iudicij, quando boni per immutabilitatem & impassibilitatem carnis, ita in carne resurgunt, ut nec in ipsa carne aliquid pati possint. Hanc autem secundam resurrectionem nullus habebit, nisi qui primam habuerit. Necesse enim est, ut qui expers fuerit primæ, expers sit & secundæ. In 1 Psal.

Albinus ait: Per duas naturas in uno filio Dei, duas fecit Deus pater resurrectiones humani generis: id est, animarum & corporum. Lib. 3 de Trinitate, cap. 18. Et: Nunc animarum in Ecclesia fit resurrectio, quando per gratiam Dei uiuificatę, resurgunt à morte iniquitatis. Et hęc est prima resurrectio: quam qui habent, in secunda, quæ est corporum, feliciter resurgent in uitam æternam. Ibidem. Et: Resurgent nunc in mente, per uerbum Dei, filium Dei: resurgent tunc in carne, per uerbum Dei, carnem factum filium hominis. Animas ergo nunc suscitat Deus per uerbum, filium Dei, ut uiuant in Christo. Corpora suscitat Deus in fine seculi, per eundem filium hominis, ut æternaliter uiuant cum Christo. Ibidem.

Vnde fit resurrectio. Albinus: Custodia matutina est Christus, qui resurrexit, in quo omnes resurrecturi sumus. Ideo ex illa resurrectionis suæ uigilia usque ad noctem, id est finem mundi, omnes sancti sperent in Domino. & hæc spes inde certissima est: Quia apud Dominum misericordia est, & copiosa

copiosa apud eum redemptio. Per illum itaq; redempti sumus, per illum resurrecturi sumus. In expositione Cantici graduum.

¶ Quid resurget? Albinus: Vsque ad terminum huius seculi nobis in hac spe uiuendū est, ut modò resurgamus in anima, & in nouissimo die resurgamus in corpore. Qui uerò à morte animæ modò resurgit per uerbū filij Dei, tunc feliciter resurget in carne, per uerbum Dei filium hominis. In expositione 6 Psal. pœnitentialis.

Carolus Magnus inquit: Resurrectionem carnis ita credimus, ut dicamus nos in eadem, in qua nunc sumus, ueritate membrorum esse reparandos: qualesq; semel post resurrectionem fuerimus effecti, perpetuò mā suros. Lib. 3 de Imaginibus, cap. 1.

¶ Quales resurrecturi simus, Beda ait: Qui in hac uita aduentum Domini expectat patienter tolerando flagella, & à præceptis eius non aberrauerit: ille tandem in resurrectione carnem suam, quæ non potest ei auferri & perturbari, recipiet ita clarificatā, ut neq; eam amplius amittere, neq; perturbari in ipsis possit. Impij licet resurgant, non tamen recipient carnem suam clarificatam, quia resurrectio eorum non erit eis ad gloriam, sed ad ignominiam. In primum Psal. Et: Maioris potentiæ futuri sunt sancti, cum à mortuis resurrexerint, quàm fuêre cum carnis adhuc infirmitate grauarentur. In Marcum lib. 2. cap. 6. Item: Capilli capitis uestri omnes numerati sunt.) Derident intelligentiā Ecclesiasticā in hoc loco, qui carnis resurrectionem negant: quasi nos ipsam terrenam materiam, quæ discedente anima fit cadauer, ita resurrectione reparandam dicamus, ut ea quæ dilabuntur, & in alias atque alias aliarum rerum species formasque uertuntur, quamuis ad corpus redeant unde dilapsa sunt, ad easdem quoque corporis partes ubi fuerunt redire necesse sit. Alioquin si capillis capitis redit, quod tam crebra tonsura detraxit: si unguibus, quod toties dempsit exectio: immoderata & indecens cogitantibus, & ideo carnis resurrectionem non credentibus occurrit informositas. Sed quēadmodum si statua cuiuslibet solubilis metalli, aut igne liquesceret, aut contereretur in puluerem, aut confunderetur in massam, & eam uellet artifex rursus ex illius materiæ quantitate reparare: nihil interesset ad eius integritatem, quæ particula materiæ, cui membro statuæ redderetur, dum tamen totum ex quo constituta fuerit, resumeret: ita Deus mirabiliter atq; ineffabiliter, artifex de toto quo caro nostra constiterat, eam mirabili & ineffabili celeritate restituet: nec aliquid attinebit ad eius redintegrationem, utrum capilli ad capillos redeant, & ungues ad ungues, an quicquid eorum perierat mutetur in carnem, & in partes alias corporis reuocetur, curante artificis prouidentia ne quid indecens fiat. Libro quarto in Lucam, capite duodecimo. Et: Quia non sicut Eutychius Constantinopolitanus episcopus scripsit, corpus nostrum in illa resurrectionis gloria erit impalpabile, uentis aereque subtilius. In illa enim resurrectionis gloria erit corpus nostrum subtile quidem per effectum spiritualis potentiæ, sed palpabile per ueritatem naturæ. Neq; huic assertioni putetur Apostoli sermo repugnare: Quia caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. In Lucam lib. 6 cap. 24. Item: In die generalis resurrectionis humani generis, mortalis propago cessabit, mortalitas tota immortalitate mutabitur. In Ioānem lib. 1 cap. 1. Et: Transfiguratus Saluator non substantiam ueræ carnis amisit, sed gloriam futuræ uel suæ uel nostræ resurrectionis ostendit. Qui qualis tunc Apostolis apparuit, talis post iudicium cunctis apparebit electis. Nam in ipso tempore iudicandi, & bonis simul & malis in forma serui uidebitur, ut uidelicet impij quem spreuêre, Iudæi quem negauêre, milites quem crucifixêre, Pilatus Herodesque quem iudicauêre, queant agnoscere iudicē. In Marcum lib. 3. cap. 11.

Omnes resurgemus. Beda: Ostenditur una cunctorū, bonorū scilicet malorumq; resurrectio mortalium: & hæc non iuxta fabulas Iudæorū mille annis ante iudicium, sed in ipso esse futura iudicio. Libro quarto in Lucam, cap. 11.

Quando futura resurrectio. Beda: Finita sexta mundi ætate, reuelabitur absconditū sacramentum atq; promissum. In 5 cap. Geneseos. Item: Et nos post sex huius seculi ętates, in quibus pro Domino pati & laborare gaudemus, ac septimam sabbati animarum, quæ interim in alia uita geritur, octaua profectò ætate resurgemus. Libro 3 in Marcum, capite undecimo. Et: Nos in hac quidem sexta seculi ætate pro Domino pati, & uelut mūdo necesse est crucifigi: in septima uerò ætate, id est cum lethi quis debitum soluit, corpora quidem in tumulis, animas autem secreta in pace cum Domino manere, & post bona oportet opera quiescere, donec octaua tandem ueniente ætate, etiam corpora ipsa resurrectione glorificata, cum animab. simul incorruptionem æternæ hæreditatis accipiant. Lib. 4 in Marcum, cap. 15. & in Lucam lib. 6, cap. 23.

Effectus. Beda: Signaculum imaginis Dei per fidem & baptismū gratia renouatur. Sed in resurrectione in totū omnimodis restaurabitur, quando sicut ipsum humani corporis lutum reparabitur: ita & anima cum eo

pariter

pariter uestimento immortalitatis,uelut stola gloriæ uestietur, ut quemadmodum ipsa gloria in corruptione immortalitatis , id est Christus manet in æternum , ita & is qui ea indutus fuerit,gloriosus sine fine permaneat. Libro 3 in Iob,cap.7.

Albinus inquit: Christus non est exaltatus nisi post mortem, ita nostra exaltatio nō est nisi post morte: quia illius resurrectio nō fuit nisi antea moreretur, nec nostra erit resurrectio nisi antea moriamur. In expositione cantici graduum. Item:Resurgent & impij, unusquisque cum sua carne, ut cum diabolo & angelis eius puniantur. Vtrùm sanè ipsi cum uitijs & deformitatibus eorum corporum resurgant,quęcunque in eis uitiosa & deformia membra gestauerunt, inquirendo laborare quid opus est ? Neque enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo, uel pulchritudo. Hoc certissimè sciendum est,quia nemo nisi per indebitam misericordiam Dei liberabitur.Et nemo nisi per debitum iudicium damnabitur. Libro tertio de Trinitate,cap.20.

De abortibus inquit Beda: Si conceptus moriuntur in utero,necesse est quia uiuunt: aut quicquid moritur, haud dubium quia resurget,& ita quod in membris fœtu de natura minus dederit, hoc in resurrectione in integrū reparabitur.Lib.primo in Iob,cap.3.

DE EXTREMO IVdicio.

QVòd sit futurum iudicium, Beda docet: Duo aduentus Christi certissimi esse creduntur:alter preteritus, humilis & occultus,quādo in carne apparuit,quē Iudęi non crediderunt,& qui gentibus profuit:quia cæcitas ex parte facta est in Israel, ut plenitudo gētium intraret: alterum uerò manifestū aduentum in die iudicij expectāt ipsi Iudęi,sicut & nos,in quo etiā impij manifestè confitebuntur, Christum esse illum, qui meritò iustis conferat præmia, & malis inferat supplicia, licet illa confessio non sit eis ad remedium salutis,sed ad cumulū damnationis.In 9 Psalmum.

Distinguit iudicia Beda: Duo sunt iudicia Dei per Scripturas insinuata: unum occultum,alterum manifestum. Occultum iudicium est,pœna qua nunc unusquisq; hominum aut exercetur ad purgationem,aut admonetur ad conuersionem: aut, si contempserit uocationem & disciplinam Dei,excæcatur ad damnationē. Iudicium autem manifestum est,quo uenturus est Dominus iudicare uiuos & mortuos. Nunc autem dicitur esse tempus, in quo incipiat iudicium de domo Domini: id est, de Ecclesia, quæ per exercitum præsentium afflictionum ad futura gaudia præparatur. In quartum caput primæ epistolæ Petri.

De duplici iudicio inquit Albinus: Arcus diuersi coloris hominibus datus est utriusq; iudicij testis,unius uidelicet facti,& alterius faciendi:id est,quia mundus iudicij igne cremabitur,aqua diluuij non deletur. In quæstionibus in Genesin.

Quis Iudex. Beda : Christus resurgens à mortuis,& in cœlum ascendens,supernam sibi angelorum multitudinem nouus homo copulauit, qui tunc reuertitur, cum nobis iam per iudicium manifestatur.Libro quarto in Lucam,cap.12. Item:Ventilabrum itaque Dominus in manu.) id est iudicij discrimen habet in potestate: quia pater non iudicat quenquam,sed iudicium omne dedit filio.Libro 1 in Lucam,cap.3. Et:Pater non iudicat quenquam, quia patris persona hominem non suscepit: nec in iudicio uidebitur, sed sola filij persona in ea forma, qua iudicata est iniustè,iustè iudicabit uiuos &mortuos . Nec enim filius uidebitur in iudicio ea natura, qua consubstantialis est Deo patri: sed in ea qua cōsubstantialis est matri,& homo factus est.In 5 cap.Ioannis.

Albinus : Filius hominis accepit potestatem iudicium facere, quod iudicium in fine erit seculi. Libro tertio de sancta Trinitate,capite decimooctauo. Item : Neq; enim ad iudicium uiuorum & mortuorum pater ipse uenturus est,nec tamen recedet à filio pater. Quomodo ergo non ipse uenturus est ? Quia non ipse indutus est forma serui,nec uidebitur in iudicio. Videbunt namque impij in quem compunxerunt:forma illa erit iudex, quæ stetit sub iudice, illa iudicabit quæ iudicata est. Iudicata est enim iniquè,iudicabit iustè. Talis apparebit iudex, qualis uideri possit & ab ijs quos coronaturus est, & ab eis quos damnaturus est.forma ergo serui uidebitur: occulta erit forma Dei, quæ iustis uideri solummodo permittitur ad æternum beatitudinis præmium.Ibidem. Et: Duos aduentus Domini nostri Iesu Christi legimus in Scripturis sanctis à Prophetis esse prædictos: unū misericordiæ, qui peractus est: alterum iudicij, qui uenturus est. In Ioannem lib.4.cap.8.

Carolus Magnus inquit: Accepta ergo à patre potestate omnium quæ in cœlo sunt & in terra , uenturus est ad iudicium uiuorum ac mortuorum, ut & iustos remuneret, & puniat peccatores. Libro tertio de Imaginibus,cap.1.

Etiā Apostolos iudicaturos. Beda:Sedebitis & uos super sedes duodecim.) Nemo putet duodecim tātùm Apostolos(quia pro Iuda pręuaricāte Matthias electus est)tūc esse iudicaturos,sicut nec duodecim solę sunt tribus Israel iudicandæ: alioquin tribus Iuda,

da, quæ tertiadecima est, iniudicata recedit: & Paulus, qui tertiusdecimus est Apostolus, quia pro Iuda præuaricante Matthias electus est, iudicandi sorte priuabitur, cum ipse dicat: Nescimus quoniam angelos iudicabimus, quanto magis secularia? Sciendum namq; est, omnes qui ad exemplum Apostolorum sua relinquunt omnia, & secuti sunt Christum, iudices cum eo uenturos, sicut etiam omne mortalium genus esse iudicandum. Quia enim duodenario numero solet in Scriptura sæpe uniuersitas designari: per duodecim sedes Apostolorum, omnium uniuersitas iudicantiũ: & per duodecim tribus Israel, uniuersitas eorum qui iudicandi sunt, ostenditur. Vnde notandum est, quod duo sunt ordines electorum in iudicio futuri: unus iudicantium cum Domino, qui reliquerunt omnia, & secuti sunt illum: alius iudicatorum à Domino, qui non quidẽ omnia sua reliquerunt pariter, sed de his tamen quæ habebant, quotidianas dari eleemosynas Christi pauperibus curabant. Vnde & audituri sunt in iudicio: Venite benedicti, &c. Sed & reproborum duos ibi futuros ordines, Domino narrãte comperimus. Vnũ eorum, qui fidei Christianæ mysterijs initiati, opera fidei exercere contemnunt, quibus in iudicio testatur, Discedite à me maledicti, &c. alterum eorum, qui fidem & mysteria Christi uel nunquam suscepêre, uel susceptam per apostasiam deseruêre, de quibus dicit: Qui autem non credit, iam iudicatus est. Qui quoniam nec uerbotenus Christum colere uoluerunt, nec uerba saltem eius quibus coarguantur in iudicio, merentur audire: sed ad hoc tantum ueniunt in iudicium, ut cum eis qui iudicantur peccatoribus, in damnationem mittantur æternam. Homilia in natali D. Benedicti.

Omnes sistentur. Beda: Nullus in die illa remanebit electus, qui non uenienti ad iudicium Domino, in aera occurrat: siue uiuens adhuc in corpore repertus, seu de morte iam resuscitatus ad uitam. Veniunt ad iudicium reprobi & ipsi, alij in corpore uiuentes inuenti, alij ad uitam à morte suscitati. Sed ea nimirum distantia, quòd iusti congregantur in gaudium Domini sui, inimici autem eius peracto iudicio dissipentur & pereant à facie Dei. In Marcum libro 4. capite decimotertio. Nemo sanè arbitretur, eos solummodo quibus gratia prædicãdi data est, non autem & eos quibus prædicatum est, ad iudicium tunc esse uocandos. Quinetiam sciat, eos quoq; quibus nunquã est prædicatum, ibidem adesse damnandos. lib. 5 in Lucam, cap. 19.

Quale. Beda: In nouissimo iudicio coronatis iustis damnabuntur reprobi, qui eos in præsenti premebant. In Prouerbia Salomonis libro 2. cap. 14. Item: Etsi in hac uita electi mala patiantur reproborum, ubi uniuersalis iudicij dies apparuerit, omnia mala dissipabuntur: & coronatis cum Domino iustis, soli pœnas subibunt iniusti. Ibidem, capite 20. Et: Sciendum, plures diuersitates futuras resurgentium. Alij enim ita resurgent, ut ueniant ad iudicium: alij, ut non ueniant ad iudicium, quia iam iudicati sunt. Venientium alij iudicabunt, alij iudicabuntur. Eorum qui iudicabuntur, alij saluabũtur, alij non. In 1 Psalmum. Item: In extremo die meritis singulorum reddetur quod debetur: & illa dies transfert sanctos ad ęternam saluationem, malos uerò ad æternam damnationem. In 6 Psalmum.

Et: Lumen uerbi supra uestri corporis candelabrum leuate, fixa mente retinentes illũ retributionis diem, quo illuminabit Dominus abscondita tenebrarum, & manifestabit cogitationes cordiũ. Tũc enim & uos à Deo laus, & aduersarios ueritatis pœna manet ęterna. In Marcũ lib. 1. cap. 4. & lib. 3. in Lucã, cap. 8. Item: In extremo iudicij die, cum apertis cœlis, ministrãtibus angelis, cõsedentib. Apostolis, in sede maiestatis suę Christus apparuerit, omnes hũc & reprobi pariter uidebunt, ut & iusti de munere retributionis sine fine gaudeant, & iniusti in ultione supplicij in perpetuum gemant. In Lucam lib. 1. cap. 3. Et: Post annum sanè Domini acceptabilem, etiam diem retributionis extremę prędicat, dicens: Filius enim hominis uenturus est in gloria sua, cum angelis suis: & tunc reddet unicuiq; secundum opus eius. In Lucã lib. 2. cap. 4. Item: In extremo die iudicij, omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur: ibíq; impij nõ solùm homines, sed & angeli, qui ad diaboli domũ pertinebãt, in supplicium æternũ, iusti autẽ in uitam ęternam. Ibidem cap. 6. Et: Attendite ne ęmulemini simulatores, quia ueniet profectò tẽpus, in quo & uestra uirtus omnibus, & eorum reueletur hypocrisis. lib. 4. in Lucam, cap. 12. Item: Apparente uniuersali iudicio, cœlum & terra transibunt: & sicut in Ioannis Apocalypsi legimus, mare iam non erit, meritò eodem incumbẽte iudicio, sonitus maris & fluctuum cõfunditur, terrarum orbis prementibus se inuicem colonis inficitur, maxima cœli luminaria percussis horrore nouo radijs turbatã faciem uelant. Et quomodo impulsæ ad casum arbores fragoris motusq; sui præmittere solẽt indicia: sic termino appropinquãte, quasi pauentia nutãt ac tremunt elementa. In Lucam lib. 5. cap. 21.

Discrimen fore, nam impij non saluantur. Beda: Et claudentur in carcere, & post dies multos uisitabuntur mali.) Intelligũt Origeniani,

niani, quasi post multa tempora terminati iudicij, soluendos ac saluandos dixerit impios: cum ille ecōtrariò nullam eis salutem tribuat, sed & eos qui hoc tempore mortui præ enormitate uitiorum claudi merentur in carcere pœnarum, tempore resurrectionis ad modicum uisitandos significet tantùm, ut receptis corporibus in iudicio grauius damnentur, & continuò post iudicium atrocibus perpetuò recludantur in pœnis. In Prouerbia Salomonis lib. 1. cap. 1. Item: Reprobi quanto licētius in hac uita uoluptatibus proprijs uelut liberi dimittuntur, tanto longius in futuro à diuinæ uisionis gloria proijciuntur. Quæstione trigesima in libros Regum. Et homo non habens spē in Christo, sicut & gētes quæ ignorant Deum, cum mortuus fuerit, nō renatus per baptismum, uita hac etiam destitutus, & pręsenti delectatione nudatus, & consumptus interitu, sine dubio sententiam æternę dānationis excipiet. In Iob lib. 1. cap. 14. Item: In iudicio, quando impius condemnandus est, non solùm cogitationes cordis eius, uerùm etiam principia imperfectarum cogitationū Deo pandēda sunt, atq; clarius luce manifestanda. libro 2 in Iob, cap. 3. Et: Videbo, id est cognoscam, quæ nunc impedita (Ecclesia) carnalibus uidere non possum: scilicet quòd tu Deus, qui in præsenti uideris uelle iniquitatē, quia pateris malos permisceri bonis, non tamen uis iniquitatem: quod ostendes tunc manifestè, quando agnos ab hœdis separabis. In 5 Psalmum.

Albinus inquit: Nequaquam pari exitu iniustus & iustus iudicabitur: quia hic ad refrigeria, ille pergit ad pœnam. In 2 caput Ecclesiastæ. Item: In consummatione mundi in maturas segetes messores uenire iussurus est, ut separetur triticum, & in horreum cœlestis regni condatur, lolium autem æterno tradatur incendio. In 5 caput Ecclesiastæ. Et: Cum iudicij tēpus aduenerit, quicquid à nobis gestum est, stabit sub iudice, & ancipitem Domini sentētiam expectabit, & unusquisq; recipiet pro opere suo, siue mali quid gesserit, siue boni, iudicij æquitate permansura in æternum. In 12 cap. Ecclesiastæ.

¶ Quando. Beda: Diem iudicij quidam erronei octauam uocauerunt, quantum ad septem millia annorum, quæ ab Adam incœperunt: quibus quasi septem diebus finitis, proculdubio diem iudicij sequi dixerunt, & sic se & alios certos de illa die fecerunt. Sed inconueniens tamen oritur. Scriptura enim falsificatur, quæ dicit: Non est uestrum nosse tempora. & rursus. De hora aūt illa, &c. Sed cum filium nulla occulta patris lateāt, sciendum est, quòd diem illam, quantum ad se, non ignorat: sed tamen dicitur nescire, quia discipulos suos, quibus multa alia reuelauit, illam nescire fecit. sicut dicitur: Tentat uos Dominus, ut sciat. id est, ut uos scire faciat. Remota autem illa temeraria computatione, dies iudicij potest optimè octaua uocari, hac ratione: quia transactis hisce temporalibus rebus, quæ per septenariū numerum dierū uoluuntur, & ideo pro septem diebus accipiuntur, sequitur illa dies octaua: id est, dies iudicij, in qua anima adepta ęternitate, nihil iam debebit tempori uel mutationi. Alio etiam modo octaua dicitur, scilicet quantum ad sex dies, per quos labor huius uitæ intelligitur, & quibus Dominus laborasse legitur: & quātum ad septimum diem, id est, ad requiem illam, in qua iustorum animæ, qui mortui sunt positi, expectant cōmunem resurrectionē, ut geminam stolam immortalitatis ibi recipiant: qua expectatione finita, cum sex prædictis diebus, id est cū labore huius mundi, proculdubio sequitur dies octaua, id est dies iudicij. In 6 Psalmum. Et: Sex sunt huius seculi ętates notissimis temporum distinctę articulis, in quibus pro Deo laboribus insistere, & pro adipiscenda requie sempiterna ad tempus operari necesse est. Septima est ætas non in hac, sed in alia uita quiescētium, usq; ad tempus resurrectionis animarum. Octaua autem ætas, ipsa est dies resurrectionis, sine ullo temporis fine beatus: quando uera omnimodo circumcisionis gloria coruscante, non ultrà corpus, quod corrumpitur, aggrauat animā, non terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem, sed corpus iam corruptibile lętificat animam, & subleuat cœlestis inhabitatio totum hominem uisioni sui conditoris inhærentem. Cuius æterni diei beatitudinem propheta in Psalmo exponit: Qui redimit de interitu uitam tuam, qui satiat in bonis desiderium tuum. In homilia de Circircumcisione. Item: Sicut ex fructu arborum uentura æstas agnoscitur, ita ex ruina mundi propè esse coguoscitur regnum Dei. Bene autem regnum Dei ęstati comparatur, quia tunc mœroris nostri nubila transeunt, & uitę dies ęterni solis claritate fulgescunt. In Lucam libro 6. capite 22. Et: Horam uerò ultimam Dominus noster idcirco nobis uoluit esse incognitam, ut semper posit esse suspecta: ut dum illam præuidere non possumus, ad illam sine intermissione præparemur. In Lucam libro 4. cap. 12. Item: Extitēre nonnulli, qui curricula computantes ætatum, certum se consummationis seculi annum, diem & horam dicerent inuenisse, contra authoritatem Domini dicentis: Non est uestrum nosse tempora uel momenta. Secundus Saluatoris aduentus non in humilitate, ut prius, sed in gloria est & maiestate futu-

futurus. In aeris medio discrimen geretur, teste Apostolo, qui ait: Simul rapiemur cum illis in nubib. obuiam Domino in aera. Si autem Dominus in iudicio sicut fulgur apparebit, nullus tunc in sua mente latêre permittitur, quia ipso iudicis fulgore penetratur. Nõ ergo eius uenturi tempus aut locus potest à mortalib. obseruari, qui fulguris instar, omnibus coruscus uidelicet & repentinus adueniet. Libro quinto in Lucam, capite decimo septimo. Et: Subitum aduentus sui diem plurimis affirmat exemplis Christus. Nam quem fulguri citò omnia transuolanti comparauerat, eundem diebus Nohe uel Loth, quando repentinus mortalibus superuenit interitus, æquiparat. Libro quinto in Lucã, capite decimoseptimo.

Albinus ait: Quædam signa quæ ipse Dominus in Euangelio ante finem mundi futura esse prædixit, transacta leguntur: quædam uerò imminentia quotidie sentiuntur. Quædam itaque nedum acta sunt, sed futura esse certissimè creduntur. Lib.3 de sancta Trinitate, cap.19.

De die & hora nemo scit, neque angeli in cœlo, neque filius, nisi pater. Hoc genere locutionis nescire dicitur filius, quia nescientes fecit, quod utile illis fuit nescire: id est, quod nõ ita sciebat, ut eos scire fecisset, quia utilius illis fuit diem iudicij nescire, quàm scire, ut semper parati essent & uigilantes, dum qua hora dies Domini quasi fur ueniniret, paratos inueniret eos. Albinus Lib.2 de Trinitate, cap.12.

De fine inquit Albinus: Christus peracto in hominis forma iudicio, nouissimè ad uisionem nos diuinæ maiestatis sublimiter introducet, atque arcana nobis regni cœlestis mirabiliter enarrabit. Libro primo in Iohannem, capite primo.

DE INFERNO.

Resurgemus ergo, animabus iterũ coniunctis corporibus, incorruptibilibus factis, & exutis corruptionem: & repræsentabimur terribili tribunali Christi. Et tradentur diabolus & dæmones eius, & homo eius, id est Antichristus, & impij peccatores, in ignem æternum: non materialem, qualis est apud nos, sed qualem nouit Deus. Damascenus libro quarto de Orthodoxa fide, capite uigesimooctauo.

De duplici gehenna, Beda inquit: Duplex ostenditur gehenna, id est nimij frigoris & intolerabilis esse feruoris. Cui beati Iob sententia consentit, dicentis: Ad calorem nimiũ transibunt ab aquis niuium. Vel certè stridor dentium prodit indignantis affectum, eo quòd serò unumquemque pœniteat, serò ingemiscat, serò irascatur sibi, qui tam peruicaci improbitate deliquerit. Libro quarto in Lucam, capite decimotertio.

Vbi. Beda: Sub terra, id est inferioribus terræ, ubi inferi esse perhibentur, unde & ipsi inferi nominati sunt. Lib.2 in Iob, cap.9. Et: Proinde nouerimus, quia loca infernalium ergastulorum secundum fidem Scripturarum inter immensas abyssi aquas sint constituta. Lib.3 in Iob, cap.5. Item: Quòd autem infernus in imo terrarũ sit, Ionas propheta, qui specialiter figurã habuit Saluatoris, in oratione sua quam in uentre piscis fudit ad Deum, manifestè demonstrat, quòque infirmum abyssi aquæ circum luant. Lib.3 in Iob, cap.7.

Qualis. Beda: Igitur saluabit te de ore angusto latissimè.) Hoc in loco infernorum habitacula ab Heliu describuntur, quæ pro immensa capacitate sui fundamentum non habeant. Ad quorum tamen fundamenta in Prophetis legimus, Luciferum, qui manè oriebatur, depositum, multitudinem quoque regum & populos innumerabiles gentium plurimarum. Sicut dicit Scriptura: Qui descenderũt ad fundamenta loci. Lib.3 in Iob, capite quinto. Et: Ignem gehennæ bifaria ratione inextinguibilem uocat: id est, quia neque ille perpetuo possit extingui, neque eos quos cruciat unquam extincturus, sed immortali (ut ita dixerim) sit morte plexurus. Ad distinctionem uidelicet illius sacratissimi ignis, quo electos Christi baptizãdos esse præmiserat. In Lucam lib.1. cap.3. Item: Sepultura inferni est pœnarum profunditas, quæ superbos & immisericordes post hanc uitam uorat. Notandum ualde est, quid sit quòd diues in igne positus linguam suam refrigerari petit. Superius autem hunc superbum diuitem Dominus non loquacitati uacantem dixerat, sed superfluè conuiuantem. Neq; hunc de loquacitate narrauit, sed cum elatione & tenacia, de edacitate peccasse. Sed quia abundare in conuiuijs loquacitas solet, is qui hic malè conuiuatus dicitur, apud inferos grauius in lingua ardere perhibetur. Libro 5 in Lucam, cap.16.

Albinus ait: Quando extremi iudicij uentilabrum discernet frumentũ à paleis, unusquisq; secundum modum meritorũ aut damnabitur, aut coronabitur. Quidam uidelicet iuxta peccatorũ qualitatem mitius torquentur, qui minorum scelerum pondere grauantur. Sunt etiam & sanctorum merita diuersa, quorum quisq; secundũ meritorum magnitudinem æternæ recipiet præmia beatitudinis. quod ipse Dominus in Euangelio significabat, dicens: In domo patris mei mansiones multæ sunt. Sed nemo in illis alicuius lætitiæ uel beatitudinis sentiet detrimentum: quia unicuique sufficiet quod accipiet, quia Christus erit omnia in omnibus. Libro ter-

tio de sancta Trinitate, cap. uigesimoprimo.

¶ Pœnas fore æternas, docet Beda: Inferni tormenta non replebuntur, terminum accipiendo: similiter & intentiones eorum qui humana sapiunt, insatiabiles sunt in desiderio peccandi. Qui & ideo sine fine pœnas luunt, quia uoluntatem habuerant sine fine peccandi, si naturã haberent sine fine uiuendi. In Prouerbia Salom. libro secundo, capite uigesimoquarto.

DE VITA AETERNA.

De appellationibus ait Beda: Sinus Abraham, requies est beatorum pauperum, quorum est regnum cœlorum, quo post hanc uitam recipiuntur. In Lucam lib. 5. cap. 16.

De duplici generatione, ait Beda: Duæ sunt generationes: altera, qua hic generamur: altera, qua regenerabimur in resurrectione. Et in utraque prædicatur Christus: in hac quidem ut credatur, in altera uerò ut uideamus. Et in hac sedes ei præparatur: quia si in nobis non sederet, nos non regeret. Si ab ipso non regeremur, à nobis præcipitaremur. Et ideo in hac generatione sedet in nobis regnans, sedebit etiam in nobis in regeneratione, quia in æternum regnabit in sanctis suis. In 88 Psalmum.

Vnde fit. Beda: Quomodo renouamus, si ad hoc in Christo non renouamur, quod prius in Adam eramus? In secundum caput Geneseos.

Albinus: Nisi igitur nobiscũ Christus dormierit, & in morte requieuerit, calorem ęternæ uitæ accipere non ualemus. In 4. caput Ecclesiastæ.

Carolus Magnus: Vita quoq; futuri seculi ab ipso nobis Domino pollicetur, & penè in omnibus sanctarum Scripturarum oraculis prædicatur: quippe cum sine ea carnis resurrectio nil ualeat, & ob eam adipiscendam totius nostræ religionis desudet intentio. Lib. 3 de Imaginibus, cap. 6.

Damascenus: Et seculum unum omnium seculorum contentiuum est. Et seculum seculi dicitur, præsens & futurum. Æterna autem uita, & æternum supplicium, quod sine fine futurum seculum ostendunt. Nec enim post resurrectionem, tempus diebus ac noctibus numerabitur. Erit magis una dies sine uespere, sole iusticiæ persplendidè iustis illucescente: peccatoribus autem nox profunda, intransibilis. Quo pacto ergo tũc mille annorum restitutionis Origenistarum numerabitur tempus? Libro secundo de Orthodoxa fide, capite primo.

¶ Quales simus futuri, Beda exponit: Quãuis usque ad claritatem angelicam humana natura post resurrectionem proficiat, tamen uidere illius essentiam plenè non ualet, quã nec ipsa perfectio angelica, ueluti est, integrè ferè attingit. In Exodum capite trigesimotertio. Item: stella à Stella differt in claritate, ita & resurrectio mortuorum. In Deuteronomio capite decimoquarto. Et: Septima est in illo seculo ætas requietionis animarum carne exutarum, in qua beati tempus illud glorificum, quando resurgere mereantur, expectant. In Samuelem libro quarto, capite decimo. Item: Surgent filij Ecclesiæ, uidelicet omnes electi in nouissimo, carnis immortalitate donati: & tunc matrem suam quæ eos ex aqua & spiritu sancto Deo genuit, beatissimam prædicant, quę nunc ab infidelibus quasi misera contemnitur. In Prouerbia Salomonis libro tertio capite trigesimoprimo. Item: Non in pristinum corpus animale, in quo fuit Adam: sed in corpus spirituale, cum erimus æquales angelis. Renouabimur autem spiritu mentis nostræ, secundum imaginem illius qui creauit nos, quam peccando Adam perdidit. Renouabimur autem etiam carne, cũ corruptibile hoc induerit incorruptibilitatem, ut sit spirituale corpus, in quod nondum mutamur: sed mutatus fuisset Adam, nisi mortem corporis peccando meruisset. In secundum caput Genesis. Et: Laboramus quãdiu in hac uita subsistimus. Per hanc enim in fide & operibus, in præsenti & in futura uita purificati inueniemur, quãdo deuicta morte erit Deus omnia in omnibus. Tũc sancta tangemus, & in sanctuarium ingrediemur, cũ uenerit quod perfectum est, & non per speculum, sed facie ad faciem superna contemplabimur. In Leuitic. capite duodecimo. Item: Quos in præsenti pauperes & humiles spiritu propter se facit, eosdem in futuro ditat in se, & subleuat. In Samuelis caput quartum. Et: Tunc ab omnibus superfluis uel actibus uel uerbis uel cogitationibus bene emundabimur, cũ sit Deus omnia in omnibus: in quo etiam efficitur munda mater, quę genuit masculum. Purgata namque intus carnem & resurrectionem suscipiet is, qui masculum & uiriliter egit, nihil in se fœmineum aut molle habens. In duodecimum caput Leuitici. Item: Per clarificationẽ resurrectionis & incorruptionis angelis eos coæquauit. In 56 Psalmum. Et: Dominus qui modò non cognoscitur, tandem cognoscetur uerè esse Dominus, cum manifestè dabuntur impij in tenebras exteriores. In nonum Psalmũ. Item: Est quædam cœlestis regio angelorũ, in qua est uita ineffabilium angelorum gaudiorũ, ubi immortalitas & incorruptio uigent, & ubi omnia per donum et per gratiam Dei immutabiliter permanent. In octuagesimum quintum Psalmum. Et: Transacta uarietate temporalium rerum, in quibus septenarius

rius numerus accipitur, quia per septé dies uoluuntur, tunc incipiet octaua dies, quam nox nunquam interpolabit: id est, tunc manifestè apparebit in ueritate uera saluatio illa, qua nunc per aduentum Domini requiescimus in spe. Vnde dicit Apostolus: Spe salui facti sumus. In undecimum Psalmum. Item: Quia duas uitas habemus, alteram in qua sumus, alteram quam speramus. Et si patienter toleramus illam in qua sumus, perueniemus ad illam quam speramus. Non noueram nisi hominem nasci & mori: resurgere autem, & in æternùm uiuere, non noueram. Accepit ipse quod ego noueram, & demonstrauit mihi quod ego non noueram, id est resurrectionem. In sexagesimum Psalmum. Et: Regnum Dei bonum nostrum est, & hoc appetendum, & ibi finis constituendus, propter quod omnia faciamus, quæcunque facimus. Sed quia in hac uita militamus, ut ad illud regnum peruenire possimus, quæ uita sine his necessarijs agi non potest: adijcientur hæc uobis, inquit, sed uos regnum Dei quærite. Libro quarto in Lucam, capite duodecimo. Item: Regnum Dei quando ueniat, neque ab angelis, neque ab hominibus potest obseruari. In Lucam libro quinto, capite decimo septimo. Et: Gloriam Trinitatis, quam in baptismo credentes confitemur, in resurrectione uidentes collaudabimus. Qui nunc simplici corde fidem quam percepit seruat, tunc luce apertæ uisionis, quod crediderat contemplabitur, ipsaq; qua illustrabitur, in perpetuum gratia protegetur. Et paulo pòst: Cũ fieret uox super filium, inuentus est ipse solus, quia cum manifestauerit se electis, erit Deus omnia in omnibus: imò ipse cum suis unus per omnia Christus: id est, caput cum corpore splendebit. In Marcum libro tertio, capite nono. Item: Si in resurrectione non nubent, neque nubentur, resurgent ergo corpora, quæ possunt nubere & nubi. Nemo quippe dicit de lapide & arbore, & his rebus quæ membra non habent genitalia, quia non nubant, neque nubantur: sed de ijs qui cum possint nubere, tamen aliqua ratione non nubant. Quod autem infertur, Sed sunt sicut angeli in cœlis, spiritualis repromittitur conuersatio. Sunt enim sicut angeli in cœlis, qui gloria resurrectionis innouati, absque ullo mortis metu, absque ulla labe corruptionis, absque ullo terreni status actu, perpetua Dei uisione fruuntur. Ad quam necesse est angelicæ dignitatis æqualitatem quisquis ascendere desiderat, nunc minimis fratribus piè agendo condescendat. Libro tertio in Marcum, capite duodecimo.

Et: In futuro seculo illi qui per sex huius seculi ætates bona fecerunt, in septima ætate malorum tantummodo, non autem & bonorum sunt ferias habituri. Beda in Marcum libro primo, capite tertio. Item: Christus transfiguraturus, tres solummodo secum discipulos ducit: uel quia multi sunt uocati, pauci uero electi: uel quòd ij qui nunc fidẽ, qua imbuti sunt sanctæ Trinitatis incorrupta mente seruauerint, tunc æterna eius merentur uisione lætari. In Marcum libro tertio, capite undecimo. Et: O' quanta felicitas, deitatis uisioni inter angelorum choros adesse perpetuò, si tantum trãsfigurata Christi humanitas, duorumq; societas sanctorum ad punctum uisa delectet, ut eos, ne discedant, etiam Petrus obsequio sistere uelit: qui etsi pro stupore humanæ fragilitatis nesciat quid dicat, insiti tamen sibi dat affectus indicium. Nesciebat enim quid diceret, qui oblitus est regnum Dei sanctis à Domino, non alicubi terrarum, sed in cœlis esse promissum. Libro tertio in Marcum, capite undecimo: & in Lucam libro tertio, capite nono. Item: Illa erit reuelatio tanquam uera Galilæa, cum similes ei erimus: ibi eum uidebimus, sicuti est. Ipsa erit etiam beatior transmigratio ex isto seculo in illam æternitatem, si eius præcepta sic amplectamur, ut ad eius dexteram aggregari mereamur. Tunc enim ibunt sinistri in combustionem æternam, iusti autem in uitam æternam. Hinc illuc transmigrabunt, & ibi eum uidebũt, quo modo non uident impij. Tolletur enim impius, ne uideat claritatem Domini: & impij lumen non uidebunt. Hæc est autem uita æterna, ut cognoscant te unum uerum Deũ, & quem misisti IESVM CHRISTVM: sicut in illa æternitate cognoscitur, quò suos perducet per formam serui, ut eum liberi contemplentur per formam Domini. Libro quarto in Marcum, capite decimosexto. Et: Hæc est nostra ciuitas & patria, requies uidelicet beata & cœlestis animarum, ad quam in fine seculi nascentis, exordio à Deo Christo creati, ad quam ab homine Christo sumus in fine seculorum recreati. In Lucam libro primo, capite secundo. Item: Perfecta pax non erit, nisi cum corpus nostrum, cuius expectamus redemptionem, immortalitatem, quod nondum adipiscendo gloriamur, sed sperando iam pascimur. In Lucam libro primo, capite quarto. Et: Excitati ad gloriam sancti, eo uerius maiestatem Domini uidebũt, quo etiam suæ carnis in qua mortem uicerant, immortalitate gaudebunt. Tunc Mosen & Heliam speculabuntur in gloria: quia melius intelligẽt quomodo iota unum aut unus apex non præterierit à lege, nec Dominus soluere legem uel prophetas, sed adimplere aduenerit. Libro tertio in Lucam, capite nono. Item: In illa itaque uita ęterna, ubi nos

semper speramus futuros, & nominis Dei sanctificatio, & regnũ eius in nostro spiritu & corpore perfectè atque immortaliter permanebunt. Ibidem capite undecimo. Et: Ad plenitudinem angelicam, per corporis etiam immortalitatem perficietur Ecclesia. Libro quarto in Lucam, capite decimotertio. Item: Si quis manducauerit ex hoc pane, uiuet in æternum: id est, si quis meæ incarnationis sacramento perfectè incorporatus, meæ diuinæ maiestatis uisione frui meruerit, hic perpetua uitę immortalis beatitudine gaudebit. Libro quarto in Lucam, capite decimoquarto. Et: Cum ergo beatitatem illam obtinuerimus, nostra erunt ad uiuendum superiora, nostra erunt ad uiuendum æqualia, nostra erunt ad dominandum inferiora. Libro quarto in Lucam, capite decimoquinto. Item: Iusti in tormentis semper intuentur iniustos, ut hinc eorum gaudium crescat: quia malum conspiciũt, quod misericorditer euaserunt: tantoq; maiores ereptori suo gratias referunt, quanto euidentius uident in alijs quid ipsi perpeti, si essent neglecti, potuerunt. Quia qui creatoris sui claritatem uident, nihil in creatura agitur quod uidere nõ possint. Libro quarto in Lucam, capite decimosexto. Et: In illa beatitudinis gloria, de qua Propheta suspirans aiebat, Quia melior est dies una in atrijs tuis super millia, tenebrarum interruptio nulla est, nulla saltem memoria miseriæ uel doloris, quæ prima abierunt, lucem perpetuæ pacis obnubilat. Libro quinto in Lucam, capite decimoseptimo. Item: Sanctos secum futuros Christus asseuerando, reprobos nimirum à sua uisione secernendos, & ideo non alibi quàm cum diabolo damnãdos insinuat. Vbicunque ergo fuerit Dominus corpore, illò cõgregabuntur electi: qui eius passionem, humilitatemq; imitando, tanquam de eius carne saturantur, quorum per resurrectionem, ut aquilæ renouabitur iuuentus. Libro quinto in Lucam, capite decimoseptimo. Et: Omnes illi quorum Dominus est Deus, uiuunt ei, uita utiq; uera, qua iusti uiuũt, etiã quando corpore moriuntur. De qua alibi Dominus ait: Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet. Lib. quinto in Lucã, capite uigesimo. Item: Vita est, esse cum Christo: quia ubi Christus, ibi regnum. Libro sexto in Lucam, capite uigesimotertio. Et: Christus peracto in hominis forma iudicio nouissimo, ad uisionem nos diuinæ maiestatis sublimiter introducet, atque arcana nobis regni cœlestis mirabiliter enarrabit. Sanctæ indiuiduæ Trinitatis gloriam manifestabit hominibus, cum post uniuersale iudicium omnes pariter electos ad uisionem claritatis eius inducet. Libro primo in Ioannem, capite primo. Item: Post resurrectionem uniuersali expleto iudicio, sancti iam incorruptibiles facti, ad contemplandum perpetuò speciem diuinæ maiestatis cum bonorum operum muneribus intrabunt. Libro 1 in Ioannem, capite 2.

Aponius ait: Vbi nullus turbidarum cogitationum clamor, nullius desiderio distentantur, adulterij in ea nulla subreptio, nulla peruagatio oculorum, ciborum nulla concupiscentia transcendit certum terminum constitutum, sed sola ibi pax iusticiæ, ibi solum silentium, cultus iusticiæ requiescit, ubi Domino præsente nihil aliud præter diuinos apices motu labiorum ruminando imbuuntur. In Cantica canticorum libro secundo. Et: Sunt testimonia in ueteri Testamento legis, quæ Christum humani generis redemptorem probant uenturum, aduenisse, iterum aduenturum in gloria. Ponamus igitur, legem diuinam latissimum esse palatium, in quo rex inhabitat Christus, sermo omnipotentis Dei patris, ubi ad æternam militiam introducuntur credentium animæ. ubi cum omnes qui introducuntur uni militent regi: tamen quanto quis melius ministrauerit, tanto gradum sibi magis bonum acquirit, ex multa fiducia lateribus regis coniunctus. lib. 3 in Cantica canticorum.

Albinus ait: Qui pœnitentiam egerunt, illi misericordiæ uitam merentur sempiternam: quia rectam spem & fidem in Deo habent, ipsosq; misericordia Dei circumdat, ut non sit relictus locus, unde possit ad eos diaboli hostilitas introire. In expositione secundi Psalmi pœnitentialis. Item: Modò omnia in ænigmate cernuntur, & ex parte intelliguntur, donec perfecta ueniat scientia, quę in hoc mortali corpore esse non poterit. In primum capu. Ecclesiastæ. Et: Quamdiu in hoc seculo sumus, tempus est belli: cum migrauerimus autem de hoc seculo, pacis tempus aduenĩet. In pace est laus Dei, & ciuitas nostra Hierusalem de pace sortita uocabulum est. Nemo ergo nunc se putet esse securum in tempore belli, ubi certandum est, & apostolica arma tractãda, ut uictores quõdam requiescamus in pace. In tertium caput Ecclesiastæ. Item: Nunc flendi tempus est, & in futuro ridendi, Domino dicente: Beati flentes, quoniam ipsi ridebunt. Ibidem. Et: Melior est cõsummata iusticia, quàm inchoata. Illa uictoriam pręstat, ista certare incipit. Hic enim ex parte cognoscitur: cum autem uenerit quod perfectum est, non erit necesse illud quod ex parte est. In septimum caput Ecclesiastæ. Item: Hæc sapientia mortaliũ parua est ad illam, quæ sanctis datur in futuro regno Dei. Ibidem. Et Dicit diei septimo ideo benedictum, ipsumq; sanctificatum e-

se,

ſe, ut oſtenderet requiem poſt ſex huius ſeculi ætatum labores in æterno ſabbato, & benedicta requie quieturam. Ideoque illam diem ſine ueſpera legi, quod ultima requies ſanctorum ſempiterna eſt. In quæſtionibus in Geneſin. Item: Homines perfecti hinc dicuntur, non ſicut perficiendi ſunt ſancti in illa immortalitate, qua æquabuntur angelis Dei, ſed ſicut eſſe poſſunt hac in peregrinatione perfecti. Ibidem. Et: Angelorum populo uel ſanctarum animarum apponuntur, qui hanc uitam placentes Deo finiunt. In quæſtionibus in Geneſin. Item: Miſericordiæ tempus eſt omni homini, modò pœnitenti. In futuro uerò iudicio tempus erit iuſticiæ, ubi unicuique reddetur ſecundum opera ſua. In expoſitione quarti & quinti Pſalmi pœnitentialis. Et: Quod nunc ſpei dulcedine habemus, tunc rei ueritate tenebimus. In ſextum Pſalmum pœnitentialem. Item: Ad ueram & ſempiternem beatitudinem, niſi per fidem catholicæ pacis, cooperante charitate Dei & proximi, neminem peruenire poſſe certiſsimum eſt. Libro primo de ſancta Trinitate, capite primo. Et: Deus ideo dicitur in cœlis habitare, quia maior agnitio eſt in cœlis illius ſummæ maieſtatis, & eſſentiæ in angelis, uel in ſanctis animabus ſanctorum, quàm in terra habitantibus ſanctis, propter grauitatem carnalis habitationis, quæ uix permittit animam ad puram ueritatis lumen euolare. Sicut dicitur: Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena in habitatio ſenſum multa cogitantem. Cum igitur exuta erit anima hac mortali habitatione, & ſerena reddetur perpetuò, tunc uidebit facie ad faciem, quod nunc per ſpeculum in ænigmate conſiderat. Libro ſecundo de ſancta Trinitate, capite quinto. Item: Quamuis uſque ad æqualitatem angelicam humana poſt reſurrectionem natura proficiat, & ad contemplandum Deum glorificata conſurgat, uidere tamen eius eſſentiam plenè non ualet, ſed unicuique ſanctorum ad ſuæ ſufficientiam beatitudinis manifeſtabitur gloria eius. Ibidem capite decimoſexto. Et: Quæ eſt autem uita æterna, niſi illa uiſio, quæ non conceditur impijs? Libro tertio in Ioannem, capite quinto. Itẽ: Licet in futuro regno manſiones diuerſæ ſint, propter merita ſanctorum diuerſa: tamen quicunq; in eo regno erit, beatus erit, & ſufficiet ſibi quod habuerit, in eo gaudet quod poſsidet. Libro ſeptimo in Ioannem, capite decimoſeptimo. Et: Modò omnia in ænigmate cernuntur, & ex parte intelliguntur, donec perfecta ueniat ſcientia, quæ in hoc mortali corpore eſſe non poterit. In primum caput Eccleſiaſtæ.

Carolus Magnus inquit: In ea uita uiuit Dominus, quam nec initium cœpit, nec mutabilitas mouet, nec finis intercipit. Libro primo de Imaginibus, capite primo. Et: Cœleſtis Hieruſalem patriarcharum, prophetarum, Apoſtolorum, martyrum, confeſſorum, uel cæterorũ fidelium agminibus conſtructa eſt, de cuius beatitudine penè innumerabilia poterant dici. In hac ciuitate imagines impiorũ ad nihilum redigentur: quia illorum aſpectus diuinis non poterit apparere conſpectibus, ſed ſicut polluerunt in ſe imaginem Domini in præſentis uitæ curriculo, ita in cœleſti Hieruſalem illorum non apparebit imago, qui æterno quidem mancipabuntur incendio. Libro ſecundo de Imaginibus, capite tertio. Item: Domine in ciuitate tua imaginem illorum ad nihilum rediges, ut uidelicet qui in ſe tui characteris decus malis operibus inquinauerunt, illorum facies in tua ciuitate non uideantur, in qua eſt æterna felicitas, ſumma beatitudo, perpetuum gaudium, in cuius palatijs regnat rex, cuius regni non erit finis, cuius ſubſellia patriarcharum ſenatu reſplendent, cuius curia prophetarum rutilat cuneis, cuius mœnia martyrum numeroſa militia exornantur, cuius portæ Apoſtolicis decorantur cœtibus, cuius plateæ redundant uirgineis choris, cuius domicilia confeſſorum plena ſunt legionibus: quæ non indiget ſole, quia Dominus lux eius eſt, per cuius omnes uicos Alleluia cantatur. Libro ſecundo de Imaginibus, capite tertio.

De bonis uitæ æternæ inquit Beda: Qui nunc ſimplici corde fidem quam percipit ſeruat, in altera uita luce apertæ uiſionis, quod crediderat, contemplabitur, ipſaque qua illuſtrabitur in perpetuum gratia protegetur. Libro tertio in Lucam, capite nono.

De nouo cœlo & terra, inquit Beda: Sed aperta ratione cœlum & terra per eàm quam nunc habent imaginem tranſeunt, attamen per eſſentiam ſine fine ſubſiſtunt. Præterit enim figura mundi huius. Et ad Iohannem angelus: Erit, inquit, cœlum nouum, & terra noua. quæ quidem non alia condenda ſunt, ſed hæc ipſa renouanda. Cœlum ergo & terra & tranſit & erit, quia & ab ea quam nunc habet ſpecie, per ignem tergitur, & tamen in ſua ſemper natura ſeruatur. Quando dicit Chriſtus, Non eſt ueſtrum ſcire: oſtendit quòd ipſe ſciat, ſed non expediat noſſe Apoſtolis, ut ſemper incerti de aduentu iudicis, ſic quotidie uiuant, quaſi die illa iudicandi ſint. Libro quarto in Marcum, capite decimotertio.

Contra purgatorium Beda loquitur: Poſt ſeparationem corporis & animæ, nemo me-

mor tui efficitur cum sua utilitate: id est, nemo qui in hoc seculo de peccatis suis non compungitur, postquàm mortuus est, inutiliter compungitur. Quia hic tantum locus est misericordiæ, post hoc seculum tantum locus est iusticiæ. In sextum Psalmum. Et: Finita hac uita, in qua tantum licet operari, nequaquam ultra bonæ conuersationis fructum ligone deuotæ compunctionis licet inquirere. Libro quinto in Lucam, capite decimosexto. Item. Neq; tunc cuiuslibet anima immeritò terretur, quando post pusillũ hoc inuenit, quod in æternum mutare non possit. Libro sexto in Lucam, capite uigesimosecundo.

Albinus licet alicubi purgatorium asserat, id quod Beda etiam facit, tamen aliàs contra dicit. ut: In hoc mundo propriè confessio dicitur, ubi & uenia reperitur. In expositione primi Psalmi pœnitentialis. Et: Homines donec uiuunt, possunt fieri iusti: post mortẽ uerò nulla boni operis occasio eis datur. In 9 caput Ecclesiastæ.

DE PHILOSOPHIA.

BEda ait: Allegoricè flumina Ægypti, erratica & lubrica philosophorum sunt dogmata, quæ cum paruulos sensu ac intelligentia deceperunt, ubi crux Christi mundo huic lumen ueritatis infudit, necis illorum pœna & reatus sanguinis exigitur. In septimum caput Exodi. Item: Philosophi habentes facundiam & scientiam mundialem, diuites nuncupantur. Hi cum in die resurrectionis fuerint suscitati, nihil remedij, quo saluentur, inuenient. Libro secundo in Iob, capite decimo. Et: Turbat acumen legentium, & deficere cogit, qui eos à legẽdis secularibus literis omnimodè æstimat prohibendos, quibus ubilibet inuẽta utilia qua si sua sumere licet. Alioquin nec Moyses & Daniel sapientia uel literis Ægyptiorum, Chaldæorumq; paterentur erudiri, quorum tamen superstitiones, simul & delicias horrebant. Et paulo pòst: Neque enim aliam ob causam putandum est Mosen uel Danielem sapientiam uoluisse discere secularem, quàm ut cognitam destruere melius & uincere possent. Libro secundo in Samuelem, capite nono.

De abusu Philosophiæ, Beda inquit: Secularis sapientia quasi coluber per humum serpit, diuina autem de cœlestibus intonat. In Lucam libro secundo, capite sexto. Et: Siliquæ quibus porcos pascebat, sunt doctrinæ seculares, sterili suauitate resonantes, de quibus laudes idolorum fabularumque ad Deos gentium uario sermone atque carminibus percrepant, quibus dæmonia delectãtur. Vnde cum iste saturari cupiebat, aliquid solidum & rectum, quod ad beatam uitam pertineret, inuenire uolebat in talibus, & nõ poterat. Et paulo pòst: Fame pereunt, qui sine fine uiuentes, uitam beatam inanis philosophiæ studijs inquirunt. Sicut enim panis qui cor hominis confirmat, uerbo Dei, quo mentem reficiat, assimilatur: ita siliqua, quæ & ipsa intus inanis, foris mollis est, & corpus non reficit, sed implet, ut sit magis oneri quàm usui, seculari sapientiæ non immeritò comparatur: cuius sermo facundiæ plausu sonorus, sed uirtute utilitatis est uacuus. In Lucam libro quarto, capite decimo quinto.

DE ASTROLOGIA.

DAmascenus libro quarto de Orthodoxa fide, capite septimo inquit: Gentiles aiunt per astrorum horum & solis & lunæ ortum, occasum & commixtiones, omnia dispensari quæ apud nos fiunt. circa hæc enim astrologia uersatur. Nos uerò dicimus, signa ex ipsis fieri imbris & serenitatis, frigiditatis & caliditatis, humiditatis & siccitatis, & uentorum & similium: nostrorum autem actuum nequaquam. Nos enim liberæ potestatis à Conditore facti, domini nostrarum actionum sumus. Si enim ex astrorum latione cuncta facimus, ex necessitate ea operamur quæ facimus.

Beda ait: Volatilia intelligunt dæmones, qui iuxta uiam sata frumenta decipiunt: siue leues & elati homines, ac superbi, aut certè astrologi, uel etiam genethliaci: siue illi quos diuina Scriptura augures cœli appellat, qui sub quodam numero & cursu, ac nescio qua ratione astrorum, commentis suis hominum natiuitates, euentusq; pertractant uel nunciant, & hæc uolucri supputatione reperire se arbitrantur. Libro primo in Iob, capite duodecimo.

INCLINATIO DOCTRINAE, COMPLECTENS PECVLIARES *& incommodas opiniones, stipulas & errores doctorum.*



PINIONES & errores priorum seculorum, quibus multi præstantes uiri in Ecclesia Christi fuerunt impliciti, etiam hoc tempore à plerisque doctoribus retenti & approbati sunt. Mirificè enim homines fascinat autoritas præstantium uirorum, ita ut magis dona quàm ueritatem rerum expendant.

DE ANGELIS.

Opinionem habet Damascenus libro 2 de Orthodoxa fide, cap. 4, angelos cogere homines ad mala nõ posse, sic inquiens: Et suggerere quidem homini permissi sunt, cogere

re autem aliquem non possunt. In nostra enim potestate, admittere, aut non admittere eorum suggestionem. Et: Non habent potestatem in aliquo, neq; fortitudinem, nisi à Deo dispensatoriè permittantur: ut in Iob, & in porcis, quemadmodum in Euangelio scriptum est. Permissione autem Dei facta, et fortitudinē habent, & transferuntur & transformantur in quam uolunt figuram, secundum imaginationē. Ibidem. Verùm & persuasione homines fascinat & dementat Satā, & mirabili ratione interdum potentissimè impellit & adigit ad peccandū: idq; propter suam tyrannidem, quam in homines peccato perditos, item in filios diffidentiæ habet: quod quidem exemplis etiam manifestū est.

Opinio Bedæ est, quod inquit: Angelus quilibet de cœlo assistēs ante faciem Dei, potest pro quolibet peccatore in flagella castigationum posito intercedere. Ipsis enim cura iniūcta est à Deo uel maximè, ut hominib. uel diuersis nationibus, defensionis siue custodiæ suæ opem ferant. Lib. 3 in Iob. Et: Nouem esse angelorum ordines ad Dei iudicia & ministeria complenda, testante sacro eloquio cognouimus, quorum principatus atque potestas subtiliter ac mirabiliter omnipotentis nutu distinguitur. Homilia in festo omnium sanctorum.

Opinio Albini est, quod inquit: Quod nō potes facere, non promittas. nō enim in uentū dicta transeunt: sed à præsenti angelo qui unicuique adhæret comes, statim perferuntur ad Dominum. In quintum caput Ecclesiastæ.

Item superstitiosam de Angelorū inuocatione habet opinionē Beda, inquiens: Deus uolens Angelos honorari in terra ab hominibus, hanc occasionem, ut legimus, primam ostendit. Est autem quædam ciuitas in Apulia, quæ dicitur Sipontus, in qua erat quidā diues, nomine Garganus, habens armenta multa boum & pecudum in monte uicino, qui dicitur Garganus. Erat aūt quidā taurus nimis superbus, qui cum alij boues ad domum reuerterentur, ille solus uagus remansit in monte. Quadam uerò die dominus iratus, quia alijs reuertentibus, non reuertebatur domum: hic autem appręhendens arcum & sagittas, uolens eum occidere: sed uoluntate Dei sagitta acuta redijt, & eum uulnerauit à quo fuit missa. Quod uidens Garganus, ualde timuit, & propius accedere uoluit. pergensq; ad episcopum suum, narrauit omnia quæ acciderant. Tunc pontifex prudens instituit triduanum ieiunium populo, & orāt ut Dominus ostēderet eis quid esset, & quid significaret, quòd ille à telo suo fuerat uulneratus. Tertia uerò nocte Michael archangelus apparuit pontifici, dicens ei: Scias quia uoluntate Dei hoc factum est. Ego sum Michael princeps militiæ cœlestis, & locum illum iuxta quem taurus stabat, mihi cōsecraui, ut in eodem loco Christiani inuocent auxilium, & sentiēt. Vade ergo tu & omnis populus ad speluncā, iuxta quam stabat taurus, & intrate in eam, & uidebitis altare, & super altare rubicundum pallium: ibi facite orationes uestras, & habete memoriam meam, & auxiliabor uobis. Audiens hęc episcopus, gauisus est ualde. & manè cum populo ascendens in montem Garganum, & intrauit in speluncā, sicut angelus dixerat. Hæc fuit prima causa, quòd memoria angelorum fuit in terra. Ab hoc tempore usq; in præsens, sunt Ecclesiæ & festiuitates eorum ad laudē Dei. Beda de reuelatione S. Michaelis archangeli, tomo septimo.

DE ANIMABVS.

Albinus inquit: Animæ hominum, secundum quorundam errorem, antequam nascatur homo, sunt in mundo. In quartum caput Ecclesiastæ.

DE LIBERO ARBITRIO.

Plus iusto uiribus hominis tribuit Damascenus libro secūdo de Orthodoxa fide, capite quarto, inquiēs: In nostra potestate est admittere aut non admittere dęmonum suggestionem. Et cap. 30. Cæterùm uirtus ex Deo naturę data est, & ipse omnis boni principiū & causa est. Et sine eius cooperatione & auxilio impossibile est nos aut bonum uelle, aut agere. At in nobis est immanere uirtuti, & sequi Deum nos ad illam uocantem, aut deserere uirtutem: quod est in malum prolabi, & sequi diabolum, ad illud uim non inferendo uocantem.

Beda etiam synergiam tuetur: Proprium est uolūtatis liberum arbitrium, in medium nostrum positum ad dinoscendum bonum uel malum: de quo si quis relicta gratia Dei gustauerit, morietur. In secundum caput Genesis. Et: Christi Euangelium secundū uolūtatis arbitrium unicuiq;, alijs odor est mortis in mortem, alijs odor uitæ in uitam. Lib. 3 in Iob, cap. 8. Item: Adiuua me, & saluus ero: quod est dicere, ut non confundar ab expectatione mea: ergo Domine adiuua me, ut quod ex arbitrij libertate incepi, bonum perficiam: & te adiuuante saluus ero, id est consequar salutem ueram. In 118 Psalmum. Hoc in dicto Beda primas libero arbitrio: posteriores, nempe auxiliationem, tantum Deo tribuit. Et: Pręueniente se gratia, mens hominis spontanea ad fructum boni operis assurgit. In Marcum lib. 1. cap. 4. Item: Omnibus uerum pascha celebrare uolentibus, hoc est, Christi sacramētis imbui, eumq; suæ mentis hospitio suscipere quærentibus, facultas danda signatur. Libro quarto in Mar-

cum, capite decimoquarto. Et: Milites & serui qui Centurioni obediunt, uirtutes sunt naturales. Quarum non minimam copiam multi ad Dominum uenientes secum deferunt, de quibus in Cornelij Centurionis laude dicitur: quia erat uir iustus, & timens Deum, cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper. In Lucam libro secundo, capite septimo. Item: Neque autem Pelagianum dogma iuuare credendum est, quod dicitur de homine, Sanctificat se: quasi aliquis sine diuino auxilio per liberum arbitrium posit se sanctificare. Sed qui habet spem in Domino, sanctificat se, quantum ipse potest nitendo, & eius per omnia gratiam flagitando, qui ait, Sine me nihil potestis facere: eiq; dicendo, Adiutor meus esto, ne derelinquas me. In tertium caput primæ epistolæ Ioannis.

Aponius ait: Deus quæ præcepit, in nostra posuit potestate. Libro primo in Cantica canticorum.

Albinus ait: Tu quia liberi es arbitrij, non habet peccatum super te dominium: sed tu super illud, & in tua potestate est, siue compescere siue concupiscere illud. In expositione secundi Psalmi pœnitentialis.

DE LEGE.

Beda ait, legem posse impleri ab hominibus, cum quidem solus Christus dicat, se propterea uenisse ut legem impleret: Decalogus reuelata fidei gratia, quo sublimius intelligitur, eo & deuotius impletur. Libro primo in Lucam, capite tertio. Item: Lex quidem per Mosen data est, in qua quid agendum, quid uitandum sit, cœlesti iure decernitur: sed quod illa præcipit, non nisi gratia Christi completur. Illa siquidem monstrare peccatum, iusticiam docere, & transgressores sui reos ostendere ualebat. Porrò gratia Christi diffusa per spiritum charitatis in cordibus fideliū, facit ut quod lex præcipit, impleatur. Vnde illud quod scriptum est, Non concupisces: per Moysen lex, quia iubetur: sed per Christum fit gratia, quando quod iubetur impletur. Libro primo in Ioannem, capite primo.

De impletione legis Albinus ait: Attraxi in me spiritum gratiæ, per quem confidero implere me posse quæ desiderabam: id est, mandata tua. In expositione Psalmi centesimi decimioctaui.

DE IVSTIFICATIONE.

Hanc dulcissimam doctrinam partim perplexè, partim etiam deprauatè tradiderunt. Nam Beda ait: Nemo potest peruenire ad arborem uitæ, nisi per has duas res, tolerantiam molestiarum, & scientiæ plenitudinē: id est, per charitatem Dei & proximi. Plenitudo legis est charitas. In 3 caput Geneseos. De iusticia per fidem in Christū, absq; operibus legis, hic nō audis. Et: In unitate catholicæ pacis tantum ad saluandū prodest, quicquid boni agere potest. In Samuelem capite undecimo. Item: Iustificatio per humilitatem acquiritur, laus uerò elationis condemnationem meretur. Libro tertio in Iob, capite primo. Et: Præceptis iusticiæ ad æternæ uitæ mansionem peruenitur. In prouerbia Salomonis, libro tertio, capite trigesimoprimo. Item: Fatemur & ratione & doctrina sanctæ legis, ad iusticiam nos auxiliante Domino perduci: absque gratia uerò illius, nec per naturalis subsidia rationis, nec per diuinæ legis scita nos posse iustificari, Apostolo teste, Litera occidit. In præfatione in Cantica canticorum, contra Iulianum. Et: Prius fit sanctus aliquis, cum ab immunditia purgatur, deinde fit innocens per uirtutis studium: & sic tandem electus, quasi iam ab alijs per perfectionem diuisus. In decimumseptimum Psalmum. Item: Quia nimirum uera fides & dilectio salutem gignere solet æternam. Libro primo in Marcum, capite secundo. Et sunt nonnulli, qui etsi omnia sua relinquere nequeunt, neque explere hoc quod de uirginibus dicitur, Qui potest capere capiat, cæteraq; huiusmodi: tamen esurientes & sitientes iusticiam saturātur, cum audiendo mandata legis Dei ad uitam perueniunt æternam. Libro secundo in Marcum, capite octauo. Item: Decebat, ut sicut per superbiam primæ nostræ parentis mors in mundum intrauit, ita denuò per humilitatem Mariæ uitæ introitus panderetur. Libro primo in Lucam, capite primo.

Albinus ait: Vt uitam propter fidem, & dilectionem per bona opera percipiamus æternam, gratia Dei est: quia ne à bono deuiemus itinere, ipso duce semper opus habemus, cui dicitur, Deduc me Domine in uia tua, & ambulabo in ueritate tua. Libro primo in Ioannem, capite primo. Et: Ad ueram & sempiternam beatitudinem, nisi per fidem catholicæ pacis, cooperante charitate Dei & proximi, neminē peruenire posse certissimum est. Libro primo de sancta Trinitate, capite primo.

DE FIDE.

Duplicem facit fidem Damascenus: unam ex auditu, alteram substantiam rerum sperandarum. Hebræorum undecimo. Et addit, prima igitur nostræ uoluntatis est, secunda charismatum spiritus. Libro quarto de Orthodoxa fide, capite undecimo. Quin potius unica fides est, circa diuersa obiecta uersans. Estq; fides tantum Dei donum, ut spiritus sanctus docet in Sacris literis.

DE BONIS OPE- *ribus.*

Commune hoc uitium, imò potius error est, quod nimium adscribũt bonis operibus.

Beda inquit: Cum confectus homo atque consumptus morti & infernalibus ministris appropinquauerit, si fuerit quispiam sanctorum, qui nomen sancti angeli habere mereatur: is pro huiusmodi, qui pro peccatis suis à Deo ita corripitur, poterit impetrare: Si de multis operibus bonis, quæ operari debuerat, saltem unum bonum opus eius, quod tanquam sacrificium pro eo placabile offerat, ualuerit inuenire. Libro tertio in Iob, capite primo. Et: In completione eiusdem sententiæ tria mox genera bonæ actionis subdidit, eleemosynam uidelicet, orationem, & ieiunium: manifestè significans, quia in his tribus iusticia deberet nostra consistere. Ad eleemosynam quippe pertinent, omnia quæ in necessitatem proximi subleuandam misericorditer operamur. Ad orationem, cuncta quę ad placandum nobis conditorem nostrum deuota pietate gerimus. Ad ieiunium, tota mentis castigatio, qua nos à uitijs, mundiq; contagijs abstinere curamus. In Cantica canticorum libro sexto, capite octauo. Item: Dilectione Dei & proximi uelut alis quibusdam ad regnum cœlorum uolamus, & de his infimis ad summa subleuamur. In nonagesimum Psalmum. Et: Eleemosyna non solum à secunda, sed & à prima morte liberat. In nonum caput Actuum apostolicorum.

Item: Facite fructus dignos, ut in die aduentus Domini IESV CHRISTI sidereas mereamini adipisci mansiones. Gregorius tertius in epistola secunda ad Germaniæ populum, tomo 2. Concil.

DE ORATIONE ET *inuocatione sancto- rum.*

De honore & cultu sanctorum, idololatricè loquitur Damascenus libro quarto de Orthodoxa fide, capite decimosexto: Fontes nobis salutares, dominator Christus præbuit sanctorũ reliquias, multimoda beneficia scaturientes, unguentum suauitatis emanãtes: & nullus discredat. Si enim ex rupe & firmo saxo aqua in eremo prosiliuit, uolente Deo, & ex maxilla asini Samsoni sitienti: ex martyrum reliquijs unguentũ suaueolens emanare, incredibile est? Nullo pacto profectò, ijs qui sciunt Dei uirtutem, & ab ipso sanctorum honorem. Item: Adiutores ergo totius generis, Deo pro nobis supplicationes porrigentes, non honorandi sunt? certè honorandi. Templa à nobis Deo erigenda sunt in ipsorum nomine. Ibidem. Et capite decimo septimo manifestè adorationem crucis & Mariæ adstruit, subijciens: Est autem hęc traditio non scripta, perinde ac adorationis ad orientem, adorare scilicet crucem, & alia plurima ijs quæ dicta sunt similia. Ergo fatetur Damascenus ultrò, non esse uerbum Dei adorare imagines: sed hominum commentum, contra Dei uerbum, qui inquit: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Item libro quarto de Orthodoxa fide, capite duodecimo: Adoramus etiam figurã preciosæ & uiuificæ crucis, tametsi ex alia materia facta est, non materiam uenerantes (absit enim) sed figuram, tanquam Christi signum. Et: O' ingenium nimis quàm audax, Deo obluctans contumaciter, & quod eius præscriptis impudentissimè reclamat. Non adoras imaginem? Non procidis uenerabundus filio Dei, qui uiuens est imago & figura inuisibilis Dei, nihil euarians neque dissimilis ei. Adoro imaginem Christi tanquam Dei incarnati. Imaginem insuper reginæ uniuersæ creaturæ ac Deiparæ ueneror, utpote matris filij Dei: sanctorum quoque imagines. Libro primo Apologetico pro ueneratione sanctorum. In fine Damasceni recitantur aliquot preculæ ad Mariam, ad archangelum, ad Baptistam, plenæ idololatriæ & contumeliæ aduersus honorem qui soli Deo attribui debet.

Item: Proximo ordine sequitur adoratio, quam offerimus amicis ac famulis Dei, qui suapte natura solus uenit adorandus, quemadmodum Iosue filius Naue & Daniel angelum adorarunt. Libro primo Apologetico pro ueneratione sanctorum: item libro secundo.

Beda inquit: Intercedite Scholastica & Benedicte, pro uobis commissis: postulate pro nobis afflictis, rogate pro nostris delictis: poscite Christum non solum pro monachis cõmissis, sed etiam pro uestris ancillis, ut omnis ætas, omnis sexus, omnis ordo, qui uestris præceptis colla submittũt, peritura mũdi despiciant, gaudia æterna concupiscant, regna beata appetant, prospera animarum & corporum percipiant, nulla diabolica fraude molestentur, nullis incursionibus malignorum affligantur, nullisq; calamitatibus annihilentur. Euge pater beate, faue precantibus, appone aures precibus famulorũ tuorum, da ueniam poscentibus, da dona quærentibus, parce peccantibus: quia tu pastor es, nos uerò oues: audi balatus ouium tuarum, trahe me post te, ut ueniamus ad te, ut illic uera pascua inueniamus, ubi sunt uera gaudia sempiterna. Redde Deo talenta cumulata de nobis, reporta cum usuris credita dona doctrinarum: meq; indignum huius operis præsumptorem, tuis coniũge seruulis sacris, ut cum omni grege cõmisso pręmia

uitæ

uitæ assequamur: ut tibi dicatur à Deo, Euge serue bone & fidelis, intra cum his tibi creditis in gaudiũ Domini tui, pręstante ipso qui digna promittere gaudia dignatus est suis famulis, qui uiuit & regnat per cuncta secula seculorũ. Homilia in natali Scholasticæ. Item: Deprecemur Deum, ut per intercessionem sancti Laurentij det nobis, sic istum martyrem imitari, ut cum illo uitam æternam habere mereamur. Homilia de S. Laurentio. Et: Precemur Deum, ut per suam misericordiam & preces apostolorum Petri & Pauli, det nobis ita in hoc seculo uiuere, ut dum animæ de corporibus exierint, ad æternam possint uenire gloriam. Homilia de Petro & Paulo. Item: Precemur omnes sanctos, ut pro nobis intercedant ad Deum, ut dignetur nobis dare remissionem peccatorum, & custodiat corpora & animas nostras. Homilia de maiori letania. Et: Sancta Maria Dei genitrix hodie translata est in cœlum de mundo, ut pro nobis oret filium: quia mundus deletus esset, nisi per preces sanctæ Mariæ sustineatur. Quia legimus, postquàm cœlos ascendit ipsa, assiduè stat coram Deo, orationem pro peccatis nostris effundens: & iustos retinet ne cadant, peccatores confortat ne pereant. De sancta Maria. Item: Seruiamus semper tali reginæ Mariæ, quæ non derelinquit sperantes in se. Cum diligat orationes sanctorum Christus, & exaudiat, multò magis matrem suam exaudit pro peccatoribus exorantem. Ibidem. Et: Stat Maria in conspectu filij sui, non cessans pro peccatoribus exorare. Toto igitur affectu confugiamus ad eam uenire, ut per suas orationes ducat nos ad illa gaudia, ubi ipsa manet cum filio sine fine. Ibidem. Et: Oremus Dominum nostrũ IESVM CHRISTVM pro animabus omnium fidelium defunctorum, cum Missis & psalmis & orationibus, ieiunijs & eleemosynis, ut dimittat eis omnia peccata sua per suam misericordiam, tribuatq; eis uitam æternam. In sermone quodam ad populum, tomo septimo Operum eius, folio quingentesimotertio. Item: Nos qui de gentibus credimus, non ipsi ad Dominum uenire possumus, quem nunc in carne uidere nequaquam ualemus: sed quicunque passiones nostrę seruitutis agnouimus, ad residentem in dextera patris iam per fidem accedere debemus: iam seniores Iudæorum mittere, hoc est, summos Ecclesię uiros, qui nos ad Dominum præcesserunt: suppliciter obsecrando patronos quærere, qui nobis testimonium reddentes quod diligamus Ecclesiam, & quantum in nobis est ędificare curemus, pro nostris apud Dominum, nostrorumq; peccatis intercedant. Libro secundo in Lucam, capite septimo.

Item: Interpellans intemeratę uirginis nostræ Deiparæ, sanctarum cœlestium potestatum, omniumq; sanctorum intercessionem, horum etiam sanctas reliquias cum omni honore suscipiens & amplectens, honorificè ueneror, firmiter credens me illorum sanctitatis fieri posse participem. Basilius episcopus Ancyræ, in secunda synodo Nicena, act. 1. tomo 2 Concil.

Et: Adoramus imaginem Deiparæ & dominæ nostræ irreprehensibilis, immaculatæ, & inexplicitæ castitatis matris, quæ illum peperit. Theodorus patriarcha Hierosol. in Confessione fidei suæ.

Item: Obsecro intercessionem sanctissimæ, intemeratæ Dominæ nostræ Deiparæ & semper uirginis Mariæ, sanctorumq; angelorum, & sanctorum gloriosorum Apostolorum, prophetarum, martyrum, confessorum & doctorum. Tharasius Cõstantinop. in epistola ad episcopos Antiochiæ, Alexandrię & sanctæ urbis.

Et: Ego inprimis approbo, suscipio, saluto & ueneror sanctæ matris uirginis, cuius etiam auxilium, protectionẽ et intercessionem, nocte diuq;: & ut peccatori mihi subueniat inuoco, ut quæ eam potestatem habet ab illo, quem in mundũ edidit, Christo Deo nostro. Theodosius Amorij episcopus in act. 1. Concil. Niceni 2.

Item: Ipsi Apostoli, Petrus & Paulus regni uestri propugnatores erunt, cunctasq; barbaras nationes pedibus uestris subijcient, ut quocunq; ire perrexeritis, uictores suos declarent. Adrianus papa in epistola ad Constantinum Imperatorem, & Irenem matrem eius.

Et: Seruator noster Christus fontes salutares sanctorum reliquias nobis reliquit, multis modis beneficia in debiles fundentes, unguentum redolentis suauitatis scaturientes. Et ut inquit magnus doctor, cui ab immortalitate nomen est: Martyrum ossa morbos fugant, infirmis medicantur, cæcis uisum impertiunt, lepras emundant, tentationes & mœrores soluunt, atque id per Christum, qui in ipsis habitat. Bene etiam Psalmographus cecinit: Mirabilis Deus in sanctis suis. Theodorus in confessione fidei suæ. Item: Cum sanctos Christi martyres, ueras fidei margaritas, omni honore dignos arbitremur, & intercessiones eorum postulemus, non potui illi non respondere. Germanus Constantinopolitanus episcopus, in epistola ad Iohannem episcopum Synnadôn. Et: Ancillã & matrem Christi existentẽ, uerè pro genere nostro intercedentẽ pręsentissimè, ita ut Dominus quidẽ noster salutẽ dispẽsẽt, illa uerò materno affectu ꝓ nobis poscat, agnoscimus. Sanctos deniq; omnes

tanquam

tanquam conseruos nostros, & eiusdem nobiscũ naturæ participes, gratissimos Dei ministros, ut dictum est, & hac gratia à Deo donatos, ut beneficia à Deo data nobis ministrent: curationes morborum, periculorum liberationes, quãdo per memoriam eorum inuocatio Dei fit, quatenus nobis in hymnodijs & glorificationibus possibile est, (memoria autem eorum cum encomio celebratur, ut ait Scriptura) agnoscimus. In eadem epistola.

Item: Cum timore Dei omnia agamus, postulantes intercessiones incontaminatę Deiparæ & semper uirginis dominæ nostræ Mariæ, item sanctorum angelorum, omniumq; sanctorum: salutantes & uenerãdas illorum reliquias, ut nos sanctitudinis eorũ fiamus participes. Sic enim reddemur perfecti in omne opus bonum in CHRISTO IESV Domino nostro, quem decet gloria, potẽtia, & superadoratio siue latria, cum patre & sancto spiritu, nunc & in seculorũ secula. Concilium Nicenum 2, act. 6.

Item: Etiam sanctorum & multis rationibus prædicatorum Apostolorum, Prophetarum, martyrum, Patrum & Eremum colentium imagines suscipio & ueneror, non ut deos, absit: uerùm mentis meæ affectũ & desiderium, quo in illos affectus sum, hoc modo indicans, ex toto animo eos obtestor, ut ad Deum pro me intercedant, quo in oculis eius misericordiam in die iudicij consequar. Tharasius episcopus Amorij, in act. 1 Concilij Niceni 2.

De intercessione sanctorum etiam habet næuum Carolus Magnus, licet contra imaginum cultũ acriter dimicauerit. inquit enim: Reuertantur ad Dominum, & per sanctorũ intercessiones ab eo sanitatem se accepturos credant, qui totius sanitatis & uitæ auctor est. Libro primo de Imaginibus, capite decimooctauo. Et: Diuini libri sunt scripti, quia scriptores eorum iam regnantes cũ Domino, illumq; collaudantes in cœlis, curam nostræ gerunt salutis, proq; nostris erratis apud eius pietatem interpellant. Cap. 20 eiusdem libri.

De oratione pro defunctis, extat sermo Damasceni, quòd ea uim aliquam habeat. Et in fine eiusdem sermonis inquit: Fiat ô dominator omnium, intercedente sanctissima matre tua, et omnibus materię expertibus ac uenerandis mentibus, unà cum omnibus sanctis tuis, qui tibi à seculo bene placuerunt. Te enim decet gloria, honor & adoratio, & nunc & semper, & in secula.

DE IMAGINVM
cultura.

Iconolatria hac ætate publicè decreta & stabilita est. Theodorus inquit: Veneramur etiam & adoramus imaginem Deiparę & dominæ nostræ irreprehensibilis, immaculatæ & inexplicitæ castitatis matris, quę illũ peperit. Quinetiam sanctorum Apostolorum, Prophetarum, & uictorum martyrum, sanctorumq; & beatorum, ueluti amicorum Dei, imagines colimus, non in materia aut coloribus honorem constituentes: sed per hoc officium nostrum, quod ipsis adeò, quorum typum imagines gestant, debemus impartientes. Theodorus patriarcha Hierosolymitanus, in confessione fidei suæ. Item: Adoramus Christi imaginem, quemadmodum facies eius uisa est, non tamen à Deitate separata. Ibidem. Et: Imaginum picturas secundum priscam patrum nostrorum traditionẽ recipimus, & has desiderio nostro adoramus ut in nomine Christi Dei nostri, & intemeratæ dominæ nostræ Deiparæ uirginis, sanctorumq; angelorum, & omnium sanctorum facta. Sed apertis uerbis testamur, nos duntaxat in unum Deum uerũ latriam, hoc est cultum & fidem nostrã referre & reponere. Tarasius Constantinopolitanus in 2 act. Concilij Niceni secundi.

De ueneratione crucis Damascenus ait: Non ipsam adoro materiã, ut Deum: sed materię opifici uenerabundus procido, qui pro me factus est materia, & in materia sustinuit habitare, per eam materiam salutem meam operatus. Proinde à cultura eius materiæ nõ desinam, per quam salus mea confecta est. Libro 1. Apologetico ꝓ ueneratione imaginũ.

DE RELIQVIIS.

Creuit quoq; reliquiarũ superstitiosa cultura. Nam Theodosius ait: Eadẽ ratione & reliquias sanctorum ueneror, & honore prosequor & saluto, ueluti athletarum & certatorum pro Christo, quiq; gratiam à Deo consecuti sunt, & remedia præstare, morbos curare, dęmones eijcere, quemadmodum Christiana Ecclesia ueluti ꝑ manus accepit à sanctis Apostolis & patribus usq; in præsens seculum. Probo similiter quæ à primordio receptæ traduntur imagines, principio IESV CHRISTI Domini nostri, & sanctæ Deiparæ uirginis, siue ex auro siue ex argento, siue colorum ductibus, siue quacũq; materia exprimãtur, ut omnibus manifesta fiat eius in carne œconomia. Neq; dissimili ratione probãtur à me sanctorum & omnib. seculis laudatorum Apostolorum, Prophetarum, martyrum gesta, politiæq;: ut in omniũ oculis prælia & certamina, quæ pro Christo subierunt, hęreant: atq; id in compendiosam ueluti scripturam, narrationem & eruditionem populi maximè simplicioris. Theodosius episcopus Amorij, act. 1. Concilij Niceni secundi.

DE POENITENTIA.

Sæpe de pœnitentia loquens Beda, nihil tamen

tamen de fide,erigente sese in Christo propitiatore,docet. Sic inquit: Delectatio seu uoluntas peccandi, quando ad satisfactionem uenitur, leuiter eleemosynis & alijs talibus purgatur. Consensus uerò peccandi non nisi graui pœnitentia deletur. Consuetudo autē peccandi non nisi recta & ponderosa satisfactione absoluitur. In 1 Psalmum. Et: Sacrificate sacrificium.) quasi dicat: Ita dico ut irascamini præteritis peccatis, ut sacrificetis sacrificium, id est mortificetis propria uitia uestra, faciendo fructus dignos pœnitentia: tantum scilicet pro singulis uos affligentes, quātum digna expetit pœnitentia: quod erit sacrificium iusticiæ, id est iustum sacrificium. Nam nihil iustius est, quàm qui punit aliena peccata, ut puniat propria: & ut quisque tantum se affligat, quantum fœdata eius conscientia meruit, & sic se ipsum Deo faciat suaue sacrificium. In 4 Psal.

Sic etiam Aponius loquitur: Vnusquisq; credentium Deo, ipse se fecit montem Dei, per sanctam conuersationem: aut montē diaboli peruersè uiuendo. Quicunq; ergo ita exhibuerit uitam suam, ut in eo delectetur Spiritus sanctus habitare, mons efficitur domus Dei, quæ est Ecclesia eius. Lib. 5 in Cantica canticorum.

Definitio nimis est angusta Bedæ: Pœnitentiam agere est, & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. Nam qui sic alia deplorat, ut tamen alia committat, adhuc pœnitentiam agere aut ignorat, aut dissimulat. Quid enim prodest, si peccata quis luxuriæ defleat, & tamen adhuc auariciæ æstubus anhelet? aut quid prodest, si iræ culpas iam lugeat, & tamen adhuc inuidiæ facibus tabescat? Sed minus est ualde quod dicimus, ut qui peccata deplorat, ploranda minimè committat. Nam cogitandum summopere est, ut qui se illicita meminit commisisse, à quibusdā etiam licitis studeat abstinere, quatenus per hoc cōditori suo satisfaciat: ut qui commisit prohibita, sibi metipsi abscindere debeat etiam commissa. Libro 4 in Lucam, capite 15.

DE BAPTISMO.

Habet opinionem de baptismo Iohannis Beda. Sic enim inquit: Cunctis legentibus liquet, quòd Iohannes baptismum pœnitentiæ non solùm prædicauit, uerùm etiam quibusdam dedit: sed tamen baptismum in remissionem peccatorum dare non potuit. Remissio enim peccatorum in solo nobis baptismo Christi tribuitur. Notandum itaque quod dicitur, Prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum: quoniā baptisma quod peccata solueret, quia dare non poterat, prædicabat. Vt sicut incarnatū uerbum patris præcurrebat uerbo prædicationis: ita baptismum pœnitentiæ, quo peccata soluuntur, præcurreret suo baptismate, quo peccata solui non possunt. Lib. 1 in Marcum, cap. 2. & lib. 1 in Lucam, cap. 3. Item: Ioannes non spiritu, sed aqua baptizat: quia peccata soluere non ualens, baptizatorum corpora per aquam lauat, sed mentē per ueniam non lauat. In Lucam libro 1. cap. 3. & in Ioannem lib. 1. cap. 1. & Albinus lib. 1. in Ioannem, cap. 1.

Albinus: Non renascebantur, qui baptizabantur baptismate Ioānis. Quapropter Christi baptismus non fuit in aqua tantùm, sicut Ioannis: sed in Spiritu sancto, in remissionē peccatorum. Libro 3 de sancta Trinitate, capite 17.

Aponius nimium tribuit oleo chrismatis, cum inquit: Cuius odor sauciatas à peccatis animas resuscitat. Libro primo in Cantica canticorum.

De fide aliena inquit Beda: Per fidem & confessionem parentum in baptismo liberantur à diabolo paruuli, qui necdum per se sapere, uel aliqd agere boni possunt, aut mali. Lib. 2 in Marcum, cap. 7.

DE COENA DOMINI.

De transsubstantiatione habet multa Damascenus, lib. 4 de Orthodoxa fide, cap. 14. Et nunc interrogas, quomodo panis fit corpus Christi, & uinum & aqua sanguis Christi? Respondeo tibi & ego: Spiritus sanctus obumbrat, & hæc operatur super sermonem & intelligentiam. Panis autem & uinū transsumuntur. Item: Corpus enim secundum ueritatem coniunctum est diuinitati, quod ex sancta uirgine corpus est: nō quòd ipsum corpus assumptum ex cœlo descenderit, sed quòd ipse panis & uinum transmutatur in corpus & sanguinem Dei. Ibidem.

Et Beda: Panis fit per transmutationē corpus Christi. Transit enim substantia panis in corpus Christi, non forma: sed potius hę subsistunt in aere, uel sine substantia. Dicunt tamen quidam, quòd nihil transit in corpus Christi: sub quibus accidentib. antè erat substantia panis, sub ijsdem post consecrationē est corpus Christi. Cum quæritur autem ab eis, quò deueniat substantia panis, quæ antè sub illis accidentibus fuerat: dicunt, illam relabi in primordiali materia, uel perire ex toto. In Boetij librum de Trinitate.

De oblatione, contra ipsius Domini institutionem inquit Beda: Passionis Dominicæ, per quod utriq; in ueteri & nouo Testamento sumus redempti, sacramentum, illi in carne ac sanguine uictimarum, nos in oblatione panis & uini celebramus. Lib. 2. de Tabernaculo, cap. 2. Item: Hunc panem & uinum quotidie Ecclesia offert, imitando uitæ eius humilitatem & passionem. In 109 Psal.

DE SACRIFICIIS.

Beda ait: Christus legalia sacrificia secundum ordinem Aaron prius instituta, conuertit in sacrificia panis & uini, secundum ordinem Melchisedech, qui primus ea obtulit instituta. In 33 Psal.

DE MISSA.

Beda: Deum pro mortuis per missarum celebrationes & eleemosynas inuocamus. In 48 Psalmum. Vnde uerò hoc ex uerbo Dei probari potest?

De confirmatione. Beda: Sciendum, quòd illa unctio quæ per manuum impositionem ab episcopis, quasi alia à duabus prædictis, & uulgo Confirmatio dicitur, eadem est cum secunda: propter arrogantiam tamẽ non concessa est singulis sacerdotibus, sicut & multa alia. In 26 Psal.

De oleo, Beda inquit: Nunc in sacramento olei & chrismatis ungimur, per quod sacramentum quiddam mirum & ineffabile, quod in fine futuri sumus significatur, quod omni intentione desiderare debemus. Et ideo nũc in sacramento suspiremus, ingemamus, & tandem in re sacramẽti gaudeamus. In uigesimumsextum Psalmum. Et: Pij nunc in Ecclesia initiati Domino per geminam unctionem olei & charismatis, tertiam unctionem perfectam, quæ tunc erit cum facie ad faciem uidebimus, expectant. Ibidem.

De chrismate. In Arelatensi concilio capite decimooctauo: Chrisma genus sacramenti est.

De unctione, Beda: Post acceptum undę regenerationis lauacrum, per unctionem sacri chrismatis gratia Spiritus sancti signamur. Homilia in octaua Epiphaniæ.

DE MINISTERIO.

Solis episcopis unctionẽ tribuit Beda: Notandum quòd Philippus qui Samariæ euangelizabat, unus de septem fuerit. Si enim apostolus esset, ipse utiq; manum imponere potuisset, ut acciperent Spiritum sanctum. hoc enim solis pontificibus debetur. Nam presbyteris, siue extra episcopum, seu præsente episcopo baptizent, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum: non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis, cum tradunt spiritum paracletum baptisatis. In octauum caput Actuum apostolicorum.

DE PRIMATV ROmanæ Ecclesiæ.

Beda ait: Roma, per summos Christi Apostolos totius Ecclesiæ caput eminet eximiũ. Homilia in natali Benedicti.

De Petro inquit Carolus Magnus: Ad quam beatitudinem nos peruenire, & in sanctæ Ecclesiæ consortio & unione ille nos faciat perseuerare, qui Ecclesiam suamd ignatus est in Petro fundare: & ipso interueniente, cuius cathedræ sumus sequaces, regni cœlorum, cuius ille clauiger factus est, mereamur effici compotes. Libro primo de Imaginibus, capite sexto. Hæc non possunt ex uerbo Dei demonstrari.

DE ANTICHRISTO.

Opinio Damasceni est, quòd Antichristus non in nostro, sed ueteri Iudaico templo sit uenturus. Item, quòd sit homo futurus, natus ex fornicatione. Et quòd Enoch & Elias sint redituri, quos Antichristus sit interfecturus, & Christus illis resuscitatis Antichristum sit oppressurus. Lib. 4 de Orthodoxa fide, cap. 27.

Similes etiam Beda opiniones habet. ut: Dan iudicabit populum suum.) Dicunt quidam, Antichristum per hæc uerba prędici de ista tribu futurum: alij de Iuda, à quo traditus est Dominus. Et paulo pòst: Alij hanc prophetiam ad Antichristum transferunt, pro eo quòd hoc loco Dan & coluber asseritur, & mordens: & quòd primus Dan inter tribus Israel ad Aquilonem castrametatus est, illum significat, qui se in lateribus aquilonis sedere dicit, & de quo figuraliter Propheta dicit: A' Dan auditus est fremitus equorum eius. qui non solum coluber, sed etiam Cerastes uocatur. Cerata enim gręcè cornua dicuntur. Serpens ille cornutus esse perhibetur, per quem dignè Antichristus asseritur, qui contra uitam fidelium cum morsu pestiferæ prædicationis armabitur etiam cornibus potestatis. In quadragesimumoctauum caput Geneseos. Item: Cum uenerit Antichristus, occurret post illius uestigia Christus celeri aduentu, ut illum interficiat spiritu oris sui. Vnde & Gad latrunculus interpretari potest. & quod posterior, id est serus, species quasi latrunculus improuiso aduentu exiliat. Sicut enim, inquit, fur in nocte, ita Christus. Ergo ante Antichristum in hunc, post illum maiestate occurrit. Ibidem.

Albinus itidem opinatur, eũ ex tribu Dan uentururum, & de eius rebus ita inquit: Quædam signa nedum acta sunt, sed futura esse certissimè creduntur. id est, fides Israelitici populi, de qua Apostolus ait: Cum intrauerit plenitudo gentium, tunc omnis Israel saluus fiet. & regnum Antichristi, & crudelitas eius in sanctos. Hæc enim erit nouissima persecutio, nouissimo imminente iudicio, quam sancta Ecclesia toto terrarum orbe patietur uniuersa, sed ciuitas Christi ab uniuersa diaboli ciuitate, quantacunque erit utraque super terram. Cuius persecutionis autorem esse eundem Antichristum, non dubium est: quem Apostolus filium nominat perditionis, atque refugam, utique à Domino

no Deo, qui extolletur super omne id quod dicitur Deus, aut quod colitur. Ecclesia siquidem sancta non dicitur Deus. colitur itaque rectè tantummodo sancta Trinitas Deus, cuius honorem impijssimus ille refuga sibi uendicare præsumit, alios adulationibus, alios terroribus, alios signis sollicitans, ut se colant pro Deo: cuius persecutionem trium semis annorum spacio excandescere super terram, in Apocalypsi prædicatum est. Sed ne tam immanis & crudelis persecutio improuisa ueniẽs, omnes minus paratos inuoluat: Heliam & Enoch maximos prophetas uenturos esse, Ecclesiæ habet fides, per quorum doctrinam populus Israeliticus conuertetur ad fidem. Qui cum ipsi primò tres semis annos prædicauerint, in ipsa eadem prędicatione cum alijs fidelibus glorioso coronabuntur martyrio. Percusso autem illo perditionis filio, & impijssimo totius iniquitatis magistro, ab ipso Domino (sicut Apostolus ait: Quem Dominus IESVS interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui) non continuò dies iudicij secuturus esse credendus est, ut impleatur, sicut ipse Dominus in Euangelio ait: De die autem illo & hora nemo scit, neq; angeli, neq; filius, nisi pater solus. Libro tertio de sancta Trinitate, capite decimonono. Item: Quis est qui uenit in nomine suo? nisi ille qui gloriã propriam quærit, & non illius qui misit illum. Quis est quem accepturi erunt Iudæi, nisi Antichristum? qui uenturus est gloriam propriam quærere. & hoc erit illis pœna peccati, quia ueritati noluerunt credere, ut crederent mendacio. Libro tertio in Ioannem, capite quinto.

DE CRVCE.

Aponius inquit, Humana natura pro uiribus uicem in martyribus Dei filio repensare dinoscitur. Libro primo in Cantica canticorum. Et: Nullum aliud ferramentum fortius potuit reperiri, per quod antiquæ scoriæ animæ limarentur, nisi martyrij limam, per quod in tormentorum fornare possit anima, quantalibet sordium peccatorum mole sit circumdata, in suo sanguine renouari: per quod perfecta sit columba, & in Christo immaculata. Ibidem.

DE CONIVGIO.

De secundo coniugio næuum habet Beda, inquiens: Dicendo masculum & fœminam, ostendit secunda uitanda coniugia. Non enim ait masculum & fœminas, quod ex priore repudio quærebatur: sed masculum & fœminam, ut unius coniugis consortio necterentur. Adhærebit ad uxorem suam, non ad uxores. Præmium est nuptiarum, è duabus unam carnem fieri. Castitas iuncta spiritu, unius spiritus efficitur. Quæ Deus coniunxit, unam faciendo carnem uiri & fœminæ, hæc homo non potest separare, nisi forsitan solus Deus. Homo separat, quando propter desiderium secundæ uxoris primam dimittit: Deus separat, qui & coniunxerat, quando ex consensu propter seruitutem Dei, eo quòd tempus in arcto sit, sic habemus uxores, quasi non habentes. Libro tertio in Marcum, capite decimo.

DE CASTITATE.

Beda satis superciliose inquit: Vxores ducere, ac filios carnaliter procreare, angelicæ conuersationis amore fastidiuimus. Homilia in natali Benedicti. Item: Sacerdotibus, ut semper altari queant adsistere, semper continendum, semper castitas obseruanda præcipitur. Lib. 1. in Lucam, cap. 4.

DE TRADITIONIBVS.

Naeuum quoq; de traditionibus Beda habet, dicẽs: Et nos cum in eremo sanctæ conuersationis bestiales hominum mores impolluta mente toleramus, ministerium angelorum meremur: à quib. corpore absoluti, ad æterna in cœlis gaudia trãsferamur. Libro primo in Marcum, capite primo. Et: Patet ab ipsis Apostolis hunc sanctæ Ecclesię morem esse traditum, ut energumeni, uel alij quilibet ægroti ungantur oleo pontificali benedictione consecrato. Lib. 2 in Marcum, cap. 6. Et: Vna spiritualis causa est, timor Dei, ut uxor dimittatur, sicut multi religionis causa fecisse leguntur. Lib. 3 in Marcum, cap. 10.

DE PVRGATORIO.

Beda: Notandum, quòd etsi impijs post mortem spes ueniæ non est: sunt tamen qui de leuioribus peccatis, quibus obligati defuncti sunt, post mortem possunt absolui, uel pœnis uidelicet castigati, uel suorum precibus, eleemosynis, missarum celebrationibus absoluti. Sed hæc quibuscunq; fiunt, & ante iudiciũ, & de leuioribus fiunt erratis. In Prouerbia Salomonis lib. 2. cap. 11. Item: Non corripias me, id est nullum peccatum in me inuenias, propter quod me dignũ correctione in igne purgatorio ostendas. Omne enim peccatum quod facit homo, aut ipse puniet, aut Deus. In 6 Psal. Et: Corripiuntur in ira Dei, qui Christum fundamentum habẽt: sed non tantum aurum, argentum, lapides preciosos superædificãt, sed etiam intermiscent ligna, fœnum, stipulas, & committunt quædam uenialia peccata grauiora & leuiora. Et ideo necesse est, ut hi tales in ira corripiãtur: id est, in purgatorio igne nunc interim ante diem iudicij ponantur, ut quę in eis immunda sunt, per illum exurantur: & sic tandem idonei esse cum his qui in dextra coronandi sunt, inueniantur. Nec immeritò tantum timet iste hãc correctionẽ, quia attendit eã grauiorem

uiorem quàm quicquid unquam passi sunt latrones, uel sancti martyres, uel quicquid grauius homo possit excogitare. Si uerò illi tantum aurum, argentum, lapides preciosos, id est bona opera superædificarent: tunc neq; illum ignem timerent, qui cremabit æternaliter impios, neque illum qui corripiet pios. Sciendum autem, quosdam esse sanctorum, ut testatur Euangelium, qui non ueniunt in iudicium, sed transeunt de morte ad uitā: quia etsi aliquas stipulas, id est parua peccata superædificant, adeò tamen leuia sunt, quòd ignis tribulationis, quem patiuntur hic, uel etiam pœna mortis, penitùs ea exurit. Et hi tales, quia nihil in eis ignis suum inuenit, statim dū à corpore separantur, transeunt ad uitam æternam: sicut econtrà, quidam malorum statim æternas pœnas incurrunt. In trigesimumseptimum Psalmum. Et: Sunt qui ita exponunt, quòd in præsenti, in spiritu: & in futuro, baptizemur in igni: ut uidelicet sicut nunc in remissionem omniū peccatorum ex aqua & spiritu renascimur, ita & tunc de leuibus quibusdam peccatis, quæ hinc nobis euntibus adhæserint, purgatorij ignis ante ultimum iudicium baptisma te permundemur, dicente Apostolo: Si quis superædificauerit super hoc fundamentum aurum, argentum, &c. Quod quamuis & de igne tribulationis, in hac nobis uita adhibito, possit intelligi: tamen si quis hoc de igne futuræ purgationis accipiat, pensandum sollicitè est, quia illum dixit posse per ignem saluari, nō qui super fundamentum Christi ferrum, æs uel plumbum ædificat, id est peccata maiora & duriora, atq; tunc iam insolubilia: sed lignum, fœnum, stipulam, id est peccata minima atque leuissima, quæ ignis facilè consumat. Hoc tamen sciendum est, quòd illic saltem de minimis nihil quisquam purgationis obtinebit, nisi bonis hoc actib. in hac adhuc uita positus, ut illic obtineat promereatur. Libro primo in Lucam, capite secundo.

Albinus inquit: Ira æternam impiorū pœnam significat, furor ignem purgatorium. In explicatione primi Psalmi pœnitentialis. Item: Sunt tamen qui iram æternam intelligant gehennam, & furorem purgatorium ignem. In expositione tertij Psalmi pœnitentialis. Et: De igne diei iudicij Apostolus ait: Vniuscuiusq; opus quale sit, ignis declarabit. De igne purgatorio hoc eum dixisse, non est dubitandum: quem ignem aliter impij sentient, aliter sancti, aliter iusti. Libro tertio de sancta Trinitate, capite uigesimoprimo.

De Iudæis restituendis, Beda opinionem habet: Translata est gloria fidei de Israel ad gentes, de synagoga ad Ecclesiam: sed in fine mundi reuertetur ad Israel. In Samuelem, capite nono.

De Abraham opinio est, quòd inquit Beda: Abraham quippe post Adam primus Physicam habuit, quem natura ad Deum adorandum perduxit, & per creaturas illum cognouit. Cap. 2. in Exod.

DE LIBRIS SACRIS.

Doctores huius seculi eosdem libros, eodemq; modo, quos superiores patres, agnoscunt & profitentur. De quibusdam autem ipsorum argumenta & iudicia annotabimus.

De Samuele.

Beda: Si ad nostram correptionem, doctrinam, uel consolationem omnia scripta sunt, nec soli Hieremias & Esaias, cæteriq; tales qui uerbis futura signauerūt, sed & Samuel, Ionas & Ezra, eorumq; consimiles, qui præterita uel sua uel aliorum gesta siue dicta conscripsere, dies istos, hoc est nonæ gratiæ luce radiantes insinuantes: insistendū nobis summopere est, & pro suo cuiq; modulo, Christi iuuante gratia, nitēdum, ne ea quæ propter nos scripta sunt, nostro nos torpore uel incuria quasi aliena prætereant. In Prologo super Ezram.

De uersione Psalterij.

De Psalterij translatione Beda inquit: Sciendum, Psalterij translationes esse duas apud Latinos in usu atq; honore: Romanam scilicet, & Gallicam. Romana est, qua utuntur Romani, & pleriq; Italici, quæ de Græco in Latinum à Symmacho & Aquila sumpta est, secundum Septuaginta interpretes Ptolemei regis. Gallica uerò est, qua præcipuè Galli utuntur. Hæc autem præcipuè sumpta est rogatu Damasi papę, à beato Hieronymo de Hebræo in Latinum ad intentionem. Fecerat enim prius Hieronymus aliam translationem similiter de Ebræo sumptam, ad literam, uerbum scilicet ex uerbo trāsferens simpliciter, quæ partim perfecta erat linguæ disparitate. Sūt autem factæ apud Latinos plures aliæ translationes, quarum nulla in usu est.

De Salomone.

Albinus: De diuitiarum uana possessione in huius seculi delicijs, penè sapientissimus Salomon totum composuit librum, cui titulus est Ecclesiastes. In Præfatione commentarij in Ecclesiastem.

De Ecclesiaste.

Albinus: Librum Ecclesiasten semper pro magistro habeatis in manibus: ut discatis terrena non amare, sed cœlestia. Ibidem. Et: Mali opinantur quidam, nos ex libro Ecclesiastæ ad uoluptatem & luxuriam prouocari: cum econtrariò omnia quæ cernimus in mundo, uana esse doceantur, nec debere nos

ea studiosè appetere, quæ dum tenentur intereant. Tradunt Hebræi, hunc librum Salomonis esse, pœnitentiam agentis: qui quia in sapientia diuitijsq; confisus per mulieres offenderit Deum, nūc secum reputat omnia uana esse huius seculi delectamenta, quæ ad ultimam miseriam deuoluunt eos qui in eis ponunt spem suam. In primum caput Ecclesiastæ.

De libris Moysi.

Beda: Cum quinq; libri Moysi nihil aliud quàm Christū prædicent, sicut ipse ait: Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit. In Ioannem libro primo, capite quarto.

De nouo Testamento.

Albinus: Scire debetis, omnibus diuinæ Scripturæ paginis, meritò Euangelicam excellere autoritatem: quia quod lex & prophetæ futurum prænunciauerunt, hoc redditum atq; completum in Euangelio demonstratur: atque inter ipsos Euangeliorum scriptores ualde beatum Ioannem, in diuinorū profunditate mysteriorum eminentiorem esse. In epistola ad Gislam & Richtrudam, præfixa expositioni Euangelij secundum Ioannem.

De Euangelista Iohanne.

Beda: Iohannes euangelista de diuinitate Christi, tres autem alij de eius humanitate ministerium suscepêre scribendi. Libro primo in Lucam, capite tertio.

Albinus: Alij Euangelistæ inter homines subitò apparuisse Dei filium demonstrant: B. Ioannes apud Deum semper fuisse declarat, dicens: Et uerbum erat apud Deum. Alij eum uerum hominem: ille ipsum uerum cōfirmat esse Deum, dicens: Et Deus erat uerbum. Alij hominem eum, apud homines temporaliter conuersatum: ille Deum apud Deum, à principio manentem ostendit, dicens, Hoc erat in principio apud Deum. Alij magnalia quæ in homine gessit perhibēt: ille quod omnem creaturam uisibilem & inuisibilem per ipsum Deus pater fecerit docet, dicens, Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. In primum caput Euangelij Iohannis.

De Actis Apostolorum.

Beda: Actus Apostolorum (ut Hieronymus ait) nudam quidem sonare uidentur historiam, & nascentis Ecclesiæ infantiam texere: sed si nouerimus eorum scriptorem Lucam esse medicum, cuius laus est in Euangelio: animaduertimus pariter, omnia uerba illius animæ languentis esse medicinam. E' quibus nos aliqua iuxta modulum nostræ paruitatis expositurі, primò admonere curabimus, ipsum Euangelistam Lucam, ut dictum, iuxta traditionem ueterum Ecclesiæ tractatorum, medicæ artis fuisse peritissimum, & magis Græcas literas scisse quàm Hebræas. Vnde sermo eius tam in Euangelio quàm in Actibus Apostolorum comptior est, & secularium redolet eloquentiā, magisq; testimonijs Græcis utitur quàm Hebræis. In præfatione ad Accam episcopum, super Acta Apostolorum.

De epistola ad Laodicenses.

Inter epistolas diuini Apostoli quædam fertur ad Laodicenses, quā patres nostri tanquam alienam reprobauerunt. Actione 6 Synodi Nicenæ secundæ.

De epistolis Iohannis posterioribus.

Beda: Quidam putant & hanc, & sequentem epistolam, non esse Iohannis apostoli: sed cuiusdam presbyteri Iohannis, cuius sepulchrum usque hodie monstratur in Ephesо. cuius etiam Papias auditor Apostolorū, & in Hierapoli episcopus, in opusculis suis sæpe meminit. Sed nunc generalis Ecclesiæ consensus habet, quòd has quoque epistolas Iohannes apostolus scripserit, quia reuera multam uerborum & fidei similitudinem cum prima eius epistola ostendunt, & simili zelo detestantur hęreticos. In secundam epistolam Iohannis.

De Iudæ epistola.

Beda: Epistola Iudæ, quia de apocrypho libro (scilicet libro Enoch) testimonium habet, primis temporibus à plerisque reijciebatur. Tamen autoritate iam & uetustate & usu meruit, ut inter sanctas Scripturas computetur, maximè quia tale testimonium de apocrypho Iudas assumpsit, quod non apocryphum & dubium, sed ueræ lucis lucidæ esset ueritate conspicuum. In epistolam Iudæ.

Albinus: Iste est Iuda, cuius epistola legitur in Ecclesijs Christi, non ille traditor. Libro septimo in Ioannem, capite uigesimoprimo.

De Apocalypsi.

Albinus: Ioannes in Pathmo insula Apocalypsin, quam ei Dominus de statu Ecclesię præsenti uel futuro reuelauit, manu sua conscripsit. Libro septimo in Iohannem, capite uigesimoprimo.

CAPVT V.

DE HAERESIBVS.



Orruptelæ & hæreses, quæ hoc seculo ecclesiam Christi turbauerunt, non sunt à Scriptoribus diligenter annotatæ. Omnes enim uidentur tantum intendisse animum ad

ad illud tetrum schisma,de Imaginum adoratione & cultu: quo quidem in certamine pleriq; episcopi nimium procliues fuerunt in immodica & impia imaginum ueneratione stabilienda & asserenda.Manserunt tamen multis in locis reliquiæ hæresium,quæ in Septima Centuria sunt expositæ. Vnus uerò Felix annotatur, & plurimorum quasi iaculis confixus est: cuius sententiam mox exponemus.

In genere autem de hæresibus, hæreticorumq; moribus multa protulerunt.ut: Sunt nobis,iuxta dictum Apostoli,non solum foris pugnæ, intusq; timores, sed etiam intus pugnæ simul cum timore, maximè semper per falsos sacerdotes & hypocritas, qui & Deo aduersantur,& se perdunt, populumq; per plurima scandala & uarios errores seducunt,dicentes populis iuxta dictum prophetæ, Pax pax, & non est pax: & semen uerbi, quod de sinu catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ sumptum,& nobis commendatum,seminare aliquantulum studemus, illi cum lolio superseminare & suffocare nituntur, uel in herbam pestiferi generis cõuertere: & quod plantamus,non irrigant ut crescat,sed euellere student ut marcescat,afferentes populis & docentes nouas sectas,diuersiq; generis errores.Quidam abstinentes à cibis,quos Dominus ad percipiendũ creauit:quidam melle & lacte pascentes se, panem & cæteros ab ijciunt cibos: quidã autem affirmant, quod plurimum populo nocet,homicidas uel adulteros in ipsis sceleribus perseuerantes,fieri tamen posse Dei sacerdotes:Bonifacius in epistola ad Danielem. Item: Quamplurimis in locis Christianæ religionis ualidæ status uacillat, dum penè undique externus internus'ue rerum Ecclesiasticarum perturbatur ordo, nouellarumq; conuersationũ prauæ ubique penè succrescunt sectæ: nec mirum, dum postpositis antiquorum patrum decretis,ac legib.Ecclesiasticis relictis, multa iuxta proprias adinuẽtiones praua,& plurimorum nociua saluti sentiunt,affirmant atque agunt:ut scilicet transacto anno, à quodam magnæ autoritatis uiro dictum & gestũ esse constat. In epistola Cuthberti & aliorum,ad Lullum.

Et:Omnes hæresiarchæ,suorum errorum occasiones è diuina Scriptura collegerũt: & quæ rectè à Spiritu sancto dicta erant,peruersa animi sententia conuellunt. actione sexta Nicenæ secũdæ,tomo secundo Conciliorum. Item:Proprium est hæreticis, secundum animi cupiditatem,cognitionem diuinorum & uerorum dogmatum subuertere. ibidem. Item:Hæreticis proprium est,mutilatas exquirere sententias.ibidem. Item: Hunc morem habent hæretici, quoties uno uerbo pietatem contempserint,& à ueritatis uia aberrauerint,in multos & uarios errores labi.ibidem.

Carolus Magnus de cultu Imaginum libro primo,capite uigesimosexto inquit: Hæretici siue schismatici,dum sint mundanæ sapientiæ uersutia imbuti,& ad uanas inuestigationes & superfluas contentiones potius quàm ad credendum prompti,uana loquuntur: quoniam dum malè de Christo aut de Ecclesia sentiunt,ad eundem errorem proximos suos, id est cæteros hæreticos inuitare non desinunt:quatenus maiori infestatione Ecclesiã,quæ Christi uinea est,demoliri possint. Item: Hæretici sanctam Ecclesiam, semper prauis dogmatibus infestare nituntur.idem libro secundo,capite primo, de cultu Imaginum. Et: Solet plerunque hæreticorum uersutia, probrosa quædam, & errorem suadentia,apicibus adnotare:& sanctorum quorũdam probabiliumq; nominibus prætitulare,quatenus uirosum poculũ mellis illitum sapore facilius ualeant ad potandum nescientibus quibusq; porrigere. Libro quarto,cap.quinto,de cultu Imaginum.

Paulinus Aquileiẽsis ait: Sicut mos est hæreticis,tristia lętis,dulcia permiscere amaris, ueneni poculum mellis sapore temperare. Item:In eodem poculo,in quo gutta ueneni infusa turgescit, mellis nihilominus amarescit dulcedo. Et ait contra hęreticos pugnandum: Nõ enim Christi miles impetum irruentis belli debet eneruiter expauescere, nec effugij latibula inermis palando appetere: sed armis militię suę pręcinctus, irrũpentium hostium pectora spiritualibus iaculis ex arcu intorquens Scripturarum, intrepidè perforare, quatenus & semetipsum fidei clypeo munitus illęsum custodiat, & inimicorum latera spiculis cruentet acutis.

Aponius inquit: Vulpes sunt peruersarum animarum, hęreseos mordacissima dogmata:per quę non uiribus, sed uersutijs illi subreptione, diabolus fructum animę lędit uel deuorat.quę uulpes, si quippiam captiuauerint,secum ad sua cubilia trahunt ad inferos. In uulpium ergo uocabulo,hęreticorum dialectica,peruersaq; tergiuersatio demonstratur: quę arte custodum uineę prohibentur, ab illis scilicet,qui sagacitate sua instãter uerbo Dei operam dant,& sciunt se aut in integritate prædictæ uineæ coronari, aut in læsione damnationis pœna multari. Item: Vulpes mansuescere non possunt:ita & autores hæreticorum, etiam capti, & iam uicti, nunquam redeunt ad salutem, eo quòd per sapientiam,uel scientiæ tumorem, ultrò in mentibus suis locũ parauerint diabolo persuasori,quorum omnis fiducia non in uirtute ueritatis, sed in calliditate profundæ dia-

lecticę artis est. Libro quarto in Cantica canticorum.

Beda inquit: Per Chore & Dathan & Abyron, qui Mosi & Aaron sacerdoti peruersis conatibus restiterunt, hęretici significantur: qui hæresin & schismata facere conantur, & multos secum trahendo decipiunt, contradicentes Christi sacerdotibus, et Dominicę hostiæ ueritatem per falsa sacrificia prophanantes, in hiatu terræ merguntur, terrenis scilicet documentis absorpti, cum his qui sibi adhærent, & ignis æterni pabulum efficiuntur. in decimũsextũ caput Numerorum. Item: Duobus modis percutit hęreticos Christus, uel castigando uidelicet ad recipiendam fidem, uel anathematizando ad subeundam perpetuam pœnam. Libro quarto in Samuelem, capite nono. Et capite decimo: Sed & hæreticorum perditionem non parum secularis sapientia iuuit. Vnde pulchrè quidam nostrorum ait: Philosophi patriarchæ hæreticorum, Ecclesiæ puritatem peruersa maculauêre doctrina. Item: Hæretici, cum gentilis philosophiæ, dialecticę ac rhetoricæ studijs amplius quàm Ecclesiasticæ simplicitati operam dant, non mirandum si auditores eorum iuxta linguam populi & populi loquantur, scripturas quidem sanctas ore uoluentes, sed has erratico & gentili sensu interpretantes. Beda in Ezram libro tertio, capite trigesimoseptimo. Item: Etsi hæretici diuersis diuerso tempore errant sensibus, uno tamen discordiæ Spiritu schismata facere moliuntur. Beda in Iob libro secundo, capite septimo. Item: Vagi sunt sensus hæreticæ deceptionis, quia alij Christum Deum, alij hominem esse negant: alij carnem accepisse, alij animam. contrà dicunt alij eum de uirgine natum: alij Spiritum sanctum, alij patrem Deum esse, alij pœnitentibus ueniam dandam esse, confiteri prohibent. Beda in Prouerbia Salomonis libro primo, capite quinto. Et addit: In tam innumera hæc pestis se fundit itinera, ut penitus quot sint, inuestigari nequeant. Item: Istiusmodi fermentum, quod omni ratione uitandum est, habuit Marcus & Valentinus, & omnes hæretici. Fermentum hanc uim habet, ut si farinæ mixtum fuerit, quod paruum uidebatur, crescat in maius, & ad saporem suum uniuersam conspersionem trahat: ita & doctrina hęretica, si uel modicam scintillam in tuum pectus iecerit, in breui ingens flamma succrescet, & totam hominis possessionem ad se trahet. Hoc est de quo & Apostolus loquitur: Modicum fermentum totam massam corrumpit. Beda in Marcum libro secundo, capite octauo. Item: In tantum sæpe turbauerunt Ecclesiam hæretici, dicendo in suo singuli dogmate manere fidem Christi, ut fideles quique temporum illorum desiderarent, Dominum uel uno die, si fieri posset, redire ad terras, & per semetipsum quomodo se habeat fidei ueritas intimare. Beda in Lucam libro quinto, capite decimoseptimo.

Albinus ait: Hæretici frequenter, secundum peruersitatem cordis sui, ex sanctorum Patrum dictis, hæreticę prauitatis semina capiunt, & alienos labores calumniantur. in caput secundũ Ecclesiastæ. Item: Hæretici in malum sui diuitias diuersorum congregant dogmatum, nec aliquam in eis utilitatem habent, nec sectatoribus suis fructum relinquunt perpetuum: sed & ipsi & discipuli eorum, nudi absque ullis meritis reuertentur in terram, non habentes lucem ueræ sapientiæ: sed in tenebris ignorantiæ, uerique luminis expertes, omnes labores suos perdent, illius iudicio qui ait: Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobabo. in quintum caput Ecclesiastæ. Item: Hæretici habere solent oleum peccatoris, ut perfundant capita deceptorum: id est, uerba suauia, sed fallaciæ plena. in nonum caput Ecclesiastæ. Item: Hæreticorum est sermo affabilis, blandum eloquium, simulata aut coacta ieiunia, uestis humilis, uirtutum imitatio, per quæ laqueum ponunt animabus simplicium, ut capiant eas: sicut pisces sagena capiuntur, & aues laqueo. in nonum caput Ecclesiastæ. Et: Hæretici prudentum uirorum dicta non capiunt, sed se ad disputationes contrarias præparantes, & initium & finem loquendi uanitatem, cum multo errore cumulant: & cum nihil sciant, loquuntur plura quàm norunt. in decimum caput. Et: Hæretici frustra laborant & affliguntur in studio Scripturarum, cum ueritatem inuenire non ualeant. in decimum caput. Item: Qui sunt qui oderunt pacem, nisi qui scindunt unitatem Ecclesiæ, uolentes doctores ueritatis uideri, cum sint magistri erroris. Albinus in expositione Cantici graduum. Item: Qui sunt qui in uanum laborant, nisi hæretici, qui laborant Ecclesiam congregare, sed absq; Domino. Ideo uanum est opus illorum. ibidem.

DE HAERESI FElicis.

DE origine errorum, quos Felix sparsit, nihil ferè certi extat: nisi quòd annales rerum Francicarum referunt, Elipandum episcopum Toletanum, eius sententiam de humanitate Christi per literas explorasse. Cum igitur paulò fortè liberius, ut ad amicum & priuatum, conferret, & quædam aliquanto obscurius efferret: mox uulgatis suis literis, hæreticus communi uoce proclamatur. Annonius libro quarto, capite octuagesimotertio. Paulinus Aquileiensis,

iensis, in suo aduersus Felicem scripto simul Eliphandum complectitur, & nominatim quidem eum perstringit: & uocat autoré noxij sceleris, & Toletanæ sedis pseudoepiscopum.

Quàm latè uerò suas illas opiniones dispersérint, non est relatum in literas. Felix quidem in Vrgelitana ecclesia episcopatu functus est, quæ ciuitas in Pyrenæis montibus sita est. Ionas Aurelianensis inquit, eos more Apostolorum discurrisse passim in prouincias, suasque hæreses disseminasse. Infecisse ipsos Hispaniam: Eliphandum etiam Asturias & Galliciam peragrasse, & sua doctrina corrupisse: Felicem uerò apud Septimaniam pestiferum haustum, ut ipse loquitur, propinasse. Et Gallos quidem plerosq; atq; Germanos, eam hæresin repudiasse. Ait præterea, Felicem imitatum esse Nestorium.

Felicissimus à suis asseclis cognominatus fuit: & socios habuit Eliphandum, item Maximum & Iouinum, ut aliqui tradunt: & Ascariũ, ut Adrianus in sua epistola inquit.

Exorta autem est ista hæresis, anno Domini septingentesimo nonagesimosecundo, ut Sigeberti Chronicon annotat.

HYPOTHESES.

IESVM CHRISTVM adoptiuum Dei filium, de uirgine natum: Paulinus Aquileiensis. Ionas Aurelianensis sic effert: secundum humanitatem non esse proprium filium Dei, sed adoptiuum. in libro de Cultu imaginum. Sigebertus ita refert: Hæc hæresis asserebat, filium Dei in diuina natura uerum Deum esse, in humana uerò natura nuncupatiuum. Item, in diuina natura uerum esse filium Dei, in humana uerò adoptiuum: unam personam Dei & hominis diuidens in duas personas, scilicet ueri filij, & adoptiui.

2

Ex tribus substantijs, unam mediatoris personam existere: nempe ex uerbo, carne & anima.

Confutatio.

Has Felicis & Eliphandi opiniones, in primis refutauit Paulinus Aquileiensis, peculiari libro, qui adhuc extat.

Primam uerò hypothesin ita conatus est refellere. Primùm de beata, inquit, uirgine inenarrabiliter sumpsit, nõ adoptauit carné.

Deinde inquit: Cum nihil Deus eguerit, qui erat in eo non per gratiam, quemadmodum in cæteris sanctis purisque hominibus, sed essentialiter per naturam: Deus, inquit Apostolus, erat in Christo, mundum reconcilians sibi.

Tertiò. Quod nascetur ex te, sanctum, uocabitur filius Dei. Non enim ait, adoptiuus uocabitur filius Dei: sed absolutè, filius Dei, & filius altissimi.

Quartò. Quod enim ex te nascetur, sanctum, uocabitur filius Dei: non adoptiuus, sed uerus: nõ alienus, sed proprius. ideo subiecit: Dabit ei Dominus Deus sedem Dauid patris eius. Nam quis eum adoptasse in filiũ credatur, cum tota sancta Trinitas hominẽ Christum in utero uirginis operata sit? sicut scriptum est.

Quintò. Adoptiuus dici non potest, nisi is qui alienus est ab eo à quo dicitur adoptatus: & gratis ei adoptio tribuitur, quoniam non ex debito, sed ex indulgentia tantũmodo adoptio præstatur. Item: Proprius filius factus est ex muliere, non adoptiuus.

Sextò. Paterna uox fulgida, per nubem discurrens intonuit, discreuit qui essent serui per gratiam, & per adoptionem filij, & qui uerus & proprius filius. Hic est, inquit, filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.

Septimò. Si igitur iuxta hæreticos adoptiuo nomine censetur, ut nos puri & ingrati homines: quo ergo pacto Apostolus eum nomen perhibet super omne nomen habere? Adoptiuum etenim nomen, nõ est super omne nomen: sed commune, & infra nominum tenetur mensuram.

Octauò. Vos, inquit, quem me esse dicitis? Moxq; beatus Petrus, cui non caro & sanguis, sed pater cœlestis reuelauit: Tu es, inquit, Christus filius Dei uiui. Ecce fidem beati Petri apostoli, quam hæretici surda aure transiliunt, perfunctoriè legere non pertimescunt. Petrus confessus est Christũ uerum filium Dei uiui: & tu hæretice dicis, Christus adoptiuus filius est.

Obiectionem ita diluit. Enimuero fortassis erigeres perfidiæ aurem, si absolutè dixisset, Tu es filius Dei uiui. Fingeres forsitan falsa argumentatione, ut diceres: Secundum diuinitatem eum filium Dei confessus est. Sed quoniam cum additamento dixerat, Tu es Christus filius Dei uiui: omnium hæreticorum ora fidei suæ pugno attriuit. Christi namq; nomé ab homine quem assumpsit, accepit, quia unctus in homine fuit. Item: Dicitis enim, quòd Iohannes scribat in epistola sua: Habemus aduocatum apud patré IESVM CHRISTVM: & hoc sit aduocatus, q. & adoptatus: cum lõgè aliud sit aduocatus, & aliud adoptatus. Nam aduocatus ille mihi est, qui pro me iudicé interpellat, & causam necessitatis meæ propria tuitione defendit. Conuenientius quippe dici potest propitiatus, quàm adoptatus: quia ipse est propitiatio ꝓ peccatis nostris. Cum enim naturã nostram, quam in se assumptã, in dextera patris collocatam ostendendo patri incessabiliter

manifestat, propitium eum nobis aduocatus noster quasi interpellando efficit, & benignum. Adoptiuus uerò dicitur, cui nihil à patre adoptante debetur, sed gratis indulgendo conceditur. Abusiuè namque, & non essentialiter, adoptiuus est filius dictus: sicut Moses in filium adoptatus est filiæ Pharaonis, alienus ab ea & generatione, & sanguinis affinitate. Hoc ideo posuimus, ut patenter daretur intelligi, eum dici adoptatũ, qui nondum prius fuerat proprius filius adoptantis. Vnde in Dei filium non cadit nomen adoptionis: quia semper uerus filius, semper Dominus: & post assumptum hominem ueri filij uocabulum non amisit, qui nũquam uerus desijt esse Deus. Confitemini ergo (quod est deterius, & omni blasphemia plenum) duos adoptiuos, filium scilicet, & Spiritum sanctum. non enim negare ualetis, Spiritum sanctum paracletũ esse. quod enim Græcè paracletus, hoc Latinè dicitur aduocatus. Fatemini quin etiã, quod est super omne malum deterius, super omnem impietatem scelestius, duos adoptiuos filios, uerbũ scilicet, & Spiritum sanctum: ut sitis deteriores Ario & Eunomio, & maranatha anathemate Macedonio digni.

Definit etiam adoptiuum hisce uerbis: Adoptiuus dici non potest, nisi is qui prius alienus est ab eo, à quo adoptari desiderat. Dei ergo filius, qua ratione credi potest adoptiuus, qui inseparabiliter assumpto homine, in una persona coeunte utraq; natura, nõ duo filij, alius Dei, & alius hominis, ut (sicut illi errando æstimant) adoptiuus sit hominis filius, & sine adoptione Dei filius: sed in una persona unus idemq; Dei & hominis filius, qui nunquam hominem quem assumpsit deseruit, etiam nec in cruce, quãdo inclinato capite tradidit spiritum.

Secundæ hypotheseos confutatio.

Eam uerò Paulinus in libro prædicto ita refutat. Primùm: Suffecerat enim, iuxta præcedentium catholicorum patrum saluberrimæ promulgationis doctrinam, syncera simplicitatis uoce, ex utraq; natura unam personam confiteri, ueri Dei ueriq; hominis Christi, diuina scilicet & humana.

Deinde: Non enim ignoramus ex duabus substantijs humanam subsistere naturam, ex anima nimirum & carne: sed unum sine altero perfectum non efficit hominem. Quid enim caro sine anima, nisi terra? & quid anima sine carne? non'ne spiritus? Homo enim ex utroq;, & non ex uno. Vnde quia redemptor noster perfectum hominem assumpsit in Deum, idcirco ex duabus naturis Deum & hominem confitemur. Non enim caro sine anima, perfecta humana potest dici, integraq; natura. Nam cum ex limo terræ finxisset Deus hominem, protinus insufflauit in eum spiraculum uitæ, sicut scriptum est: Et factus est homo in animam uiuentẽ. Non igitur alter qui formatus est, & alter qui insufflatus est, sed unus idemq;. Item: Volo ergo ut liquidius definias, quid sit humana natura: sola caro, an sola anima, an utraq;, anima & caro. Non enim possumus, nec fas est, ueritati contradicere: ex utraq; nihilominus humana constat natura, ex anima siquidẽ & carne. Dicito ergo mihi, in sola carne, an in sola anima, an quod uerius est, in utraq; pertulit uulnera passionum? caro enim sine anima nihil sentit: anima enim sine carne non esurit, neq; sitit, nec potest crucifigi: & tamẽ crucifixa est per carnẽ. in summis enim palmis, & in extremis crucifixa est plantis. Quod si non est crucifixa cum carne, cur sensit dolorem? Caro enim, sicut dictum est, sine anima nihil sentit. Quod si per carnis cognationem sensit dolorem, & caro per animam dolet incisa: nec caro enim sine anima, nec anima sine carne plena potest humana dici natura. Ex utraq; namq; connexione, carnis scilicet & animæ, perfecta constat humana natura. Vnde & maiores nostri hac definitione sancita (quorum sagacissima capacitatis pueritia, lõgè ualde à nostræ tarditatis distat ignauia) placuit eis, sancto annuente spiritu, duas in una Christi persona indubitanter profiteri naturas, diuinam scilicet & humanam: quia anima & caro nõ sunt duo, sed unus homo. Dominum enim & hominem Dei filium cõfitemur. Mediator, inquit Apostolus, Dei & hominum, homo Christus IESVS: qui ex anima & carne, non duo, sed unus est dictus homo.

Tertiò. Confiteamur cum sanctis patribus nostris catholicis orthodoxisq; uiris, qui rectam fidem & corde perceperunt, & inuiolabili ore Ecclesiæ filios salubriter docuerunt, duas in Christo naturas, diuinam nimirum & humanam, uerum Deum, uerumq; hominem: in utroq; proprium Dei filium, non adoptiuum, sed sempiterno ex patre temporaliter natum ex uirgine matre, consubstantialem in sua Deo patri sanctoq; Spiritui, consubstautialem etiam nobis in nostra.

Refutat etiam Adrianus Felicianos, in sua ad Hispanos epistola, in qua utitur his rationibus. 1. Quia Scriptura in multis locis testatur, IESVM Christum non adoptiuum, sed uerum Dei filium esse, etiam secundũ humanam naturam. Nam Christus ipse se uerum, & non putatiuum: proprium, & non adoptiuum filium patris sui nominat: Pater clarifica filium tuum. Ioh. 17. Item: Christus inter se & alios adoptiuos filios Dei discrimen facit: Ascẽdo ad patrem meũ, & patrem uestrũ. & nunquam communi affectu nobiscum di

xit,

xit, Pater noster: sed semper ait, Pater uester qui in cœlis est. Matthæi quinto & sexto.

Deinde Paulus dicit: Proprio filio non pepercit, sed pro nobis tradidit illum. Scimus autem, quòd non traditus sit secundum diuinitatem, sed secundum id quod homo uerus erat: illum nimirum qui traditus est, id est hominem ipsum, Apostolus Dei proprium filium protestatur. Tertiò Petrus testatur, eum esse Christum filium Dei uiui: Matthæi decimosexto. & non dixit: Tu es Christus, qui propter nos factus es filius hominis, & per adoptionem factus es filius Dei.

2. Quia omnes Sācti patres & tota Ecclesia docet, confitetur & credit, IESVM CHRISTVM non adoptiuum, sed uerum Dei filium esse. id probat testimonijs Athanasij, Naziánzeni, Augustini, Gregorij papæ.

Ad argumentum uerò illorum, Christus dicitur seruus Dei, Ergo non est uerè filius, sed adoptiuus: respondet idem, Quod à prophetis per mysteriū sic sit dictus, propter formam serui, & non propter naturam seruilem. Ac probat, neminem ex Euangelistis & Apostolis Christum seruum appellare, sed Dominum: ut Thomas Iohannis uigesimo, Dominus meus & Deus meus. Et Petrus ait: Domine tu mihi laues pedes? Et discipuli inquiunt: Domine adauge nobis fidem. Deinde asserit, Christum nullibi Deum appellare Dominum suum, sed semper patrē: ideoq; non esse eum seruum. Tertiò: Paulus Philip. 2, IESVM Dominum in gloria Dei patris appellat.

Beda inquit: Noua hæresis in angulis occultè susurrat, Christus est adoptiuus: sed clarius uniuersalis Sanctæ Ecclesiæ uox resonat, Christus est filius Dei proprius. Sibilant quoque serpentino ore, Christus nuncupatiuus est Deus. Sed expreßius firmiusque fidelium omnium unanimitas clamat, Christus bonus est Deus: teste egregio prædicatore qui ait, Quorum patres, ex quibus Christus, qui est super omnia Deus benedictus. Beda in 7 caput Iohannis.

Albinus inquit: Huic (scilicet errori Fotini) noua hæresis, quæ nostris temporibus orta est, consentire uidetur, affirmando & prædicando: Christus, sicut quilibet Sanctus, nuncupatiuus Deus est, & non uerus. lib. 5 in Iohannem, cap. 10.

Celebratæ autem sunt propter istas opiniones, aliquot Synodi. Annales Francorum testantur, Felicem Ratisponæ de errore conuictum, ac missum Romam, coram Adriano pontifice palinodiam cecinisse. quo facto, ad suam sit ciuitatem reuersus, sub annum Domini septingentesimum nonagesimum secundum. Annonius libro quarto, capite octuagesimotertio de gestis Francorū. Adon Viennensis narrat, eū in Synodo Frācofordiana hæreseos damnatum, & ut perpetuum exiliū Lugduni ageret, decretum: perseuerasse etiam eum in isto errore suo, usque ad uitæ obitum, affirmat, uerbis tantum simulata reuocatione. in Commentarijs sextę ætatis. Narrat Annonius, in ea Synodo librum contra Felicem scriptum esse, cui omnes chirographa subiecerint: de gestis Francorum libro quarto, capite octuagesimoquinto. Nos infrà in capite de Synodis, rationes ex isto scripto breuiter aßignabimus.

DE ICONOLA-
tris.

Plerique summæ autoritatis episcopi, paßim hoc seculo fuerunt Iconolatræ, impium dogma de adoratione & ueneratione imaginum statuentes & defendentes, in publicis etiam certaminibus & Synodis. Verius igitur istos hæreticos Ecclesiæ Christi pestilentes uocaueris, quàm alios, qui eis in impijs cœptis, uerbo Dei contrarijs, restiterunt.

Carolus Magnus cum aliquot rectè sentiētibus, istis corruptelis obuiam quidem iuit, accuratis refutationibus, libellis editis, & Synodis quibusdam: uerùm superstitio inualuit, ac subinde postea (ut fieri consueuit) aucta & cumulata est. Initio quidem illi Iconolatræ aliquos fucos, & aliquas etiam distinctiones prætenderunt: uerùm reipsa tradita, & materia errorum suggesta, postea extruuntur inde plurima incōuenientia. Cum autem de hisce rebus, in capitibus de Schismatibus & Concilijs dißeratur, superuacaneum est eadem hic recitari. Memorabilis est sententia Caroli Magni, libro suo tertio, capite decimooctauo: Cum isti penè omnē auxilij sui spem in imaginibus defigant, non mediocriter à sancta & uniuersali dissentiunt Ecclesia, quæ spem auxilij sui non in picturæ fucis, sed in Creatore omnium defigit.

ARIANI.

In Hispanijs subinde adhuc pullulat Arianismus, ut Volaterranus annotat.

MONTANI.

Eius sectæ quosdam hoc tempore durasse, inde certum est, quòd Vrspergensis tradit, eos ab Imperatore coactos esse, ut suam abijcerent hæresin. Verùm pleriq; ad ingenia pristina redierunt.

MANICHAEI.

In Africa Manichæos errores apud quosdam adhuc mansisse, Gregorius secundus in prima epistola ad uniuersum clerum & plebem Thuringiæ, testatur. Eamq; ob causam ad Ecclesiasticos ordines nō uult recipi: quia aliqui rebaptisati, sæpius sint probati.

DONA-

DONATISTAE.

Beda inquit: Quod dictum est ad Abrahã, In semine tuo benedicentur omnes gentes: quidam ad solam Africam pertinere dicunt. in Psalmum 54.

ARABICA HAERESIS.

Orientales sacerdotes, in epistola ad Tarasium Constantinopolitanum, testantur, Arabicam hæresin sibi adhuc plurimum negocij facessere.

MONOTHELITAE.

Constantinus princeps, sectæ Monothelitarum propugnator fuit, ut Iacob Meyer annotat: quæ res argumẽto est, complures fuisse Ecclesiæ doctores, isti sententiæ adhærentes.

Damascenus quoq; contra istos hęreticos disputat.

DE HAERESIBVS INCERtis & dubijs.

DE MONACHO QVODAM.

Scribit Vrspergensis, Philippicum Imperatorem in uinculis detinuisse quendã monachum hæreticum, qui ipsi Imperij administrationem prædixerit. Nihil uerò explicatè narratur, nisi quòd sextam Synodum improbarit.

Philippicum etiam in errorem homousij lapsum, dicitur quidem, sed non explicatur.

DE HAERESIBVS VETVlarum.

Beda inquit: Extirpanda est hæresis uetularum, quę iurant per tres partes Dei. In Boethium de Trinitate.

In Hassia Bonifacium quosdam conuertisse impostores idololatras, Hedio refert: fortè gentiles fuerunt.

In Bohemia quendam hæreticũ, Erminulphũ uocatũ, conuictum esse à Bonifacio, Hedio annotat: sed capita hærẹseos nulla extãt.

Zacharias in epistola ad Bonifacium scribit, sibi à Bonifacio de quodam Geolebo hæretico scriptum: uerùm ipsius hæreseos, qualis ea fuerit, nulla fit mentio.

Prorsus dubia & obscura est conflictatio, inter Bonifacium peragrantem pleraq; Germaniæ loca, & inter Clementem atq; Samsonem Scotos, & Adelbertum Gallum, Sidonium archiepiscopum, et Virgilium. nam isti se in quibusdam Bonifacio opponebant: libro etiam edito, quid reprehenderent in doctrina, ritibus & uita Bonifacij. Nam contenderunt quędam falsa à Bonifacio tradi, quosdã superstitiosos ritus ab ipso institui, & diuersum uitę genus ab Apostolis ab ipso agi. Hęc si hodie extarent, rectius de ipsis iudiciũ fieri posset. Verùm oppressi sunt Bonifacij autoritate, & reliquorum cum Bonifacio facientiũ multitudine ac potentia: ita ut causa non audita, neq; cognita, licet peterent sese coram alijs plenè audiri, fulminibus horrendis, excommunicationibusq; sint protelati. Ac dederunt operam aduersarij, ut ipsorum scripta etiam abolerẽtur, ne uidelicet posteritas impietatem & tyrannidem Romanensium episcoporum cernere & dijudicare posset. Epistola quædam Zachariæ papæ, nominat eos Episcopos, neq; ullam eis hæresin impingit: tantum uerò schisma eis tribuit. Verendum est igitur, multos synceros & fideles doctores ab adulatoribus Papisticarum corruptelarum iniquissimis censuris oppressos esse. Relinquimus igitur istos in medio, usque in diem Domini, qui erit iustissimus iudex.

De Tarasij obscuris & periculosis sermonibus, Carolus Magnus in suo contra Iconolatras libro inquit: eum dixisse, Spiritum sanctum esse contribulem patri & filio. Item, Spiritum sanctum procedere ex patre per filiũ: idq; refutat. Sed non impingit ei hæresin, nisi quòd imaginum uenerationem & adorationem cũ reliquis multis afferat Tarasius.

DE ASTROLOGICIS Theologis.

Beda inquit: Quidam erant, qui damnationem malorũ, & saluationem bonorum, non iusto iudicio Dei, sed fato, uel constellationi, uel cęteris talibus ascribebãt: in Psal. 7.

DE EPICVREIS.

Beda inquit: Fuit autem sententia quorundam erroneorum, quòd Deus, qui tantæ maiestatis esset, nunquam se ad hunc finem inspiciendum uel regendum dignaretur inclinare. quod planè falsum est: quia tunc omnia temerario casu fluitarent. in Psalm. 9.

PSEVDOCHRISTVS.

In Syria quidam se pro Messia uenditat, Iudæis illudens. Eutropius lib. 21.

DE VETVSTIS ERroribus.

Veteres etiam hęreses in scriptis suis patres & nominarunt, & refutarunt, ut Aponius ait: Error hæreticæ prauitatis per Basilidem, Valentinum, Photinum, Apollinarem, Macedonium, Eunomiũ, Montanum, Cataphrygam, Manichæum, Arium, uel per omnes hæresiarchas congregauit. Qui hac de causa sodales appellantur, quòd unusquisque eorum dęmonum uicarius, uel collega per superbiam effectus est: & quòd omnes hi cibos doctrinæ apud sensum suum (de quo cuncta meditando promunt) deceptis animabus præparatos singuli ad unam mensam legis diuinæ testimonijs malè interpretatis, deferunt comedendos. in Cantica canticorum, libro secundo.

CAPVT VI.

DE CEREMONIIS.



HOc seculum ceremonias à maioribus inuentas, non modò retinuit, sed etiam cumulauit magis: idq; ex erronea opinione, quasi Deus maximè delectetur electicijs illis operibus: cum tamen ille contrarium per prophetas iam olim sit testatus, sicut scriptũ est: Frustra me colunt mandatis hominũ. Nos quidem ordine, ut in autoribus indicantur, referemus singula: sed lectoris est, iuxta normã in uerbo Dei præscriptã, discernere eos ritus qui à Deo instituti sunt, ab illis quos humana siue industria, siue superstitio, siue ambitio, siue etiam malitia, nulla habita ratione ordinis, decori & ædificationis (iuxta præceptũ Pauli 1.Cor.14.) inuenit, & coaceruauit.

Porrò cum ritus Romanæ Ecclesiæ, quos in superiorib. seculis seorsim recensuimus, in omnes Occidentis, ac etiã magna ex parte in Orientis Ecclesias exũdarint, (oportebat enim Antichristũ in templo Dei sedere) non amplius opus fuerit separatione. sed tamen ubi diuersitas quędam occurrerit, in singulis Capitibus monebimus.

Quòd autem Romanæ ceremoniæ de paschatis obseruatione, & de tõsura, de unctionibus, de imaginũ cultu, & similib. obseruationib. in Gallicanis & Hispanis, Anglicanis & Germanis & alijs Ecclesijs ꝓpagatæ atq; receptæ sint, patet ex historijs Heddij, Ceolfridi, Egberti, Cymberti, Bonifacij, Irenes, Cõstantini, & aliorũ, quę suo loco referũtur.

DE CONGRESSIBVS PVBLICIS.

SAcros cõgressus diurnos atq; nocturnos in usu fuisse, cõstat ex ijs quę subijciẽtur. Ad eam uerò rẽ destinata fuerunt templa, oratoria, basilicæ, ædes, & similia loca sacra: quorum catalogum prolixum possemus contexere, si non breuitati studeremus.

Neq; illis contenti fuerunt, quæ seculis superioribus extructa fuerũt: sed passim plura, siue necessitate coacti, quod numerus Christianorũ cresceret, siue superstitione excitati, quòd opinarentur ea re Deo, Sanctis & martyribus præstari cultum, & acquiri gratiam, tum ad uerbi Dei & sacramentorũ tractationem, tum ad cantiones sacras ædificarunt & exornarunt, & donis profuse locupletarunt. Id ut planum fiat, nominatim de quibusdam hoc seculo fabrefactis dicemus, quæ partim in Christi, & Spiritus sancti: partim in angelorum, partim in Marię & Apostolorum, partim in martyrum masculi & fœminei sexus honorem constructa sunt.

In honorem Christi. Luithprandus oratoriũ Saluatoris in palatio suo ædificauit: Paulus Diac.lib.6.cap.17 Longobardorũ. Saluatoris basilicę, Diac.lib.6.cap.12 de gestis Longobardorum meminit. Patres in 2 Nicena Synodo, act.6. inquiunt: A' temporibus Constantini Magni, Christianorũ cœtus templa construxerunt, partim Christi nominis gratia, partim Sanctorum martyrum causa.

In Angelorum. nam in Michelis honorem Bonifacius Ortruuij ecclesiã extruxit: Chronicon Isenacense. Et Autbertus Michaeli archangelo, in loco qui dicitur Periculum maris, Ecclesiã extruxit, anno 709. Sigebertus.

In honorẽ Mariæ. Theodomar abbas Cassinensis, ad fontem unde Liris scaturit, templum in honorẽ uirginis Mariæ posuit. Leo Hostiensis lib.1.cap.13. de Casinẽsi cœnobio. Carolus Magnus Aquisgrani, in honorẽ genitricis basilicã extruxit. Eginhartus in uita eiusdẽ. Idẽ Sicãbrię Marię templũ statuit, Vngaris uictis & baptizatis. Bonfin. dec.1. lib.9.

Apostolorũ: ut Petri. Sic Leodij Hubertus ecclesiã Petri extruxit. Acta Tungrensiũ. Et in loco ubi Carolus uicit Desideriũ, ecclesia ędificata est in honorẽ Petri. Vincẽtius lib.23. cap.169. Osnaburgẽsem ecclesiã Petro Carolus dedicauit. Crantz. in Metropoli lib.1.cap.2. Et Bonifacius Vnismarię, in Vuestphalia, tẽplũ Petro ædificauit. Chronicõ Isennacẽse. Apud Bremẽses, Vuillehadus ędificauit ecclesiã diuo Petro. Saxonia Crantzij lib.2.cap.15.

Et Iacobi. nã Carolus Iacobo Aquisgrani, & apud Biturigos, & Tolosę, & in Gasconia, et Parisijs ecclesias erexit. Erphordiẽsis ca.68.

Et Pauli. In eius enim laudem Carolus Mymigauordi seu Monasterij, quarto anno Cõstãtini, filij Leonis Copronymi, circiter 745 Domini, templum extruxit. Metropolis Crãtzij lib.1.cap.5 Erphordiensis cap.69.

Andreæ apostolo Inas Vuelliæ templũ dedicauit. Polydorus lib.4 Anglicæ historiæ.

Iohannis Baptistæ templũ in monte ędificabatur, cuius formã Ioannicius præscripsit architectis. Metaphrastes in uita eius.

In honorẽ martyrũ masculorũ. Sic Leonianus Beneuenti ecclesiã Modesti ædificauit. Leo Hostiẽsis lib.1.cap.10. Et in Fulda ecclesia Bonifacij, anno Dñi 791 fundata dicitur. Schaffnaburgẽsis, & Marianus in Chronico.

Sabino martyri Petrus Ticinensis episcopus templũ in proprio solo extruxit. Paulus Diac.lib.6.cap.18 de gestis Longobardorũ.

Adriani basilicæ meminit Diac.lib.6.cap.18 De gestis Longobardorum.

Crispinus & Crispinianus martyres Osnaburgi ecclesiã sortiuntur, autore Carolo. Erphor. cap. 68. Idẽ Stephano Osteruuicẽsem ecclesiã dicauit. Crãtzius in Metropoli, lib.1. ca.3. Gorgonij et Dorothei ecclesia apud Mindẽses extat, à Carolo structa. Erphor. cap.69.

In castello Megdeburg, Carolus Magnus fanũ Veneris subuertit: & Stephani ecclesiã ibidem.

ibidem erexit. Crantzius in Saxonia libro secundo, capite duodecimo.

Gangolphi ecclesiam Erphordiæ Dagobertus dotauit, teste Hartmanno Schedelio ætate 6.

Et episcoporum. In honorem Eusebij Vercellensis, in Mortaria, ecclesia à Carolo Magno est structa. Vincentius lib. 23. cap. 169. Hilario templum Angelus Baduarius, dux Venetiarum, extruxit. Bergomensis libro 10. Bonifacius ecclesiam Saluatoris in Traiecto castello, à paganis dirutam, reparauit, & diuo Martino consecrauit: ut patet ex epistola eius ad Stephanum 2 papam, apud Nauclerū generatione 26.

¶ FOEMINARUM. Sic Archis dux Beneuenti, ecclesiam Sapiētiæ ædificauit. Leo Hostiensis de Casſinensi cœnobio lib. 1, cap. 16. Diuæ Mauræ templi, non procul à Constantinopoli, meminit Suidas, ad finem Nicephori libri 18. Et Sophiæ templi Constantinopoli, meminit Blondus Decadis secundæ libro primo.

Iohannæ oratorium in monte Cœlio ædificauit Gregorius secundus. Platina in uita eius.

Basilicæ Ruffinæ & secundæ, meminit liber Pontificalis in Adriano.

De donarijs, ecclesijs sanctorum oblatis.

Carolus Magnus de thesauro, quem Heinricus Foroiulianorum dux ei miserat, multis Ecclesijs & monasterijs dona obtulit. Regino lib. 2. Et: Iacobi ædem Calecianam inuisens, prædijs amplissimis ditauit, & donarijs instruxit. Sabellicus Enneadis octauę libro octauo.

Apparet ex epistola Geolfridi, apud Bedā libro 5 capite 22. aliam Romanos in templis ædificandis obseruasse formam, & aliam Britannicas ecclesias. nam Naitanus rex Pictorum, petijt architectos à Geolfrido abbate, qui dudum in gente Anglorum ad exemplū Romanæ ecclesiæ suam religionem instituerat, ut iuxta morem Romanorum ecclesiam de lapide sibi facerent.

De forma templi Mariæ ad fontem Liris, Hostiensis libro 1. capite 13 sic scribit: Quadrifida fabrica supra duodecim columnas erigitur, & super eas excelsa turris, à subiectis porticibus sublata porrigitur: alijs quatuor turribus per singulos porticus angulos, per gyrum eiusdem turris erectis. Id autem templum opperuit plumbeis laminis, & figuris pulcherrimis & uersibus claris ornauit.

RITUS CONSECRATIONIS & dedicationis.

Recens facta templa consecrare his ritibus solebant. Conueniebant archiepiscopi & episcopi ex alijs etiam locis: ut in dedicatione Casſinensis templi, cum Zacharia papa tredecim archiepiscopi, & 68 episcopi fuerunt: ut apparet ex iussione Zachariæ, Chronico Casſinensi adiuncta. Et in consecratione ecclesiæ Aquisgranensis, Carolus secū habuit Romanos cardinales, multos episcopos Italiæ & Galliæ, abbates, clericos & principes: ut apparet ex Bulla eius apud Ptolemæum Lucensem. Iacobi ædem Turpinus Remensis, cum alijs nouem episcopis consecrauit: ut ipse scribit.

Ac fiebat consecratio in nomine Trinitatis. nam Zacharias in 2 Epistola ad Bonifacium inquit: Si aut ecclesias in nomine Trinitatis consecrauit, aut paruulos baptizauit, dum sacerdotio fungebatur, consecratio ecclesiarum & baptisma sit confirmatum.

Inter consecrandum nomina illis imponebant, uel Saluatoris: ut Luitprandus fecit. Diaconus lib. 6. cap. 17. de gestis Longobardorum. Vel angelorum: ut Michaelis archangeli, apud Hostiensem lib. 1. cap. 12. Vel martyrum: Leo pontifex rogatus à Carolo ecclesiam Padeburnensem consecrat, & Stephano altare dedicat, in quod reliquias inclusit Roma allatas. Metropolis Crantzij lib. 1. capite 11. Vel aliarum rerum sacrarum: sic Sanctæ crucis ecclesia apud cœnobium Casſinense fuit. Leo Hostiensis.

Consecrationem gratis fieri iubent patres in Synodo Cabillonensi, cap. 16. Sed Cenulphus rex Merciorum, cum apud Vuynchecumbam curasset dedicari ecclesiam, tredecim episcopis & decem ducibus marsupia xenijs compleuit: & presbyteris marcam auri, monachis solidum unum, & toti populo sua quædam munuscula distribuit. Vuilhelmus libro primo, capite septuagesimoseptimo de Anglis.

Solebant etiam Romæ altaria consecrari. Sic enim scribit Paulus ad Pipinū: Mensam illam, quam olim sanctæ recordationis Domino & germano nostro beatissimo Stephano papæ, & per eū B. Petro apostolo obtulistis, cum hymnis & canticis spiritualibus, Litaniæ laudes solenniter Deo referentes, infra aulam ipsius principis Apostolorum introduximus: eamq́; uestri missi, in sacram confessionem, super corpus scilicet eiusdem cœlorum regni ianitoris, ex uestri persona obtulerunt: quam & chrismate unctionis sanctificantes, & sacram oblationem super eam imponentes, sacrificium laudis Deo omnipotenti pro æterna animæ uestræ remuneratione, & regni uestri stabilitate obtulimus: decernentes Apostolica censura, sub anathematis interpositione, nulli unquam licere eam ab Ecclesia B. Petri abalienare: & ecce memoriale uestrum, eadem Apostolica aula fulgens permanet inæternum.

QVAE

QVAE CONTENTA
in templis.

IN ijs uerò solebant habere imagines & statuas, de quarũ cultu acria certamina hoc seculo fuerunt, ut suo loco dicitur. Irene ferè omnes ecclesias repleuit imaginibus & statuis. Paulus Diaconus. Et Londinensis Synodi decreto introductæ primùm sunt imagines in omnes Anglorum ecclesias, anno Domini 714. Baleus Centuria 1, in Appendice capitis nonagesimiprimi. Et Damascenus libro 4, cap. 16 multa de statuis adorandis habet.

Tum Christi. nam Habdallas cruces ecclesiarum abstulit. Diaconus lib. 22. Et in 2 Synodo Nicena, actione prima, imago Christi approbatur, eiusque cultus, à tribus episcopis. Et in sexta Actione inquiunt: A tẽporibus itaq; illis usq; ad tempora Constantini, primi ex imperatoribus plenè Christiani anni propemodum trecẽti acti sunt, ante illum ferè gentilibus tyrannicè regnantib. Per illa autem tempora Christianorum plurimi certamen præclarum certantes, non sine martyrio uitam hâc liquerunt: idq;, dum idolorum statum studiosè oppugnant. At uerò Christianorum cœtus diuina æmulatione ducti, templa construxerunt, partim Christi nominis gratia, partim sanctorum martyrum causa. Atque illi quidem historiã humanę Christi dispensationis in ijs pinxerũt, hi uerò martyrum gestis effigiãdis operam collocarunt. Alij id tabellis expressere, quo martyrum memoriam in oculis perpetuò ferrent, aut ipsius etiam Christi facta. Alij autem in uestibus sacratis, in preciosis reposito rijs, in quibus incruenta sacrificia peragunt, imagines pinxêre. Et sanè euidenter hæc ad nostra usque tempora ostẽduntur, durabũtque per secula.

Tum Mariæ. Imagines enim Domini & Mariæ Constantinus ex templis auferri iussit. Honorius in Chronico. Et Gregorius tertius imaginem Mariæ argento obduxit. Liber pontificalis.

Tum Apostolorum, quorum simulachra ab alijs distinxit Gregorius tertius. Balæus libro 3 de Actis pontificum. Adrianus Pauli imaginem, & aliorum Apostolorum, argẽteis laminis obduxit: Liber pontificalis. Adrianus papa in epistola ad Constantinum & Irenem inquit: Nostra ecclesia Sanctorum Petri & Pauli figuras ueneratur, usq; in hũc diem. tomo 2 Conciliorum. Pictura in qua agnus digito Præcursoris demõstratus, graphicè est insculptus, recepta est in Synodo 6. teste Adriano in epistola ad Tarasium, tomo 2 Conciliorum.

Tum martyrum. Imagines Prophetarum, martyrum & confessorum restitui iubet Paulus. Liber Pontificalis.

Tum patrum, & aliorum piorum: ut patet ex actione 1. Nicenæ secundæ. Varijs in locis historiam Abrahæ immolantis filium Isaac uidimus. 4 actione Nicenæ 2.

Tum angelorum. nam Leo Isaurus edixit, ut in nulla ecclesia, cui usuis sancti, aut martyris, aut angeli habeatur imago. Liber pontificalis. In 7 actione Nicenĩ 2, ueneran dorum imagines iubent coli.

Tum aliarum rerum. nam Euangelij codicem depictum fuisse, constat ex septima actione Nicenæ 2.

Et statuas & imagines Imperatorum. nã Philippici Imperatoris effigies Romæ in ecclesiã non est introducta, eo quòd ipse in urbe regia picturas sex uniuersalium Synodorum auferri iussisset. Beda de ratione temporum lib. 2. Et Marianus Scotus.

Imagines uerò aliæ fusæ ex cera erant, aliæ ex tabulis & asserculis sculptæ, aut ijs inscriptæ: ut patet ex Synodo Nicena 2.

Et anathemata. Pipinus Gayfiri ducis Aquitanorum chirothecas, unionibus & preciosis gẽmis intertextas, in templo Dionysij ad crucem auream, quæ supra aram maiorem erat, appẽdit. Ganguinus libro tertio, de Francis. Et Luitprandus rex Longobardorum armillas, baltheũ & ensem, ad aram maximã Petri dedicauit. Sabellicus Enneadis 8 lib. 7.

Parietes picturis & carminibus erant ornati. Sic Poto abbas Casinẽsis, ecclesiæ Michaelis parietes picturis & carminibus per gyrum decorauit. Leo Hostiensis lib. 1. cap. 12. Et picturam sex uniuersalium Synodorum Philippicus sustulit. Beda. Et Constantinus papa in porticu S. Petri fecit picturas, quæ gesta & decreta sex sanctarum Synodorum uniuersalium cõtinerent. Paulus Diaconus libro 6. cap. 11 de gestis Longobardorum: Adon ætate 6. Iohannes septimus oratorium Mariæ intra ecclesiam Petri struxit, & parietes Mosaico opere depinxit, ita ut opere uermiculato parietes Patrum uultus ostenderent à dextra læuaq;. Marianus: & Crantzius in Metropoli libro secundo, capite 1. Liber pontificalis. Iuxta antiquam constitutionem sanctorum Patrum nostrorum, imaginum picturam ad instructionem & memoriam mẽtis nostræ, & participationem sanctificationis, Ecclesia recepit. Tarasius in epistola ad Ioannem, tomo 2 Conciliorum. Et Adrianus quintus, in epistola ad Constantinum, diuersis coloribus & picturis domum Dei exornari iubet, tomo 2 Conciliorum. Iohannes cum templum Saluatoris Romæ extrueret, in utroque pariete templi historiam ueteris & noui Testamenti inscripsit: hinc quidẽ Adam exeuntẽ

paradiso, illinc uerò latronem paradisum ingredientem. actione 4, Nicenæ 2.

Neque tantum in templis, sed etiam in alijs locis imagines & statuæ locatæ sunt. In Berytho Syriæ, imaginem Christi in domo Iudæi à Christiano relictam, inuentam esse anno Domini 765. Sigebertus narrat. Sub Irene Christus honorabatur figuris: & sanctorum imagines in Ecclesijs, in foris, in populo cernebantur. Metaphrastes tomo 5.

Adrianus fecit statuas sex ex laminis argenteis, & collocauit eas in presbyterium, ternas ex ordine. In prima serie Saluatoris erat posita, inter Michaelis & Gabrielis: in altera serie, Mariæ, inter Andreæ & Iohannis euangelistæ. Liber pontificalis, in uita eius. Et in actione septima Niceni secundi, iubent imagines Christi, Mariæ, Angelorũ, & omnium sanctorum, nõ modò in templis, sed etiam in sacris uasis, & uestibus, & in parietibus, in tabulis, in ædibus priuatis, & in uijs publicis locare, & colere oblationibus, suffitu & luminibus. Et Tarasius in epistola ad Adrianum indicat, Imperatores tum in portis regiarum, tum in templis restituisse imagines.

Sed tamen gentilium imagines non ferebãt in templis: ut patet ex uita Tarasij apud Ignatium.

¶ Habebant etiam altaria. In templo Sophiæ Beneuenti erant multa altaria, per gyrum summi altaris constituta. Leo Hostiensis lib. 1. capite 10, de Casinensi monasterio. Altaris, cancellorum, presbyterij, in ecclesia Stephani apud Metenses, fit mentio in uita Godegangi. Super altare in ecclesia Mariæ, Iohannes coopertorium fecit. Liber pontificalis. Cœperunt plura in ecclesijs altaria extruere. quare Carolus Magnus in constitutionibus suis præcipit, ut non superflua sint in ecclesijs.

Eaq; erant picturis ornata. Sic Adrianus altare Petri exornauit pallio auro intertexto, in quo depicta historia erat de angelo Petrum ex uinculis liberante. Platina in uita eius.

Et uelaminibus decorata. nam Adrianus super altare basilicę Laurẽtij uestem de quadrapulo fecit. Liber pontificalis. Et Zacharias uestem auro textam, & natiuitatẽ Christi referentem fecit. Liber pontificalis. Et Adrianus basilicæ Petri uestem donauit auro & gemmis textam, & acu pictam, de liberatione Petri ab angelo ex uinculis. Liber pontificalis. Sic oportebat Romanum Antichristum auro, argento & gemmis colere deos suos alienos, iuxta Danielem.

Ac erant isthic reorum asyla. Nam eò confugientes, non licebat ui abstrahere, sine pœna excõmunicationis: ut patet ex Tarasij uita, apud Metaphrasten. Ad mensam sacram, seu ad altare in templum fugit Tyberius, & deprecatur mortem. Zonaras tomo 3. Et filij Constantini ad magnam ecclesiam confugiunt. Paulus Diaconus lib. 23.

Habebant & columnas. Carolus Aquisgrani columnas & marmora ex Roma & Rauenna, in basilicam Mariæ deuehi curauit. Sigebertus anno 795. Et Gregorius tertius sex colũnas onychinas ab exarcho Eutycio sibi donatas, in basilicam Petri reposuit. Liber pontificalis.

Et uela, & cortinas. nam Adrianus ex palleis quadrapulis fecit uela numero uiginti septem, & cortinam. Liber pontificalis, in uita eius. Idem uela stauracea seu Tyrea, per unamquamque diaconiam fecit sena: quorum summa fuit 96. Libro eodem. Et cerostrata argentea librarum duodecim, Adrianus super presbyterium fecit. Liber pontificalis.

Et cancellos. Cancellos ex ære solido Carolus fecit Aquisgrani. Vrspergensis in Chronico. Fuisse autem cancellos ante mẽsam in qua cœna administrabatur, intra quos non licebat ingredi excommunicatos: patet ex Tarasij uita, apud Metaphrasten.

Ante uestibulum altaris cabathas aureas tres fecit Adrianus, pensantes libras decem. Liber pontificalis.

Et candelas, & lucernas. nam Adrianus papa quater in anno candelas accendi iussit: in natali Domini, in paschate, in natali Apostolorum, & in natali pontificis. Liber pontificalis. Zacharias unicuiq; basilicæ uectigal assignauit, unde oleum ad lampades emeretur. Platina.

Et candelabra. nam Gregorius tertius ecclesiæ Mariæ quædam donauit. Liber pontificalis.

Ac solebant ad imagines candelas collocare, & thymiamata accendere. quod Germanus in epistola ad Thomam hoc fuco defendit: Ne quempiam offendat, quòd ante sanctorum imagines lumina & suaue olentia thymiamata accenduntur. Symbolikõs enim ista fieri in honorem illorum opinandum est, quorum cum Christo requies, quorum honor ad ipsum recurrit: hoc ipsum testante sapiente Basilio, Quod erga conseruos bonos honor, erga ipsum Dominum commune beneuolentiæ signum exhibet: sensibilia enim lumina symbolum sunt immaterialis illius, & à Deo dati luminis. Aromatum autem incensio, sincerum & totum sancti Spiritus afflatum & repletionem significat. in secundo tomo Cõciliorum.

Tabulas. Sic Gregorius tertius, lapideis tabulis suam constitutionem in oratorio

torio Romæ insculpi curauit. Sigebertus anno septingentesimo trigesimoprimo.

Coronas. In Ecclesia magna Constantinopoli corona olim à Mauricio collata, erat ex preciosis lapidibus contexta: quam cum Leo Copronymus imposuisset, morbum sibi contraxit. Sigebertus 781. Delphinos aureos per diuersas coronas in basilica Mariæ fecit Adrianus. Liber pontificalis. Et Gregorius III. coronam argenteam cum delphinis sex: & coronulam auream cum cruce, pendentem super altare ecclesię Genesij, contulit. Liber pontificalis.

Organa musica. Anno Domini septingentesimo quinquagesimo septimo, Constantinus Pipino organon misit, hactenus Germanis & Gallis incognitum. Auentinus libro tertio Annalium: et Marianus Scotus. Annonius libro quarto, capite sexagesimoquarto, de Francorum gestis.

Suggestus. Ambonis in ecclesia Petri, in quo Leo manus super Euangelia ponens, iuramento sese purgauit de criminibus falso obiectis, Adon meminit. Et suggesti in templo Mariæ Constantinopoli, Zonaras tomo tertio. Solij, in quo Nicetas sedit, cum Constantinus excommunicaretur, meminit Zonaras tomo tertio. Tarasius Constantinopoli de ambone docet populum. Metaphrastes in uita eius. Ambonem marmoreum Gregorius secundus in ecclesia Hierusalem Romæ fecit. Liber pontificalis. Et Leontius Scriniarius, decreta concilij de ambone coram populo recitat: quibus finitis, tres episcopi ascendentes anathema denunciant uiolatoribus. Liber pontificalis.

In Ecclesia magna Constantinopoli fuit locus catechumenorum, quem Catechumenium appellat Paulus Diaconus libro uigesimosecundo rerum Romanarum, & uigesimotertio.

Presbyterij in Adriani basilica meminit Liber pontificalis, in uita Adriani: & patriarchi, ibidem.

Obsessi & energumeni etiam in templum sunt admissi. nam Egidius dæmoniacum, in ecclesia suis clamoribus alios turbantem sanauit, diabolo eiecto. Antoninus titulo 13. cap. 6. §. 33.

Habebant item in templis sanctorum reliquias. In Viennensem ecclesiam Vuillicarius martyrum reliquias reposuit. Adon ætate 6. Et Theodomar abbas Casinensis omnium Apostolorum, & multorum martyrum reliquijs nobilitauit templum Mariæ. Leo Hostiensis libro primo, capite decimotertio. Et Carolus Magnus ecclesiam Mariæ Aquisgrani multis reliquijs ornasse dicitur, in Chronico Æditui: & in bulla sua apud Ptolemæum Lucensem. Acca undiq; acquisitis Apostolorum & martyrum reliquijs, altaria in uenerationē extruxit, distinctis porticibus in ecclesia Andreę. Beda lib. quinto, capite uigesimoprimo Ecclesiasticę historiæ. Reliquias Saluatoris & Mariæ, & duodecim Apostolorum, & aliorum martyrum, Adrianus in basilicam Petri collocauit. Liber pontificalis. In Mindensi ecclesia reliquiæ Feliciani, Fulginatis, Theodori, Carpophori, & Habundi fuerunt repositæ. Metropolis Crantzij lib. 1 cap. 9.

Et Bibliothecas. Acca episcopus Hagustaldensis, historias martyrum & alia ecclesiastica uolumina collegit, & in templo Andreę bibliothecam fecit. Beda libro quinto, capite uigesimoprimo. Euangelia aurea, cū gemmis librarum quindecim, Gregorius tertius Saluatoris basilicæ donauit. Liber pontificalis.

¶ Ad conuentum campanis uocabantur. Zacharias Casinensibus concedit, ut in horis diurnis & nocturnis signū in ecclesia pulsent. priuilegium Zacharię, in Chronico Casinensi. Et in ecclesia Dionysij, subtus cāpanas Stephanus papa fingit se fuisse: in epistola ad Reginonem, lib. 2. Ecclesiam Iacobi tintinnabulis & pallis & libris decenter ornauit Carolus. Erphordiensis capite 68.

Idq; uel die Dominico. In Dominicis diebus neq; publici mercatus, neq; causarū disceptationes exerceantur, & penitus à rurali & seruili opere cessetur: ac illa solummodo fiant quæ ad Dei cultum & seruitium pertinent. Synodus Arelatensis capite 16. Et in Turonensi cap. 40: Oportet omnes Christianos die Dominico à seruili opere abstinere, & in laude Dei & gratiarum actione usq; ad uesperam perseuerare.

Aut die Sabbathi. nam in quibusdam locis die Sabbati, ad memoriam priscæ religionis canticum Deuteronomij, in quo uniuersus ueteris populi status, quid uidelicet offenso, quid propitio Deo meruerit, continetur, dicere consueuerunt. Beda libro secundo, capite 4 in Lucam.

Aut alijs diebus festis: ut patet ex loco de Festis.

QVAE IN CONGRESSV *facta sint.*

IN cœtu fiebant cantiones, precationes, lectiones sacræ, conciones, administratio cœnę Dominicę, gratiarum actiones, oblationes, & eleemosynarum collectiones.

¶ DE CANTIONIBVS. Apparet diuersam in Romanis & Gallicanis, & alijs ecclesijs cantandi fuisse consuetudinē. nam Pipinus per pontificem rex Francorum designatus, Romanorum ritus & cantus in Gallias attulit, anno Domini 751. Sigebertus:

tus: Aemylius in Chronico Francorum: Balæus in secunda Centuria, cap. decimoquinto de scriptoribus Britanniæ. Et postea Carolus Magnus dissonantia ecclesiastici cantus inter Romanos & Gallos offensus, & iudicans iustius esse de puro fonte, scilicet de calice meretricis Babylonicæ, quàm de turbato riuo bibere, duos clericos Romam misit, ut autenticum cantum à Romanis discerent, & Gallos docerent. Et primò per hos Metensis ecclesia, & per illam omnis Gallia, ad authoritatem Romani cantus reuocata est: anno Domini 774. Sigebertus. Et cum post annos sedecim iterum in psallendo & legendo esset à Romanis etiam in Metensium ecclesia uariatum, Carolus per cantores ab Adriano missos, eam dissonantiam corrigi curauit: anno Domini 790. Sigebertus. Gregoriani musici, præter Dorium, & fortasse Phrygium, nullũ in templa prius admiserunt modum. Noster uerò Carolus animaduertens Scripturæ quædam carminibus apta uerba, cõuenire tropis quoq; cæteris, ueluti Hypodorio, Hypophrygio & Hypolydio, arte istos etiam, sicuti & alios, in tonos octo commutatos introduxit, ut Ecclesia omnem Scripturę uerborum δεινότητα ac potentiam congruentibus sonis exprimere posset. Neq; Carolus alio consilio Musicos intulit in ecclesiã modos, quàm ut certi aliquot decerpti ex sacris literis loci, concentuum suauitate conspectiores in cœtu Christianorum redderentur. Iacobus Curio libro 2 rerum Chronologicarum. In cœnobio Casinensi Benedictus unam tantùm lectionem ex ueteri Testamento singulis diebus æstiuis legi instituit: Sed postea cum Gregorius, aut Honorius eam consuetudinẽ mutasset, etiam monachi illi, tres singulis diebus in tempore æstiuo ex ueteri Testamento lectiones legerunt, ne à Romana Ecclesia discrepare uiderentur: ut testantur in epistola ad Carolum Magnum. Luitprandus primus omnium regum, sacerdotes & clericos ordinauit, ut sibi quotidie diuina officia decantarent. Paulus libro sexto, capite 17 de gestis Longobardorum.

In basilica Caroli Magni, scholæ magister pridiè singulis solebat designare, quod Responsorium cuilibet cantandum esset. Vrspergensis.

Carmen illud quo Romani exceperunt Carolum, CIVES APOSTOLORVM & domestici Dei aduenerunt hodie, portãtes facem, & illuminantes patriam, dare pacem gentibus, & liberare populum Domini: postea cãtari solebat in festis Apostolorum. Auentinus libro quarto.

Stephanus papa cõstituit, ut omni die Dominico, Gloria in excelsis, cantaretur. Liber pontificalis.

Cum crucem uiuificam salutamus: conuenienter canimus, Crucem tuam adoramus Domine: lanceam, quæ uiuificans latus sanctitatis tuæ aperuit, adoramus. epistola Concilij Niceni secundi ad Constantinum & Irenem.

Hymni, SANCTVS Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis: meminit Damascenus, eumq; sub Proclo cõpositum esse dicit: lib. 3. cap. 10 de Orthodoxa fide.

¶ DE PRECATIONIBVS. Metropolitanus episcopus cum in festo paschatis Collectam caneret, & inter alia diceret, PLEBS TVA & Ecclesia tua supplicat tibi: à Salymo Saracenorum duce, qui unà accesserat, capitur, & in carcerem deducitur. Paulus Diaconus lib. 22 rerum Romanarum. Et Gregorius secũdus in tertia epistola ad Thuringos inquit: Facite uobis ecclesias, ubi oretis. Tomo 2. Conciliorum. In omnibus Ecclesijs sancta laudatur & glorificatur Trinitas, in unica dominatione & Deitate. Germanus in epistola ad Iohannem, tomo secundo Conciliorum.

¶ DE LECTIONIBVS. Antiochię, Hierosolymis, Alexandriæ, post lectionem Euãgelij Cosmas excommunicatur. Paulus Diaconus libro 22. Magister scholæ in basilica Caroli Magni digito aut baculo porrecto, uel ex latere suo ad procul sedentes aliquò directo, demonstrauit quæ legere uoluisset. Finem uerò lectionis sono gutturis designauit. Ad quẽ uniuersi ita intentè suspẽsi sunt, ut siue finita sententia, siue in media distinctione, siue subdistinctione significaret, nullus sequẽs superius aut inferius incipere prę sumeret, quantumcunq; incongrua finis aut initium uideretur. Et hoc modo factum est, ut etiamsi non intelligerent, omnes in eius palatio lectores optimi fuissent. Nullus alienus, nullus etiam nouus, nisi legere sciens, & canere, chorum eius ausus est intrare. Chronicon Vrspergensis. Patres Nicenæ 2. Synodi actione 6. hęc asserũt: Videmus quod ante sex sacras Synodos, & post eas etiam, sanctorum picturæ in Ecclesia fuerint, non aliter ac sacra Euangelij lectio. Et Beda in Esram libro tertio, capite uigesimooctauo. Et consurrexerunt ad standum, & legerunt in uolumine legis, &c. Quo exemplo reor in Ecclesia morem inoleuisse, ut per singulas diurnæ psalmodiæ horas lectio una de ueteri siue nouo Testamento, cunctis audientibus ex corde dicatur: & sic Apostolicis siue Propheticis confirmati uerbis, ad instantiam orationis genua flectant. Sed & horis nocturnis, cum à laboribus cessatur operum, liberæ auditui lectionum diuinarum aures accommodantur. Carolus Magnus lib. 4. cap. tertio de cultu imaginũ:

In tem-

In templo diuinæ lectionis arentia corda irrigantes personant fluctus.

¶DE CONCIONIBVS. Gregorius tertius papa, uerbum Domini clero populoque Romano pro concione explicauit, ut patet ex uita eius. Non in prætorio declamare, aut in theatralibus scholis arguere & disputare, sed Christi IESV sacrosanctũ Euãgelium è suggestu ad animarũ salutem aptè docere, dulcissimũ duxit Beuerlacius. Balæus Centuria prima, cap. 94. Zacharias præsente rege Longobardorum concionem habet, qua cor eius præmollit. Metropolis Crantzij lib. 2. cap. 1. Et multa de animæ salute, & de bonis operibus docuit, & ad humanitatem & clemẽtiam regẽ est hortatus, & ut ab humano sanguine ac mulierũ uiolatione sibi tẽperaret rogauit. Blondus decadis 1 lib. 10. Non solùm in omnibus ciuitatibus, sed etiam in parochijs presbyteri ad populum uerbum faciant, & populo sibi commisso prædicare non negligant: Synodus Arelatensis capite 10. Item: Sollicitè studeat unusqisq; episcopus gregem sibi cõmissum sacra prædicatione, quid agere, quid'ue uitare debeat, informare. Synodus Turonensis capite 4. Dimittit hodie doctor finito sermone, dimittit & pagella finita lectione, omnes auditores, singulos in conscientiam suam: ut quæ audierant, meditando retractent, & operando meditata perficiant. Beda in Samuelem, lib. 2. cap. 3.

¶DE SYNAXI. Tarasius in die Resurrectionis mysterium diuinæ synaxeos & communionis peregit. Metaphrastes in uita eius. Et Zacharias in epistola secunda ad Bonifacium, de epileptico dicit: In ecclesia, dum ad communionem uenerit, post omnium suppletionem erit ingressurus ad participandum munus. Tomo 2. Conciliorum.

¶DE OBLATIONIBVS. Carolus Magnus Adriano papę quædã obtulit Deo, in sacrificium. Erphordiensis cap. 68. De oblatione decimarum & primitiarum, Canon 9. Arelatensis Synodi meminit.

De modestia in publicis congressibus pręstanda, extat caput 38. in Turonẽsi Synodo: Sacerdotes, fideles admoneant, ut quando ad ecclesiam conueniunt, sine strepitu ac tumultu eam ingrediãtur: in qua etiam quamdiu orationis causa morantur, nequaquam inanes inter se proferant confabulationes. Sed & tempore quo missarum solennia celebrantur, non solum ab ociosis & inutilibus uerbis, uerumetiam & à perniciosis cogitationibus funditùs abstinendum est. Secundo tomo Conciliorum. Et Beda in Iohannem libro 1. cap. 2 inquit: Maximè in ipsa domo orationis, ubi corpus Dei consecratur, ubi angelorum pręsentia semper adesse non dubitatur, ne quid ineptum fiat, ne quid nostram fraternam'ue orationem impediat, totis uiribus agamus.

Solebant etiam in templis synodi celebrari. Sic Constantinopoli, in templo Apostolorum synodus septima: & postea Niceæ, in ecclesia Sophiæ, pro imaginum cultu habetur. Paulus Diaconus libro 23 rerum Romanarũ. Et Romæ, in ecclesia Petri, Gregorius tertius synodum celebrauit. Liber pontificalis. Et septima synodus Nicena in basilica Marię quæ uocatur Blachernis, congregata est: sexta actione Nicenæ secundæ.

Et iuramenta & homagia, ut uocant, Romano pontifici præstari. Sic incolæ ducatus Spoletini, in ecclesia Petri, iureiurando Adriano promittunt seruitutem. Liber pontificalis. Et barbam ac capillos deponunt. Bonfinius decadis 1. libro 9 rerum Vngaricarum. Quod tamen in Gallicanis ecclesijs non licuit. nam Arelatensis synodus capite uigesimotertio habet: Placita publica, & secularia, neque in atrijs basilicarum, neque in ipsis basilicis fiant. Idem Turonensis synodus facit, capite trigesimonono.

DE RITIBVS CIRCA
Baptismum.

MVnus baptizationis obibant sacerdotes & episcopi. Adrianus pontifex Pipinum baptizat, anno Domini 781. Regino lib. secundo. Adon ætate 6. Ottho Phrysingensis libro 5. cap. 28. Annales Francorum. Germanus archiepiscopus Constãtinopolis, baptizat Constantinum Copronynum. Paulus Diaconus libro 21 rerum Romanarum. Et Thomas archiepiscopus Mediolanensis, baptizat Gislam, Caroli filiam. Regino libro 2. Adeodatus episcopus Beritensis, baptizat Iudæos cõuersos. Sigebertus. Presbyteri ab episcopis baptizare docentur in capite 18 synodi Turonensis.

Ac cœperunt hac ætate multi uaria opinione inducti, quasi præstantior sit baptismus Romanorum pontificum, Romam adire baptismi gratia. nã Sabellicus Enneadis octauæ libro septimo testatur, magnam Germanorum partem Romam uenisse, & à Gregorio tertio baptizatos esse.

In templis uerò, ubi baptisteria erant, ea res peragebatur. Copronynus enim baptizatur in templo, ubi erat baptisterium, præsente Maria & Leone parentibus eius. Diaconus libro 21. rerum Romanarum. Adrianus in sabbato sancto paschatis, in basilica Saluatoris baptizat. Liber pontificalis, in uita eius. Baptisterium in ecclesia Ruffinæ renouauit, & in ecclesia Andrææ baptisterium fecit Adrianus. ibidem.

Tempus quodlibet commune & liberum fuit: sed tamen circa pascha plerunque adulti so-

ti solebant baptizari. Sic Adrianus tempore paschatis Pipinum Caroli Magni filiũ baptizauit, & in regẽ unxit. Annales Frãcorũ.

Sed Romanus pontifex Gregorius secundus, in epistola ad Thuringos, conatus est baptismum ad certum tempus astringere, inquiens: Nemo citra mortis necessitatem, nisi paschali & pentecostes festiuitate, cœlesti lauacro tingatur. Auẽtinus lib. 3 Annalium, folio 289. Et tomo Conciliorum 2. pagina 431. Idem decretum Gregorius tertius in epistola ad sacerdotes Bauariæ confirmat, apud eundem.

Tam infantes quàm adultos baptizarũt. De infantibus. Apud Christianos, fidelium quotidie baptizantur filij. Daniel in epistola ad Bonifacium. De adultis. nam Hebręi & Montani baptizati sunt, apud Diaconum lib. 21 rerum Romanarum. Saxones ad Lippam uenientes, unà cum uxoribus & paruulis cateruatim in nomine Trinitatis baptizãtur: Regino libro 2. Adon Viennensis ætate 6. Thudus rex Auarorum, cum populo suo baptizatur: Regino libro 2.

Adultos oportebat prius in doctrina Christiana instrui. Examinabantur enim ante baptismum. Vuitekindus catechumenus factus, instruitur in fide, & deinde cum Albione baptizatur. Metropolis Crantzij lib. 1. capite 4. Ac cogebantur symbolum recitare: ut apparet ex epistola Gregorij tertij ad Bonifacium. Et orationem dominicam: Synodus Anglica capite 2. Presbyteros oportuisse docere homines, quid in sacramento Baptismi renunciandum, quidq́; credendũ sit, colligitur ex capite 18 Turonensis synodi.

Patrini etiam adhibebantur. Sic Leo Copronymus Telericum Bulgarorum dominum ex sancta piscina suscepit, & magnificè honorauit pariter, & amauit, & patricium fecit. Sigebertus anno 778. Diaconus libro 23 rerum Romanarum. Adrianus pontifex & simul baptizauit, & patrini officio functus, Pipinum de sacro fonte suscepit. Regino libro secundo, & annales Francorum. Sic Thomas Glissam Caroli filiam Mediolani baptizat, & simul eam à sacro fonte leuat. Regino ibidem, & Adon ætate 6. & Vrspergensis. Rigobertus episcopus Remensis, fuit patrinus Caroli Martelli: ut apparet ex Sigeberto. Amelium & Amicum pueros baptizatos, multi milites Romani de baptismo susceperunt. Vincentius libro 23. cap. 162. Vuitekindi Mindæ, aut Bardeuici, aut Mittenbachij baptizati, Carolus Magnus fideiussor fuit. Chronicon Misniæ & Holsatiæ.

Sed eos oportebat in doctrina Christi esse mediocriter instructos, & non à pietate alienos. Nam in Arelatensi synodo capite decimonono, iubentur patrini eos docere, quos de fonte lauacri leuarunt: quia pro eis fide iussores extiterunt. Et in Anglicana synodo, sub Adriano, capite secundo. Vide de Synodis.

Renunciare diabolo, & operibus & pompis eius solebant. Opera autem eius sunt, homicidia, fornicationes, adulteria, ebrietates, & similia. Pompæ uerò sunt, superbia, iactantia, elatio, uana gloria, fastus, & similia. Synodus Turonensis capite 18.

Ac nomina ijs imponebantur, uel sanctorum, uel cognatorum, uel amicorum. Adrianus Caroli Magni filium, Carolomannum dictum, baptizat: eiq́ue nomen Pipini facit, priore abolito. Auentinus libro quarto Annalium, folio 325. Regino libro secundo, & Chronicon Quedelburgense, & Schaffnaburgensis. Deusdedit duobus pueris baptizatis nomina fecit, alterum Amelium, alterum Amicum appellans. Vincentius libro uigesimotertio, capite 162. Caroli filium ex Hildegarde, Ludouicum appellant ex sacro fonte. Annonius libro quarto, capite septuagesimoprimo de gestis Francorum.

In lauacrum adultos descendere oportuisse, apparet ex historia Ratholdi, quam paulo pòst referemus.

Vtebantur lingua Romana non solùm in Italia, sed etiam in alijs locis à pontificijs reformatis. Sic in Bauaria sacerdos Latinæ linguæ inscius, barbarismum commisit, ut dicemus. Sed tamen etiam alijs linguis baptizatum esse, apparet ex epistola 2. Gregorij tertij ad Bonifacium.

Immergebantur autem aquæ, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. In nomine sanctę Trinitatis, Saxones ad Lippam baptizantur. Regino libro secundo.

Latina lingua apud Bauaros baptizatum esse, constat ex historia de sacerdote Latinæ linguæ ignaro: qui baptizauerat, In nomine patria, & filia & spiritus sancta, apud Auentinum libro tertio, pagina ducentesima nonagesimaseptima. Et Gregorius secundus inhibet, à paganis baptizatos in nomine Trinitatis, rebaptizare: in epistola ad Bonifacium, Conciliorum tomo secundo. Aponius libro primo in Cantica canticorum, meminit confessionis Patris, Filij & Spiritus sancti. Idem libro tertio: Certum est unum esse baptismatis fontem in toto mundo, ubi Trinitatis inuocato nomine tincti sanctificantur, ut ex hœdis agni efficiantur.

Trinam immersionem baptizandi, Damascenus libro primo Apologiæ fatetur ex traditione obseruari: sed in uerbo Dei de ea scriptum non extare.

De more Romanorum, fons baptismi benedici solebat: ut apparet ex priuilegio Zachariæ Casinensi cœnobio dato. Eius

rei ritum Zacharias secũda epistola ad Bonifacium in hunc modum describit. De igne autem paschali quod inquisisti, à sanctis priscis patribus, ex quo per Dei & Domini nostri IESV Christi gratiam, & precioso sanguine eius ecclesia dedicata est, quinta feria Paschæ, dum sacrum Chrisma consecratur, tres lampades magnæ capacitatis, ex diuersis candelis ecclesiæ oleo collecto, in secretiori ecclesiæ loco ad figuram interioris tabernaculi insistente, indeficienter cum multa diligentia inspectæ ardebunt, ita ut oleum ipsum sufficere possit usque ad tertium diem. De quibus candelis sabbato sancto pro fontis sacri baptismate sumptus ignis, per sacerdotem renouabitur. secundo tomo Conciliorum.

Salem in baptismo adhiberi, obscurè indicat Aponius in libro primo, in Cantica canticorum. Et de signo crucis Damascenus dicit libro quarto, capite uigesimosexto: Inutilis concupiscentia & uoluptas, hoc est peccatum, idipsum est quod circumcidit sanctum baptisma, præbens nobis signum honorabile, crucem in fronte. de Orthodoxa fide.

Albis uestibus à baptismo induebantur. Filius Ratbodi ducis Frisonum, baptizatus albis indutus est, & paulo pòst expirauit. Vincentius lib. 23. cap. 145. et Erphordiensis cap. 66. Loti semel salutifero fonte, nunquã stolam candidissimam, quam suscipiunt in baptismate, inquinare docentur. Aponius libro 6 in Cantica canticorum.

Et munera baptizatis dabantur. Deusdedit papa, cum baptizasset Romæ Aluernensis comitis filium, & alium quẽdam puerum militis Bericani, planè sibi forma similes, scyphos duos ligneos pari amplitudine compositos, auro & gemmis ornatos eis donauit, dicens: Accipite hoc donum, quod uobis sit in æternum testimonium, quòd ego uos in basilica Saluatoris baptizarim. Vincentius lib. 23. cap. 162. et Antoninus, & Schedelius ætate 6. folio 185.

Baptizati infantes, à suis matrib. domũ reportabãtur. Sic Maria Augusta, uxor Leonis, unà cum baptizato filio suo in aulam ex templo redit, & in itinere pauperib. munera proijcit. Diaconus lib. 21 rerum Romanarum.

Dissimilitudinem inter modum Romanum & Francicum baptizandi fuisse, constat ex constitutionibus Caroli Magni, ubi præcipit, ut secundum morem Romanum presbyteri baptizent.

DE CONFIRMATIONE ET *Chrismate.*

EPiscopi de facultatibus Ecclesiæ balsamum emebant, idque consecrabant, & presbyteris gratis dabant ad usum in ecclesia: ut patet ex capite decimo sexto Synodi Cabillonensis.

Baptizatos uel tum statim, si erant adulti: uel etiam aliquot annis pòst, si infantes fuerant, imponentes manum, & chrismate fontem consignantes, confirmare in more habebant. Bonifacius, dum nonis Iunij festum Neophytorum celebrat, & recèns baptizatos confirmat, interficitur. Balæus Centuria 2. cap. 13. Idem constat ex Caroli Magni lib. 1. de cultu imaginum: Vexillum crucis, accepto baptismatis sacramento, per sacrosanctum unguinis liquorem nostris frontibus imprimitur.

Ac fiebat confirmatio ab episcopo in cœtu hominum: ut apparet ex decreto synodi Frãcicæ. Quandocunq; iure canonico episcopus circumit parochiam ad populos confirmandos, presbyter semper paratus sit ad suscipiendum episcopum, cum collectione & adiutorio populi, qui ibi confirmari debet. tomo secundo Conciliorum.

Ac solebant, non minus quàm ad baptismum singulares patrini ad hanc ceremoniam inuitari, qui consignando adessent, eique capillos tonderent. Sic Carolus misit Pipinum filium suum ad Luitprandum regem, ut capillis eius attonsis, compater sibi fieret: quod ille lubens fecit, & puerum cum multis muneribus ad patrem remisit. Vrspergensis: Platina in Gregorio tertio: Bonfinius libro octauo, decadis primæ rerum Vngaricarum: Annonius lib. quarto, capite 57 de gestis Francorum.

Non autem licebat confirmationem iterare, iuxta Synodi Cabillonensis caput 27. Quia aliqui de plebe bis uel ter ab episcopis, ignorantibus ijsdem, confirmantur: ne eadẽ confirmatio, ut nec baptismus, iteretur.

CASVS VARII CIR-*ca Baptismum.*

Constantinus Copronymus, dum à Germano baptizatur, dicitur in sacrum lauacrũ excrementa alui emisisse: unde Germanus uaticinatus sit, fore eum Ecclesiæ deformatorem. Diaconus libro uigesimoprimo rerũ Romanarum: Zonaras tomo 3.

2.

Leo imperij sui sexto anno, coegit Hebræos & Montanos baptizari. At uerò Iudæi baptizati contra propositum suum, diluebant baptismum: & comedentes sancto muneri participabantur, & contaminabant fidem. Porrò Montani diuinantes sibi, & diffinientes fidem, domos introierunt errori suo deputatas, & incenderunt semetipsos. Paulus Diaconus libro uigesimoprimo rerum Romanarum, pagina 292.

3.

Anno Domini 718. Ratholdus dux

Frisonum, prædicatione Vulfrani episcopi ad hoc adductus ut baptizari deberet, cum uno pede in lauacrum intrauisset, alterum pedem retrahens, interrogauit, ubi nam plures suorum maiorum essent? in inferno, an in paradiso? Et audiens plures esse in inferno, intinctum pedem extrahens: Satius est (inquit) ut plures quàm pauciores sequar. Et ita ludificatus à dæmone, promittente quòd ei tertia die ab hinc incomparabilia bona daret, ipsa tertia die subita & æterna morte perijt. Sigebertus. Refert eadem Henricus Erphordiensis ex gestis Vulfrani, cap. 66. Bergomensis annum 729 assignat.

4.

Baptismū & chrisma seu confirmationem nō licebat iterare, licet ab indigno collata essent: ut patet ex Sigeberti Chronico, de Constātino papa: & Synodi Cabillonensis capite uigesimoseptimo.

5.

Apud Bauaros, sacerdos Latinæ linguę ignarus, inter baptizādum dixerat: Baptizo te in nomine patria, & filia, & spiritus sancta. Bonifacius sic baptizatos, ut prophanos abhorrebat, & rebaptizandos iudicabat. Sed Sidonius & Virgilius Bauarorum episcopi dissentiebant ab eo, & pro rectè baptizatis habebant. Zacharias pontifex ab utrisq; consultus, approbat Sidonij sententiam: quia non ex errore, sed inscitia linguæ lapsus esset sacerdos. Auentinus libro tertio Annalium, pagina 297. Hedio libro sexto, capite 8 partis tertiæ historiæ Ecclesiasticæ. Et Gregorius tertius in epistola secunda ad Bonifacium inquit: Illi qui baptizati sunt per diuersitatem & declinationē linguarum gentilitatis, tamē quia in nomine Trinitatis baptizati sunt, oportet eos per manus impositionem & sacri chrismatis unctionem confirmari.

6.

Manichæi rebaptizati sunt: ut patet ex epistola Gregorij secundi ad populum Thuringiæ, apud Hedionem libro sexto, capite sexto historiæ Ecclesiasticæ.

7.

Eos qui ignorabant se baptizatos esse, aut à sacerdote sacrificante Ioui, aut uescente idolothytis baptizati erant, Gregorius secundus rebaptizari iubet, in epistola ad Bonifacium: apud Hedionem libro sexto, capite septimo Ecclesiasticæ historiæ.

8.

Ab hæreticis in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti baptizatos, tantùm manuum impositione purificandos esse, Zacharias Bonifacio rescripsit: apud Hedionem libro sexto, capite octauo.

9.

A' paganis baptizatos, denuò baptizari iubet Gregorius secundus, in epistola ad Bonifacium.

10.

Baptizatos ab adulteris episcopis, etiam omissa recitatione Symboli, si modò in nomine Trinitatis erant baptizati, rebaptizari uetat Gregorius tertius, in epistola ad Bonifacium, tomo 2 Conciliorum.

11.

Dictum nobis est, quasdam fœminas desidiose, quasdam uerò fraudulenter, ut à uiris suis separentur, proprios filios coram episcopis ad confirmandum tenuisse. Vnde nos dignum duximus, ut si qua mulier filium suum desidia aut fraude aliqua coram episcopo ad confirmandum tenuerit, propter fallaciam suam uel fraudem, quàm diu uiuat, agat pœnitentiam: à uiro tamen suo non separetur. Synodus Cabillonensis capite uigesimoprimo.

12.

Clocas seu campanas baptizarunt, & chartas per perticas suspenderunt ad auertendam grandinem: quod Carolus in constitutionibus suis abrogat.

RITVS CIRCA *claues.*

DE CLAVE LI*gante.*

VTebantur autem claue ligante contra obstinatos, & notoriè impios, ut contra hæreticos & blasphemos: ut patet ex Canone 25 Synodi Cabillonēsis, & ex lib. 2 cap. 8 Bedæ in Samuelem.

Et contra manifestè facinorosos. Sic Adrianus uidens ficta mendacia, & inconstantiam Thassilonis, iratus eum excommunicat. Regino lib. 2. Libros famosos legentes aut cantantes, excommunicat Adrianus in capitulis Synodorum, tomo 2 Conciliorum. Incestuosos, parricidas & homicidas, excommunicat Synodus Turonica, cap. 41. Eos qui hariolos consulunt, Luitprandus rex Longobardorum mulctat, & pœnitentiam iuxta Canones agere iubet, titulo sexagesimo.

Ac tales arcebant à cōmunione, licet nōdum essent solenniter iudicati Ecclesię. Bonifacius in epistola ad Danielem, & in epistola ad Zachariā: In sacris mysterijs corporis & sanguinis Domini, cum huiusmodi non cōmunicamus: nec cum illis qui affirmant homicidas uel adulteros in ipsis sceleribus perseuerantes, Dei posse fieri sacerdotes.

Abusi tamen etiam interdum sunt ea potestate contra orthodoxos. Sic in Nicena septima excommunicātur Nicetas & Cōstantinus, eo quòd cultum imaginum damnarent. Zonaras tomo 3. Et Theodorus Antiochenus, & Theodorus Hierosolymitanus,

nus, Cosmam Epiphaniæ episcopū propter eandem causam anathematizant. Paulus Diaconus libro 22 rerum Romanarum. Gregorius tertius imaginum sacrarum prophanatores excommunicat. Liber pontificalis.

Et innocentes. Sic Lullus Osuitam abbatissam cum omnibus suis nonnis excommunicat, propter uirgines uelatas ex cœnobio elapsas: ut patet ex epistola eius. Et in Synodo Romana Adrianus excommunicatur, propterea quòd Epiphaniam diaconam habeat uxorem: capite 14.

Et ad iuramenta politica, & fidem Magistratui debitam, dissoluendam: ut inter casus postea dicemus.

Præcedebant autem, præsertim in peccatis non omnibus notis, admonitiones de pœnitentia: quibus frustrà factis, sequebatur excommunicatio. Bonifacius in epistola ad Chutbertum præcipit, de sua & suorum collegarum sententia, ut laici Imperatores, reges, comites & præfecti, qui ui monasteria occuparint, & monachos & pecuniam detineant, admoneantur de suo peccato: quòd si non agant pœnitentiam, ut ijs neq; uiuis neque mortuis communicetur.

In actu autem solenni intererant episcopi, sacerdotes, & clerici, & tota Ecclesia. Cōstantinus Imperator uenit in forum cum patriarcha suo, & sectatoribus episcopis, & coram omni populo imaginum adorationem uetāt: idololatris ijs appellatis, qui ea colerēt. & anathemate notarunt Germanum, & Georgium Cyprium, & Iohānem Damascenū. Zonaras tomo 3. Paulus Diaconus lib. 22. rerum Romanarum. Et Constantinus patriarcha Constantinopolitanus in ecclesia magna excommunicatur, Niceta in solio sedente. Zonaras tomo 3. Diaconus lib. 22. rerum Romanarum. Theodorus Antiochenus, & Cosmas Alexādrinus, & Theodorus Hierosolymitanus, quisq; in sua ecclesia, cum episcopis sibi subiectis, post lectionem Euangelij, Cosmā Epiphaniæ episcopum excōmunicant. Libro eodem.

Ac solebant peccata commissa recitari, & publicè indicari, reo præsente. Cōstantinus patriarcha in magnam ecclesiam portatur, & præsentibus alijs, & nouo patriarcha Niceta in solio sedente, crimina recitantur ab Imperatoris consiliario, de charta, ipse alapis cęditur ad singula capitula, & anathematizatur. Zonaras tomo 3. Diaconus lib. 22. rerum Romanarū. Item imposuerunt eū in ambonē, & exuerūt eū super humerali, & postea excōmunicatum ex tēplo extraxerūt. Ibidē.

Cum excommunicatis non licebat familiariter conuersari, neq; Aue dicere, neq; cibum capere: multominus in rebus sacris participari. Lullus in epistola ad Osuitam: Illas uagas fœminas, quæ ex cœnobio aufugerant, intra cellam uestram non recipiatis: sed foras monasterium excommunicatæ ab Ecclesia Christi sedeant, pœnitentiam agentes. Carolus Magnus in Constitutionibus suis Aquisgrani inquit: Qui cum excommunicato præsumptuose communicauerit, excommunicetur & ipse.

Bonifacius tamen in epistola ad Danielē, & in epistola ad Zachariam papam, dicit: se non posse ab externa communione quorundam impiorum & sceleratorum abstinere, propter patrocinatus auxilium in palatio Francorum quærendum.

DE CLAVE SOLVENTE.

Excommunicati, aut notoriè scelerati, si pœnitentiam agebant, recipiebantur: sed si peccata sua confessi essent, ac pro ijs satisfecissent disciplinæ ecclesiasticæ. Ita Iustinianus imperator de peccatis suis pœnitentiā agens, Constantinum papam ad se uocat, & absolutionem & communionem accipit. Beda lib. de Ratione tēporum. Georgius presbyter Romanus pœnitentiæ subijcitur, digna imposita satisfactione. Liber pontificalis. Offa metu pœnarum, quas sibi suis sceleribus accersisse sciebat, perculsus, ad Deū sibi placādum decimam partem suorum bonorum sacerdotibus distribuebat: & conscientia eius adhuc trepidante, Romam ueniæ consequendæ gratia abijt. Polydorus lib. 4. Anglicæ historiæ.

Oportebat autem tum excommunicatos, tum etiam alios confitentes, sua sacerdoti enumerare peccata. Carolus Magnus Ebrouino archiepiscopo confitetur. Erphordiensis cap. 69. Populus Romanus, & pontifex Stephanus, & uniuersi sacerdotes publicè cum ingenti fletu confitentur, se peccasse in eo, quòd de manibus Constantini laici, qui inuaserat sedem Romanam, communionem suscepissent. Liber pontificalis in Stephano. Et Synodus Cabillonensis cap. 32 sic decernit: Quidam dum confitentur peccata sua sacerdotibus, non plenè id faciunt. Quia ergo constat, hominem ex duabus esse substātijs, anima uidelicet & corpore: & interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur: solerti indagatione debent inquiri ipsa peccata, ut ex utrisq; plena sit confessio: scilicet ut & ea confiteantur quæ per corpus gesta sunt, & ea quibus in sola cogitatione delinquitur. Instruendus est itaque peccatorum suorum confessor, ut de octo principalibus uitijs, sine quibus in hac uita difficile uiuitur, confessionem faciat: quia aut cogitatione, aut (quod est grauius) opere, eorum instinctu peccauit. odium etenim, inuidia, superbia, uel cæteræ huiuscemodi

ani-

animæ pestes, tanto periculosius lædunt, quanto subtilius serpunt. tomo Conciliorum secundo.

Sed tamen non semper omnia sacerdotibus indicata esse peccata, constat ex historia Caroli Martelli: qui Egidium rogat, ut pro se Dominum exoret, ut sibi condonet facinus quoddam enorme, quod nulli unquam sancto audeat confiteri. Vincentius lib. 23. cap. 140. Antoninus titulo 13. capite. 6. §. 33. Auetinus dicit, illud peccatum fuisse, quòd aliquando exhausto fisco, de bonis Ecclesiæ stipendia militibus dedisset. Libro tertio annalium.

Confessis sacerdotes imponebant satisfactiones: ut habet canon 38 Cabillonensis synodi. Modus autem pœnitentiæ peccata sua confitentibus, aut per antiquorum Canonum institutionem, aut per sanctarum Scripturarum authoritatem, aut per Ecclesiasticam consuetudinem imponi debet: repudiatis ac penitùs eliminatis libellis quos pœnitentiales uocant, quorum sunt certi errores, incerti authores. De quibus rectè dici potest: Mortificabant animas quæ non moriuntur, & uiuificabant animas quæ non uiuebant. Qui dum pro peccatis grauibus leues quosdam & inusitatos imponunt pœnitentiæ modos, consuunt puluillos, secundum propheticum sermonem, sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite uniuersæ ætatis, ad capiendas animas. tomo secundo Conciliorum. Interdum etiam pœnitentiæ loco iubebantur peregrinari Romam, aut ad alia loca sancta: ut constat ex cap. 45. Cabillonensis.

De publica pœnitentia, Synodus Cabillonensis capite uigesimoquinto sic inquit: Pœnitentiam agere iuxta antiquam Canonum constitutionem, in plerisque locis ab usu recessit. & neque excommunicandi, neque reconciliandi antiqui moris ordo seruatur, ut à Domino Imperatore impetretur adiutorium: qualiter, si quis publicè peccat, publica mulctetur pœnitentia, & secundum ordinem Canonum pro merito suo excommunicetur & reconcilietur. tomo Conciliorum secundo.

Seductos ab hæreticis, pœnitentiam agentes, impositione manus sacerdotalis Catholicæ Ecclesiæ reconciliari, Beda dicit libro 2 in Samuelem, capite 8.

De satisfactione uerò tum excommunicatorum, tum aliorum peccatorum, Canones uarij & innumeri hoc seculo facti leguntur.

Parentum, fratrum & sororum interfectores, per omnem uitam abstinere à uino & carne: & ieiunare diebus Lunæ, Mercurij, & Veneris oportebat: nec ad communionē, nisi in extremo agone, admittebantur, ut patet ex epistola Gregorij ad Bonifacium, apud Hedionem libro sexto, capite septimo Ecclesiasticę historię: & tomo secundo Conciliorum.

Deprehensus, spiritualem uitam professus, in scortatione, in carcerem ducatur, & faciat pœnitentiam in pane & aqua. Si fuerit presbyter, in carcere conseruetur integrum biennium: deinde flagellatus coram Ecclesia, dimittatur, uiuatque priuatus in labore manuum. Si autem clericus fuerit, ter in anno duriter uirgis cędatur, postque annum dimittatur: nec recipiatur in ministeriū Ecclesiæ, nisi pœnitentiæ ueræ clara signa, specimenque certum resipiscentiæ præbeat. His etiam modis monachos & moniales plectendos, Canon Concilij in Gallia conuocati à Carolomanno statuit. Nauclerus generatione 25. & Mutius.

Pœnitentia iniuncta, gentem à caballorum esu compesce. Gregorius tertius in epistola ad Bonifacium.

Seruos suos paganis ad sacrificia uenundantem, similem homicidæ pœnitentiam agere iubet Gregorius secundus, in epistola ad Bonifacium.

Statuimus similiter, ut post hanc Synodum, quæ fuit undecimo Calendas Maias, quisquis seruorum Dei uel ancillarum Christi, in crimē fornicationis lapsus fuerit, ut in carcere pœnitentiam faciat in pane & aqua. Et si ordinatus presbyter sit, duos annos in carcere pœnitentiam faciat, & in carcere permaneat. Si autem clericus uel monachus in hoc peccatum ceciderit, post tertiam uerberationem in carcerem missus, uertentem annum ibi pœnitentiam agat. Similiter nonnæ uelatæ, uel sanctimoniales, eadē pœnitentia contineantur, & radātur omnes capilli capitis earum. Synodus Francica, tomo secundo Conciliorum.

Si quis episcopum, aut presbyterum, aut diaconum falsis criminibus appetiuerit, & probare non poterit, ei non nisi in fine detur communio. Adrianus in capitulis Synodorum, tomo secundo Conciliorum.

Episcopis & presbyteris diligenti cautela pertractandum est, qualiter hominibus sua sibi delicta confitentibus, tempus abstinendi asscribant, ut iuxta modum peccati pœnitentibus abstinentia indicetur: quoniam uariè ab aliquibus sacerdotibus & indiscretè hæc iudicia proferuntur. Turonensis synodus capite 22.

Abusi sunt etiam claue soluente, cum impœnitentes absoluerunt, aut ad communionem admiserunt. Sic Tarasius Constantinum, qui relicta uxore aliam duxerat, ad communionem admisit. Zonaras tomo tertio.

CASVS

CASVS VARII CIRCA *claues.*

Romani pontifices etiam in rebus politicis, contra ius & fidem dispensare cœperũt. Stephanus enim papa, Pipinum à periurio in regem commisso absoluit. Paulus Diaconus libro uigesimosecundo, rerum Romanarum. Et Gregorius tertius papa, triplici excommunicatione Leonem Isaurum imperatorem ligãs, Romam cũ omni Italia ab eius imperio auulsit. Aedituus in Chronico.

2.

Cum pontifex Leonem Isaurum ob reiectum cultum imaginum excommunicasset, Imperator ridens dicebat: Idololatra est, & ipse excõmunicatus à Deo. Zonaras, & Paulus Diaconus, & Francus de Concilijs.

3.

Vrbana multitudo, in magna ecclesia cum Athanasio patriarcha congressa, Constantinum Imperatorem, de cuius morte rumor falsus increbuerat, ut arrogantem & aduersarium ipsius Dei excommunicat. Paulus Diaconus lib. 22 rerum Romanarum: Zonaras tomo 3.

4.

Cœperunt hoc seculo Romam cursitare absolutionis gratia, errore illo decepti, quasi pontificis absolutio efficacior esset, quàm aliorum sacerdotum. Vnde Eangytha abbatissa in epistola ad Bonifacium inquit: Multum temporis fluxit, ex quo desiderium habuimus, sicut plurimi ex necessarijs & cognatis siue alienis, dominam quondam orbis Romam peteremus, ut ibi peccatorũ nostrorum ueniã impetremus: sicut alij multi fecerunt, & adhuc faciunt. Multi sunt qui hanc uoluntatem uituperant, & hunc amorem derogant: & eorum sententiam his astipulantibus affirmant, quòd Canones Synodales præcipiant, ut unusquisq; in eo loco, ubi constitutus fuerit, & ubi uotum suum uouerit, ibi maneat, & ibi Deo reddat uota sua: sed uniuersi diuersa uoluntate uiuimus.

5.

Quidam soli Deo, quidam uerò solis sacerdotibus peccata confitenda asserebant: sed utrosq; refutat Synodus Cabillonensis cap. 33. Et ostendit, & Deo & sacerdotibus confitendum esse. Quia confessio quæ Deo fiat, purget peccata: ea uerò quæ sacerdoti, doceat qualiter purgentur peccata.

6.

Quidam pœnitentes, cum esset eis carnium & uini usus interdictus, alijs cibis & potionibus delicatius indulgebant. Sed id Synodus Cabillonensis capite trigesimoquinto refutat, ostendens non tam cibi & potus prohiberi usum, quàm desiderium eorum, & intemperantiam.

7.

Quidam consultò & deliberatò peccãtes, propter eleemosynarum largitionem sibi promittebant impunitatem. Sed eadẽ Synodus cap. 36. illos refutat: & Deum mercede sibi conducere dicit, ut peccare impunè liceat: ac eleemosynam liberare affirmat à peccatis necessitate aut casu aut fragilitate commissis, & non ex industria aut cuiuslibet libidinis explendæ gratia factis.

Quidam pœnitentiarij cum ferro oberrabant, quòd sibi satisfactionis loco impositũ esse nugabantur: sed Carolus Magnus in cõstitutionbus suis sancit, ne sinãtur per suam terram transire.

RITVS CIRCA *cœnam.*

COenam Domini episcopi, sacerdotes, presbyteri & monachi administrabãt. De pontifice Romano Nicomediæ cœnam administrante, Blondus decadis primæ, libro decimo meminit. De presbyteris missarum solennia administrantibus, canon decimusnonus Turonensis testatur, tomo secundo Conciliorum.

In templis, super altaribus. Tarasius Constantinopoli ad sacram aram accessit. Ignatius in uita eius, apud Metaphrasten tomo quinto.

In mensa lignea, ad aram posita, Tarasius sacra peregit. Ignatius in uita eius. Et Tiberius sacellum ingressus, mensam sanctissimam subijt. & una manu apprehensa columella, mortem deprecatur. Zonaras tomo 3. Ad mensam in medio tẽpli collocatam, Carolus & alij accesserunt communicaturi. Metropolis Crantzij lib. 1. cap. 9.

In uasis metallicis: ut patena aurea, uel argentea. Patenam auream librarum duodecim Constantinus papa refecit. Liber pontificalis. Gregorius secundus ciborium argẽteum fecit. Liber pontificalis.

Et calice aureo: ut apparet ex responsione Bonifacij apud Hedionẽ lib. 6. cap. 9 Ecclesiasticæ historiæ: Olim aurei sacerdotes, & lignei calices: nũc uerò aurei calices, & lignei sacerdotes. Et Ioannes septimus fecit calicẽ aureum librarum 20, eumq; gemmis preciosis decorauit. Liber pontificalis.

Canistra argentea duodecim per diuersa oratoria fecit Adrianus papa, quorum fortè usus fuit in oblationibus. Liber pontificalis.

Porrò uasa illa consecrare solebant, ut patet ex actione 6 Nicenæ secundæ: Habemus alia plurima consecrata uasa. hæc quia in nomine tuo facta sunt, & consecrata, exosculamur.

In festis solennibus, ut natali Christi, Cæsares in sacerdotes ab Irene attonsos,

In festo

in festo natiuitatis Christi populo communionem porrexisse testatur. Diaconus libro 23. Zonaras tomo tertio. In die quo Dominus cœnam instituit: ut patet ex Cabillonensis Synodi capite 47. In Paschate. Sic Adrianus papa in paschali festiuitate missas celebrauit. Liber pontificalis. Et Carolus in die paschali communicat, spectante Vuitekindo, apud Crantzium in Metropoli lib. 1. cap. 9.

Vtebantur autem pane azymo, & uino aqua misto. Beda in Marcum libro 4. capite 14. Verùm quia nos in Christo, & in nobis Christum manere oportet, uino Dominici calicis aqua miscetur. attestante enim Ioanne, aquæ populi sunt. Et neq; aquam solam, neq; solum uinum, sicut nec granum frumēti solum sine aquæ admixtione & cōfectione in panem, cuipiam licet offerre: ne talis uidelicet oblatio quasi caput à membris secernendum esse significet, & uel Christum sine nostræ redemptionis amore pati potuisse, uel nos sine illius passione saluari ac patri offerri posse confingat.

In consecratione non tantùm institutionis uerba recitabant, sed etiam alijs usi sunt cantionibus, & precationibus: ut constat ex Damasceni epistola ad Iordanum de Trisagio, & ex ijs quæ de missa subijciemus. Et Carolus Magnus libro secundo, cap. 27. de cultu Imaginum dicit, Sacerdotem infularum circumstantis populi deprecationes suis precibus miscere.

Panem & calicem consecratos eleuarunt, ut à populo conspici possent. In eleuatione panis eucharistiæ non dicimus trisagios, uel triskyrios: sed unus hagius, unus κύριος IESVS Christus, in gloria Dei patris, cum sancto spiritu, cui gloria. Damascenus in epistola ad Iordanum, de Trisagio.

Administratores erant induti uestibus ad eum usum ordinatis. Tarasius communionem peragens, sacris uestibus albis indutus fuisse dicitur apud Metaphrasten, in uita sua. Sacerdotem purpuratum cœnam distribuisse Carolo, Crantzius in Metropoli libro primo, capite nono refert. Synodus Francica inquit: Decernimus, ut presbyteri & diaconi non sagis, laicorum more, sed casulis utantur, ritu seruorum Dei. tomo secundo Conciliorum. Hinc Ecclesiæ mos obtinuit, ut sacrificium altaris non in serico, neque in panno tincto, sed in lino terreno celebretur: sicut corpus Domini in sindone munda sepultum, iuxta quod in gestis pontificalibus à beato papa Syluestro legimus esse statutum. Beda in Marcum lib. 4. cap. 15.

Neque mutilam, sed integram cœnam tam laicis quàm clericis distribuebant. Gregorius tertius in epistola ad Bonifacium, quæ extat apud Nauclerum generatione 25. Si fideles Christiani fuerint, Domini corporis & sanguinis participatio tribuatur. Et: Tharasius agnum, qui tollit peccata mundi, Christum sacrificabat sacris inuocationibus, & fidelium distribuebat manibus, & omnes aspergebat precioso illo sanguine, quem ostendens dabat ad debitorum animæ solutionem. Ignatius in uita eius. Aponius libro primo in Cantica canticorum: Osculum Christi per corporis eius & sanguinis gustum anima nostra suscepit. Beda in Iohannem libro primo, capite primo: Fideles de baptisterio ad altare sanctum ingredi, ac Dominici corporis & sanguinis uictima singulari consecrari debent. Constat etiam ex Caroli Magni libro secundo, capite uigesimoseptimo, de cultu imaginum: quòd utranque partem distribuerint laicis.

Eucharistiam Nicomediæ Iustinianum imperatorem è manu pontificis Romani manducasse, Beda libro secundo de Ratione temporum indicat: & Diaconus libro sexto, capite decimo, de gestis Longobardorum: Adon ætate sexta. Purpuratum sacerdotem singulis pulchellum puerum in os dare, Vuitekindus uidit. Crantzius in Metropoli libro primo, capite nono & decimo.

Nondum baptizatos, uel etiam adhuc excōmunicatos, uel notoriè sceleratos, uel nōdum plenè institutos arcebant à communione. Quare Plato indignè tulit, quòd Tarasius Constantinum, qui uxore repudiata alteram duxerat, ad communionem admisisset. Zonaras tomo 3. Ne pueris, aut alijs quibuslibet personis sine delectu corpus Domini distribuatur à presbyteris, Caput 19 Turonensis Synodi cauet. Beda in Lucam lib. 4. cap. 15. Nisi spem quisq; primæ immortalitatis induerit, nisi annulo fidei operam præmunierit, nisi ipsam fidem piè confitendo prædicauerit, non potest sacramentis interesse cœlestibus. Idem in Iohannem lib. 1. cap. 2: Ecclesiastica consuetudo catechumenis corporis et sanguinis Christi communionem non tradit, quia non sunt renati ex aqua & spiritu, quibus tantùm creditur participatio corporis & sanguinis Christi. Eadem uerba Albinus lib. 2 in Ioannem, cap. 2 refert.

Mulieres uelato capite, tempore mysteriorum ad sacrum corpus accedere, iubet Beda libro secundo, capite tertio, in Iob: ne fortè aliquibus angelis, id est ministris altaris, scādalum aliquod afferant.

Ieiunos accedere oportebat. Beda in Lucam lib. 6 cap. 22. Quòd si quem mouet, cum cœnatis Saluator Apostolis suum corpus ac sanguinem

sanguinem tradiderit, quare nō uniuersalis Ecclesię consuetudine ieiunij doceamur eadem sacramenta percipere: breuiter audiat, ideo tunc cœnatos communicasse Apostolos, quia necesse erat pascha illud typicum antea cōsummari, & sic ad ueri paschę sacramenta transiri. Nūc in honorem tanti tamq; terribilis sacramenti placuisse magistris Ecclesiæ, primò nos Dominicæ passionis participatione muniri, primò spiritualibus epulis interius exteriusq; sacrari, ac deinde terrenis dapibus corpus, & uilibus escis refici.

Quoties communicandum sit, synodus Turonensis capite 50 inquit: Vt, si non frequentius, uel ter laici homines in anno communicent, nisi fortè quis maioribus quibuslibet criminibus impediatur. Et Cabillonensis capite 46: Cauendum, ne si nimium in longum differatur perceptio corporis & sanguinis Christi, ad perniciem animæ pertineat. Abstinens aliquot diebus ab operib. carnis, & purificans corpus animamque suam, pręparet se ad percipiendum tantum sacramentum.

DE MISSA.

Coenam Domini, in theatricum spectaculum & sacrificium pro uiuis & mortuis, Romani pontifices cōmutauerunt, eamq; alijs ecclesijs obtruserunt: & noua appellatione Missam, ut ad Danielis Maosin uox congrueret, dixerūt. De Adriano Balęus in uita eius refert, quòd Missarum ritus à Magno Gregorio editos, Occidentalibus ecclesijs imperauerit. Crodegangus Metensis episcopus Missas Romę ad confessionem Petri coram papa celebrauit: scilicet ut probaretur, an rectè illos ritus didicisset: & se plebemq; suam Deo & sancto Petro commendauit. Autor de uita eius, capite 11.

Ac tempus quando essent celebrandę, suis decretis præfinierunt. Sic Gregorius secundus celebritatem Missarum in quinta feria, ante Quadragesimam cum ieiunio fieri iussit, Anno 714. Sigebertus. Et Stephanus 3. constituit, ut omni die Dominico à septē episcopis cardinalibus hebdomadarijs, super altari Petri Missa celebretur, & Gloria in excelsis Deo dicatur. Liber pontificalis.

Nouis porrò ceremonijs subinde auxerunt, quas etiam alijs ecclesijs imperarunt. Sic Gregorius tertius constituit, ut post primam commemorationem Sanctorum in canone Missæ sacerdos dicat: Et eorum, quorum solennitas hodie in conspectu tuæ maiestatis celebratur, Domine Deus noster toto orbe terrarum, &c. anno Domini 731. Sigebertus. Et Adrianus in offertorijs, & offertoriorum uersibus, quod geminatum est, geminauit. Sigebertus, Anno 772. Et Synodus à Stephano conuocata constituit, ut in omni die Dominico ad Missam Gloria in excelsis Deo cantetur: anno Domini 768. Sigebertus.

Ac si quid displicuit, rursus mutauerunt. Sic Adrianus, cùm forma Missæ seu officiū, ut uocant, à se præscripta, approbata esset ab alijs: denuò mutata sententia, Gregorianam ubiq; obseruari iussit. Sed tamen Mediolanensis ecclesia ei non paruit, uerùm Ambrosianam retinuit. Gygas in Florib. temporū.

Et ad Missarum solennia peragenda pallium Gregorius 2. papa Bonifacio misit: ut patet ex epistola eius apud Naucleruin generatione 25.

Non licebat sacerdoti infulato capite, nec cum baculo pastorali, neq; nudis cruribus Missam celebrare: iuxta constitutionem Zachariæ papæ in Synodo, capite 13. Chronicon Aeditui: & Gygas in Floribus: Synodus Anglicana capite decimo.

Et nullibi quàm in dedicato loco Missas fieri, Gregorius secundus pontifex iussit. Balæus in uita eius. Et in Londinensi synodo constitutum est, ut Missæ ante imagines celebrentur. Vnde Carolus Magnus in constitutionibus suis pręcipit, ne quis presbyterū die Dominico inuitet ad domum suam, ad Missam faciendam: sed ut omnes in ecclesiā ueniant. Sed tamen Vulfrannum in naui Missam, uerùm nō elata uoce, mussitasse, indicat Vincentius libro 23. capite 145.

Bonifacius in ministerio cœnæ quibusdā exorcismis, præter morem ueteris Ecclesiæ in Germania, usus est: teste Balæo Centuria 2 Scriptorum Britanniæ, capite 13.

Ac oportebat presbyteros Missas celebrātes, simul communicare, ut dicere possent, Sumpsimus Domine sacramēta: ut Carolus Magnus iuxta Apostolorum canones mandat in decretis Aquisgranensibus, anno 20.

In Missis Romanis solebant Imperatorū secum facientium nomina celebrare, dissentientium uerò omittere. Sic Philippici Imperatoris nomen ad Missarum solennia nō est prolatum, quòd hostis imaginum esset. Beda lib. 2. de Temporibus: & Adon ætate 6.

Ac in earum celebratione cœperunt Romani pontifices inaugurare reges. Sic Stephanus papa inter celebrationem consecrationis altaris, & oblationem sacrificij, unxit in reges Francorum, Pipinum & filios eius, Carolum & Carolomannum, & Bertrodam coniugem eius. Regino libro 2. Et Leo tertius in Missa imperialem coronam Carolo imposuit. Iohannes de Oppido.

In administratione cœnæ, neq; uiuorum neq; mortuorum mentionem Germanę ecclesię hactenus faciebant. Quare Gregorius Bonifacio ea de re quærenti, rescribit: Christianos, pro suis mortuis uerè Christianis

posse offerre, sacerdotesq; mortuorum facere mentionem iubet: ut apparet ex epistola eius apud Nauclerũ, generatione 25. Quod Bonifacius sedulò est executus. nã in epistola ad Aldheriũ abbatẽ inquit: Vt pro dormientiũ fratrum animabus, qui nobiscũ laborabãt in Domino, adiuuamina, & Missarum solenia celebrare faciatis, precamur: quorum nomina gerulus harũ literarũ demonstrabit. Damascenus in sermone de defunctis nugatur, Apostolos & patres, & totã catholicam Ecclesiã, defunctorum mentionẽ facere in sacrificio illo incruẽto. Carolus Magnus libro 2. cap. 31. de cultu Imaginum: Nos nostris per Missarũ solennia quietẽ exposcimus. Itẽ, nostrorum mentionẽ facimus in oratione.

Ac eam rem passim esse à superstitiosis susceptam, apparet ex multorũ epistolis. Sic Bugga abbatissa in epistola ad Bonifacium inquit: Vt sanctarũ Missarum oblationes offerre digneris pro anima mei propinqui, qui mihi præ cæteris charus erat, peto. Et Sigbaldus in epistola ad eundem: Notum sit tibi, quòd ex eo tempore nomen tuum habuissem adscriptum, cùm Missarum solennia celebrarẽ, simul cum nominib. episcoporũ nostrorum: & modò non cesso, quãdiu subsistam: & si superuixero, tibi cum nomine patris nostri Erenuualdi episcopi, tuũ adscribam nomen. Et Torchelmus ad eundẽ Bonifaciũ inquit: Omnia quę à paruitate nostra petere dignatus es, libẽtissimè suscipimus: hoc est, quòd in sacris Missarum celebritatibus, & in quotidianis precib. tuæ sanctitatis memoria celebratur. Et Aedisuualdus rex Anglorũ in epistola ad Bonifaciũ: Sicut uestra benignitas de Missarum solennitatibus Deo instigãte dictauit, ita quoq; nostra mediocritas deuota mẽte implere conetur, memoriaq; nominis uestri in septenis monasteriorũ nostrorũ synaxis perpetua lege censeri debet. Et Chutbertus in epistola ad Lullũ: Mutuę pro nobis, nostrisq; & hîc uiuẽtibus, & huic obedientibus interpellationes, Missarumq; remedia ad uiuẽtem Dominũ, & iudicẽ omniũ suppliciter aguntur. Et Synodus Cabillonensis cap. 33 mandat, ut in omnib. Missarũ solennitatibus, pro defunctorũ spiritib. loco cõpetenti, Dominus deprecetur. Ratio friuola additur: Sicut enim nulla dies excipitur, qua nõ pro uiuẽtibus, & pro cuiuslibet necessitatibus Dominus deprecetur: ita nimirũ nulla dies excipi debet, quin pro animabus fidelium preces Domino in Missarum solennibus fundantur.

Cœperunt etiam pro tempestatibus Missæ celebrari: ut apparet ex epistola Lulli ad Denehardum, Eanbertum, Vmbestũ, &c. Illas Missas (inquit) quæ pro tẽpestatib. fieri solẽt, celebrare uos presbyteri recordamini. Misimus uobis nomina Domini Romani episcopi, pro quo unusquisq; uestrûm triginta Missas cãtet, & illos psalmos, & ieiunium iuxta constitutionem nostram. similiter pro duobus laicis nomine Megefrich & Raban, decem Missas unusquisq; uestrûm cantet.

Et pro ualetudine ægrotãtium. nam pro Lullo monachos psalmos decantasse, & sacerdotes quinas Missas celebrasse, ut pristinam sanitatem reciperet: in epistola Vuigberti ad eundem indicatur.

CASVS CIRCA COENAM.

Vuitekindus interrogatus à Carolo, quid in templo uidisset? inquit: Vidi hodierna die te primùm sollicitum, & ad rem attentissimum. Posteaquam uerò mensam adieras templo mediam, ita hilari mihi conspectus es uultu, ut repentinæ in te mutationis me caperet miraculum. Stupor autem erat uidere, quòd de manu purpurati sacerdotis singuli pulchellũ puerum in os susciperent: quem quibusdam ludibundum arridere, ultrò properare: alijs uerò abhorrentem, auertisse uultum, & tamen in ora demissum, nec redeuntem aspexi. Crantzius in Metropoli libro 1. capite 9.

2.

Duos uel tres calices in celebratione cœnę ad altare collocare, cõtra institutionẽ Christi esse, qui in singulari dixerit, Hic calix noui Testamenti est: Gregorius 3. in epistola ad Bonifaciũ autumat, tomo 2 Concil.

3.

Leprosis cum sanis communicare non licebat; sed separatim eis cœna exhibebatur. Gregorius 3. in epistola ad Bonifacium.

4.

Epileptici postremo loco sacram cœnam accipiebant in templo: iuxta Zacharię institutionem, in epistola 2 ad Bonifacium, tomo 2 Conciliorum.

5.

Longobardi munera sacra, id est sacram cœnam, in suos folles seu uascula miserunt: & cibo carnium copioso satiati, comederũt: ut queritur Stephanus papa in epistola ad Pipinum.

6.

Crucis Christi signationẽ in baptismo & confirmatione & cœna planè necessariã Albinus facit, lib. 7. in Ioan. cap. 19. Nisi signum crucis Christi adhibeatur siue frõtib. credentiũ, siue ipsi aquæ ex qua regenerãtur, siue oleo quo chrismate unguntur, siue sacrificio quo alũtur: nihil eorũ ritè perficitur. Sed ubi hæc in Dei uerbo mandata leguntur?

7.

Angli crustam in cœna, & calices & patenas de cornu bouis usurpabant. Sed Adrianus per legatos suos in Synodo panem, & non

nō crustam panis, iubet in cœna administrari: & calices & patenas corneas abrogat, eo quòd sint sanguineæ. capite 10.

8.

Franci etiā paruulos ad cōmunionē admiserunt. nā Ansegisus lib. 1. de Legib. Frācorū, cap. 155 dicit, Carolum Magnū cōstituisse, ut presbyter semper habeat paratā Eucharistiā, ut paruulis aut alijs infirmis distribuat, ne sine communione moriantur.

RITVS CIRCA
orationes.

HAbuerūt sua certa tempora, & horas, quibus tum publicas preces, tum etiā priuatas fecerūt. Nocturnas uigilias Christianos celebrare Habdallas uetuit. Paulus Diac. lib. 22 rerum Rom. Archis rex crebrò in tēplo Sophiæ propter orationē pernoctauit, Beneuenti. Leo Hostiēsis lib. 1. cap. 10. in Chronico Casinensi. Aut dicendum est, eum semper orare, & non deficere, qui canonicis horis quotidie iuxta ritū Ecclesiasticæ traditionis psalmodijs precibusq; consuetis Dominū laudare & rogare nō desistit. & hoc esse quod Psalmista dicebat: Benedicam Dominum in omni tēpore, semper laus eius in ore meo. Aut certè omnia quæ iustus secundum Deum gerit & dicit, ad orationem esse reputanda. Beda in Lucam libro quinto, capite decimooctauo.

¶ Ac sua quædam loca habuit precatio. Nam interdū ad aras. Grimoaldus ad altare Lamberti, Leodij orat. Sigebertus. Maria ante ingresū altaris orat in ecclesia magna. Paulus Diac. lib. 21 rerum Rom.

Interdū ad statuas preces fuderūt. Sic muliercula dęmonio uexata, Romę ad imaginē Anastasij orās, sanata dicitur 4 act. Nicenę 2. Et in 5 actione Sabas inquit: Petimus & nos, ut suis in locis imagines restituantur, Christiani autem apud eas preces faciant.

Interdum ad sepulchra orasse leguntur. Angli enim ad corpus Benedicti sese prosternunt oraturi. Hostiensis libro 1. capite 15. in Casinensi Chronico. Et Vuilhadus, grassante persecutione Vuitekindi, in Galliā ad sepulchrū Vuillebrordi redijt, ibiq; orationi institit, pro Saxonię salute. Crantzius in Saxonia libro 2. capite 14.

Ac ad remota loca ex superstitione profecti sunt oratū. Carolus cū cōiuge Hildegarde Romā orandi gratia uenit, anno 780. Regino. Et Pipinus orationis gratia ad Martinū & Dionysiū uenit. Adon ætate 6. Et Theodo dux Bauarorū, primus eius gentis, orationis causa Romā adijt. Antoninus tit. 14. cap. 1. Et duo reges Saxonum, cū multis alijs Romam oratū uenerūt, sub Philippico Imperatore. Liber Pontificalis, & Platina.

¶ Suos etiā gestus & ritus, alij alios inter orandum obseruauerunt: ut sunt, Geniculatio. Ioannicius flexis genib. Deo cōsuetas preces reddebat. Ignatius in uita eius. Fixis genibus in terram orabāt, exceptis dieb. Dominicis, & publicis solennitatibus, quib. ob recordationem Dominicę resurrectionis uniuersalis Ecclesia solebat stando orare. caput 37 Turonensis synodi.

Extensio palmarum. Tarasius enim manus ad cœlū extendit, & à Deo illuminationem accepit. Ignatius in uita eius.

Decubitus in terram. Nam Medo abbas Floriacensis, solotenus prostratus, & lachrymis ora perfusus, orationi uacabat. Iuo in Chronico. Carolus super pauimentū prostratus orauit. Erphordiēsis cap. 69. Adrianus papa, & episcopi, & abbates, & Carolus Magnus, & proceres eius, Romæ in basilica Petri in terram prostrati, Deo agunt gratias pro uictoria. Liber pontificalis.

Vultus in terrā deiectus. Beda li 6. cap. 24. Nec quēquam sanctorum legimus tempore Dominicæ resurrectionis, uel ipso Domino, uel angelis sibi uisis, terrę prostratū adorasse. Vnde mos obtinuit Ecclesiasticus, ut uel in memoriā Dominicæ, uel in spem nostræ resurrectiōis, omnib. diebus Dominicis, & toto Quinquagesimę tempore, nō flexis genibus, sed declinatis in terram uultib. oremus.

Conuersio ad Orientē. Damascenus lib. 4. cap. 13. de Orthodoxa fide: Non simpliciter & fortuitò ad Orientem adoramus: sed quia ex uisibili & inuisibili, id est intellectuali & sensibili cōflati sumus natura, duplicē adorationem conditori nostro offerimus, ut & mēte psallimus, & corporalib. labijs. Et baptizamur aqua & spiritu, & dupliciter Domino unimur, mysterijs participātes, & gratia spiritus. Quia igitur Deus est lux intelligibilis, & Sol iusticiæ, & Oriens in Scripturis nominatur Christus, dedicādus illi Oriens est ad adorationē. Et Albinus libro 2 de Trinitate, capite 5: Cùm ad orationem stamus, ad Orientem conuertimur, unde cœlum surgit, & lumen oritur: nō tanquam ibi habitet Deus, quasi cæteras mundi partes deseruerit, qui ubiq; præsens est, non locorum spacijs, sed maiestatis potentia: sed ut admoneatur animus, ad naturam excellentiorem se conuertere, id est ad Deum, qui est lumen uerum, illuminans omnem hominem uenientem in hunc mundum: cùm homo ipsum corpus suum quod terrenum est, ad corpus excellentius, id est ad corpus cœleste conuertit.

Signa tristiciæ erant, saccus, cinis, uigiliæ, ieiunia. Stephanus secundus suum & populi capita cinere conspergit, & cum eiulatu Dominum deprecatur, cōtra Aistulphi perfidiam. Liber pontificalis.

Pro uiuis & mortuis orationes, Bonifacius hoc seculo passim in Germanis ecclesijs instituit, iussus à põtificib. Romanis. Sic ad Optatũ abbatẽ scripsit, seq; in eius fraternitatẽ recipi petijt, ut pro uiuentibus inuicẽ preces faciãt, & pro mortuis tũ preces tũ oblationes: ut patet ex epistola ad eundem. Et Leobgytha Bonifaciũ monet, ut pro patre suo ante 8 annos mortuo preces faciat: in epistola ad ipsum. Et Carolus Magnus lib. 2. cap 31. uniuersalis Ecclesiæ traditionem esse dicit, orare pro mortuis.

¶ Meminerũt etiã formularum orationis. Amicus enim quidã nomine, lepra percussus, illachrymãs inquit: Piētissime Deus, aut mortẽ mihi tribue, aut misero mihi misericordię subsidium porrige. Vincentius lib. 23. cap 165. Beda moriturus orat: ô Rex glorię, Domine uirtutũ, qui triumphator hodie super omnes cœlos ascẽdisti, ne derelinquas orphanos, sed mitte promissũ patris in nos spiritum. Vuilhelmus Malmesburiẽsis lib. 1. cap. 47. de gestis Anglorũ. Et apud Damascenũ extat oratio Scholarij, ad unum & triũ personarũ Deum. Et Damasceni, ad Dominum & Deiparã, ad archangelũ. Itẽ oratio ad Christũ matutina, & meridiana, & uespertina.

Et Litaniarũ. Carolus Magnus Litanias per triduum cũ exercitu celebrat: & petit à Deo uindictã in Auares, ad fluuiũ Anassum. Regino lib. 2 Chronic. Gregorius 2. quotidie Litanijs Dominũ precabatur. Liber pontificalis: & Sigebertus, anno 717. Et Leo põtifex dum Litanijs uacat, à Romanis capitur, ad 7 Cal. Maij. Auentinus lib. 4. Litanię maioris fit mentio apud Reginonem libro 2. Adrianus papa, ad petitionẽ Caroli regis, pro conuersione Saxonũ Litanias fieri curauit Romę, & in omnib. partibus sub ditione Romanæ ecclesiæ existẽtibus, 23. 26. & 28 mensis Iunij diebus: hoc est, in uigilia Iohannis Baptistę, in natali sanctorũ Iohannis & Pauli, nec nõ & in uigilia B. Petri apostoli. Monet Carolum, ut ijsdem diebus in omnibus suis finibus, seu transmarinis partibus, ubi Christiani morantur, Litaniã fieri curet: in epistola Adriani papæ ad Carolum.

Circuitionum. Ciues Constantinopolitani obsessi à Saracenis, singulis diebus Martis, imaginem Marię per ciuitatem circumferebant, ieiunantes & orantes. Vincentius libro 23 cap. 147. Populus Romanus à Lateranensi in maiorẽ ecclesiã Deigenitricis processit, supplicãs Deo. Et Stephanus põtifex, quẽ Blondus Gregoriũ 3. uocat, pacis formulam perfidi Aistulphi chirographo exaratã, de uexillo crucis pendentem, prætulit, cunctis Deum contra perfidiam inuocantibus: Blond. decad. 1. lib. 10. Liber pontificalis.

Processionum. Leo cum Litanijs, equo insidens, processit de Laterano ad ecclesiam Laurẽtij. Annonius lib. 4. cap. 87. Crantzius in Metropoli lib. 2. cap. 1. Et Annales Francorum. Et sic ordinauit idem, ut sexta feria summus pontifex cũ omni clero & populo, ab ecclesia Dei genitricis ad Pręsepe egrediens, pergat cũ hymnis & canticis ad ecclesiã Saluatoris quę dicitur Constantiniana: feria tertia, ab ecclesia sanctæ Sabinę ad S. Paulũ: feria quarta, ab ecclesia Hierusalem, ad S. Laurentiũ foris muros. Chronicon Martini. Idẽ Heinricus de Erphordia, cap. 69. Stephanus 2. instituit, ut singulis diebus sabbati Litanię celebrẽtur, semel in tẽplo Mariæ, secundò ad beatũ Petrum, tertiò ad B. Paulum. Platina, & Liber põtificalis. Stephanus 3. finito Concilio, congregat sacerdotes & populũ, & nudis pedib. cũ hymnis & cãticis ad basilicam Petri prodeãbulat. Liber põtific.

Miracula precibus attribuũt passim. Sic Constãtinopolitani triẽniũ obsessi, solis precib. à Deo impetrarunt, ut hostes in fugã ex insperato sese cõijcerent, & in mari à tẽpestate obruti perirẽt. Iuo in Chronico, sub Leone: Blõdus decadis 1. lib. 10. Beda de Ratione temporũ. Gregorio papa crebris Litanijs Deum deprecante, post dies nouẽ aquarum inundatio repressa est. Sigebertus & Beda. Carolo Magno ad S. Iacobum orante, muri Pampilonæ corruũt. Turpinus Remensis episcopus, apud Erphordiensem capite 68.

CASVS CIRCA ORA- *tionem*.

Egidius sagitta uulneratus, sciens uirtutẽ in infirmitate perfici, Dominũ exorauit, ne quamdiu uiueret, sanitati pristinæ restitueretur. O furiosa & cæca superstitio. Antoninus titulo 13. capite 6. § 33.

Alius.

Constãtinopoli obsessa imago Marię, hoc modo à ciuibus adoratur: Sancta Dei genitrix, quæ toties nos liberasti, libera nos modò de inimicis filij tui: & si uis ut imaginem tuã non mergamus in mari, merge illos. Vincentius libro 23. capite 147.

RITVS CIRCA VOCATIONEM *& ordinationem.*

IVs eligendi & uocãdi episcopos, sacerdotes, & alios ministros Ecclesię, erat penes totã Ecclesiam: scilicet penes clericos & laicos. Zonaras tomo 3. Imperatores Tarasiũ designarũt patriarcham, approbãte omni populo. Stephanus 3. à clero & populo eligitur episcopus. Platina. Cunctus Dei populus intra basilicã Mariæ cõgregatus, inuocato Dei nomine, Stephanũ 2. eligũt pontificẽ, & humeris exceptũ portant in basilicam Cõstantinianã, & in patriarchiũ collocãt. Liber pontific. Atq; hic primus fuit pontifex, qui baiulari uoluit. Francus de pontificib. Die

Domi-

Dominico Vualipertus presbyter cũ sua factione in monasteriũ Viti irrũpit: ac Philippũ presbyterũ extrahens, acclamatione publica papam salutat, & in basilicã Saluatoris more solito deducit. Liber Pontificalis. Carolus Magnus in edicto suo concedit, ut episcopi per electionem cleri & populi secundũ canonum statuta, de propria diœcesi, remota personarum & munerũ acceptione, ob uitæ meritum & sapientię donũ eligantur, ut exẽplo & uerbo sibi subiectis usquequaq; prodesse ualeant. Catalogus testiũ ueritatis Illyrici.

In episcoporum tamen metropolitanorũ & archiepiscoporũ electione & uocatione, uicinorum episcoporum & Magistratus requirebatur consensus. Sic Metenses per legatos à Pipino petunt, ut aliũ substituat episcopum, pro Sigibaldo mortuo. Autor uitę Crodegangi, cap. 5. Et imperator Constantinopoli Nicetam relegat: & in eius locum Eunuchum, qui uix legere poterat, surrogat. Zonaras tomo 3. Euilid dux Arabum consentit in Stephani electionẽ Theupoli. Paulus Diac. lib. 22 rerum Rom. Et ius eligendi pontificẽ, Adrianus unà cũ Synodo CLIII episcoporũ Carolo Magno tradidit, anno 773. Sigeb. Sacerdotes, defuncto præsule, lituũ cũ annulo ad aulam mittebãt: & cui ea princeps solẽni ritu tradebat, is eiusdẽ fani rector designatus erat. Ita obseruatũ esse sine cõtrouersia, ad Henrici 4. imperium, legimus. Auentinus lib. 4 Annalium. Imperatores & optimates, & collegium sacerdotũ cõsentit in Tarasiũ patriarchã. Ignatius de uita eius. Ac ea de re sic Imperator in epistola sua ad Synodum Nicenam 2. scribit: In faciem præsentiũ sacerdotum, & clarissimorum nostrorũ ducũ, totiusq; Christicolæ nostrę plebis, unum eduximus, scilicet Tarasium, & omnibus libertatem dedimus, ut si quid aduersus unum haberent, dicerent, ut purgare se posset. Illi uerò hæc audientes, libenter hominẽ acceperunt: tomo 2 Concil. Et Paulus papa, & postea Constantinus papa in epistolis suis ad Pipinum, indicant, se inuitos à populo ad pontificatum electos esse, & petunt confirmationem & assensum eius.

Romani aũt põtifices, sibi etiã supremam potestatem in electione & ordinatione confirmanda uendicarũt. Ticinenses episcopi à Romana ecclesia priscis tẽporib. cõsecrati sunt. Paulus lib. 6. cap. 10 de gestis Longob. Cõstantinus papa ordinauit Felicẽ Rauenatem. Erphordiẽsis cap. 62. Et Stephanus 3. rogatus ut Michaelẽ Scriniariũ Rauennatib. daret episcopũ, omnino recusat, prætexens eum non esse idoneũ. Liber pontific. Sed Leonem archidiaconũ à populo, clero & iudicib. electũ cõsecrat: ibidem. Archimystes cõmuni omniũ suffragio deligatur, isq; Romam cõtinuò eat, ut si dignus fuerit, à Rom. pontifice cõsecretur. Gregorius 3. in epist. ad Vitulum: Auentinus libro 3 Annalium.

Per ordinem porrò graduum solebat fieri promotio. Sic Gregorius 2. per diuersos ecclesiasticos ordines ad põtificatũ uenit. Antoninus tit. 14. cap. 1. Et in Synodo Romana sub Stephano, canon constituitur, de successione per omnes gradus Ecclesiasticos. Carolus Magnus libro 3. capite 2 de cultu Imaginum: Necesse est, ut si quisque inculpati meriti sit, antè tamen per distinctos ordines Ecclesiasticis exerceatur officijs: uideat quod imitetur, discat quod doceat, informetur ad id quod teneat: ut postea nõ debeat errare, qui eligitur uiam errantibus demonstrare, &c. Ordine ergo ad ordinem accedendum est: non gradum rectè appetit, qui ad summa loci fastigia, postpositis gradibus, per abrupta quærit ascensum.

Electi aũt examinari prius solebant: ac suspecti de erroribus, prius sese purgare tenebantur. Paulus Cyprius post plurimã propter hęresin excusationẽ, consecratur episcopus. Paulus Diac. lib. 23 rerum Rom.

Infames ad sacerdotiũ nõ admittebantur, iuxta Adriani cõstitutionẽ. Schedel ætate 6. & Acta Põtificũ. In cõcilio à Carolomãno in Gallijs celebrato, statutũ est, ne quis presbyter ad officiũ Ecclesiasticũ admitteretur, nisi prius ab episcopo & cõmuni synodo, de doctrina & uita eius esset inquisitũ. Mutius in Chronico Germ. lib. 7. Gregorius 2. in epistola ad Thuringos uetat, bigamos, indoctos, aut mẽbro aliquo corporis mutilatos, aut Afros Manichęos rebaptizatos ordinari. apud Hedionẽ lib. 6. cap. 6 hist. Eccles. Apud Gręcos & Romanos, ab omni gradu sacerdotij prohibebatur, qui cũ Deo cõsecrata nonna concubuisset. Bonifacius in epist. ad Ethelbaldũ. Sacerdotes, qui oues Christi cœlesti pabulo, & nõ fabulis pascant, & qui imperẽt cupiditatibus suis, & spernãt libidines, coherceãt auariciã & irã, & uetus & nouũ Testamẽtum dies noctesq; peruoluãt, & in manib. terãt, ecclesijs pręficiẽdos esse, Bonifacius cẽsuit: teste Auẽtino lib. 3. Ignoti presbyteri & episcopi, nisi in conuentib. solennibus eruditio eorũ & mores cõprobati fuerint, repulsam ferant. Carolomannus in edicto suo, apud Auẽtinũ lib. 3 Annal. Homicidę, adulteri, fornicatores, licet pœnitentiã egissent, tamẽ nõ admittebãtur ad sacerdotiũ. Zacharias in epist. 2 ad Bonifacium.

¶ Examinati ordinabantur uel ab episcopo induto pallium, ut Gregorius ad Bonifacium inquit: Sacri pallij tibi direximus munus, in quo, dũ in episcopũ cõsecraris, utaris tantummodò. Nauclerus generatione 25.

Vel ab archiepiscopo. Adulf enim Rofen-

sis episcopus, à Berecualdo archiepiscopo consecratur. Beda lib.5.cap.24 Anglicæ hist. Gregorius 2. Bonifacio concedit potestatem ordinare episcopos. 16.q.1.

Vel à pontifice Romano. nam Paulus papa ordinauit presbyteros 12. diaconos duos. Liber pontificalis.

¶ Romani tamen pōtifices, tantùm à trib. ordinari solebāt episcopis: ut superiori libro diximus. Sic Stephanus 3. à tribus episcopis consecratus est. Platina in uita eius.

In pręsentia aūt uicinorū episcoporum id factū est. Tatuinus enim à Daniele Vētano, & Ingualdo Lugdunēsi, & Alduino Laidfeldensi, & Aldulfo Rofensi cōsecratur episcopus Dorouernensis. Beda lib.5.cap.24 Angl. hist. Et Gregorius 2. in epist. ad Bonifaciū inquit: Quoties episcopū cōsecraueris, duo uel tres episcopi conueniant tecū, ut Deo sit gratum quod geritur: & eis cōuenientibus, ipsisq; præsentib. consecres. tomo 2 Concil.

Interdum etiā regibus præsentibus id factum est. Sic Zacharias papa Narnię episcopum ordinauit, præsente Luitprando rege Longobardorū, & iudicibus eius: & orationē isthic pōtifex habuit. Liber pontific. Et Crodegangus pręsente Pipino & multis episcopis ordinatus est: ut patet ex uita eius.

¶ Non in mense quolibet, sed tantùm in primo, quarto, septimo, & decimo, ordinationes fieri debere, synodus Romana sub Zacharia, in multis cōcilijs statutū asserit & decernit cap.11. Sic in Decēbri & Iunio Gregorius 2. ordinauit: Stephanus uerò in Martio.

Item die Dominico. Sic secunda hebdomada ieiuniorum, die Dominico ordinatur Paulus Cyprius. Diac. lib.23 rerum Rom.

Præterea ad mensam sacram ordinatio facta est, ubi ordinandus iuramento interposito, testatus est se electionem sui non muneribus ambiuisse, aut adeptum esse: neq; unquam si alios ordinaturus sit ipse, aliquid de impositione manuum accepturum esse.

¶ Adrianus papa in epistola ad Carolum: Ordinandum sciscitantes obtestamur, Vide ne aliquā promisionē cuiquā, aut dationē fecisses: quia Simoniacum, & cōtra canones est. Et dū corā omnib. à nobis interrogatur, respōdet: Absit. Et nos: Tu uideris. Vnde simili modo sub iusiurandum in scriptis, respondet, Nunquam se aliquid accepturum, de manus impositione.

Item promisit doctrinę synceritatē, & uitæ innocentiam, & obedientiā suis superioribus. Sed hāc rationē abrogat synodus Cabillonensis cap.13: Dictū est præterea de quibusdā fratribus, quòd eos quos ordinaturi sunt, cogāt iurare, quòd digni sint, & contra canones nō sint facturi: & obedientes sint episcopo qui eos ordinat, & ecclesiæ in qua ordinātur. Quod iuramentū quia periculosum est, omnes unà inhibendum statuimus.

Edidit cōfessionem suę doctrinæ & fidei, ut apparet ex epistola Adriani ad Carolum: Enucleatius enim de singulis indagantes capitulis, sigillatim orthodoxę fidei atq; diuinorū uoluminum interrogamus habere peritiam: & postquam nobis fidelem responsionem edixerit, &c. sciscitamur.

¶ Insuper Romani pontifices suas creaturas iuramēto adstringebāt, ad suarū ceremoniarum obseruatione & propagationem, & ad oppugnādos ab ijs alienos & abhorrētes, ut testatur Bonifacius in epist. ad Zachariā: Gregorius dum me indignū ordinauit, & ad prædicandū uerbum fidei Germanicis gentib. misit, sacramento me cōstrinxit, ut canonicis & iustis episcopis & presbyteris, in uerbo, in facto, in cōsensu adstipulator & adiutor fierem. Idē in epist. ad Danielē: Recolo me ordinationis meę tēpore, iuxta pręceptū Gregorij papæ iurasse, in corpore S. Petri, taliū cōmunionē me declinaturum, si eos ad uiam Canonicam conuertere nequiuerim.

Formulam iuramenti Auentinus libro 3. pag.288 refert, in hunc modum: In nomine Domini Deique & Seruatoris nostri IESV Christi, imperāte Domino Leone à Deo coronato, magno Imperatore, anno 7 post consulatū eius: sed & Constantini Magni imperatoris, eius filij anno 4. indictione 6. Bonifacius diuino munere episcopus, tibi B. Petre, qui comitū Christi extitisti primarius, Gregorio uices tuas modò gerenti, omnib. successoribus tuis promitto, per patrem & filium & spiritum sanctum, qui tres unus natura simplicissimus Deus est, per hoc sacrosanctum corpus tuū spondeo: germanam Christianæ pietatis ueritatem, quoad uita & uires suppetāt, sectabor, concordiam seruabo, sacrificijs interdictos deuitabo: mendaciorū sectas, errores pestiferos, cōtra maiorū scita, Romano pontifici renunciabo.

Item, iureiurando adstringebant ordinandos ad uitam cœlibem: ut patet ex Romanæ synodi capite 14.

Impositæ sunt etiā eis manus. nam Adrianus papa in epist. ad Carolum inquit: Absit à nobis, ut super Simoniacos ueritate cōperta, manus consecrationis imponamus.

Orationes & unctio. Tarasius diuinis & spiritualib. inuocatiōibus suscepit unctionē honoris sacerdotalis, & ascēdit ad altitudinē cathedræ pastoralis. Ignatius in uita eius.

Traditio baculi. Crodegangum Pipinus rex baculo pastorali donat. in lib. de uita ei⁹.

Pontifices Romani ordinati pacē populo dabāt, & postea in Lateranēse patriarchium adducebātur: & collocati in sellā pōtificiam, idē factitabāt. inde ad mēsam ascendebāt, & cum

cũ primatibus Ecclesiæ & principib. militię epulabantur. Liber pōtific. in uita Philippi.

Solebāt etiam interdũ nomina ordinatis mutari, aut attribui, à festo quo consecrabantur. Sic Vuillebrordus nomen Clementis accepit per Sergiũ papā, in festo Clementis. Balæus cent. 2. cap. 5 Scriptorum Britanniæ. Aut ab alio bono omine. Sic Vinofridus à Gregorio 2. consecratus, Bonifacij nomen sortitur: utpote per quem Germani iugum Romani pōtificis essent subituri. Auentinus libro 3 Annalium Boiorum.

Ordines gratis conferre, synodus Cabillonensis capite 16 iubet.

RITVS ORDINANDI *presbyteros.*

IVxta ueteres canones non licebat presbyterum ordinare ante 30 annum ętatis: sed Zacharias papa annum 25 præfinijt. Sigebertus in Chronico: & distinct. 79. Si triginta. Et in epist. Zacharię ad Bonif. tomo 2 Cōcil.

De tempore ordinationis hæc Gregorius 2. sancit, in epistola ad Thuringos: Ordinationes presbyterorum seu diaconorum, nō nisi quarti, septimi, & decimi mensium ieiunijs, & in ingressu Quadragesimali, atq; mediante uespere sabbati nouerit celebrandas. 2 tomo Concil. Sed Zacharias in epistola ad Bonifaciũ secunda cōcedit, ut urgēte necessitate & paupertate ordinādorum, etiā alio tēpore ordinet presbyteros & diaconos.

De institutione ante ordinationē, in Arelatēsi synodo 4 caput sic habet: Quādo presbyteri ab episcopis in parochijs ordinantur, necesse est ut ab ipsis episcopis diligēter instructi, ecclesias sibi deputatas accipiant, ne per ignorantiam etiam in ipsis diuinis sacramentis offendant.

Apud Hispanos presbyteri sine examine ordinabantur. id reprehendit Adrianus in epistolis ad Egilam & episcopos Hispaniæ, & errorem esse indicat.

Clerici & monachi Romanorũ more ordinandi, in coronā attōdebantur: propterea q, Petrus sic esset ob memoriā passiōis Christi spineā coronam gestātis attonsus. Sed apud Pictos ijdē in obliquā coronam, & in ceruice acuminatā tonderi solebāt: quam cōsuetudinē Geolfridus in epistola ad Naitanũ Pictorum regem asserit esse Simonis magi. qua fabula ille rex persuasus, imperat omnib. suis clericis & monachis, ut Romanorum more circulari corona tondeantur. Beda libro 5. capite 22 Ecclesiasticæ historiæ Anglorum. Ac multos ex Britannia Romam uenisse, & in signum religionis Papisticæ tonsuram clericalem suscepisse, Adon Viennensis ætate 6 indicat. Irene mariti sui fratres Cęsares de coniuratione accusatos radi, & in sacerdotũ ordinem recipi curat, ut res sacras populo impertiantur, in festo Natiuitatis. Zonaras tomo 3. Tarasij coma ritu clerici abrasa est. Ignatius in uita eius.

RITVS DEPOSItionis.

COnstātino patriarchę Constātinopoli in ambonē collocato, episcopi superhumerale detrahunt, eumq; excōmunicatũ extra ecclesiā duci curant. Diac. lib. 22 rerum Rom. De Constātini papę laici depositione, hæc Platina refert in uita Stephani: Is in basilicam Saluatoris ductus, uidentib. omnibus, ac sacris canonibus perlectis, deposito pontificali habitu, magistratu se abdicat, in monasterio uitam priuatam agere iussus.

CASVS CIRCA ORDInationem.

Presbyteri, si incogniti illi fuerint à quib. sunt ordinati, & dubiũ est eos fuisse episcopos, an non, qui eos ordinarunt: si bonæ actionis & catholici uiri sunt, & in ministerio Christi omniq; lege sancta edocti & apti, ab episcopo suo benedictionem presbyteratus suscipiāt, & cōsecrentur, & sic ministerio sacro fungantur. Gregorius 3. in epistola 2.

2.

Presbyteros ex laicis promotos, & prius causis criminalib. implicatos, postea manifestata eorũ impietate, à ministerio remouendos cēset Zacharias, epist. 2 ad Bonifacium.

3.

Singulari priuilegio Zacharias Bonifacio concedit, ut moriturus, in ultima hora sibi successorem corā alijs suis collegis designet, eumq; Romam mittat ordinandũ: in 2 epistola ad eundem, tomo 2 Conciliorum.

4.

Constantinus ex laico Romæ ordinatur pōtifex. Sed eo postea remoto, Synodus decreuit, ut illi quos ipse ordinasset episcopos, ad eũ gradum redirēt, quē antea habuissent: & examinati denuò, si digni inueniātur, cōsecrētur. presbyteri uerò & diaconi similiter ad priorē gradũ reuersi, & ipsi quidē si digni essent, denuò cōsecrarentur, sed ad altiorem gradum nō ascendant: laici uerò ab illo diaconi uel presbyteri ordinati, omnino degradarētur, & in religioso habitu perseuerarēt. anno Domini 768, Sigebertus in Chronico: Blondus lib. 1. decad. 2. Et plurimos ex episcopis antea consecratis, denuò consecratos esse, testatur Liber pontificalis, in Stephano.

5.

Nodoaldus nobilis, ex palatio rapitur ad ecclesiam. Crantzius in Saxonia lib. 2. cap. 1. Et Arnulphus ex maiore domus fit episcopus. ibidem. Thrasimundus Spoletanorũ dux, uictus à Luitprādo, clericus ordinatur. Diaconus libro sexto de gestis Lōgobardorum. Anastasius imperator clericus factus,

presbyter etiam ordinatur. Et Theodosius deposita purpura clericus designatur. Ottho Phrysingensis libro 5. capite 17.

6.

Carolus Magnus nobilem quendam, episcopatum ambientem, cùm tamen non esset ad id munus idoneus, in militiam secum duxit. Mutius libro octauo.

7.

In scortatione aut adulterio deprehensos post baptisma, ad sacerdotium non admittebát. Tarasius in epistola ad Iohannē presbyterum, tomo 2 Concil. pagina 460.

8.

Episcopum per pecuniam ordinatum, si pœnitentiam agat, in officio relinquendum censet Tarasius: ibidem.

EXORCIZATIO OB-
sessorum.

QVosdã obsessos etiã hoc seculo curatos legimus, oratione & crucis signatione. Nã cùm ad Albinũ Andegauẽsem episcopũ mulier obsessa esset perducta, cœpit satan supra oculum eius uesicam sanguineam ostentare. Sed ille signo crucis facto, increpauit eum, dicens: Inimice, oculum quem non dedisti, non potes auferre. Mox ea disrupta, sanguis effluit: & satan exit, & mulier restituitur. Vincentius lib. 23. cap. 143. Ioannicius precibus ex puero & muliere eijcit cacodæmonem. Metaphrastes in uita eius.

Et energumenos oleo cõsecrato inunctos esse, colligi potest ex Bedę libro 2. capite 6 in Marcum. Idem constat ex libro 3. capitis 8 in Lucam, ubi in hunc modum scribit: Sed & nostri temporis sacerdotes, qui per exorcismi gratiã dæmones eijcere norunt, solẽt dicere, patientes non aliter ualere curari, nisi (quantũ sapere possunt) omne quod ab immũdis spiritib. uisu, auditu, gustu, tactu, & alio quolibet corporis uel animi sensu uigilãtes dormiẽtesq; pertulerint, cõfitendo patẽter exponãt. Et maximè quando uel uiris in specie fœminea, uel in uirili habitu fœminis apparẽtes (quos dęmones Galli Dusios uocant) infando miraculo spiritus incorporei corporis humani concubitum petere se, ac patrare confingunt. Et nomen dæmonis, quo se censeri dixerit, & deierandi modos, quibus amoris sui fœdus alterutrum pepigerint, prodendos esse præcipiũt. Quæ mendacio simillima res, sed adeò uera, & plurimorum est attestatione notissima, ut quidã uicinus mihi presbyter retulerit, se quandã sanctimonialẽ fœminam à dæmonio curare cœpisse: sed quãdiu res latebat, nihil apud eã proficere potuisse. Cõfesso aũt quo molestabatur phãtasmate, mox & ipsum orationib. cæterisq; quæ oportebat purificationũ generib. effugasse: & eiusdẽ fœminę corpus ab ulcerib. quę dęmonis tactu cõtraxerat, medicinali studio, adiuncto sale benedicto curasse. Sed dũ unũ de ulcerib. quod altius lateri infixũ repererat, nullatenus posset, quin continuò panderetur, obducere: ab eadẽ ipsa quã sanare uolebat, cõsilium quo sanaretur accepisse. Si (inquit) oleũ pro infirmis cõsecratũ, eidẽ medicamẽto asperseris, sicq; me perunxeris, statim sanitati restituar. Nã uidi quondam per spiritum, in quadam lõgius posita ciuitate, quam nunquam corporalibus oculis uidi, puellam quandam pari calamitate laborantem, taliter à sacerdote curatam. Fecit, ut illa suggesserat: statimque ulcus remedium, quod antè respuerat, accipere consensit. Obseruatu dignissimum est, hanc ipsam rem non ex uerbo Dei, sed ex dæmoniacæ cerebro orignem traxisse. Sic enim diabolus delusit homines.

RITVS CIRCA
ieiunia.

CErtis & statutis temporib. ieiunia obseruabant: ut in Quadragesima. Autor uitæ Crodegangi, capite 11. Quadragesimæ mos est fidelium abstinentia.

Et in Romana ecclesia Gregorius constituit, ut quinta feria tempore Quadragesimę ieiunaretur: quod antea in usu non fuerat. Sigebertus, anno 714.

Secundæ & mediæ ieiuniorum hebdomadarũ, Paulus Diac. lib. 23 rerũ Ro. meminit.

Secunda, quarta & sexta feria parricidæ per totam uitam ieiunare iubentur: in epist. Gregorij ad Bonifacium. Nauclerus generatione 25. Et Lullus pręcipit, ut serui & ancillæ Domini per prouinciam Thuringorũ, ijsdem diebus ieiunent usq; ad uesperum, & abstineãt ab omni carne & potu in quo mel sit. in epistola ad Denehardum.

Romani feria sexta, & die sabbati ieiunabant: sed Hispani non item. Quare cùm Adrianus ad Egilam episcopum Hispaniæ ea de re scripsisset, ac præcepisset ut illis diebus ieiunarent, Egila id molestè tulit: ut patet ex Adriani epistola ad eundem.

Ieiunia uerò propter orationẽ in publicis calamitatibus exercebant. Sic Carolus Magnus expeditione in Auares suscepta, ad Anisum fluuiũ triduanum ieiuniũ & Litanias celebrat cũ exercitu. Regino lib. 2. Et Stephanus, seu Gregorius 3. hortatur populũ, ut in sacco, cinere, uigilijs, ieiunioq; Deo supplicẽt. Blondus. Et ieiunia ob publicã necessitatẽ indicta, ab omnib. diligenter obseruari præcipit Synodus Turonensis, cap. 47.

Nouum est, quòd hoc seculo pro mortuis ieiunare cœperunt. Nam pro mortuis, ut ad requiem uenire ualeãt, septẽ dieb. ieiunatur: Beda dicit in Samuelem libro 4. capite 10. Et Cutbertus in epistola ad Lullum indicat, uirginem

uirginem quandam uisiones de locis pœnarum recensuisse: & ieiunium pro communibus totius familiæ reatibus, 40 dierum, ex ipsius indicis imperio indixisse.

RITVS CIRCA CIBOS.

GRaculorum, cornicularum, ciconiarũ, fibrorum, & leporum, & equorum syluaticorum esum, Zacharias in epistola 2 ad Bonifacium Germanis prohibet.

Satis porrò graue quęstionem Bonifacius proposuit Zacharię pōtifici, quando nimirũ lardum sit comedendũ. Ad eam sic respōdet sanctiss. pōtifex: Nobis à patribus constitutũ pro hoc non est. Tibi autẽ petenti consilium præbemus, quòd non oporteat illud mandi, priusquam super fumo siccetur, aut igne coquatur. Si uerò libet ut incoctum manducetur, post paschalem festiuitatem erit manducandum. in 2 epistola ad Bonifacium.

Episcopus quàm diu conuiuatur, potius sacra lectio ante mẽsam eius recitetur, quàm ociosa à susurronibus resonent uerba. Synodus Turonensis, capite 5. Et peregrinos & pauperes inuitet. capite 6.

DE FESTIS.

DIe Dominico feriabantur. Vnde in cõcilio Dingelfingensi sic decretũ est, teste Auẽtino lib. 3 Annal. Festo die Solis ocio diuino intẽtus, prophanis negocijs abstineto. Qui hoc die uehiculariã, aut huiusmodi operã fecerit, iumenta eius publica sunto. Si cōtumax perrexerit, in seruitutẽ redigatur. Et Carolus Magnus in cōstitutionibus suis prohibet, ut mercatus die Dominico nullo in loco habeatur: ut Ansegisus lib. 1. de Francicis legibus, cap. 139 refert.

¶ Solennia festa etiã hoc seculo in usu fuerunt: ut natalis Domini. nam Carolus obsidens Ticinum, natalẽ Domini in castris celebrat. Auentinus lib. 4 Annal. Et anno Domini 758, Pipinus natalem Domini celebrat in Lōgolare. Regino lib. 2. Hymni Cosmę & Damasceni, in natali Domini cantandi, extant in Damasceno.

Epiphaniæ. Huius meminit Theodomar in epist. ad Carolum. Et apud Damascenum extat hymnus eo die cantari solitus, & Cosmæ Hierosolymitani episcopi. ibidem.

Dominicæ Palmarum & sanctæ Parasceues mentio fit à Paulo Diacono lib. 23 rerum Romanarum. Et Cosmas hymnum de ea composuit, apud Damascenum.

Paschæ. Carolus Magnus Romæ pascha celebrat: Hostiensis lib. 1. cap. 14. Britones circa annũ Domini 731, nondũ eodem tẽpore cũ Anglis, Pictis & Scotis, & alijs uicinis populis celebrabant pascha. Beda lib. 5. cap. 24. Anglicæ hist. Et anno 20 Constantini, orthodoxi in Oriente 8 Idus Aprilis: at alij Idib. Aprilis celebrant. Paulus Diac. lib. 22. Et in magno & dominico die Paschæ coronatur Constantinus. Idẽ lib. 23. Monachi in Hu insula, & Picti, pascha Romano more celebrare incipiũt anno Do. 716. Beda lib. 5. cap. 23. Sigebertus 709 annum habet.

Ad pascha Romano more celebrandum, Golfridus est pertractus à Romanis: ut apparet ex Beda, & Balæo centuria 1. cap. 93. Et Egbertus plures Germanię ecclesias ad Romanã paschæ celebrationẽ adduxit, cùm de ijs ad annos 120, ab aduentu Augustini usq; ad hoc tẽpus litigatũ esset. Balęus centuria 1. cap. 98. Idem Cymbertus Lindesius apud suos fecit. Balæus cent. 2. capite 6. Et Bonifacius, ut indicat Curio libro 2 rerum Germanicarum. Et in Hispania non eodẽ tempore, quo Romæ, pascha obseruatũ esse, constat ex epistola Adriani ad Egilã: & in epist. eiusdem ad omnes episcopos in Hispania.

Constantinopoli, in die Resurrectionis Christi, Tarasius archiepiscopus in templo finita cōmunione, sacris indutus uestibus, ad basilicæ ueteris locum qui uocabatur Estia, abit, & egẽtibus parat conuiuium: eisq; discumbentibus ministrat, & ex cratere uinum infundit & distribuit. Ignatius in uita eius, apud Metaphrasten.

Ascensionis. In die Ascensionis Beda est mortuus. De uita Bedæ. Et Damascenus hymnum de assumptione Domini composuit, qui inter opera eius extat.

Pentecostes. In die Pentecostes Cosmas episcopus Epiphanię excōmunicatur, lectis Euangelijs. Paulus Diac. lib. 22. In ipsa Pentecoste Artemius designatur Imperator. Zonaras tom. 3. Phrysingẽsis l. 5. c. 16. Damascenus in Pẽtecosten uersus scripsit, & Cosmas.

Transfigurationis Christi diem solẽnem fuisse, apparet ex Damasceni & Cosmæ hymnis, apud Damascenum.

Itẽ Annunciationis Mariæ. nã Theophanes & Damascenus hymnos eo die cãtãdos cōposuerunt, qui apud Damascenũ extant.

Et Assumptionis: quę 15 Augusti Citij celebrata dicitur, in actione 4 Niceni secundi.

Præsentationis Marię celebrauit Germanus Constantinopoli, 21 Nouẽbris: & encomijs ornauit eam, quòd tres annos nata, à suis parentibus in templum sit ducta. Metaphrastes in uitis Patrum.

Vt quotannis 5 Idus Nouembris, passio Dominicæ imaginis celebretur, Adeodatus episcopus Berytẽsis obtestatus est omnes in orbe terrarũ episcopos, anno Do. 765. Sigeb.

Die exaltationis Crucis, crux inuẽta à Sergio papa, singulis annis in basilica Saluatoris, quę Constantiniana dicitur, ab omni populo salutatur. Nauclerus generatione 24. Et hymnum in Exaltationẽ crucis Cosmas composuit, apud Damascenum.

Et sanctorũ apostolorum Iohãnis & Petri meminit Theodomar, in epistola ad Carolũ.

Et martyrum: ut Bonifacij & sociorum eius diẽ celebrant monachi in epistola Gutberti ad Lullũ. Albinus lib.6 in Ioan.cap. 16. Dies beatorum martyrum, quibus de seculo transierunt, natales uocitamus, eorũq; solennia non funebria, sed natalitia dicũtur.

Et episcoporũ: ut Augustini meminit Vincentius. Et Vuillehadi transitus celebratur festiuis gaudijs, 6 Idus Nouẽbris. Crantzius in Saxonia libro 2. capite 15.

Et dedicationis ecclesiarum. Sic Carolus Magnus, Anno 774. Calendis Septembris dedicationem ecclesiæ Nazarij martyris, & translationem corporis ipsius celebrat, in monasterio Lauersheim. Annales Francorũ. Albinus lib.5 in Ioan.cap.10. Dedicatio templi salubri consuetudine in ecclesijs Christi seruari moderno tempore dinoscitur.

De festis tempore Caroli Magni, extat hæc cõstitutio lib.1. cap.158. Hæ sunt festiuitates in anno, quæ per omnia uenerari debent: Natalis Domini, sancti Stephani, sancti Iohannis Euangelistæ, Innocentum, Octauas Domini, Epiphaniæ, Octauas Epiphaniæ, Purificatio Mariæ, Pascha dies octo, Letania maior, Ascẽsum Domini, Pentecosten, sancti Iohannis Baptistæ, & S.Petri & Pauli, sancti Martini, sancti Andreæ. De assumptione S. Mariæ interrogandum relinquimus.

Solebant aũt uesperi initia feriarũ campanis prænunciari. Sic dieb. Sabbati dato signo per campanas, operarij à laborib. discedunt: ut annotat autor uitę Crodegangi, cap.11. Et à uespera usque ad uesperam diem Dominicam seruari debere, Carolus Magnus iuxta Laodicense concilium statuit, in Aquisgranensibus legibus.

Neq; tamen ita feriabantur dies sacros, ut non, si res postularet, aliud agerent. Sic Raginfredus & Hilpericus, cũ Carolo Martello die Dominica Palmarũ pugnam cõmittunt. Adon Viennẽsis: & Auentinus lib.3 Annal.

RITVS CIRCA NVPTIAS.

Sponsalia ante nuptias celebrabant. Sic Irene Constãtino despõdet filiã Caroli: sed postea ruptis sponsalibus, ei aliam tradit uxorem. Zonaras tomo 3. & Vrspergensis.

Sponsæ peregrè aduentanti, cum magna pompa occurrebant: ut patet ex Pauli Diaconi libro 22 rerum Romanarum.

Gentilium filias non ducebant Christiani uxores, nisi prius baptizatas. Sic Irenẽ Chagani Scytharũ ducis filiã, Constantinus non prius duxit, quàm esset baptizata, & in fide Christi instituta. Paulus Diaconus lib.21 rerum Roman. Sigebertus anno 732.

In ecclesijs sponsus & sponsa per sacerdotem solenni ritu coniungi solebant. Sic patriarcha in ecclesia Phari, Leoni Imperatori Irenem tradit uxorẽ. Paulus Diaconus libro 22 rerum Rom. Ac solitũ esse sacerdotem spõso cõtexere & imponere coronã, apparet ex Metaphraste tomo 5. in uita Tarasij.

Nuptię à sacerdotibus Christi benedicuntur: & sine macula thorus lege diuina pudicorũ coniugum, à Salomone laudatur. Aponius libro 1 in Cantica canticorum.

Sequebãtur conuiuia nuptialia. Constantinus cũ Theodata celebrat nuptiarum principia in palatio Mariæ, per dies 40. Paulus Diaconus. Presto sunt amici sponsi, amicę uel adolescentulæ sponsæ, consodales spõsi, sodales etiam sponsæ. Mores quoq; cantantium, qui dulci modulatione spõsi potentiã canant, uel sponsę pulchritudinem laudent: quæ largitatem sponsi est cõsecuta. Aponius libro 1 in Cantica canticorum.

De dote. Carolus filiæ suę Blixendę, cùm Amelio nupsisset, urbem quandam tradidit. Vincentius libro 23. capite 164.

CASVS CIRCA NVPTIAS.

Ethelreda bis nupsit: & tamen corpus uirilis cõplexus omnino expers seruauit. Nã prior maritus statim post nuptias mortẽ obijt. Deinde ab Egfredi mariti sui cõcubitu se liberauit, asserendo se uirginitatẽ suã Christo uouisse: & tandẽ eius consensu, in cœnobiũ uirginũ cõcessit. Polidor. l.4 Angl.hist.

2.

Vtilo dux Bauariæ, Hyldrudam filiam Caroli Martelli rapuit, & uxorem duxit. Auentinus libro 3 Annalium.

3.

Hildegardin põtifex Romanus quasi nouam sponsam associat, sacra repetita benedictiõe. Bruschius de monasterio Cãpidonẽsi.

4.

Quidam matrem, cuius filiũ de sacro fonte leuarat, duxit in uxorem: id peccatum capitale esse, Bonifacius iudicat.

5.

Stephanus papa in epistola ad Carolũ & Carolomannũ, ostendit nõ licere regib. Frãcorũ, sine autoritate Põtificis, ex alia gente q̃ Francorũ, ducere uxores: & nõ modò dissuadet, sed etiã dissoluit ut impiũ, & cõtra promissiones sibi datas, initum cũ Lõgobardis matrimoniũ. Ac fuerunt sanè illi obœsę naris homines, qui non potuerunt pontificum olfacere fraudem. Metuebãt enim, ne Longobardi & Franci sibi inuicem recõciliati, ea quæ pontifices moliebantur, impedirent.

RITVS VISITANDI *ægrotos.*

Mvnus uisitandi, episcopis, presbyteris, diaconis & alijs fuit commune. Crodegangus episcopus uisitauit ægrotos, ut patet ex uita eius.

Imò

Imò etiam alijs Christianis idem ius fuit. nam Irene cum filio ad Paulum morbo affectum accessit. Zonaras tomo 3. Paulus Diaconus libro 23 rerum Romanarum.

Edebant ægroti suas confessiones. Sic Petrus apud Maiumam, Chartularius corã Arabibus damnat Mahometũ, ut pseudoprophetam, & Antichristi præcursorem: apud Paulum libro 23 rerum Romanarum.

Et communicabãt. Sigbaldus episcopus Metensis, accepto uiatico, quo cuncti saluamur, obijt. Et Carolus Magnus percepta cõmunione, decessit. Vrspergensis. Beda sentiens adesse finẽ uitæ suæ, accitis fratrib. cõmunicat, & inungitur, & osculatur cunctos, & sui memoriã cõmendat singulis: nõnullis etiam xeniola, quę in secretis habebat, largitur. Vuilhelmus lib.1.cap.47. de gestis Angl.

Orabant pro alijs. Sic Methodius à Ioannicio moribundo ultimas preces petijt. Metaphrastes in uita eius, tomo 5. pagina 31.

DE VNCTIONE AEGROTANTIUM.

Vincẽtius lib.23. cap.150 fingit, Bedam accita congregatione inunctũ esse, & cõmunicasse. Et Synodus Cabillonẽsis cap. 48. Secundũ beati Iacobi apostoli documentum, cui etiã decreta patrum consonant, infirmi oleo quod ab episcopis benedicitur, à presbyteris ungi debẽt. Sic enim ait: Infirmatur quis in uobis: inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eũ, ungẽtes eũ oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmũ, & alleuiabit eũ Dominus. & si in peccatis sit, dimittẽtur ei. Nõ est itaq; paruipẽdenda huiuscemodi medicina, quæ animæ corporisq; medetur lãguoribus. Et Beda lib. 2. cap.6 in Marcum, ægrotos oleo consecrato inungi solitos indicat. Carolus Magnus constituit, ut presbyter in ampulla oleum ferat ad inungendum infirmos: libro 1. capite 156. de Legibus Francorum.

RITVS SEPVLTVRAE.

Defunctos plangebant. Carolus Magnus Adrianũ põtificẽ, ut fratrẽ aut filium planxit. Marianus Scotus. Et Nicephorus procidens in pectus Tarasij, funebrẽ facit lamentationẽ. Ignatius in uita Tarasij. Gregorium 3. pontificem mortuum omnes deplorant, ut parente orbati. Platina.

Cadauera, ante sepulturam, lotione & unctione & aromatibus curabantur. Corpus Caroli Magni more solẽni lotũ & curatum, maximo totius populi luctu ecclesiæ Aquisgrani illatum est. Vrspergensis

Et in feretris portabantur ad sepulchra: ut patet ex Vincentij libro 23. capite 159. & Albinus in 12 Ecclesiast. Cùm homo dissolutus fuerit, tunc reuertetur in terram suam, ad sepulchrum exequijs ritè celebratis & finitis, plangẽtium in platea circa sepulchrum turba præcedente.

Fiebant cantilenę lugubres. Concentus psallentium corpus Albini Andegauẽsis ad sepulchrum prosequitur. Vincentius libro 23. capite 143.

¶ Locus sepulturæ erant cœmiteria. Sic Crodegangus inter duas lauros sepultus dicitur: in libro de uita eius, cap.11. Haistulphus multorũ sanctorum corpora effodiens circa Romam, eorũ cœmiteria subuertit. Antoninus tit.14. cap.1.§3. Cœmiterij Cyriacę meminit Liber pontificalis, in Adriano. Itẽ cœmiterij ecclesiæ Simplicij, Seruiliani, Quarti & Quinti martyrum: ibidem.

Eaq; tũ intra, tũ extra urbes fuerũt. Constãtinopoli urbana & suburbana monumẽta sunt repleta, & cisternæ sine aqua, & lacus: & plurimę uineæ & horti interiores, sepulturæ destinati sunt. Diacon. lib 22 rerũ Rom.

Aut templa. Oda uxor regis Aquitanię, in parochia Leodicensi sepulta est. Sigebertus Anno 711. In basilica Stephani Childebertus rex sepultus est. Adon ætate 6. Lambertus in ecclesia Seruatij apud Traiectũ tumulatur. Trittenhemius de Francis. Carolus Martellus in sepulchro alabastrino, in tẽplo Dionysij ad maiorẽ arã sepultus est. Robertus Ganguinus, Marianus Scotus. Item Pipinus ibidẽ sepultus legitur, Anno 708. in Annalibus Francorum. Petronax, in porticu iuxta ecclesiã Martini sepelitur. Hostiẽsis lib.1.cap.8. Romani põtifices pleriq; in Lateranensi ecclesia sepulti leguntur. Vuilfridus in tẽplo Petri, ad altare, uersus Austrũ sepultus est. Beda lib.5.cap.20. Vuitekindus in tẽplo Padebornẽsi sepultus est. Chr. Misn.

Aut monasteria. In monasterio Albani Mogunti, sepulta est Fashadana regina Caroli. Regino lib.2. Annales Franc. Et Carolomanni corpus è Vienna ad monasterium Benedicti reductũ est. Leo Hostiensis in Chronico Casinensi lib.1. cap.7. Annales Franc. Et Paulus Diaconus in monasterij Casinẽsis claustro, iuxta capitulum, cum honore sepultus est. Libro eodẽ, capite 18. Et Vuolderus Heruordiæ sepelitur, in cœnobio à se extructo. Heinricus Erphordiensis.

Aut alia loca. Sic Calybites in emporio Leucadij sepultus est. Diaconus libro 22 rerum Romanarum.

In arcas lapideas opulentiores condebãt: ut apparet ex historia Amici & Amelij apud Antoninum, titulo 14. capite 3. § 3.

Ad sepulchra lampades & lychni adhibebantur. Mulieres profluuio sanguinis laborantes, ex lampade ad sepulchrum Tarasij lucẽte hausisse oleum, & sanatas esse, nugatur Ignatius de uita eius.

Item epitaphia inscripserũt. Sic Vuilfridi

epita-

epitaphium recitat Beda libro 5.cap. 20 Anglicæ historiæ. Zacharias sepulchro Gregorij Magni epitaphium Græcis literis inscripsit. Balæus in Actis pontificum.

Memorias mortuorum anniuersaria die cantionibus & orationibus repetebant. Defunctorum nomina,& uiam uniuersalem ingredientium,prout opportunitas anni exegerit,ex utraq; parte adducētur. Aedilsuualdus in epistola ad Bonifacium. Gregorius tertius iussit luminaria de patriarchio deferri in cœmiteria singula, ad uigilias,oblationes & Missas in natalibus Sanctorum celebrandas. Liber pontificalis. Damascenus in sermone de defunctis, conatur non tantùm anniuersarias, sed etiam tricesimas & quadragesimas in defunctorum utilitatem comprobare, ex Gregorio,Dionysio,& alijs patribus: & splendidè mentitur de Apostolis, quòd ipsi quoque istam νεκρολατρέιαν approbarint.

Pro animabus mortuorum pontificij orarunt. Bonifacius in epistola ad Aldherium abbatem,pro dormientium fratrum animabus orare iubet. Et Leobgytha in epistola ad Bonifacium inquit: Pro anima patris mei preces Deo offerre non renues. Et Carolus Magnus lib. 2. cap.31. pro parentibus suis & amicis orat,& ꝓ ijs eleemosynas distribuit.

Oblationes pro mortuis in Germanis Ecclesijs hoc tempore receptæ sunt per Bonifacium: ut apparet ex epistola Gregorij 2.ad Bonifacium,apud Nauclerū generatione 25. nam Bonifacius prorsus ignorauit oblationē pro mortuis,quare de ea consulit papam.

Offerebant autem rem utilem ad uictum & amictum,in templū, ut sacerdotes in publica precatione eorum mentionem facerēt: ut apparet ex eadem epistola.

CASVS CIRCA DEFVNCTO-*rum sepulchra.*

Constantinus Imperator uxorem Bagrani patricij, post multos annos coegit,ossa eius in monasterio Choras effodere & afferre,& in pelagium,quò condemnati solebāt, abijcere. Zonaras tomo 3. Diaconus libro 22 rerum Romanarum.

2.

Constātinus Copronymus reliquias sanctorum partim terra obruit, partim demersit, partim in cineres redegit. Euphemiæ corpus alij crematum, alij surreptum, alij in mare cū loculo demersum dixerunt. Zonaras tomo 3. Diaconus libro 22 rerum Romanarum.

3.

In Thracia quidam inter fodiendum, in lapideam cistam incidit,quæ humanum cadauer continebat incisis literis: Christus nascetur ex uirgine, & credo in eū: uerùm sub Irene & Constantino me rursum uidebis. Zonaras tomo 3.

4.

Anno Christi 758,corpus Petronillę,Petri apostoli filiæ,à Paulo papa transponitur. In cuius marmoreo sarcophago,ipsius Apostoli Petri manu scriptum legebatur: Aureę Petronillæ dilectissimæ filiæ. Sigebertus in Chronico. Impudens mendacium. Balæus libro 3. de Actis pontificum.

5.

Theodora, seu Irene, hortatu Theodori episcopi,cadauer Copronymi refossum,publicè cremari iussit, & cinerem in mare iactauit: propterea quòd imaginum cultū abrogasset. Sabellicus Enneadis 8. libro 8.

6.

Impios etiam honorificè sepelierunt. Vt Carolus Chaban regem Vngariæ, in uinculis se interficientem. Bonfinius decadis 1. libro 9. Et Aripertus in flumine submersus, cum magna pompa in templum Saluatoris reconditus est: ut Bergomensis refert lib. 10.

DE RELIQVIIS SANCTO-*rum, earumq; translatione.*

Ethnica superstitio,sanctos mortuos,eorumq; ossa colligēdi, eleuandi, transferendi,& colēdi,sicut par erat in regno Antichristi,etiam hoc seculo uiguit: ut patet ex historijs. Nam corpus Othmari post 10 annos in insula,in qua obijt, incorruptum reperitur, & in basilica Galli sepelitur. Hermannus Contractus in Chronico. Archis in templum Beneuentanum,Sophiæ,corpora duodecim fratrum,diuersis locis per Apuliam,ubi interfecti erant,cōdita,cum honore conuexit: eaq; in singulis capsis sub uno altari, ad patriæ decus & munimentum honestissimè collocauit. Demùm uerò & corpus Mercurij, aliorumq; martyrum & confessorum corpora triginta unū, ex plurimis Italię partibus nactus,illuc itidem attulit,& per diuersa altaria, per gyrum maioris constituta,reuerēter distributa locauit. Leo Hostiensis libro 1.capite 10. de Casinensi Chronico. Anno Domini 799, monachus Hierosolymis ueniens,à patriarcha multas reliquias attulit Carolo. Regino libro 2. Adon ætate 6. Pipinus à Lanfredo abbate admonitus de Germani reliquijs,unà cum antistitum multitudine ac procerum turba,assistētibus filijs suis regibus Carolomanno & Carolo,Germani reliquias intra maiorem basilicam Parisijs collocat, eiq; uillam Palatiolū donat. Annonius libro 4. capite 62 de gestis Francorum. Offa rex Merciorum, reliquias Albani reuerenter eleuari, & scrinio componi, & gemmis & auro decorari præcepit. Vuilhelmus Malmesburiensis libro 1.capite 69.de Anglis. Reliquias Bedæ holoserico inuolu-

inuolutas eſſe, apparet ex epiſtola Gutberti ad Lullum.

¶ De Translatione. Nam Carolus Magnus propoſitis à Conſtantino pluribus ſcrinijs, illud electurus in quo eſſent reliquiæ, peccata ſua confitetur Ebroino epiſcopo, & ieiunat triduum: ut ſcilicet dignus fiat tanta ſuperſtitione. Ædituus in Chronico, & Erphordienſis capite ſexageſimonono. Et Aquenſi urbe à Saracenis deſolata, corpus Marię Magdalenæ à Girando comite Burgundiæ ad cœnobium Viceliacum transfertur, anno Domini ſeptingenteſimo quadrageſimoſexto. Sigebertus. Syluestri corpus Monatulam, anno ſeptingenteſimo quinquageſimoſecundo. Et Nazani Roma in Galliam, in cœnobium Laureſheim, anno ſeptingenteſimo ſexageſimoquarto. Sigebertus. Vualbertus Romam orationis gratia profectus, corpus Alexandri ſecum in Vuildeshuſen attulit. Erphordienſis capite ſexageſimonono, & Chronicon Miſniæ. Et Hubertus Leodienſis epiſcopus Lamberti reliquias Leodium transfert: ibiq; ſedem epiſcopalem inſtituit, anno Domini ſeptingenteſimodecimo. Sigebertus. Nabor Roma à Crodegando translatus eſt, in cœnobium Hilariacum. Autor de uita eius, capite 5. Et Sigebertus anno ſeptingenteſimo ſexageſimoquarto. Et Bonifacij corpus ad cœnobium Fuldenſe translatum eſt. Martinus in Chronico. Zacharias papa Georgij corpus in Lateranenſi eccleſia repertum, congregato populo Romano, cum hymnis & canticis ad uelum aureũ in eccleſia ſui nominis recõdidit. Martinus in Chronico. Et liber Pontificalis. Carolus Magnus arcam, in qua erat pars coronæ ſpineæ, & clauus Domini, & pars crucis Chriſti, & ſudariũ eius, & camiſia Mariæ, & brachium Simeonis, Aquiſgranum tranſtulit. Ranulphus libro quinto, capite uigeſimoſexto. Aedituus in Chronico, & Lucenſis. In cella aurea poſita ſunt oſſa Auguſtini. Adon Viennenſis ætate ſexta. Caput Iohannis baptiſtæ in Aquitaniam allatum, anno Conſtantini decimoquinto. Vincentius libro uigeſimotertio, capite cẽteſimo quinquageſimooctauo. Luitprãdus Auguſtini oſſa ex Sardinia Ticinum transfert, ne à Saracenis fœdentur. Beda libro ſecundo, de Tempore. Diaconus libro ſexto, capite decimoquarto de geſtis Longobardorum: anno Domini ſeptingenteſimo uigeſimoprimo, Sigebertus. Paulum papam congregato clero & populo Romano, corpus Petronillæ unà cum marmoreo ſepulchro, ex uia Appia in Vaticanum detuliſſe, canentibus ſacerdotibus, & populo celebritatem agente, Platina nugatur in uita Pauli.

¶ De ueneratione & adoratione, in uita Crodegangi dicitur, capite 11, quòd ſocij eius Gorgonij martyris reliquias adorarint: quas cum Agaunẽſes furto Gallis abſtuliſſent, uix recuperauerant. Adeò enim homines cęci flagrabant reliquiarum ſtudio, ut exiſtimarent uel furto eas acquiri oportere. Et monachi Floriacenſes, Benedictum, cuius reliquias furati erant, adorant, ad ſepulchrum eius ieiunantes. Iuo in uita Conſtantini. Vſi autem ſunt hac precatione: O' Benedicte unica ſpes noſtra poſt Deum, ne derelinquas nos orphanos, qui huc non noſtris meritis, ſed pro multarum animarum ſalute ueniſti. Vincentius libro uigeſimotertio, capite centeſimo quinquageſimoquinto. Caput Iohannis baptiſtæ adorari, Paulus Diaconus libro uigeſimoſecũdo teſtatur. Sanguis qui effluxit ex imagine Chriſti, à Iudęis crucifixa, Mãtuam eſt translatus, ibiq; adoratus. Cuſpinianus de Imperatoribus, & Bergomenſis libro decimo.

De oſtenſione ſolenni reliquiarum, narrat Erphordienſis: Carolum Magnum publicè ſignificaſſe, ut omnes corde contrito, confeſſi peccata ſua, Aquiſgranum idibus Iunij conueniant, ſpectatum reliquias Sanctorum de Hieroſolyma & Conſtantinopoli allatas & Synodum poſtea ſtatuiſſe, ut quotannis feria quarta ieiuniorum quatuor temporum, in menſe Iunio, reliquiæ illæ monſtrentur. capite 69. & Rudimentum Nouitiorum, Lucenſis folio 362.

DE PEREGRINATIONE *ad loca ſacra.*

Berthrada Romam adit, adoratura ad limina Apoſtolorum, anno 770. Vrſpergenſis in Chronico, & Annales Francorum. Ac multos amore diuino inflatos, ex Anglia Romam abijſſe, & tonſuram clericalem ſuſcepiſſe religionis ergò, Adon ætate 6 annotat. Carolus etiam Ticinum obſidens, Romam cum epiſcopis, abbatibus, iudicibus & nobilibus per Hetruriam proficiſcitur, Paſcha iſthic celebraturus. Annales Francorum: Blondus decadis 2 libro 1. Et Romæ primùm Lateranenſem, deinde uerò cæteras ædes ſacras omnes inuiſit. Blondus ibidem. Golfridus abbas Bedæ, & presbyter, Romam orationis gratia profectus, in itinere moritur. Beda libro 2 de Ratione temporum. Et Godegangus Romam ad martyrum ſepulchra oratum profectus eſt. cap. 11 de uita eius. Carolus Magnus intra annos 47, quater Romam ad uota perſoluenda & orandum profectus eſt. Eginardus in uita eius: Crantzius in Saxonia lib. 2. cap. 8. Et ex Francia multi nobiles Romam orandi gratia profecti ſunt. Iuo ſub Leone Iſauro, Vuilibaldus Hieroſolymam atq; terram ſanctam uiſitauit. Schedel.

Sed Synodus Cabyllonensis capite quadragesimoquinto de hac re sic pronunciat: Nam & à quibusdam, qui Romam, Turonum'ue, & alia quædam loca, sub prætextu orationis inconsultè peragrant, plurimum erratur. Sunt presbyteri & diaconi, & cæteri in clero constituti, qui negligenter uiuentes, in eo purgari se à peccatis putant, & ministerio suo fungi debere, si præfata loca attingant. Sunt nihilominus laici, qui putant se impunè aut peccare, aut peccasse, quia hęc loca oraturi frequentant. Sunt quidam potentum, qui acquirēdi census gratia, sub prætextu Romani siue Turonici itineris multa acquirunt, multos pauperum opprimunt: & quod sola cupiditate faciunt, orationum siue sanctorum locorum uisitationis causa se facere uideri affectant. Sunt pauperes, qui uel ideo id faciunt, ut maiorem habeant materiam mendicandi. De quorū numero sunt illi, qui circumquaq; uagantes, illò se pergere mentiuntur: uel quia tantum sunt uęcordes, ut putent, se sanctorum locorum sola uisione à peccatis purgari, non attendentes quod ait beatus Hieronymus: Non Hierosolymam uidisse, sed Hierosolymis bene uixisse, laudandum est. De quibus omnibus Domini Imperatoris, qualiter sint emendanda, sententia expectetur. Qui uerò peccata sua sacerdotibus, in quorum sunt parochijs, confessi sunt, & ab his agendæ pœnitentiæ consilium acceperunt, si orationibus insistendo, eleemosynas largiendo, uitam emendando, mores componendo, Apostolorum limina uel quorumlibet sanctorum inuisere desiderant, horum est deuotio omnibus collaudanda. tomo 2. Conciliorum.

Bonifacius item in epistola ad Chutbertum archiepiscopum dicit: omnibus seruis Dei secum commorantibus consultum uideri, ut per Synodum ac principes, mulieres ac uelatæ feminæ Romam peregrinari prohibeantur, propter multiplicia scandala. nā ex magna parte paucas remanere integras. Perpaucas etiam ciuitates esse in Longobardia, uel in Francia, aut in Gallia, in qua non sit adultera uel meretrix generis Anglorum.

DE MONACHATV, *eiusq; Ritibus.*

Sicut in aruis, quæ uel negligenter, uel planè non coluntur, zizania longè lateque sese diffundunt, donec omnia occupent: ita in agro Domini, postquam humanę traditiones de electicijs operibus, & uita monastica radices egerunt, & in æstimationem cultus diuini uenerunt, atque ab aratoribus & doctoribus Ecclesiæ non modò non euulsæ, sed etiam ut bonum semen cumulatæ & propagatæ sunt, adeò sese extenderunt, ut ꝑpemodū omnē agrū Domini cōpleuerint,

Hinc est, quòd in historijs huius seculi, non tantum monasteriorum, quæ seculis superioribus extructa sunt, mentio fiat: (ut Cassinensis, apud Leonem Hostiensem libro primo, capite decimo: & Paulum Diaconum libro sexto, capite decimotertio de Longobardorum gestis. & sancti Galli apud Sueuos. Auentinus libro quarto Annalium. Dionysij Parisiensis. Sigebertus. & Vincentij martyris iuxta flumen Vulturni. Paulus Diaconus libro sexto, capite decimotertio de gestis Longobardorum. Constantinopoli monasterium erat Mariæ, in quo imago Mariæ, gestantis puerum in brachio, depicta à Luca fuit: ut refert Vincentius libro uigesimotertio, capite cētesimo quadragesimoseptimo. Sabæ monasterium in Palæstina infestabant Arabes. Metaphrastes in uita Iohānicij. Monasterij Michaelis in monte Gargano, Leo Hostiensis libro primo, capite decimoquinto meminit.) sed etiam plurima noua tum uiris, tum uirginibus & mulieribus extructa commemorentur.

In Asia. Ad montes Prusensium Iohannicius monasterium extruxit: ut Metaphrastes in uita eius narrat.

In Europa. Tarasius ædificauit monasterium in sinistra parte Bosphori Thracij: ut patet ex Ignatio, apud Metaphrasten tomo quinto. Hersfeldense Bonifacius Moguntinus episcopus extruxit, anno Domini septingētesimo trigesimosexto, iuxta Chronicon Quedelburgense, & Trithemium in epitome rerum Francicarum, & Schaffnaburgensem. Et Selingastadij Carolus Magnus, Stephano monasterium ędificauit, anno Domini septingentesimo octuagesimo primo. Chronicon Quedelburgense. Et Altahense monasterium cœpit anno Domini septingentesimo quadragesimoprimo. Schaffnaburgensis. Fuldense cœnobium Bonifacius in Buchonia sylua extruxit, anno septingentesimo quadragesimosecundo. Sigebertus. Hennacense Chronicon anno septingentesimo quadragesimoquinto. Vuiceliacū cœnobium Girardus comes Burgundiæ, anno septingentesimo quadragesimoquinto. Sigebertus. Monantula cœnobium Anshelmus uir illustris, anno septingentesimo quinquagesimosecundo. Gorziam in Metensi parochia Crodogāgus fundat, anno septingentesimo quinquagesimo octauo. Sigebertus. Et Lorisham, anno septingentesimo sexagesimo quarto. Ticini monasterium Petri, & in alpibus Bardonis, & Holonense monasterium Luitprandus ędificauit. Paulus Diaconus libro sexto, capite decimo septimo de gestis Longobardorum. In monte Seraphim, uel Soracte, Carolomānus monasterium extruxit, Regino libro secundo.

Et Crodogangus, Gurgitense & Moslinése. libro de uita eius, capite undecimo. Corbinianus in monte Phrysingensi monasterium instituit: Ottho libro quinto, capite uigesimoquarto. Erphordiæ monasterium Petri à Dagoberto fundatum, sub Tyberio, Æditúus in Chronico indicat. sed Trithemius in Epitome diuersum sentit. Aquisgrani Carolus Mariæ monasterium extruxit: ut patet ex bulla eius, apud Ptolemæum Lucensem. Pirminius fundauit monasteriũ Mauricij, in Dolegia Treuirensis cœnobij. Trithemius in Epitome Francorum. Et Schuturense, tribus milliaribus supra Argentinam. Et Suuarzach, & Gegenbach, & Mauri, quod Morsmunster uocant, & Neuuuilense, & Altham superiorem, & Augiæ. ibidem. Ludgerus de patrimonio suo, in Vuerdena, super Ruram fluuium, monasterium ordinis Benedicti extruxit. Metropolis Crantzij libro primo, capite quinto. Carolus Magnus monasteria secundum alphabetum distinxit, & in singulis singulas aureas literas librarum centum posuit. Mutius libro octauo, anno Domini septingentesimo nonagesimoquarto: Rainulphus libro quinto, capite uigesimosexto. Carolus cœnobium Neoburgense ad Rhenum extruere cœpit. Chronographia Muntzeri, ætate tertia, folio quinquagesimoquarto. Eueshamense cœnobium Eguinus struxit. Balæus ex Brithuualdo, centuria prima.

Verdæ Suidbertus Caroli auxilio cœnobium cathedrali Ecclesiæ contiguum condidit, pro Canonicis Benedicti regulam obseruantibus. Balæus Centuria decimatertia, capite sexagesimoprimo.

Inas Glasconiense cœnobium extruxit, & amplissimis prædijs ditauit, propterea quòd in eo loco Iosephus Arimathiensis olim sacellum ædificasse dictus sit. Polydorus libro quarto de rebus Anglorum.

Valdericus ope Thassilonis monasterium Schaffe, supra Monachium ædificauit, monachis Benedictinis. Auentinus libro tertio Annalium.

Hyldeualda monachis atris ad Sylurnum lacum superioris Bauariæ cœnobium extruxit. Auentinus libro eodem.

Carolus Magnus super ostia Isaræ, ad riuum Metenam in Istrum influentem, cœnobium extruxit Amelberto & Vtoni. Auentinus libro quarto Annalium.

Angelus Baduarius, dux Venetorum, Heracleæ monasterium Zachariæ ædificauit, reliquijs eius isthic collocatis. Bergomensis libro decimo.

Chrysogoni monasterium Gregorius tertius fundauit. Liber pontificalis.

Vndeuiginti cœnobia & collegia monachorum & sacerdotũ, tempore Vtilonis ducis Bauariæ extructa, narrat Auentinus libro tertio Annalium.

Syacum monasterium Pipinus extruxit. Iohannes de Oppido.

Argia diues de Reichenate, circiter annum septingentesimum uigesimumquartũ extructa est. Bruschius de Monasterijs.

Campidonense monasterium ordinis Benedicti, in Rhetia, fundatum est anno Christi septingentesimo septuagesimotertio, ab Hildegarde Caroli uxore: confirmatum à Carolo, anno sequenti: dedicatum uerò anno septingentesimo septuagesimo septimo ab Adriano pontifice, & inchoatum ab Andegario septingentesimo septuagesimooctauo. Bruschius de Monasterijs Germaniæ.

Elephantiacum, hodie Eluuangẽ, in Franconia, ad Ragistam amnem, fundatum est à Lingoniensi episcopo Hariolpho, anno Domini 764. Bruschius de Monasterijs.

Fabarium monasterium à Pyrminio extructum est tempore Gregorij tertij, anno Domini septingentesimo trigesimoquarto, in Rhetia. Bruschius.

Murbachium in Alsatia superiori, fundatum est anno Domini septingentesimo uigesimoquarto, ab Eberhardo Sueuię duce. Bruschius de Monasterijs.

Fauense cœnobium, ad Lycum amnem, anno Domini septingentesimo uigesimo initium cœpit, autore Pipino. Bruschius libro eodem.

Naboris cœnobium apud Lotharingos, à Sigeboldo Mediomatricum episcopo, anno Domini septingẽtesimo decimoquarto.

Thierhauptum, superioris Bauariæ monasterium, Thassilo, anno Domini septingentesimo quinquagesimo fundauit. Bruschius libro eodem.

Vtenbura fundatum est sub Honorio Pontifice, anno Domini septingentesimo sexagesimoquarto. Bruschius libro eodem.

¶ Et monialium in Europa monasteria fuẽre. Nam Thesia uxor Rachis, monasterium puellarum non procul à Casino construxit. Hostiensis libro primo, capite octauo. Bonifacius primus monasteria monachorum & uirginum in partibus Germanię instituit. Marianus Scotus. Et Vuolderus Comes, puellarum cœnobium Herouordiæ ædificauit, & patrimonio suo locupletauit, anno nono Copronymi. Erphordiensis capite sexagesimooctauo. Kitzingense cœnobium Bonifacius fundauit, & aliud iuxta Thuberam. Trithemius de Francis. Ethelreda in insula Elys cœnobium extruxit, & monacharum collegium instituit, eiq; præfuit. Polydorus. Intra Isaram & Lycum octo sacratis

uiris & fœminis cœnobia extructa. Auentinus libro tertio Annalium. Adrianus in basilica Eugeniæ puellarum cœnobium instituit. Liber pontificalis. Buchaugia monialium nobilium cœnobium, Adelindis Hildebrandi Sueuorum ducis filia extruxit. Bruschius de Monasterijs.

Quædam etiam collapsa, renouata leguntur. Sic Adrianus Honorij, Laurentij, & Stephani, Victoris, Adriani, & alia renouauit & locupletauit. Liber pontificalis.

De præpostero studio ædificandi monasteria, Beda sic inquit in Ezram libro secundo, capite octauo: Sæpius inculcandum eis qui monasteria magnifico opere construentes, nequaquam in his doctores statuunt, qui ad opera Dei populum cohortentur, sed suis potius inibi uoluptatibus & desiderijs seruiant.

¶ Monasteria recens extructa consecrari solebant. Cœnobium enim Fiacer, à rege Pipino extructum, consecratum est à Domino miraculose, præsente Stephano papa, & Pipino. Vincentius libro uigesimotertio, capite centesimo quinquagesimosexto. Cassinense cœnobium dedicauit Zacharias cum tredecim archiepiscopis, & sexagintaocto episcopis: ut dicitur in eius epistola ad Petronacem, apud Chronicon Casinense Leonis Hostiensis. Octo monasteria Bonifacius consecrauit, & Benedicti ceremonijs initiauit. Auentinus libro tertio Annalium.

Inter monasteria & abbates ordo quidam fuit. nam Zacharias constituit, ut cœnobium Casinense dignitate, uigore & honorificentia, omnia alia monasteria in toto orbe terrarum, siue extructa siue extruenda præcellat: & abbati eius in conuentu episcoporum & principum, superiorem omnibus abbatibus sedem, & in consilijs & iudicijs priorem sui ordinis omnibus sententiam tribuit, in epistola priuilegiali ad Petronacem, in Chronico Casinensi. Et abbas monasterij Tegernseensis, omnes Boiariæ antistites præcellit dignitate. Nam cœnobium fossa, mœnibus, tormentis bellicis, & alijs huiuscemodi instructum, instar regiæ possidet: & more regulorum equestris ordinis tetrarchas perpetuos, præfectum aulæ, rectorem Palatinarum ædium, archimagirum & pincernam habet. Auentinus libro tertio Annaliũ.

Solebant autem confirmari monasteria autoritate pontificum Romanorum: ut patet ex Zachariæ priuilegio Casinensibus dato, in Chronico Casinensi. Et Leo Hostiensis libro primo, capite quarto dicit, id monasterium tantum Romano pontifici fuisse subiectum, & ab omnium episcoporum iurisdictione liberatum: & abbati eius tribuit primum locum inter omnes alios abbates eiusdem ordinis, Zacharias in epistola ad Petronacem.

Et à regibus & Imperatoribus. nam Carolus Magnus præceptum confirmationis de tota terra Theodemaro abbati Casinensi dedit. Hostiensis libro primo, capite decimoquarto. Idem Haimorani cœnobio quædam donauit: ut patet ex diplomate eius apud Auentinum lib. 4 Annalium.

Cœperunt autem hoc seculo metropolitana collegia Canonicorum institui, quæ studijs & disciplina non admodum à monasticis distabant. Curio libro secundo Chronologiæ. Ilmi monasterium, collegium sacerdotum fuit. Auentinus libro tertio. Carolus Magnus in Cõstitutionibus suis: Qui ad clericatum accedunt, quod nos nominamus Canonicam uitam, uolumus ut illi canonicè secundum suam regulam omnimodè uiuát: & episcopus illorum regat uitam, sicut abbas monachorum.

Et monialium Canonissarum, quibus liberum erat prodire & nubere. Tale erat Coxiense cœnobium, quod pro duodecim puellis nobilibus extructum est, anno septingentesimo sexagesimo, à Victore Churiensi, ut Bruschius narrat de Monasterijs.

In quibusdam locis cœnobia uirginum & monachorum, non ita procul aberant à sese inuicem. Sic Gausan, Panctituda, & Garipergа, moniales non procul à Casinensi monasterio, in cœnobio uirginum uixerũt, consolationem à fratribus illis necessariam mutuò impendentes. Leo Hostiensis libro primo, capite quinto. Aldeuinus abbas fuit in monasterio Bernig, à quo non longè aberat cœnobium Ethilhildæ sororis eius. Beda libro tertio, capite decimo, Balæus Centuria decima, capite decimonono.

Quædam cœnobia & monasteria certos reditus habebant, unde uictitabant. Sic Casinense multa bona à Leone accepit. Hostiensis libro primo capite undecimo. Et à Gisulpho. ibidem libro primo, capite quinto. Et à Schuldao Saraceno, capite sexto. Quare Carolus Magnus ad Paulum Diaconum scripsit:

Alma Deo chari Benedicti tecta require:
Est nam certa quies fessis uenienti bus illuc.
Hic olus hospitibus, piscis, hic panis abundat.
Lætus amor, cultus Christi, simul omnibus horis.
Pax pia, mẽs humilis, pulchra et cõcordia fratrũ.

Leo Hostiensis libro primo, capite decimoseptimo, de cœnobio Casinensi.

Vasa sacrata, libros, pecora, & alia bona monasteriorum, præfectus Constantini imperatoris uendidit in themate Thracesiorum, & libros combussit. Paulus Diaconus libro uigesimosecundo rerum Romanarum.

Neostadiensi

Neostadiensi cœnobio Gertrudis soror Caroli duos pagos Steinfeld & Zell, & Carolus uectigal in Rheno donauit. Muntzer, in Chronographia.

Quædam uerò labore manuum sibi uictū comparabant. Ortrunij Bonifacius erexit cœnobium, in quo monachi labore manuū suarum uictitarunt. Hedio libro sexto, capite uigesimoprimo: & Chronicon Isennacense.

Bonifacius in epistola ad Zachariam papam: Est locus syluaticus in heremo uastissimæ solitudinis, in medio nationum prædicationis nostræ, in quo monasterium construentes, monachos constituimus, sub regula sancti patris Benedicti uiuentes, uiros strictæ abstinentiæ, absq; carne & uino, absque sicera & seruis, proprio manuum suarum labore contentos. Hunc locum per uiros religiosos & Dominum timentes, maximeq; Carolomannum quondam principem Francorum iusto labore acquisiui, & in honorem S. Saluatoris dedicaui.

Ac oportebat eos qui recipiebantur in monasteria, sua bona eò conferre, quæ non licebat postea repetere. Constat id ex capite septimo Cabillonensis Synodi: ubi episcopi & abbates ob turpe lucrū & auariciam persuadentes hominibus consuram, ut ea occasione bona eorū capiant, damnantur. Nec quenquam tamen inuitum cogendum esse, ut promittat de stabilitate permanendi in cœnobio, Carolus sancit in constitutionibus suis.

Erant autem monasteria quasi scholæ, in quibus artes dicendi & philosophia tradebantur. Plato enim præceptor monasterij Saccidionis appellatur à Zonara, tomo tertio, & Paulo Diacono lib. uigesimotertio rerum Romanarum. Et Albinus, discipulus Adriani abbatis, in tantum studijs Scripturarum institutus fuit, ut Gręcè & Latinè sciret. Beda libro quinto, capite uigesimoquinto. Et Stephanus Romæ intra Modiceum, monasterium cœpit ædificare, quod successor eius absoluit, & Græcos in id collocauit, & locum ipsum Ad sanctos martyres in schola Græcorum nominari præcepit. Iuo in Constantino. Doctos uiros ex Græcia in Galliam uenisse, & à Pipino & Carolo Magno in monasteria missos esse, ut Græcam linguam docerent monachos: atque ita Egidium in Gallijs, Apollonium Ratisbonæ in cœnobio Hemerani, Virgilium apud Saltzburgenses inclaruisse, refert Hedio libro sexto, capite nono Ecclesiasticæ historiæ. Monasticas sodalitates hoc seculo nihil aliud quàm Ecclesiæ seminaria fuisse, colligit Curio libro secundo Chronologiæ. In monasticis cœtibus probabatur literarum cultura, & disciplina Canonica. Nec fuit illis adhuc seculis alia monachorum species, quàm quæ originem suam ad patriarcham Benedictū refert. Literas discebant omnes: &, ut ueteres ipsorum Bibliothecæ ostendunt, soliti sunt mathemata & naturæ cognitionem sacris Scripturarum studijs coniungere. Quam discendi rationem, animaduertimus in Benedictinis sodalitijs durasse aliquantulum ultra ętatem monachi Hermanni Contracti, ac Mariani Scoti.

Et Theologia tradebatur, & discebatur. Rachis Longobardorū rex, monachus Cassinensis factus, se instituendum tradidit. Hostiensis libro primo, capite octauo. Stephanus in monasterio ad mōtem Amastrim, plurimos habuit discipulos. Paulus Diaconus libro uigesimosecundo rerum Romanarum. Carolus Magnus cū duos monachos à Scotorum rege accepisset, profitentes se sapientiam uenales habere: interrogauit, quid nam pro sapientia postularent? At illi responderūt: ingenia, & animos capaces philosophię, & locum aptum ad philosophandum. Misit ergo unum ex illis Parisios, alterum Ticinū in monasterium Augustini, ad erudiendum monachos in pietate. Erphordiensis capite sexagesimonono. Vincentius libro uigesimo tertio, capite centesimo septuagesimotertio. Mutius in Chronico.

Et ex monachis quidam ad Ecclesiæ gubernationem eligebantur. nam Constantinus quosdam ex monachis in illustrioribus urbibus episcopos fecit. Zonaras tomo tertio. Et Iustinianus Cyrum abbatem in Ponto, qui eum exulem aluerat, Constantinopoli episcopum creat. Zonaras tomo tertio, quē Philippicus episcopatu deiectum ad monasterium remisit. Beda de Ratione temporū, & Regino libro secundo. Eadberecht abbas fit episcopus Australium Saxonum. Beda libro quinto, capite decimonono Anglicæ historiæ. Ex collegio crucis prope Vltraiectum, non solum episcopi eius regionis delecti sunt, sed etiam aliarum gentiū. Nam inde Bonifacius secundus, & Gregorius tertius Moguntí episcopi prodierunt: & Albricus Coloniensis. Lambertus libro primo rerum Vltraiectinarum, folio quinto.

In monasterijs etiam presbyteri, diaconi, subdiaconi ordinabantur, & altaria consecrabantur, & chrisma conficiebatur, sed à uicino aliquo episcopo ad eam rem aduocato: ut patet ex priuilegio Cassinensi, à Zacharia dato. Benedictus Biscopius in Lirinensi cœnobio tonsuram suscepit. Balæus Centuria prima, capite octuagesimosecundo.

Monasterijs præerant abbates. Petronas in Cassino cœnobio multorum monachorum mediocrium & nobilium effectus est pater. Paulus Diaconus lib. sexto, capite decimotertio de gestis Longobardorum.

Sturmius Fuldensi monasterio præfuit, & 400 monachos collegit, eosq; instituit. Valentinus Muntzer in Chronographia, ætate 3, folio 57.

Interdum unus abbas præfuit duobus cœnobijs, non ita procul distantibus. Sic Vuirmuthense ac Giruuicense, quinque milliaribus distantia, habuerunt unum abbatem. Balæus Centuria secunda, capite primo Scriptorum Britanniæ.

Habebant etiam decanos & præpositos: ut patet ex Caroli Constitutionibus. Sed Carolus Magnus in Constitutionibus suis uetat, ne abbates plurima monasteria aut cellas habeant.

Et abbatissæ fuerunt. nam Bonifacius Liobam uirginem præfecit cœnobio prope Bischoffsheim, & Hadelogam Kitzingensi. Trithemius de Francis. Et Odilia abbatissa sub se habuit 130 uirgines. Chronicon de episcopis Coloniensibus, in Agilolfo.

¶ Abbates autem à monachis eligebantur. Sic Carolus Magnus iussit, ut monachi in Casinensi cœnobio, iuxta præceptum Regulæ, abbatem sibi sine cuiusquam præiudicio licenter eligerent. Leo Hostiensis lib. 1. capite 14., de Casinensi cœnobio.

Vel à pontificibus ordinabantur. Sic Adrianus papa idoneũ abbatem monasterio Stephani præfecit. Martinus in uita eius. Idem in monasterio Honorij abbatem ordinauit, ac iussit eum cum monachis in basilica Saluatoris canere prima, tertia, sexta, nona, & uesperi, in uno choro cum monachis Pancratij. Liber pontificalis.

Vel à Regibus & Imperatoribus. Sic Albinus abbas à Carolo constitutus est. Martinus in Chronico. Et Egidius Pipini rogatu curã suscepit monasterij apud urbem Nemasensem. Antoninus in Chronico. Carolus Magnus Ludgerum ex Beneuento euocat, & Canonicorum collegio præficit. Metropolis Crantzij libro primo, capite quinto. Idem Mailrosium cœnobio Augustini Ticini præfecit, anno 792. Balæus Centuria 14. cap. 32. Odilo Virgilium abbatię Petri Salisburgi, anno 754 præfecit. ibidem capite octuagesimosecundo.

¶ Ac munus abbatum erat, ea quæ contra regulam fiebãt, emendare. Sic Albinus à Carolo abbas monasterij Martini constitutus, mores illos dissolutos monachorum, sericis uestibus & deauratis calceis incedẽtium, & ocio & luxu diffluentiũ, correxit. Martinus in Chronico, & Gygas. Et Hunebertus à Bonifacio mandatũ accepit, ut Friteslarienses & Ordorfienses monachos à regula degenerantes, ad auitum reformatione noua reduceret institutum. Balæus Centuria prima, capite nonagesimoquinto.

Et delinquentes castigare. Sic Comes Carolomanni, qui percusserat coquum, custodiæ mancipatur: ut die sequenti acrius puniatur. Regino lib. 2.

Curam etiam librorum gerere. Golfridus Hieronymi pandectas Ecclesiæ Petri misit. Beda de Ratione temporum. Et Gutbertus Lullo libros Bedæ mittit, in epistola.

Et eos qui petebant recipi, probare prius, & postea alijs associare. Nam cum Carolomannus ad montem Casinum uenisset, & petijsset se ab abbate recipi: abbas eum in cellam Nouitiorum admisit. & aliquandiu eius patientia probata, cœtui reliquorum est adiunctus: post annum professus stabilitatem, conuersationem, morum obedientiam secũdum regulam Benedicti, cœpit inter fratres irreprehensibiliter conuersari. Tandem iuxta morem ad coquinæ officium hebdomadarius factus est, ut fratribus deseruiret, & cibaria administraret. Regino libro secundo. Et Carolus Magnus in constitutionibus, iubet primùm aduenientes in pulsatorio probari: & uetat pręmium pro cuiusq; susceptione accipi.

Et monachis præceptores & doctores præficere. Sic Siguinus Iglacum, uirum celebrem, monachis suis præfecit lectorem. Balęus Centuria 2. cap. 10. Et Sabas monachus & præses studij fuit, ut patet ex 3 actione Nicenæ secundæ.

Legationibus etiam interdum abbates & monachi fungebantur. Sic Carolomannus Beraldum abbatem, ad Stephanum papam cum literis misit: & Drodegangum & Vuolfardum abbates ad Paulum papam Carolus ablegauit, ut constat ex illis epistolis. Et Pipinus Heribertum abbatem, & Dodonem comitem, ad Paulum papam misit.

Postremò de abbatum officijs extat caput uigesimũquartũ in Turonẽsi synodo, in hũc modum: Abbates monasteriorum, in quibus Canonica uita antiquitùs fuit, uel nunc uidetur esse, sollicitè suis prouideant Canonicis, ut habeant claustra & dormitoria, in quibus simul dormiant, simulque reficiantur. Horas Canonicas custodiant: uictum & uestimenta, iuxta quod poterit abbas, habeant, quo facilius ad Dei seruitium possint constringi. Sintq; abbates sibi subditis bene uiuẽdo duces & præuij, uiamq; demonstrent, qua rectè gradiendo, ad meliorẽ uitã peruenire ualeãt.

De abbatissarum officiò extat in Turonensi synodo cap. 26. In monasterijs puellarum multa inueniri possunt, quę emendatione indigent. Nam quædam abbatissarum negligẽtius quàm oporteat, uiuere dicuntur, & ob hoc earum uita & conuersatio à multis diffamatur: sed & talium actus subditam familiã imitari uelle, credendum est. Victus etiam ac

uestimenta

uestimenta, aliaq; nonnulla necessaria, quæ iure ab abbatissis præparari debuerát, abstracta sibi eadem conqueritur familia. Et cap. 30. Abbatissæ absq; sui episcopi licentia, foras monasterium egrediendi non habeát potestatem, nisi cum ad pijssimum Imperatorem nostrum proficisci uoluerint: sed tátum in suis permaneant monasterijs, ibiq; & seipsas custodire, sibiq; commissas seruare, quáta poterunt uigilantia, decertent. Eadem habet Canon 52. Concilij Cabillonensis. Et in cap. 54. Abbatissa diligentem habeat curam de congregatione sibi commissa: & prouideat in lectione, & in officio, & in psalmorũ modulatione, ut ipsæ sanctimoniales strenuæ sint, & in omnibus operibus bonis illa eis ducatum præbeat, utpote pro animabus earum rationem in conspectu Domini redditura: & stipendia sanctimonialibus præbeat necessaria, ne fortè propter indigentiam cibi aut potus, peccare compellantur. Studium etiam habeat in ædificando ea quæ ad necessitatem pertinent, aut in restaurando. capite quinquagesimooctauo, ibidem.

Abbatissæ quædam manus imponere, & ordinare sacerdotes, & uelare uirgines præsumpserant: sed id contra morem Ecclesiæ fieri, Carolus Magnus indicat in constitutionibus, & monet Episcopos ut interdicant.

Erant tamen pleraq; monasteria episcopis subiecta: à quibus etiam uisitari & corrigi solebant, si quid minus piè agebatur. Albinus Andegauensis episcopus Asiacum monasterium uisitasse dicitur, apud Vincentium. Bonifacium paucos monachos ad Melibocum docuisse, Curio annotat libro secũdo Chronologiæ. Et abbatissas sine episcopi sui pmissu cœnobio egredi, uetat Canon trigesimus Turonensis synodi. Et Canon sexagesimusquintus Cabillonensis iubet, abbatissam ab episcopo suo, si quid desideret, petere institutionem, eiusq; dictis obedientem esse. Et monachi litigantes à Carolo ad Adrianum pontificem ablegantur, ut examinentur, & sibi inuicem recócilientur: ut patet ex Adriani epistola ad Carolum. Vel etiam excommunicari, ut apparet ex Lulli epistola ad Osuitam: quam ideo excommunicat, quòd fœminas uelatas sine suo consensu peregrinationes suscipere passa fuisset.

Et opera monachorum episcopi sæpe usi leguntur. Sic Cosmam monachum patriarcha Alexandrinus cum literis Romam misit ad Paulum papam: ut patet ex eius epistola ad Pipinum.

¶ Erant etiam monasteria quasi carceres, & exiliorum loca, in quæ relegabantur facinorosi & seditiosi. Sic Carolus Magnus Pipinum filium suum nothum, de seditione accusatum & suspectum, in monasterium sancti Galli Prumiam apud Sueuos relegauit. Auentinus libro quarto, anno septingentesimo nonagesimosecundo. Sigebertus. Et suos hostes Leo in Erasmi monasterium reclusit. Erphordiensis capite sexagesimonono, & annales Francorum. Et Thasilo Boiorum dux cum filio suo Theodo, à Carolo læsæ maiestatis damnatus, humi prostratus petijt, ut sibi in monasterio liceat peccata sua deplorare: quod ubi impetrauit, attonsi sunt ambo, & in Laureacense monasterium relegati. Regino libro secundo, anno Domini septingentesimo octuagesimo octauo. Sigebertus. Ottho Phrysingensis lib. 5. cap. 29. Auentinus lib. 3 Annalium. Et Christophorus & Sergius ob proditionem à Desiderio rege priuantur oculis, & in monasteria abduntur. Liber pontificalis.

Aut ab imperio remoti. Sic Artemius habitum monachi sumpsit, & Theodosio sese tradidit, & Thessalonicam relegatus est. Zonaras to. 3. ubi clericus & presbyter ordinatus est, iuxta Bedam de Ratione temporum. Idem etiam Theodosius imperator postea fecit. nam accepta fide à Leone de securitate, unà cum filio in clericum rasus est. Zonaras tomo 3. Et Hildericus rex Franciæ attonsus, & in monasterium missus est. Regino libro 2. Et Iuo: In monasterio Dalmatij Absimarus Leontium in custodia seruari curauit, anno Domini 700.

Vel dignitate sua exuti. Sic Maria uxor Constátini ab ipso repudiata, in cœnobium inuita abditur. Zonaras tom. 3. Et Constantinus papa, à munere suo remotus, in monasterium Cellanobas deportatus est. Liber pontificalis.

¶ Statuta multa & uaria fuerunt, quorum passim fit mentio. nam Benedicti meminit Leo Hostiensis, lib. 1. cap. 14. Et Gregorium 3. monachis regulam integrè sancteq; uiuẽdi tradidisse, Bergomensis lib. 10 indicat, anno Domini 739. Et Dagobertus in Doleiensi cœnobio regulam Benedicti instituit. Trithemius in epitome Francorum.

De regula Benedicti, Theodomarus abbas ad Carolum Magnum in hunc modũ scribit: Propagatori & defensori Christianæ religionis, Domino Carolo per Christi potentiá, regũ sapientissimo ac fortissimo, Theodomar exiguus, & uniuersus Benedicti patris grex, uestro subditus dominatui, æternam in Domino salutem. Tam per epistolæ seriem, quamq; & per sanctum uirum Adalgarium episcopum, uestram famam suscipientes, magna sumus exultatione gauisi, dum uestram sublimitatem, dominamq; reginam, uestrósque liberos sospites ualentesque esse cognouimus. Nec minori etiam tripudio

dio exultauimus, dum uestram protelationem finium, uictoriarumq; de hostibus triumphos agnouimus. Auxit etiã nostrum illa res gaudium, quia uestram excellentiam de uirtute in uirtutem succrescentem, Dei agrum studiosè excolere didicimus, ac monachorum religionem ad meliorem perducere statũ. Certũ est, quia uos hoc factũ beatiores efficiet, dum tale Deo nostro, tamq; beneplacitum munus offertis. Qua de re quia ad beati patris nostri Benedicti doctrinam, & luculenta exempla, aliquos monachorum regionis illius, uestræ clementiæ informari placuit, iuxta præceptionem uestram: en uobis regulam eiusdem beati patris, de ipso codice quem ipse suis sanctis manibus exarauit, transscriptam direximus. In fine autem sacræ eiusdem, hymnos, qui secundum instituta beati patris nostri per singula officia uel festiuitates cantari debent, adnexuimus. Si quem autem mouet, quare beatus Benedictus in æstatis tempore, quotidianis diebus ad nocturnum officium, unam tantum de ueteri Testamento lectionem legi præceperit: cognoscat, necdum eo tempore in Romana Ecclesia, sicut nunc leguntur, sacras Scripturas legi solitas fuisse: sed pòst aliquo tempore hoc institutum esse, siue à beato Gregorio papa, siue (ut ab alijs affirmatur) ab Honorio. Qua de re nostri maiores instituerunt, ut hîc in sacro nostro cœnobio, quod iuxta sanctum illius corpus institutum est, tres quotidianis diebus, æstiuo in tempore, ex ueteri Testamento lectiones in codice legantur, ne à sancta Romana ecclesia discrepare uiderentur. Nec enim credendum est, hoc beato patri Benedicto displicere, sed potius gratum ei esse, si quis supra id quod ille in Dei laudibus instituit, propter Dei amorem, adijciendum esse curauerit. Nam & de Psalmorum canendorum per singulos septimanæ dies diuisione, si cui melius uisum fuerit, quàm ipse beatus pater instituit: ab ipso habet licentiam, ut melius æstimauerit, canere. Nec debent cogi monachi, si tamen uestro sapientissimo cordi ita placet, qui nunc Romano more psallunt, iuxta institutionem sacræ huius Regulæ, Psalmos diuidere. Sed possunt, si uobis ita uidetur, solito more canentes, arctioris uitæ normam suscipere. Direximus quoque pondus libræ, ad cuius æqualitatem panis debeat fieri, quiq; in ternas iuxta sacræ textum Regulæ possit diuidi. Quod pondus sicut ab ipso patre institutum est, in hoc loco est repertum. Misimus etiam mensuram potus quæ prandio, & aliam quæ cœnæ tempore debeat fratribus præberi. Direximus etiam & mensuram unius calicis, quam obsecuturi fratres iuxta sacræ Regulæ textum solent accipere. Beatus pater noster instituit duo cocta pulmentaria, in quotidiana refectione fratribus præparari: & tertium de leguminibus crudis, aquæ infusis. Nos uerò ex institutione maiorum nostrorum, tria cocta pulmentaria alijs diebus, quarta & sexta ferijs duo tantum reficiendis fratribus præparamus: excepto quòd plures ex fratribus nostris pane tantum his diebus, herbisque hortensibus uescuntur, quorum plerique etiam nec uinum bibunt. Die uerò Dominico, & in festiuitatibus præcipuis, etiam quartum addimus pulmentum, exceptis secunda & quarta & sexta ferijs. Alijs diebus, prandentibus fratribus, cum uinum nobis abundat, singulas phialas miscere facimus. In summis quoque festiuitatibus, hoc est in Natiuitate Domini, in Epiphania, in Pascha, & tertia feria post Pascha, quando nobis grandis festiuitas est, & in Pentecoste, & in sancti Iohannis, & sancti Petri, & sancti Laurentij, & in sanctæ Mariæ, & in sanctorum Martini, Benedicti, etiam bis ad prandium miscere facimus. Præter hæc etiam æstatis tempore post nonam aliquid, si est de pomis, & singulas phialas nostris fratribus præbemus. Cum uerò tempus fœni est sectionis, etiam potionem ex melle ad horam quartam laborantibus fratribus propinamus. Volatilia nunquam nisi die natalis Domini, si est unde, usque ad dies octo comedimus, similiter etiam Paschatis festis diebus. Sed de esu uolatilium tam cautè prudentissimus Pater noster in sua regula posuit, ut si uelint comedere monachi quod opportunum est, non subiaceant culpæ: sin uerò eis à suo tale edulium non præbetur abbate, ut quasi ex debito, hoc non possunt requirere. Multi tamen fratrum nostrorum neque uolatilia comedunt, neque uinum unquam nisi de sancto calice bibunt. Sanè quia hoc percunctari dignitati estis, quod uestimentum cuculla debeat intelligi: cucullã nos esse dicimus, quam alio nomine casulam uocamus. Et inde est quod hyeme uillosam, æstate puram ac uetustam, beatus pater habere instituit: quia scilicet hoc genus indumenti solet cum uillis intexi. Illud autem uestimentum quod à Gallicanis monachis cuculla dicitur, & nos cappam uocamus, quod propriè monachorum designat habitũ, melotem appellare debemus: sicut & hactenus in hac prouincia à quibusdam uocatur. De quo, sicut beatus Gregorius scribit in libro Dialogi, ereptus ab aqua per Maurum monachum puer Placidus dixit: Ego cum ab aqua extraherer, melotem super me abbatis cernebam, eumque me ab aquis educere considerabam. Quod tegumentum ideo sic appellatum est, quia solebat antiquitùs de illius animantis pelle fieri, quod

melos

melos propter rotunditatem sui corporis appellatur. Quod genus bestiolæ à nonnullis Tax uocatur. De quo genere tegumenti, nihil beatus Benedictus in suæ textu Regulæ locutus est: ob hoc scilicet, ut conijcere possumus, quia diuerso modo hoc uidit à plerisque monachis uti tegumento. Nam Galliarum monachi hoc laxius & prolixius induuntur. Itali uerò monachi, sicut nostis, breuius huiuscemodi & strictius uestimentum habent. Græci uerò, propter operimentum capitis, modicum quiddam tantum ante pectus & dorso dependens. Transmarini autem monachi, huiusmodi operimentum pellicium habent. Ergo quia tantam in hoc monachico indumento beatus Benedictus diuersitatem uidit, unicuiq; monachorum quod ex his potius eligere uelit, pro arbitrio dereliquit. De numero autem & qualitate uestimentorum, sic beatus pater noster in sua regula posuit, ut tamen in prouidẽtia sit abbatis, quomodo debeat pro sua unicuique distribuere necessitate. Sed & ipse pater dixit, quia in temperatis regionibus minus, in frigidis plus uestimenta sit opus habere: Seniores tamen nostri & præteriti abbates instituerunt fratribus nostris, propter diuersos labores, tres tunicas habere: duas grossiores in hyeme, unam subtiliorem in æstate. Similiter & in loco cucullarum duos, quos nos dicimus, Mãtos, qui ex grossiore sago fiunt, & unum in æstate subtilius operimentum. Cucullas autem ideo non habemus, quia maioris sunt precij: & quia nobis pater noster aliàs præcepit talibus uestibus uti, quales possunt in prouincia uilius emi. Habent autem fratres nostri & duplicia femoralia. Multi tamen ex eis, Deo iuuante, in tantum se continent, ut neque femoralia habeant, neque amplius quàm duplicia secundum regularem textum indumenta. Statuit autem uenerabilis pater, ut scapulare monachi propter opera habeant. Quod ob hoc scapulare dicitur, quod scapulas præcipuè & caput tegat: quo uestimento penè omnes in hac terra rustici utuntur. Pro quo tegumento nos ex grossiore textu, ad melotis similitudinem operimentum habemus, nisi quod manicæ in hoc usque ad manus pertingentes habentur. Præter hæc addimus unicuique, sicut ei opus est. Nam senibus nostris geminas pelliceas tribuimus. Infirmos etiam in culcitris iacere permittimus: & unicuiq;, sicut omnino sua exposcit necessitas, præbemus. Concessum est etiam fratribus nostris, habere manutergia, siue ad tonsuræ obsequium: siue ad codices, quos ad legendum suscipiũt, inuoluendos. Præter regularia quoque ieiunia, in uigilijs præcipuarum festiuitatum usque ad uesperam ieiunamus: & à uespera uigiliarum per totam noctem, & diem festiuitatis, usque ad completorij officium, genua non flectimus. Dominicis quoq; diebus, & à natiuitate Domini usque ad octauum diem. A Pascha quoque usque ad Pentecosten, similiter ad publicum officium genua non flectimus. Textum quoque promissionis, quo ordine solebant anteriores monachi regulam sanctã in hoc loco promittere, ecce intra hãc epistolã in breui paginola exaratã, direximus uobis.

Exemplar promissionis, sicut solebant antiqui monachi regulam promittere.

¶ In nomine Domini promitto, me in sacro monasterio beati martyris siue confessoris illius, secundum instituta Benedicti, coram Deo & sanctis angelis eius, præsente etiam abbate nostro, omnibus diebus meis in hoc sancto monasterio, amodò & deinceps, perseueraturum: in omni obedientia, quod cunque mihi præceptum fuerit, obediturũ. Ego hanc promissionem à me factam, manu propria coram testibus scripsi & roboraui. Vale salus patriæ, lumenq; decusq; tuorum, Maxime regnãtũ noster & altus amor, Amẽ.

Nunc autem institutum est à Synodo sub rege Ludouico, siue Imperatore, seu tempore traditionis regni filij sui Lothario, omnib. episcopis atq; abbatibus, quòd istis temporibus de bono actũ est cõsentientibus, & ita consenserunt de promissione monachorũ: Ego promitto stabilitatem meam, & cõuersionem morum meorum, & obedientiam secundum regulam sancti Benedicti corã Deo & sanctis eius.

¶ Et ad Theodoricum idem in hunc modũ scribit: Theodorico glorioso uiro, nobis maximè dilecto filio, Theodomar exiguus abbas seruorum Dei.

Quæris à nobis uir spectabilis atq; Christianissime, eo studio, quo Deo nostro placere desideras, ut tibi, sicut ipse ais, ad utilitatem quorundam fratrum apud Gallias cõmorantium, ea quæ per consuetudinẽ in nostro cœnobio geruntur, præter id quòd uenerabilis patris nostri Benedicti regula continet, sicut à maioribus nostris utiliter instituta sunt, stylo exarata mittamus. Qua de re hoc primum nobilitatem tuam nosse uolumus, hactenus alicui hoc, quod expostulas à nobis, nostris decessoribus minimè concessum. Non enim ignoramus, tali nos relatione aut de iactãtia posse redargui, aut ab his qui districtius se uiuere æstimãt, de remissiore uita iudicari, pręsertim cum res huiuscemodi conuenientius operando disci debeat, quàm legendo cognosci. Sed quia amabili charitati tuæ, qua nos in Christo diligis, negare aliquid non possum, breuiter ea quæ salua obseruatione

sanctæ

sanctæ regulæ per usum à nobis retinentur, tuæ amplitudini scripta dirigimus: nec ambigimus, Romanum apud Gallias morem tam per singulas Ecclesias, quamque & monasteria, in officijs & lectionibus, sicut & nos facimus, teneri. Vnde his quoque quæ apud uos similiter geruntur omissis, ea, ut diximus, uobis solummodo scribimus, quæ apud nos propriè, sicut arbitramur, in usu habentur: ac primum à sancto Paschali festo sumemus exordium.

Igitur quartodecimo die ante pascha, sublatis altarium ornamentis, operimus ea tegumentis lineis nigris, afferimus coronas, uelamus iconas, non canimus in responsorijs Gloriam. Item post diem Palmarum, tres tantum noctes separamus matutinum à nocturno: reliquas uerò tres noctes matutinum nocturno coniungimus. In quibus noctibus, siue in medio constitutis diebus, à uespere quartæ feriæ usque dum sabbato, Gloria in excelsis Deo, incipitur: neque signum secundum consuetudinem tangimus. Presbyter iuxta morem officium complet: nec lector benedictionem, lecturus in ecclesia seu refectorio, petit: sed neque uersum, neq; hymnum, neque uocatorium canimus, nisi tantum nouem Psalmos cum Antiphonis canentes, in tres diuisiones partimur, ternasq; lectiones & responsoria tertiò repetentes, ita ut nouem omnino expleantur, pronunciamus. Vniuersa autem hæc à nobis ea ratione geruntur, ut & in passione Domini quodammodo simul cum ipsis etiam sacris domicilijs compati & tristari uideamur: & in eius resurrectione nobis lætantibus, omnia quasi noua & lætiora habeantur. Reliqua uerò officia, secundum morem Romanum explemus. In cœna autem Domini, post missas & uesperum ingredienres refectorium, comedimus modicum, si est unde, de piscibus. Deinde surgentes à mensa, lauat paruitas mea pedes omnium fratrum: & interim dum mandatum facimus, à cantoribus Antiphona canitur. Pòst iterum ingressi refectorium, cœnamus. Sequente nocte ad matutinum, per singulas antiphonas, quod putamus & apud uos fieri, extinguimus singulas candelas. Serò autem in Parasceue, nihil aliud quàm panem & aquam percipimus. Sequenti nihilominus nocte, in extinguendis candelis ita, sicut & in anteriori, facimus. Sabbato quoque post horam nonam, pulsato signo, explentes omnia ordine Romano, cum iam adueniente nocte, ad missas ingredimur, manibus nostris, cunctis fratribus singulos cæreos damus, quos usque ad expletam missam succensos manibus ferunt. Ac demum post uespertinum officium, cum modulato psallentio, cum cruce & cæreostatis, gestantibus uniuersis ardentibus cæreis suis, refectorium ingredimur, ubi lucernæ pariter & candelæ dependentes lumina spargunt. Item die Dominico Paschali ante missas, pergimus cum luminaribus & aqua benedicta, canentes per singulas mansiones: & dicuntur à sacerdote preces unicuique conuenientes. Secunda uerò feria pergimus cum crucibus, & aqua benedicta seu patrocinijs, per singulos labores, & agimus missas reuertentes. Tertia quoque feria, quia mos nobis est dies quadragesimæ apud sanctum Benedictum peragere, descendētes de monte ueniunt fratres nostri, qui ad monasterium Domini Saluatoris in planicie commanent, cantando obuiam nobis. Adsunt etiam & penè de omnibus cellis nostris, & coniungimur ante basilicam beati Petri, in loco spacioso, salutantes in osculo pacis, uestitis sicut in die Paschæ sacerdotibus nostris atque ministris, ferentibus Euangelia & sacras sanctorum reliquias. Adsunt etiam cruces & cæreostati, cum flammantibus cęreis, intantum, ut uix ulla apud nos sit iucundior dies. & celebrata missa in sancto Petro, imus sonoris concentibus resonando, ad Domini saluatoris cœnobium. Facta etiam ibi missa, pergimus canendo, uestitis sacerdotibus, in refectorium. Dehinc postquam exuuntur sacerdotes uestibus, prandemus. Sex autem omnino per annum uicibus ingredimur canentes in refectorium: hoc est, in Natalis Domini & Epiphaniorum die, die quoque Palmarum, & in sabbatho (ut diximus) sancto, nihilominus in ipso paschali Dominico: & tertia feria post Pascha, sicut præmissum est: uestitis, ut à missa exeunt, sacerdotibus nostris, præeuntibus crucibus cœreostatis cum micantibus cæreis. In his festis Paschalibus, secunda & tertia feria, canentes Psalmos regulariter, facimus octo lectiones. Deinceps usque ad octauum Paschæ sex, inde quoque usque ad Pentecosten, in utroque monasterio tres. post Pentecosten uerò, per totam æstatem legimus apud sanctum Benedictum quotidianis diebus tres lectiones. In monasterio autem Domini Saluatoris, usque ad Octobris calendas, de Testamento ueteri unam. Quam ideo sanctus Pater noster, ut putamus, non in codice legi, sed ex corde recitari præcepit, eo quòd necdum æstatis tempore mos esset Romanis, quotidianis diebus in uolumine legere: sed postea ab Honorio papa hoc institutum, quando & totam Scripturam in Ecclesia legi præcepit. Vnde & nos, quia & id potius arbitramur uenerabili patri nostro esse gratius, Romanam in legendis ueteris ac noui Testamenti per ordinem libris, consuetudinem sequimur. Psalmos uerò, præter tres noctes,

ut

ut præmissum est, ante Pascha, semper regulariter psallimus. In diebus autem Dominicis, secundum sanctam regulam, semper facimus duodecim lectiones: canentes, sicut nobis præcipitur, psalmos: excepto quod paschalibus, siue alijs solennibus diebus, pro quinquagesimo & centesimo septimodecimo psalmis, nonagesimumsecundum & nonagesimumnonum cantamus. Si quando autem nouem psalmos secundum Romanũ morem diebus congruentes canimus, ut in die natalis Domini siue Epiphanię, in Ascensione Domini, siue beati Petri, uel etiam sanctorum Martini ac Benedicti: tres posteriores psalmos in duas diuidimus glorias, ut omninò duodecim fiant. Festiuitates autem sanctorum, quia iuxta morem Romanæ Ecclesiæ plures colimus, in his tantum quæ præcipuæ sunt, hoc est Natiuitate Domini, Epiphania cum octauis suis, purificatione sanctæ Mariæ, cum octauis suis, sanctorum martyrum Faustini & Iulittæ, sanctæ Scholasticæ, sancti Benedicti, Ascensione Domini, in sancti Iohannis, sancti Petri, uel omnium Apostolorum, sancti Laurentij, sanctæ Mariæ, sancti Germani, sancti Martini, sancti Andreæ, ieiunamus pridie usq; ad uesperum, legimus lectiones duodecim, genua non flectimus, ab operibus uacamus. Reliquis autem festiuitatibus, quia (ut diximus) multę sunt, & quia proprijs manibus laboramus, facimus octo lectiones, dehinc pergimus ad laborem. Ieiunium quadragesimæ à quinquagesima inchoamus, celebrantes iuxta morem missas. ad uesperum reficimur: sed ab ouis, piscibus & caseo minimè abstinemus. Per totam autem quadragesimam, exceptis diebus Dominicis, & festiuitatibus beatorum Gregorij & Benedicti, siue cum semel aut bis rogamur pro charitate, neq; coctum comedimus, & præter infirmitatem neque uinum potamus. In diebus autem æstatis, cum fruges per nos ipsos colligimus, frequenter hi qui operãtur, sicut & regulariter conceditur, quarta & sexta feria ad sextam se reficiũt, reliquis ad nonam ieiunantibus: ex quibus etiam alij cõcesso ad sextam prandio, ad nonam protendunt. In mensura autem ipsius cibi & potus, modum nobis traditum custodimus. Aliquoties tamẽ, ut pro festiuitate præcipua, aut pro caritate, aut pro duris operibus, prout conuenit, caseum aut aliud aliquid augemus, iuxta quod & nobis augendi licentia datur. Sed & his ipsis pro causis miscere etiam fratribus ad mensam supra statutam mensuram facimus. Pari etiam modo hyemis tempore, cum ad nonam reficiuntur, uespere eis tantum, quantum pater noster cœnantibus largitus est, in potum concedimus, Grandi quoque æstu qui labore fatigantur, singulas ante cibum phialas, similiter etiam post nonam accipiunt. A' carnibus uerò abstinentes regulariter, solummodo uolatilia, die natalis Domini, siue paschæ, & tribus aut quatuor diebus sequentibus comedimus: & nisi deesset abũdantia, usq; ad earundem dierum octauas cõmederemus: senibus, pueris & infirmis iuxta sanctam regulam, comedendi licentia cõtributa. De uestibus autem & calciamentis, supra id quod sacra regula loquitur, scribere non audemus. Illud tamen tenendum est, quod beatissimus Benedictus pater noster, quomodo singulis pro uniuscuiusque necessitate distribui opus sit, in abbatis reliquit arbitrio. Et certè sunt apud nos aliqui, quibus amplius pro labore continuo, seu sua infirmitate concedimus. Sunt autem alij, qui ita ut sancta continet regula, contenti sunt. Veruntamen cum post sancti Martini, uestimenta fratres reddentes uetera, noua accepturi sunt, pergunt cum psallentio & luminaribus in uestiarium, canitur ibi gradualis, & legitur Euangelium: Nolite solliciti esse quid manducetis aut bibatis, neque corpori uestro quid induamini. Dehinc dicta oratione, cunctis prout competit, uestimenta impertiuntur. Calciamenta uerò quoties opus est, reddentes uetusta, noua accipiunt. Propinquantibus quadragesimæ diebus, manè cunctis per ordinem fratribus ceram ad luminaria tribuimus, ut scilicet non solum luce diei, sed etiam noctu diuinis lectionibus exerceantur. Præterea, quod sacris Canonibus continetur, neq; diebus Dominicis, neque à Pascha usque ad Pentecosten, neque (ut præmisimus) præcipuis festiuitatibus ad officia, genua flectimus: exceptis uidelicet causis quæ in sancta regula continentur. Siue cum die sabbatorum ante completorium apud beati patris confessionem, diligentiam facimus: pari etiam modo à natiuitate Domini usque ad octauam peragimus, in quibus etiam diebus ad sextam reficimur. Cæterùm priuatis suis fratres orationibus omni tempore, pro suo quisque arbitrio, genua flectunt. Sunt & alia quæ à maioribus instituta seruamus: nudato, exceptis infirmis, capite, ad officium stamus: flectimus ceruicẽ, quoties Gloria canitur. Bis in die, mane scilicet & uesperi, confessionem ad inuicem facimus: manè confitentes, si quid noctu cogitatione uel illusione deliquimus: uesperi autem, si quid uerbo, corde uel opere excedimus. Accedentes ad refectorium, siue exeuntes, summum silentium obseruamus. Si quis aliquem sonitum in oratorio, uel in refectorio, siue dormitorio fecerit, prostratus senioribus, pœnitentiam agit. Si quamlibet partẽ sui corporis aliquis uulnerauerit, similiter ante-

ante seniorem procumbens, pœnitudinem gerit. Nec ad ipsa corporis necessaria, in opere siue itinere constitutus, audet quis ire, sine maioris imperio. Quoties uel uiam pergimus, uel aliquid operamur, uel cum in coquina quid præparamus, siue cum panem facimus, unusquisq; cum fratre alio psalmos canimus. Virgam neque in monasterio constituti, neq; foras egressi, manu gestamus: prçter hos qui infirmi sunt, siue qui senio grauantur. Post nocturnum, nisi is qui ex aliquo incommodo grauis est, & hoc ipsum cum permissu senioris, aliàs non permittitur somnum capere. Nisi certis & statutis diebus, & omnes pariter, aliàs nunquam radimur. Deponimus autem comam die Paschę, & Ascensione Domini, & sancti Petri, calendis Augusti & Septembris & Octobris, & sancti Martini, & natiuitate Domini, & cum pascha serotinum est, semel ante septuagesimum, & in quinquagesimo. Ad extremum, sacerdos cuius est diei officium, cunctorum uiuẽtium ad missam relegit nomina fratrũ. Iam uerò infirmantes fratres nostri, dum ad transitum ueniunt, statutis fratribus psallentibus obediũt: quibus defunctis, statim in quatuor diuisionibus à tota congregatione per singula oratoria, tam ad sanctum Benedictũ, quàm ad maius monasterium, psalterium finitur. Si quis autem nocte obierit, supra id quod diximus, etiam nocturnum officium cum nouem psalmis, tribusq; lectionibus siue responsorijs, siue matutinum pro eis Domino canitur. Interim uerò dum lauantur, uestiuntur, ordinantur, dumq; ad sanctũ Benedictum rursum deferuntur, pro eorum à præordinatis fratribus ereptione continuè psallitur. Qui cum illuc perducti fuerint à fratribus, qui illic sunt cum psalmodijs & luminaribus excepti, ducunt ante sacrum patris uenerabilis corpus, & sic pro eis sacrificium offertur. Deinde usque dum sepeliuntur, pro eis continuè psallitur. Ad extremũ pro unoquoque defuncto à singulis in utroque monasterio fratribus duo psalteria canuntur: & à nostris sacerdotibus, qui utiq; plures sunt, pro unoquoque duodecim missæ fiunt: excepto quòd ab eisdem sacerdotibus, pro omnibus quiescentibus fratribus quotidie fit cõmemoratio. Quodq; pro eis per singula officia psalmus quinquagesimus ab omni congregatione cantatur, & nihilominus priuatis fratrum sine intermissione orationibus commemorantur. Et quidem maiores nostri, plures defunctis fratribus psalmos canebant. Sed quia creuit & aucta est congregatio, dum frequenter tam fratres quàm pulsantes nostri obeunt, quibus etiam & morientibus hospitibus psalterium canimus, uix hoc ipsum explere ualemus. Nam & de singulis circumquaque monasterijs, morientibus fratribus siue sororibus, nihilominus Psalterium, præter hæc etiam pro singulis qui nobis suas eleemosynas largiuntur, publicè ante completorios duodecim psalmos canimus, excepto quas unusquisq; soli Deo cognitas priuatim pro eis preces effundimus. Ecce bone uir, nostro pectore satis dilecte, dum uoluntati tuæ parêre cupimus, ea quæ à nobis mediocriter geruntur, non sine quodam uerecundiæ rubore publicauimus. Sed quia, ut diximus, tuæ charitati negare nequimus, suscipe iam mente libenti, quod à nobis ut fieret, penè per uim extorsisti: & pensa quantum diligeris, quãdo ea tibi prodidimus, quæ nobis conuenerat tacere. qua de re omnibus qui hæc lecturi sunt, persuademus, ut in his quæ ab eis melius geruntur, mediocritatem nostram nequaquam despicientes extollantur: sed potius laudes referant, per quem talia possunt. Nos enim quia seruis caremus, per nosmetipsos ferendis ac colligendis frugibus occupamur. Propter quod etiam frequenter meridie concessam quietem non capimus. Ipsi quoque nostra fœna recidimus, ipsi uindemiam congerimus, animantia pascimus, diuersis artibus insudamus: dumq; amplius quàm per obedientias distribuimur, ad hæc ipsa quæ prolata sunt, sufficere uix ualemus. Hæc autem sic per consuetudinem gerimus, ut in cęteris sanctæ regulæ seriem, supernis fulti pręsidijs, certatim obseruare conemur. Si qui sanè ista recensentes, inferius fortasse aliquid à se geri cognoscunt, nostram imitari exiguitatem non dedignentur.

¶ In Concilio Galliæ, à Carolomanno cõuocato, statuitur, ut monachi & moniales rigidè obseruent suas professiones, nec à regulis suis discedant: & belli tempore, ieiunijs & orationibus consuetis addant orationes & frequentiora ieiunia. Nauclerus generatione uigesimaquinta, folio 604. Et Mutius libro septimo.

Monachorum quisq; in conclaui suo deliteat, iuxta uocabuli sui rationem, suam solius curam agat. Canon Dingelfingensis: Auentinus libro tertio Annalium. Carolus Magnus monachos uagari uetat, in constitutionibus suis: & abbatibus suis parêre iubet.

Cum impiè agentibus non communicabant. Sic Plato præceptor, & reliqui monachi monasterij Saccidionis, non communicant cum Tarasio episcopo Constantinopolis, quòd Imperatorem adulterum admisisset ad cœnam. Zonaras tomo tertio. Diaconus libro uigesimotertio rerum Romanarum.

In Dominicis et festiuis diebus, Cassinẽsib. licitum

licitum erat hymnum Angelicũ in miſſa canere: Zachariȩ priuilegium, in Chronico Caſſinenſi. Ac oportebat eos ex iuſſu Zachariæ papæ, Benedicti, Mauri, & Scholaſticę feſta, ut natalem Domini celebrare: & Tertullij patricij anniuerſariam commemorationẽ 14. Iulij perſoluere, & Placido eodẽ die miſſam facere, & Gregorio tertio & Zachariȩ anniuerſarias mortis memorias facere: ut patet ex epiſtola ad Petronacem, Chronico Caſſinenſi addita.

Septies in die celebrabant preces, nimirũ mane tertia, ſexta, nona ad lucernam, & ad completionem. Albinus in Pſal. 118.

¶ De tonſura monachorum, Geolfridus in epiſtola ad Naitanum regem Pictorũ tradit, alios more Petri tonderi per circularem coronã: alios uerò more Simonis magi, in fronte quidem coronam præferre, ſed in ceruice obliquum angulum facere. Et licet aſſerat utramq; formam eſſe liberã, nec damnari eos qui illam obſeruent, modò in fide & charitate perſeuerent: tamen Romanam cõſuetudinem alteri præfert. apud Bedam lib. 5. cap. 22 Anglicæ hiſtoriæ. Et monachi in Huenſi inſula, anno Domini 716, ſuo more abiecto, ritum tonſurandi Romanum, tanquam canonicum ſuſceperunt. Beda lib. 5. cap. 23 Anglicæ hiſtoriæ. Carolomãnus à Zacharia papa tonſus eſt, anno Domini 746. Sigebertus.

Singuli ſuas diſtributas operas habebant, ut apparet ex epiſtola Bonifacij ad Tatuuinũ & Vuigbertũ: Vuigbertus presbyter, & Megingotus diaconus, regulam ueſtram uobis inſinuent, & Spirituales horas & curſum Eccleſiæ cuſtodiant, & cæteros admoneant, & magiſtri ſint infantum, & prædicent uerbum Dei fratribus. Hieddi ſit prępoſitus, & ſeruos noſtros admoneat: & Hunfrithus adiuuet illum, ubicũq; opus ſit. Stirme in coquina ſit: Bernhardus operarius ſit, & ædificet domũculas noſtras, ubi opus ſit. Et de omnibus, ubicunq; uobis neceſſe ſit, Tatuuinum abbatẽ interrogate: & quodcunq; uobis inſinuet, hoc facite. & unuſquiſq; ſtudeat ſecundũ uires ſuas, & proprios mores in caſtitate conſeruare, & in communi uita alterum adiuuare, & in fraterna charitate permanere, uſq; ad præſentiam reuerſionis noſtrę in Dei uoluntate. & tunc ſimul laudantes Dominum, in omnibus ei gratias agamus. Valete in Christo. Et abbas in Caſsinenſi cœnobio, Carolomanno primùm ouiũ curam, & poſtea culturam hortuli commiſit. Hoſtienſis lib. 1. cap. 5. & Regino.

¶ Leges & ſtatuta monialium uirginum, quas Carolus Magnus Nunnanes uocat, à Nunna germanica uoce, quæ fœminam ſuẽ caſtratam ſignificat: Adrianus puellas in cœnobio Eugeniæ iuſsit Deo canere laudes iugiter, hora prima, tertia, ſexta, nona, ueſperi & mane. Liber pontificalis. Et Synodus Cabillonenſis cap. 59: Sanctimoniales in monaſterio conſtitutæ, habeant ſtudium in legendo, & in cantando, in Pſalmorum celebratione, ſiue oratione. Et horas Canonicas, matutinam uidelicet, primam, tertiam, ſextam, nonam ueſpertinam, completoriam pariter celebrent. Et omnes, excepta quam infirmitas tenet, in dormitorio dormiant: & omnibus diebus ad collationem ueniant. Et cap. 61. Non debere ſanctimoniales in proprijs manſionibus cum aliquibus maſculis, clericis ſiue laicis, conſanguineis ſiue extraneis bibere ſiue comedere: ſed ſi quando id agendum eſt, in auditorio agatur: & ubi auditorium deeſt, non fiat. Et cum nullo maſculo eis colloquium habere liceat, niſi in auditorio, & ibi coram teſtibus. Et cap. 62. Sanctimoniales, niſi fortè abbatiſſa, pro aliqua ſua neceſsitate incumbente, illas mittente, nequaquam de monaſterio egrediantur. Hæ uerò quæ famulos aut famulas nõ habent, ad exercenda negocia ad portam monaſterij perueniant, & ibi coram teſtibus negocia ſua exerceant. Sanctimoniales ad regulam Benedicti obligat Synodus Francica, 2. tomo Conciliorũ. Et Carolus Magnus cauet in conſtitutionibus ſuis Aquiſgrani, ut infantulę ętatis puellæ non uelentur, antequam illæ eligere ſciãt quid uelint, ſalua Canonica autoritate.

Ante annum 25 ætatis, uirgines uelari, uetat caput 28 Turonenſis ſynodi.

Etiam Sanctimonialibus licere, inuicẽ pedes abluere, tam in cœna Domini, quàm alijs diebus, Zacharias aſſerit in epiſtola 2 ad Bonifacium, tomo 2. Conciliorum: quia uiri & mulieres eundem Deum habeant.

Abbatiſſa cum uiris clericis aut laicis, horis incompetentibus non loquatur: ſed quicquid cum maſculis de rebus neceſſarijs peragere debet, à prima hora uſq; ad ueſpertinã peragat: & hoc non cum ſingulis, ſed coram pluribus. Caput 55 Cabillonenſis ſynodi.

Bonifacius permiſit monialibus ſermocinari, & concionari: contra doctrinam Pauli. Balæus centuria 2. cap. 13 Scriptorum Britanniæ. Tecla ad fluuium Mogum Kitzingi, & Lieba in Biſchoffsheim, concionatę ſunt. Hedio libro ſexto, capite uigeſimoprimo, ex Vuilibaldo.

CASTITAS MONIALIVM *& Monachorum.*

Monachis & monialibus promiſcuas libidines exercere, uoluptati magis erat, quàm in legitimo matrimonio œconomię onus ſuſtinere. Quare cum Imperator Cõſtantinus Copronymus illis coniugium imperaret, adeò moleſtè id tuliſſe ſcribũtur, ut paſsi ſint potius martyrium. iuxta illud: Omnes qui

amant, ægrè sibi uxores dari ferunt. Sigebertus in Chronico, & Paulus Diaconus. Idq; ut Constātinus indicaret, curauit monachos per theatrum circumduci, tenentes manib. scorta publica. Zonaras tomo tertio. Nonnas Anglicanas cum regibus & alijs consueuisse, & infantes enecasse, Bonifacius in epistola ad Ethilbaldum indicat.

¶ Habitus seu uestitus monachorum uidetur fuisse ater. Nam cum Lachonodraco præfectus Constantini, omnes monachos & monachas in campum apud Ephesum eduxisset, dixit: Qui uult Imperatori & nobis obedire, alba induatur ueste, & uxorem accipiat hac hora! quod qui non facit, in Cyprum deportabitur. Paulus Diaconus libro uigesimosecundo rerum Romanarum. Barbas etiam nutrijsse monachos, ex eo apparet, quòd idem præfectus, barbas cera & oleo per unctas incendisse dicitur. ibidem. Vulfranius pluribus annis sine lecto fuit, cilicio indutus sub cuculla. Vincentius libro uigesimotertio, capite centesimo quadragesimosexto. Et duo monachi, qui in Olympo monte ad Ioannicium accesserunt, tunicas ex pilis habuerunt: ut refert Metaphrastes in uita eius. Sed tamen alicubi etiam splendido uestitu usi leguntur. nam monachi in monasterio Martini Turonensis, sericis induti sunt uestibus, & deauratis calceis: ut indicat Martinus in uita Adriani, & Chronicō Æditui, & Erphordiensis capite sexagesimo nono. Et Gutbertus Lullo misit tunicam de pellibus lutrarum factam, & duo pallia, alterum albi, alterum tincti coloris: in epistola ad ipsum. Et Zacharias papa in epistola ad Pipinum inquit: Si qui in monastica uita uel le habeant uiuendi, plebi quidem sibi subiectæ, præclariori ueste induti debitum prædicationis persoluāt, & in secreto propositum seruent sui officij. Monachi laneis indumentis sine intermissione utantur.

De differentia uestitus monachorum, suprà in regula Benedicti annotatum est: Galliæ monachos laxiori & prolixiori melote, Italos uerò breuiori & strictiori, Græcos propter operimentum capitis ante pectus & de dorso pendenti, transmarinos pellicio usos esse.

Et monialium uestis nigra fuit. Maria uxor Constantini, ornatum regium inuita cum nigro monastico uestitu commutauit. Zonaras tomo 3.

¶ Cœperunt hoc seculo monasteria ita sese inuicem coniungere, ut nō tantum in suis obseruationibus, sed etiam in ijs quæ ad corporalem pertinebant uitam, mutua suffragia sibi inuicem præstarent: ut patet ex epistola Bonifacij ad Optatū, & Bregouini ad Lullū.

Superstitiones monasticæ multæ recensentur. Adorabant enim imagines Sanctorum. Paulus Diaconus libro uigesimotertio rerum Romanarum.

Abstinebant à carnibus. nam Constantinus accusatur, quòd coegerit eos carnes edere. Honorius.

Et à uino. Epistola monasterij Benedicti ad Carolum. Multi fratrum nostrorum neq; uolatilia comedunt, neq; uinum unquam, nisi quando de sancto calice bibunt. Sed tamen anno Domini 757, monachi Lindisfarnenses cœperunt bibere uinum, cum prius aquam aut lac tantum bibissent. Balęus Centuria 2. cap. 15.

In monasteria etiā episcopi, ab officio suo recedentes, quasi pœnitentiam acturi, sese abdiderunt. Sic Paulus Constantinopoleos episcopus, ab Ecclesia se subduxit, & in monasterium Flori confugit, pro ficto peccato, quòd sacras imagines damnasset, pœnitentiā acturus. Zonaras tom. 3. Paulus Diaconus li. 23 rerum Romanarum. Et Veilicarius Viennensis episcopus, in monasterium martyrum Agaunensium secessit. Adon Viennensis ætate sexta.

Orabant pro animabus defunctorum: & nomina eorum etiam ad alia monasteria mittebant, ut itidem pro ijs fratres orarent: ut patet ex epistola Bonifacij ad Aldheriū abbatē.

Certas hymnorum, & cantionum, & festorum formas obseruabant. Vnde Theodomarus abbas Casinensis, in epistola ad Carolū inquit: Hymnos qui secundum instituta beati patris nostri, per singula officia uel festiuitates cantari debent, annexuimus. Et duo monasteria ad latera ecclesiæ Petri Romæ, laudes Deo canere, Adrianus instituit. Martinus in Chronico.

Ritus miraculosi, seu monstrosi. Ioannicius in monasterio Eriste, monastico habitu indutus, se includit, in loco qui uocatur Critama, & se ligat cathena sex ulnas longa. Metaphrastes in uita eius, tomo 5. Cœnobia lachrymis pœnitentiæ rigabantur, & lacerata uerberibus terga cilicio tegebantur hoc tempore. Paulus Æmylius de gestis Francorum lib. 2. Hunebertus cuiq; loco & tempori peculiares & proprias tribuit ceremonias, quasi in illis esset consummata iusticia. Balæus Cēturia 1. cap. 95. Nulli fœminæ in cœnobium Fuldense patebat aditus, nisi soli Liebę Anglicæ. Balæus Centuria 2. cap. 13. Lectisternijs caprinis utebantur: ut patet ex epistola Bonifacij ad Huetbertum abbatem.

VARII CASVS CIRCA MO-
nasticen.

In monasteria sese etiā reges & principes & nobiles cōtulerūt. Sic Leo nobilis in Cassinense cœnobiū, se cū bonis suis cōtulit. Hostiēsis lib. 1, cap. 11. Et Carolomānus frater Pi-

pini,

pini, abdicato regno, Romæ in monte Seraphin cœnobiū extruxit, ibiq; uixit: & postea ad Casſinum montem abijt. Iuo in Chronico. Tandem in Viennense relegatus. Blondus lib.1.decad.2. Ranulphus li.5.cap.26. Et Choret & Opha, reges Anglorum, Romam ueniūt, & in monachos tondentur, anno Domini 707. Sigebertus. Beda lib.5.cap.20. Rachis, monachus Romæ efficitur, ex hoste. Sigebertus. Multos nobiles & priuatos depositis armis accipere tonsuram, & monasterialibus adscribi uotis, apud Nordanymbros: Beda testatur lib.5.cap.24. Anglicæ historiæ. Ethelredus rex Merciorum monachus fit, abdicato regno. Polydorus lib. 4. Vuilhelmus libro primo, capite sexagesimoprimo de Anglis. Idem Ædiluualdus facit: ut constat ex eius epistola ad Bonifacium.

2

Ceolredus rex Merciorum, & Osredus rex Berniciorum, monasteria effregerunt, & nonnas stuprarunt: ideoq; prior in furorem uersus, alter regnum & uitam miserè perdidit. Bonifacius in epistola ad Ethilbaldum.

3

Quidam etiam abiecto habitu monastico, ad Reipub. administrationē reuersi sunt. Sic Rachisius frater Aistulphi deserens monasterium, arma contra Desiderium capit, ad regnum occupandū. Liber Pontificalis, & Mutius libro septimo.

4

Isaacius quidam, qui fœminæ inseruiebat monachæ, cum morbus eum inuaderet, monasticum induit habitum: & dolor ei euestigiò mortem attulit. Metaphrastes in uita Ioannicij.

5

Apud Græcos & Latinos iudicatur, quasi blasphemiam Deo irrogasset, qui cum uelata & consecrata Deo nonna concubuisset: & qui de hoc peccato ante ordinationem interrogatus, reus inuentus fuerit, ab omni gradu sacerdotij Dei prohibeatur. Bonifacius in epistola ad Ethelbaldum regem.

6

Ethelbaldus à Bonifacio & alijs episcopis Germanis obiurgatur, quòd Sanctimoniales & Deo sacratas uirgines stuprarit. ibidem.

7

Vuarneharius abbas pro amore Petri loricasese induit, & dies noctesq; in muris Romanis uigilauit, & pro eorum defensione & liberatione dimicauit. Stephanus papa in epistola ad Pipinum.

8

In gente Longobardorum semel Deo uouentes, & uestem fuscam monachicum habitum induentes, iterum retrorsum reuertuntur, quod dici nefas est, seculares uestes circumferentes, illicito copulari matrimonio perhibentur. Adrianus papa in epistola ad Carolum.

DE EREMITIS.

Etiam Eremitarum passim fit mentio. Egidius in eremo, à Mediomatrico sex millibus distāte, in antro uixit lacte ceruæ, & radicibus. Antoninus titulo 13. cap. 6. §.33. Vincentius li.23.cap.139. Liber uitę Crodogangi, cap.11. Et Gurias uitam anachoreticam suscepit. Metaphrastes in uita Ioannicij. Sebaldus apud Nurenbergam, in solitudine nemorum uitam exegit. Schedelius ætate 6, folio 182. Carolus Magnus in constitutionibus suis dicit, Anachoretas monendos esse, quòd melius ipsis sit, si in congregatione permaneāt, quàm ut in solitudines recedant.

Eremitæ pecuniam accipere recusabant, & homines ad monasteria condenda hortabantur: ut patet ex historia Egidij apud Antoninū. Et certū tempus & ordinem in orationibus obseruabant: ut patet ex uita Ioannicij apud Metaphrasten. Et incedebant nudis pedibus, obsiti pánis, & toti capillati, sub dio: & sine domo uiuebant. ibidem.

DE INCLVSIS.

Habdallam, omnes monachos, inclusos, & Cionitas tributarios fecit. Paulus Diaconus libro uigesimosecundo rerum Romanarum.

MORES CHRISTIA-norum.

Quæ hactenus diximus, ad ritus propemodum Ecclesiasticos pertinent. Iam uerò de communibus Christianorum uirtutibus & uitijs quid dicemus? cum satis constet, in Ecclesia bonas & malas arbores esse, quarū natura est dispares ferre fructus. Itaq; exempla tum uitiorum, tum uirtutū, primæ & secundæ tabulæ Decalogi passim leguntur.

Exempla uirtutum & confessionis. Gregorius secundus nonnullorum Thuringorum constantiam laudat, quòd mori potius elegerint, quàm fidem semel acceptam uiolare. in epistola ad eosdem, tom.2 Conciliorū.

Orationis & gratiarū actionis. Sic Franci Christiani apud Heresburg, contra Saxones defensi, Deum laudant, qui saluos faciat sperantes in se. Regino lib.2. Carolus Magnus manè & uesperi, & nocturnis horis impiger Ecclesiam frequentabat, & curabat ut omnia quæ in ea gerebantur, cum decoro fierent: Vrspergensis. Et Pipinus bellum contra Saracenos suscipiens, precabatur ut id feliciter sibi & religioni Christianæ eueniret, & parta uictoria Deo gratias cū suis agebat. Æmilius lib.2 de Francis. Synagoga credē-

tium regat Dominum, ne impios suos magistratus ac proceres ante punitionem extremi iudicij usq; ad internecionem deleat. Beda lib.4 in Samuelem, cap.4.

Studium rerum sacrarum, & aliarum artium. Carolus Magnus inter cœnandũ curabat sibi legi libros Augustini de ciuitate Dei, & historias. Saxonia Crantzij li.2. cap.8.

Et sanctificationis Sabbati. Inter leges Boiorum hanc recitat Auentinus lib.3 Annalium: Festo die solis ocio diuino intẽtus, prophanis negocijs abstineto. Et Carolus Magnus in Cõstitutionibus suis, anno 20 regni sui Aquisgrani factis, inquit: Statuimus quoque, secundũ quod & in lege Dominus præcepit, ut opera seruilia diebus Dominicis nõ agantur, sicut & bonæ memoriæ Genitor meus in suis Synodalibus edictis mandauit: id est, quòd nec uiri ruralia opera exerceant, nec in uinea colenda, nec in campo arando, uel fœnum secando, uel sepem ponẽdo: nec in syluis stirpare, uel arbores cædere, uel in petris laborare, nec domus construere, nec hortum laborent, nec ad placita conueniãt, nec uenationes exerceãt. Et tria carraria opera licet fieri in die Dominico: id est, ortalia carra, uel uictualia, uel si fortè necesse erit corpus cuiuslibet ducere ad sepulchrum. Item fœminæ opera textrilia non faciant, nec capillent, uestitus non consuant, uel acupictile faciant, nec lanam carpere, nec linum battere, nec publicè uestimenta lauare, nec uerueces tondere, habeant licitum, ut omnimodis honor & requies diei Dominicæ seruetur. Sed ad missarum solennia, ad ecclesias undique cõueniant, & laudent Dominum in omnibus bonis quæ nobis in illa die fecit.

Reuerentiæ erga ministros Ecclesiæ. Sic Carolus consulit sacerdotes de bello: & de eorum uoluntate, ne episcopatus & monasteria deuastentur, pacem facit. Regino lib.2. Metensis Ecclesię amorem erga Sigibaldum episcopum, & mœrorem & luctum ob eius mortem, & piam curam ne aliquem mercenarium sortiantur episcopum, celebrat prolixè autor uitæ Crodegangi, cap.5. Iustinianus Constantinum papam gloria Apostolico digna honorat. Sigebertus anno Domini 710. Pipinus Stephano papæ obuiam procedit, & de equo descendens frenum apprehendit, & pontificem in palatium suũ ducit. Martinus in Chronico. Carolus Leonem Roma expulsum restituit, & motus illos cõpescit: anno Domini 800. Sigebertus. Galliæ & Francię populum Bonifacio bene pręcipienti sedulò obtemperasse, Zacharias papa testatur in epistola ad eosdem: apud Auẽtinum lib.3 Annalium. Thassilonus dux Boiariæ, nihil egit sine consilio Vergilij Saleburgensis episcopi, & Aribonis Fruxinensis. Auentinus lib.3 Annaliũ. Romani & Longobardi defensionem suscipiunt Gregorij secundi pontificis, contra uim ab Euticio imperatoris nomine intentatam. Liber pontificalis. Comitibus, iudicibus, reliquoq; populo expedit, ut suis sint episcopis consentientes & obedientes propter Dei amorem, suiq; gradus honorem: & semper ab eis utile quęrant auxiliũ, illorumq; salubria non spernant monita, sed intenta cordis aure audiãt. Similiter uerò & episcopi prædictas personas humiliter suscipiant, honorificeq; erga eos in omnibus agant, & sic sese mutuis studeant subleuare consolationibus. cap.33. Turonensis Synodi.

Honor parentum. Carolus Magnus matrem suã summa pietate coluit, liberos utriusque sexus literis erudiri curauit. Saxonia Crantzij lib.2. cap.7.

Parentes in liberorum educatione diligentes & solertes erant. nam Carolus Magnus sedulò curauit, ut liberi & nepotes sui masculi studio disciplinarum essent occupati, et fœminæ lanificio & alijs muliebribus officijs: ac utrosq; pietate & sanctimonia insignibus uiris & fœminis erudiendos & instruendos in religione sacra tradidit. Mutius in Chronico Germaniæ lib.8.

Gerebant & ipsi Christiani magistratum, & munera politica obibant, etiam apud infideles. Sic apud Agarenos uectigalium codices ob calculationis peritiam, quam Agareni ignorabant, curabant. Zonaras tomo 3. & Paulus Diaconus lib.22 rerum Romanarum.

Diligentia magistratus in administratione Reipub. Aripertus Longobardorum rex, uir pius, misericors & iustus, alia ueste indutus, solebat per regnum suum uagari, & de singulis reb. inquirere & obseruare, quo pacto ius suis subditis singuli præfecti administrarent. Alfredus exul literis operam nauauit, indeq; doctissimus euasit. Fratre mortuo regnum adeptus, id uastatum ab hostibus, bonis artibus & singulari studio pacis instaurauit: & per annos 19, sine armorum usu, sola prudentia pacatum tranquillumque præstitit, Polydorus lib.4. Anglicę historicę.

Magistratui subiecti erant, eosq; honorabant. Sic Luitprando munuscula, xenia, & benedictiones Ecclesiarum offerebant Pentapolitani. Paulus Diaconus lib. 6. cap. 15. de gestis Longobardorum. Vexilla, & imagines Imperatorum in ciuitates & prouincias missas, cereis & suffimentis odoratis excipere solitos esse subditos, Theodosius narrat in actione 1. Nicenæ 2.

Iusticia in puniendis sceleratis. Carolus & Carolomannus, & Pipinus, prius animaduerterunt in facinorosos sacerdotes, quàm arma contra Saracenos sumpserunt. Hedio

libro

libro sexto, cap. nono Ecclesiasticæ historiæ.

Sese contra latrones & Christianę fidei hostes egregiè tutabantur. Sic Bulgares, 32000 Saracenorum sternunt. Blondus decadis primæ libro decimo.

Et de bellis & uictorijs Germani solebant rhythmos componere, eosq; cantare. nam Carolus Magnus huiusmodi aliquot colligi, & literis mãdari curauit. Chronicon Holsatiæ libro primo.

Misericordia & mansuetudo. Carolus Magnus in condonandis iniurijs sibi illatis, placidus & promptus fuit: teste Iohanne Arelatensi, in præfatione Synodi tomo 2. Conciliorum. Cenulphus regem Egbrittum, misericordia motus dimittit. Vuilhelmus libro primo, capite septuagesimoseptimo de Anglis.

Concordiæ studium. Erant qui conabantur inter Carolum Magnum & fratrem eius intestina odia excitare: sed illi ea erant prædíti modestia, ut ab armis inuicem sibi temperarent, & instigatoribus illis reluctarentur. Crantzius in Saxonia lib. 2. cap. 3.

Omnes homines, & maximè Christiani, studeant inter se pacem, unanimitatẽ, & concordiam habere: odium uerò & discordiam longè à se propellere: neq; pro terreno & caduco quæstu quis inuidię stimulis agitatus, felicitati fratris inuideat: sed potius bona, quæ sibi optat, eadem & proximis æqualiter cupiat. Caput trigesimumsecundum Turonensis Synodi.

Amicitiæ. Amicum & Amelium ita mutuo amore coniunctos fuisse, narrat Vincentius libro uigesimotertio, capite centesimo sexagesimoquarto, & centesimo sexagesimo sexto: ut Amicus pro Amelio cum hoste eius Harderico congressus sit, eumq; interfecerit: & apud uxorem eius dormiens, fidem seruarit: & pro eo leproso curando, liberos suos interfecerit. Antoninus putat fabulam esse, cum ab alijs historicis nõ sit assignata: & parricidium & monomachiã cõtra Dei leges & Canones esse asserit, titulo decimoquarto, capite tertio, §. 3.

In egenos & pauperes erant liberales & benefici. Carolus Magnus non solum in regno suo pauperibus prospexit: sed etiam in Ægyptum, in Syriam, in Africam eleemosynas misit, anno Domini 790. Sigebertus. Crãtzius in Saxonia libro 2. cap. 8. Et regibus transmarinis pauperes commendauit. Mutius lib. 8. In mensa Caroli nobiles & monachi & Canonici splendidè solebant epulari: humi uerò decumbentes duodecim pauperes uestitu sordido, tenui uictu pascebantur. Aigolandus Afrorum dux, sciscitatus eius rei causam, cum intellexisset, duodecim illos Apostolorum referre typum, qui fuissent nũcij magni Dei, respondit: Abi sis cum tua pietate: ita'ne Deum honoras, cum alijs lautissimè refectis, nuncios Dei contemptui & ludibrio habeas? Hac exprobratione effecit, ut Carolus illos bis senos pauperes honestius uestiret, & lautius tractaret. Sabellicus, ex Turpino Remensi, Enneadis octauæ libro octauo. Carolus à quodam admonitus, ne cuilibet petenti, præsertim indignis, benefaceret, respondit: Qua charitate nos tulit hactenus pater cœlestis, ad cuius legẽ nos collati, sumus ipsa impuritas & iniusticia, latrones & fures? Mutius libro octauo. Cum diebus festis post orationem, lectionem, psalmorum studia completa, carnis curam reficiendo agere disponimus, pauperibus quoque & peregrinis partem dare meminerimus. Beda in Ezram libro tertio, capite uigesimosexto.

Publicè uerò mendicantes non ferebant. Vnde Carolus Magnus in Constitutionibus imperat, ut pauperes in plateis aut quadriuijs iacentes Ecclesiæ alant. Ac in alio loco inquit: De mẽdicis, qui per patrias discurrunt, uolumus, ut unusquisq; fidelium nostrorum suũm pauperem de beneficio, aut de propria familia enutriat, & non permittat alicubi ire mendicando: & ubi tales inuenti fuerint, nisi manibus laborent, nullus ei quicquam tribuere præsumat.

Liberalitas erga cognatos & domesticos. Caput trigesimũsextũ Turonensis Synodi: Vnusquisq; omni tempore suam familiam, & inopes ad se pertinentes, alat.

Liberalitas in studiosos & professores artium. Nam refert Mutius libro octauo, & constat ex uita Caroli Magni, quòd uiris doctis, & liberalium artium magistris, honesta stipendia dederit, eosq; in honore habuerit.

Pudicitia. Buda urbe expugnata à Carolo Magno, matronarum seruata est pudicitia, nulla uis cuiquam illata. Bonfinius decadis primæ libro nono, de Vngaris. Amelius cohabitauit coniugi Amici, nec tamen contra pudorem quidquam fecit: si uera sunt, quæ de eo nugatur Vincentius libro uigesimotertio, capite centesimo sexagesimoquarto. Antoninus titulo decimoquarto, capite tertio, §. tertio.

Sobrietas. Carolus ieiunijs, etiam cum periculo ualetudinis, corpus suum exercuit. Mutius lib. 8. In cibo & potu adeò fuit tẽperans, ut rarò in cœna plus quàm ter biberet. Crantzius in Saxonia libro secundo, capite octauo. Ebrietatem, crapulam, fideles sectari non debent. Synodus Turonensis capite quadragesimooctauo.

Coniugium magnificiebant. Cùm Carolus Magnus uidisset Eginardum epistolarum magistrum, noctu à filia sua ex humeris

per dentē, per niuem baiulari, ne manè quis alia quam mulieris uestigia in cubicula gynecæi deprehendere posset: in principum corona dissimulato nomine, proposuit facinus, & collegit sententias de pœnis. Ac cum audijsset omnes supplicio illos adiudicare, Eginardum & filiam suam adduci iussit, & dixit Eginardo: Do tibi portatricem tuam in legitimam coniugem, cuius te amore uideo esse captum. Iacobus Curio libro secundo rerum Chronologicarum.

Iusticia in contractibus. Synodus Turonica cap. 45. mandat, ut mēsuræ & iusta pondera ubiq; habeantur.

EXEMPLA VITIORVM.

Vt sunt, Defectiones à fide. Saxones aliquoties religionem & fidem Christi abiecerunt. Regino lib. 2. Saxones secundum consuetudinem, promissionē suam de Christianitate & fidelitate regis tenenda irritam fecerunt, anno Domini 795. idem, & Sigebertus.

Cōsuetudines ethnicæ & idololatricę. Affirmāt Bauari, se uidisse annis singulis in Romana urbe, & iuxta ecclesiam S. Petri, in die uel nocte, quando calendæ Ianuarij intrant, paganorum cōsuetudine choros ducere per plateas, & acclamationes ritu gentilium, & cantationes sacrilegas celebrare, & mensas illa die uel nocte dapibus onerare: & nullū de domo sua ignem, uel ferramentū, uel aliquid commodi uicino suo prestare uelle. Dicunt quoq;, se uidisse ibi mulieres pagano ritu phylacteria & ligaturas, et in brachijs & in cruribus ligatas habere, & publicè ad uendēdum uenales ad comparandum alijs offerre. Bonifacius in epistola ad Zachariam, tom. 2. Conciliorum. Et Synodus Turonica cap. 42. Admoneant sacerdotes fideles populos, ut nouerint, magicas artes incantationesq; quibuslibet infirmitatib. hominū nihil posse remedij conferre, non animalibus languentibus, claudicantibus'ue, uel etiā moribundis quicquam mederi, non ligaturas ossium uel herbarum cuiquam mortaliū adhibitas prodesse: sed hęc esse laqueos & insidias antiqui hostis, quibus ille perfidus genus humanum decipere nititur. Cocloarios (geuckler) maleficos, incantatores & incantatrices fieri uetat Carolus in constitutionibus Aquisgrani, ex Synodo Laodicensi.

Superstitiones in colendis & adorādis sanctis mortuis, & reliquijs eorum, ut suo loco dictū est. Corruentes & dolentes solebāt dicere: Dei genetrix iuua me. Paulus Diac. lib. 22. rerum Romanarum. Et ciues Constantinopolitani imaginē Mariæ circūferunt in obsidione, in tutelam cōtra Saracenos. Vincentius lib. 23. cap. 147. Mulier grauida in naufragio Mariam Magdalenā inuocat, eiq; uouet fœtum, si seruetur, quòd debeat fieri monachus Viliacensis. Vincentius lib. eod. cap. 153. Carolus Magnus subactis Pannonijs, Martinū inuocat, ac petit, ne natale solum patiatur semper bellorū esse aream, & barbararum gentiū ludibriū. Bonfinius Decad. 1. lib. 9. Consuetudinem colendi imagines, omniū regionū nobilissimas urbes obseruare, Germanus dicit in epistola ad Thomam episcopum, tom. 2. Concil. Edessę imaginem adorari, Leo testatur in quinta actione Nicenæ 2.

In cibis. nā Gregorius 3. præcipit, ne quid in cibis immundū iudicetur, nisi simulachris falsorum deorū immolatum: & ne auguria, somnia, incantationes, & dies obseruentur: in epistola ad Viuilum: Auentinus lib. 3. Eadem Carolomannus prohibet in edicto suo. unde apparet, eiusmodi uitia in Gallijs & apud Francos frequentia fuisse.

Abusus nominis diuini. Turonensis Synodus cap. 43. Omnes homines admonemus, ne per singula uerba, quasi ad confirmationē suæ assertionis, nomē Dñi in uanū assumant.

Periurium. Carolus Magnus in constitutionibus: Omnes admonendi sunt, ut cauēāt periuriū, non solum in S. Euangelio, uel in altari, seu in sanctorum reliquijs: sed & in communi loquela. Sūt alij qui per charitatem & ueritatem iurant, & cauent sibi à iuramento nominis Dei: & nesciūt quia idem est Deus, quod est charitas & ueritas.

Contemptus & afflictio ministrorū uerbi. Paschalis, & socij eius, Leonē, qui dissuadebat populo ne seditiosè contra Irenem imperatricem agerent, miserè affligūt. Antoninus tit. 14. cap. 1. §. 8. Et Ptolemęus Lucensis in rudimento. Vrspergensis in Chronico.

Sabbati prophanatio. Synodus Cabillonensis cap. 50. Diei Dominici obseruatio & ueneratio plurimùm negligitur. Vnde oportet, ut autentica constitutione illius diei obseruatio, iuxta imperiū Domini Imperatoris statuatur. Beda lib. 2. cap. 8. in Samuelem: Descendunt & hodie nonnulli, relicta altitudine uerbi Dei, ad quod audiendum ascendere debuerāt, auscultātq; fabulis secularibus, ac doctrinis dæmoniorum, & legendo dialecticos, rhetores, poetasq; gentilium, ad exercendum ingenium terrestre: quasi ad fabros Philistijm, pro exacuendis syluestris siue ruralis culturæ ferramētis, inermes, hoc est Spirituali scientia priuati conueniunt. Idem lib. 1. cap. 2. in Ioannē: Quid ergo, fratres mei, quid putamus faceret Dominus, si rixis dissidentes, si fabulis uacātes, si risu dissolutos, uel alio quolibet scelere reperiret irretitos: qui hostias, quę sibi immolarentur, ementes in templo uidit, & eliminare festinauit? Hęc propter illos diximus, qui Ecclesiam ingressi, non solum intentionem orandi negligūt, uerum etiam ea pro quibus orare debuerant, augent:

augent: insuper & arguentes se, pro huiusmodi stulticia, conuicijs odijsq;, uel etiam detractionibus insequuntur: addentes uidelicet peccata peccatis, & quasi finem sibi longissimum incautè eorum augmentatione texentes, nec timentes ex eo districti iudicis examinatione damnari. Nam bis quidem in sancto Euangelio legimus, quòd ueniens in templum Dominus, huiusmodi negociatores eiecerit: nunc uidelicet, id est tertio antè passionem suam anno, sicut ex huius Euangelistæ sequentibus scriptis agnoscimus: & ipso, quo passus est, anno, cum ante dies quinque Paschæ, sedens in asino Hierosolymam uenisset. Sed hoc idem eum in templo sanctæ Ecclesiæ, & examine quotidianæ uisitationis agere, omnis qui rectè sapit intelligit. Vnde multum tremenda sunt hæc, dilectissimi, & digno expauescenda timore: sedulaque præcauendum industria, ne ueniens improuisus, peruersum quid in nobis, unde meritò flagellari ac de Ecclesia ejjci debeamus, inueniat: & maximè in illa, quæ specialiter domus orationis uocatur, obseruandum, ne quid ineptum geramus.

Magistratuum iniusticia. Admonendi sunt domini subditorum, ut circa suos piè & misericorditer agant, nec eos qualibet iniusta occasione condemnent, non ui opprimant, non illorum substantiolas iniustè tollant: nec ipsa debita, quæ à subditis reddenda sunt, impiè ac crudeliter exigantur. Synodus Turonensis capite 49.

Crudelitas. Constantinum imperatorem in delicijs habuisse, leui de causa excæcare suos ministros: quare & ipse postea à matre oculis priuatus est. Paulus Diaconus, & Blondus decadis secundæ libro primo.

Contemptus magistratus. Populus Francorum Hyldericum, ignauum regem, floccifacere cœpit, nec à contumelijs temperatum est. Ille umbraticum, ille pupparum, alius puerorum regem eum appellabant. Auentinus libro tertio Annalium. Et consilio Papæ ab officio remouent, & in monasterium abdunt. Ranulphus libro quinto, cap. uigesimoquinto.

Seditiones. Sic Saxones toties contra Carolum rebellant, iuramentum & datam fidem uiolantes. Regino libro secundo. Thrasymundus Pharoaldum patrem suum opprimit, & regnum occupat. Paulus Diaconus libro sexto, capite decimotertio de gestis Longobardorum. Idem Hilderico rebellat: capite decimoquinto & decimosexto. Nordlindi, iudices suos interficiunt. Regino libro secundo. Itali & Romani consultant de copijs colligendis, & Constantinopoli occupanda, & Leone ab imperio dejjciẽdo. Antoninus titulo decimoquatto, capite primo. Austrasij, autore Harderico, coniurant aduersus Carolum, anno septingentesimo octuagesimooctauo. Sigebertus. Populus Romanus numismata Philippici imperatoris accipere recusauit: & pontifex uetuit, ne quis imaginem aut nomen eius uel in chartis, aut figuris solidis acciperet. Martinus in Chronico. Hunoldus contra Carolum seditionem meditatus est. Annales Francorum. Et Romani à Pontificibus excitati, à Leonis Isauri imperatoris fide deficiunt. Blondus libro decimo decadis primæ. Paulus Diaconus. Et Constantinopoli plebs in magna ecclesia congressa, Constantinum damnat, & Artabasdam laudat, patriarcha id approbante. Zonaras tom. tertio. Paulus Diaconus libro uigesimosecundo rerum Romanarum. Ethelbaldum tranquillè regnantem, post annos quadraginta subditi perfidè interficiunt. Polydorus libro quarto. Anastasij duces ad Alexandriam oppugnandam nouo imperatore creato, omnem uim in Anastasium uertunt. Paulus Diaconus, Sabellicus Enneadis octauæ libro septimo.

Proditiones. Caianus Auarorum rex corruptus pecunia à Leone, Iustinianum hospitem suum prodere instituebat, anno Domini septingentesimo tertio. Sigebertus. Ganelo legatus Caroli, pecunia corruptus, Marsillo Saraceno Francorum aciem prodidit: in qua Rolandus & alij illustres uiri perierunt. Quare comprehensus, Aquisgranum ducitur: & manib. & pedibus equis quatuor alligatus, distrahitur. Ganguinus libro quarto de Francis: Sabellicus Enneadis octauæ libro octauo.

Αστοργία. Irene Constantinum filium suum capit, & imperio & oculis eum & filios eius crudeliter priuat, anno septingentesimo octuagesimonono. Sigebertus. Blondus decadis secundæ libro primo. Plectrudis nouerca Carolo insidiatur: sed ille cum effugisset, non est ultus iniuriam, sed eam ut genitricem ueneratus est. Blondus decadis 1. libro 10. Luitprandus consanguineum suũ de insidijs accusatum interfecit. Crãtzius in Dania: & Blondus. Meretrices, moniales & seculares, malè conceptas soboles in peccatis gignentes, occidere magna ex parte: & tumulos corporibus, & inferos animabus satiare, Bonifacius queritur in epistola ad Ethilbaldum Angliæ regem. Aurelius Hispaniæ rex, fratrem suum Phroillam dolo necat, & solus regnũ occupat. Chronicon Phrygionis, & Ritius libro secundo de Hispania. Gotfridus rex Daniæ interficitur à suo filio, propter repudium matri missum, & nuptias alterius coniugis. Mutius libro octauo. Amelius ab angelo, seu potius diabolo

scripta, & Gotthorum fortitudo eneruata, & regnum perditum sit. Iohánes Gothicæ historię libro decimosexto, capite uigesimo quinto.

Immundicies in uictu. nam Germanos, caballos tum agrestes tum domesticos comedere, Gregorius tertius ad Bonifacium reprehendit: & abrogare iubet. Nauclerus generatione uigesimaquinta. Et Funcius libro octauo Chronologiæ.

Ebrietas. Ebrietatem & crapulam, pro re nullius momenti haberi à plerisq;, queritur Synodus Turonensis cap.4. Nunc quidem innumeros adeò comessationi & ebrietati, emptioni & uenditioni, cæterisq; mundi rebus inhærere uidemus, ut palàm districti iudicis iram eos prouocare non lateat. Beda in Lucam lib.5.cap.17.

Sacrilegia. Franci res sacras ecclesiarum, ad usus suos redegerunt. Adon ætate 6. Idē laici Lugdunenses & Viennenses fecerunt, adeò ut non posset isthic ali episcopus. Nonas & decimas de rebus Ecclesiasticis subtrahi, unde clericis stipendia solui, & luminaria emi solebāt, queritur Synodus Turonensis, capite quadragesimosexto.

Mendacia. Constantinus Irenes filius, cum quæreret causam ad repudiandam uxórem, & aliam ducendam: fingit sibi ab uxore paratum esse uenenum, quod ipse tamen subornauerat. Ignatius, in uita Tarasij.

Affectata ignorantia. Ille seruus qui cognouit uoluntatem Domini sui, & non præparauit, & non fecit secundum uoluntatem eius, uapulabit multis. Multi hanc sententiam malè intelligentes, nolunt scire quid faciant: & quasi minus se uapulaturos existimant, si nesciant quid operari debuerāt. Sed aliud est nescisse, aliud est scire noluisse. Beda in Lucam lib.4.cap.12.

Fraudes. Desiderius rex Longobardorum, simulans orandi pietatem, Romam ingressus, multos capit & excęcat: anno Domini 769. Sigebertus. Offa rex Merciorum, Ethelbertum generum suum instinctu uxoris interfici per insidias curat, eiusq; regnum occupat. Polydorus libro quarto Anglicæ historiæ. Frater Carolo, quas promiserat copias contra Hunoldum Aquitaniæ ducem, non pręstat. Auentinus libro quarto Annalium. Quidam Tyberius in Tuscia se uenditat Imperatorem, & multos adigit ad iuramentum præstandum de obediētia: sed Gregorius secundus missis copijs eum occidit, & caput pręcisum Cōstantinopolim mittit. Liber pontificalis.

Violatio iuramenti. Populus Constantinopolitanus scriptum iuramentum deponit, quòd solum Constantinum uelit imperatorem agnoscere. Sed postea iurat Irene, quòd non uelint eum habere Impératorem: & paulo pòst iterum Irene repudiata, Constantino iurant, atque ita per reciprocam iurationem periuriū committunt. Paulus Diaconus libro uigesimotertio rerum Romanarum. Thassilo Pipino & filijs eius iusiurandum datum fallit. Regino libro secundo. Et Saxones, postpositis sacramentis in Franciā irruunt. Regino lib.2.

Excusatio à malis exemplis. Alemannos, Bauaros, & Francos, suorum scelerum prætendere Romanorum exempla, Bonifacius in epistola ad Zachariam indicat, apud Nauclerum generatione uigesimaquinta. folio sexcentesimo secundo.

RITVS INAVGVRANDI *Imperatores.*

ANno uigesimooctauo imperij sui, Constantinus imperator coronauit Eudoxiam suam, cum esset trigamus, & hæc esset tertia coniunx, in tribunali decem & nouem accubituum, Calendis Aprilis: filios suos ex ipsa creatos, Christophorum scilicet & Nicephorum, postera die, qua sanctum celebratum est pascha, Cæsares ordinauit, patriarcha orationem faciente, & Imperatoribus chlamydes & Cæsaricias imponentibus galeas. Pari modo & Nicetæ, nouissimo fratri eorum, nobilissimo facto, superposuit ei chlamydem, & aureum coronam: & ita processerunt iactantibus Imperatoribus hypatiam, & trimisia, & hemisia, & numismata noua, usque ad magnam ecclesiam. Paulus Diaconus libro uigesimosecundo rerum Romanarum. Thematum Principes commoti omnes, ingressi sunt cum multitudine populi copiosa, petentes Constantinum filium Imperatorem. At ille, ut moris est principibus, renunciauit eis: Filius est, inquit, meus unicus mihi: & idcirco uereor hoc facere, ne fortè contingat mihi quod humanum est: & cum adhuc sit paruulus, morti eum tradatis, & alium promoueatis. At illi cum iuramentis se profitebantur illi satisfacturos, neminem regnaturum præter filium eius, etiamsi mori eum Deus uoluisset. Hoc autem à Dominica die, qua Palmarum solennitas agitur, usque ad quintam feriam hebdomadæ maioris, populo in hippodromo coaceruato petente, sancta parasceue iussit iurare illos. Et iurauit omnis populus in honorandis & uiuificis lignis, tam scilicet ex Thematibus & Senatu, quàm etiam exterioribus ordinibus, & ciuibus omnibus, & ergasteriacis, Imperatorē non admittendi, excepto Leone seu Constantino, ac semine ipsorum: & fecerunt scripta, quemadmodum iurauerūt, propriæ manus. Et in crastino Sabbato sancto exiuit Imperator in tribunalibus decem & nouem accubituū, & prouexit nobilissimum

mum Eudoxium fratrem suum. nam Anthimum uiuens pater eius prouexerat. Et processit Imperator cum reliquis Cæsaribus, & tribus nobilissimis, ac nouo Constantino, ad magnam Ecclesiam: & mutato indumento; sicut Imperatoribus moris est, ambonem ascendit cum filio suo simul, & patriarcha: et ingressus omnis populus, posuerunt scripta sua in mensa sancta. Tunc Imperator allocutus est populum sic: En fratres, petitiones uestras adimpleo, & dono uobis filium meum Imperatorem: ecce ab Ecclesia de manu Christi suscipite. At illi clamauerunt uoce magna, dicentes: Fideiussor noster esto fili Dei, quomodo de manu Christi suscipimus Dominū Constantinum Imperatorem, ad custodiendum eum, & commoriendum pro eo. Et in crastinum, quando uidelicet magnus & Dominicus dies paschæ celebratus est, octaua calendas Maij, decimaquarta indictione, auroræ crepusculo, exiente Imperatore unà cum patriarcha in hippodromum, delato altario, omni populo contemplante, patriarcha fecit orationem, & coronauit Imperatorem filium suum: & ita processit ad magnam Ecclesiam uterq; Imperator, cū duobus Cæsaribus, & tribus nobilissimis. Processit autem & Imperatrix Eirene, cum præcessissent Imperatores, sceptris obsequentib. per scholas antelatis: & ascendentib. per æneç portæ ascensum in Catechumeni ecclesiam, non exiens in plateam Emboli. Paulus Diaconus libro uigesimotertio rerum Romanarū. Zonaras tomo tertio. Solennibus precibus à patriarcha peractis, in ipsa paschatis Dominica, Leo Copronymus Constantinum filium suum Imperatorem coronauit.

ET IMPERATRICES.

Octaua Calēdas Ianuarij, Maria uxor Leonis coronata est in triclinio Augusta: & processit sola cum solenni obsequio, sine uiro, ad magnā ecclesiam: & oratione ante ingressum altaris effusa, transijt ad baptisteriū magnum, uiro eius iam cum paucis familiaribus ingresso. Paulus Diaconus libro uigesimoprimo rerum Romanarum.

ET REGES.

Pipinus rex Francorum, secundum Romani pontificis sanctionem Rex appellatus est: & ad huius dignitatem honoris, unctus sacra unctione, manu Bonifacij archiepiscopi & martyris, & more Francorum eleuatus in solium regni Suessonum ciuitate. Annonius libro quarto, capite sexagesimoprimo de gestis Francorum. Longobardi Hildebrandum in basilica Mariç creant regem, eique de more contum in manus tradunt, in cuius summitatem sese cuculus aduolās collocat, principatum eius inutilem fore portendens. Paulus Diaconus libro sexto, capite decimosexto de gestis Longobardorum.

RITUS ADORANDI ANtichristum Romanum Pontificem.

Reges & principes sese humiliare corā Romanis Antichristis cœperunt, eosq; ut deos adorare, & pedes eorum exosculari. nam Iustinianum Imperatorem pedes Constantini papæ Romani Nicomediæ populo aspectante osculatum esse, ac utrosque in mutuos complexus corruisse, Liber pontificalis in uita eius refert.

RITUS CIRCA IUSIUrandum.

Iuramenta in Ecclesiasticis rebus ad altare præstari plerunq; solebant, aut ad reliquias sanctorum. Rauennæ fidelissimi atq; seniores, testes annorū plus minus centū, testificati sunt super altari in ecclesia sanctæ Dei genitricis Mariç, in loco quidem ueré bono, coram sancto Euangelio Christi, in præsentia missorum Caroli regis, Romanā Ecclesiam nondum accepisse patrimonium Petri in integro apud Rauennatenses. Adrianus in epistola ad Carolum. Thassilo super corpus Dionysij, Germani, Martini & Rustici Pipino iurat. Regino libro secundo. Proceres Romani & Franci fidem sibi inuicem, tacta Apostolorum ara, confirmabant. Æmylius lib. 2 de Francis. Auentinus li. 3. Annalium. Et Bonifacius manum suam Petri corpori imponēs, iurat papæ. Auentinus lib. 3. Et Carolus Magnus in constitutionibus sanxit, ut ieiuni iurent cum omni honestate & timore Dei: & paruulos uetat ad iusiurandum admitti, & semel peierantes à testimonio dicendo excludit. Formam sacramenti fidelitatis, Carolus ibidem ijs uerbis præscribit: Promitto ego ille, partibus Domini mei Caroli regis & filiorum eius, quia fidelis sum, & ero diebus uitæ meæ, sine fraude & malo ingenio. Idem in Constitutionibus Ripuarensium inquit: Omne sacramentum in Ecclesia, aut supra reliquias iuretur: &, quod in Ecclesia iurandum est, uel cum 6. electis, uel 12. esse debent, quales potuerit inuenire. Sic illum Deus adiuuet, & sancti, quorum istę reliquiæ sunt, ut ueritatem dicat.

CAPUT VII.

DE POLITIA ET GUBERnatione Ecclesiæ.



Qui hoc seculo ad Ecclesiarum gubernacula sederunt, non omnes doctrina, pietate, zelo, constantia, fide & industria pares fuerūt: ut constat ex uitis eorū, quas suo loco describimus. Nam etsi in quibusdam monasterijs, unde

unde solebant plerũq; Ecclesiarum ministri peti, homines eruditi erant: tamen ceremoniarum coaceruatione, & philosophiæ studio, & alijs rebus nimis onerati, in uera & pura doctrina parum profecerunt: & corruptelis ueræ doctrinæ, atque fermento humanarum traditionum dementati, ac splendore & pompa illa externa fascinati, propemodum tantum præcones & architectos rituum nouorum, ubi ad munus Ecclesiasticum accesserunt, egerunt, uera cura animarum neglecta: de qua nihil præter inania somnia in monasterijs conceperunt, ab ipsa praxi & usu exercitioq; longè remoti.

Illum uerò Antichristi characterem plerique omnes, præcipuè uerò in Ecclesijs ad Occidentem, præ se tulerunt, ut à nuptijs, tanquam à uitæ genere planè sacerdotibus interdicto, abstinerent: & cœlibatum quidem ore profitentes, nihilominus reipsa impurissimè uiuerent. Zacharias in epistola ad Bonifacium tomo secundo Conciliorum: Dicente Domino, sacerdotes mei semel nubant. & Apostolus: Vnius uxoris uirum, & cætera. & hoc ante susceptum sacerdotium licitum est. Nam à die suscepti sacerdotij, etiam ab ipso proprio coniugio prohibendi sunt, &c. Quomodo ad orandum pro peccatis populi accedere præsumunt, dum sacri canones neque purum clericum, cui sacerdotium non est, secundis copulari nuptijs præcipiunt? Et Synodus Francica sub Carolomãno mandat, ne quis presbyter aut diaconus in domo sua mulierem sinat habitare. tomo secundo Conciliorum.

Aliquot tamen in locis, maritos Ecclesia habuit episcopos & ministros. nam Zacharias iussit Bonifacium in Francia episcopos adulteros, aut uxores habentes, ab officio remouere. Et Bonifacius in epistola ad eundem queritur, in Francia maxima ex parte episcopales sedes traditas esse laicis, uel adulteratis clericis, hoc est coniugibus. sic enim appellabant sacerdotes, qui uxores habebant. apud Nauclerum generatione uigesimaquinta. Et Gerbilonem fuisse filium Geroldi archiepiscopi Vuormaciensis, & successisse patri in officio, Æditus in Chronico narrat. Et Florebertum fuisse filium Huberti episcopi Leodiensis, acta Tungrensium testantur. Mutius libro septimo, folio quinquagesimoquarto testatur, in Gallijs episcopos plures, quàm unam, habuisse uxores: sed à Bonifacio depositos esse.

Plerique Ecclesiarum gubernatores ex monasterijs prodierunt. Ex Benedictinis familijs multos pontifices sibi Roma elegit. Moguntia Lullum ex uicina Fulda, ad episcopi munus uocauit. nam Germania, Bonifacio autore, cœperat procreare monachos, qui docere & ornare Ecclesias posse falsò putabantur. Curio libro secundo Chronologiæ.

Ex præfectis & politicis gubernatoribus interdum etiam episcopos & presbyteros elegerunt. Nicetas eunuchus seruili genere ortus, qui uix legere sciebat, in muliebribus ministerijs uersatus, à Constantino patriarcha est creatus. Zonaras tomo tertio. Irene fratres sui mariti Cæsares & nobiles, radi, & sacerdotes ordinari curauit. Zonaras tomo tertio. Arno Theodericum regem Hunnis subactis dat episcopum. Auentinus libro quarto Annalium.

Sæpe etiam uel ob munera, aut alias rationes, minus idonei ad munus Ecclesiæ adhibiti sunt. Ea in re maximè ab Auentino commendantur quidam Francorum episcopi, libro tertio Annalium Boiorum, ubi sic scribit: Gebolibus Moguntinus archiepiscopus, Clemens & Samson Scoti, Albertus Gallus, & eiusdem sectæ sacerdotes atque episcopi, nummarij, auari, sacrilegi, libidinosi, peculatores, temulenti erant, quorum Deus uenter, & ea quæ sunt sub uentre, uenationibus dediti atque aucupijs, canes auesq; alebant, arma deferebant, in militiam proficiscebantur, bella sectabantur: humano cruore, cæde, homicidio sese polluebant: nihilosecius tamen sacrificare, & Euangeliũ legere nec erubescebant, nec metuebant. De quibus Zacharias scribit in epistola ad Francos: Euenêre hactenus uobis cœlesti ira, ob uitia uestra, sacrificuli errabundi & cæcutientes, qui & uos & se fallere consueuerunt. Et Bonifacius in epistola ad Zachariam hæc de clericis & episcopis Francorum, uere'ne ah falso, Deus nouit, refert: Si inuenero inter illos diaconos quos nominant, qui à pueritia sua semper in stupris, semper in adulterijs, & in omnibus semper spurcitijs uitam ducentes, sub tali testimonio uenerunt ad diaconatum, & modò in diaconatu concubinas quatuor uel quinque uel plures noctu in lecto habentes, Euangelium tamen legere, & diaconos se nominare non erubescunt, nec metuunt: & sic in talibus incœstis ad ordinem presbyteratus peruenientes, eiusque officio fungentes, dicunt se pro populo intercedere, & sacras oblationes offerre, ac nouissimè (quod peius est) sub talibus testimonijs per gradus singulos ascendentes, ordinantur & nominantur episcopi, ut habeant præceptum & conscriptum authoritatis uestræ, quid de talibus diffiniatis, & per responsum Apostolicum conuincantur, & arguantur peccatores. Et inueniuntur quidam inter

inter eos episcopi, qui licet dicant se fornicarios uel adulteros non esse, sed sunt ebriosi & incuriosi, uel uenatores, & qui pugnăt in exercitu armati, & effundunt propria manu sanguinem hominum, siue paganorum, siue Christianorum. tomo 2 Conciliorum. In Synodo Nicena monachi accusarunt multos episcopos, qui sacerdotalem dignitatem pecunijs sibi comparassent. Tarasius in epistola ad Iohannem, 2. Conciliorum tomo. Albinus in 10. caput Ecclesiastæ: Non solum in secularibus potestatibus, sed & in Ecclesiæ dignitate multoties eligũtur sacerdotes, nõ ex uirtutum meritis, sed ex fauore populi, & principum uoluntate, suggerente diabolica fraude, & Dei iusto iudicio permittente ob merita populi, ut in propheta dicitur: Sacerdotes mali, peccata populi, ut cæci duces habeant cæcos, donec pariter corruant in foueam perditionis.

DE GRADIBVS PER-
sonarum.

DIscrimina ministrorum Ecclesiæ, quæ superiori seculo fuerunt, etiam in historia huius passim occurrunt. Nam episcoporum fit mentio apud Bedam lib. 4 in Samuelem, cap. 4. Cauendum ne episcoporum, presbyterorum, diaconorum famam passim lacerare, & attaminare pręsumamus. Suffraganeorum meminit Carolus Magnus, in Synodo Duriensi.

Et Presbyterorum mentio fit. Coctus Theberth Anglorum presbyter à Sigeberto uocatur: & Beda presbyter & monachus fuit, iuxta eundem.

Item Protopresbyterorum. nam Petrus protopresbyter Romæ ad S. Petrum fuit. Liber pontificalis.

Et Diaconorum. Beda libro quarto in Samuelem, capite quarto: & Gregorius secundus in Epistolis.

Archidiaconorũ. Taruisianæ ecclesiæ archidiaconus fuit Calistus. Paulus libro sexto, capite decimotertio de gestis Longobardorũ. Et extat epistola Bonifacij ad Iamnulũ archidiaconum. Laicos archidiaconos esse uetat Carolus Magnus, in constitutionib.

Subdiaconorum. Beda libro primo, capite secundo in Esram: & Carolus Magnus in constitutionibus suis.

Acoluthorum mentio fit in Canonibus Adriani, traditis Ingetramno, tomo secundo Conciliorum.

Exorcistarum ibidem nomen extat: Subdiaconus, acolythus, exorcista, lector, nõ nisi septem testibus condemnabuntur.

Lectorum. Paulus Cyprius lector & orthodoxus, patriarcha eligitur. Zonaras tom. tertio. Petrus Lector fuit & notarius sacri patriarchici secreti, actione 1. Nicenæ 2.

Cantorum. Mahæ cantoris meminit Beda lib. 5, cap. 21 Anglicæ historiæ.

Ostiariorum. Goterani ostiarij meminit Adrianus, in epistola ad Carolum.

Capellani nomen extat apud Reginonem lib. 2 ubi Floradus capellanus Vuirtzburgensis uocatur. Et Siculphus, qui ab eodem capellanus appellatur. Annales Francorum uocant diaconum. Et in Synodo Francica sub Carolomanno, tomo 2 Conciliorum.

Et Archicapellani nomen est in Annalib. Francorum.

Primiceriorum, Secundiceriorum, Sacellariorum, Scriniariorum, in uitis Pontificũ sæpe fit mentio.

Notariorum regionariorum, meminit liber Pontificalis in uita Pauli.

Cardinalium, meminit Stephanus in Cõcilio Romano. Et Carolus in bulla apud Ptolemæum, de monasterio Mariæ Aquisgrani extructo: & Zacharias in epistola ad Pipinum.

Mansionariorum mentio fit in uita Gregorij 2. Liber Pontificalis.

¶ Habuit hæc ætas etiam fœminas eruditione præstantes, quarũ aliquas Bonifacius ex Anglia in Germaniã accersiuit, ad docendum Euangelium: nimirum Chunitrudam, Teclam, Liobam, Valdopyrgam, Chunyldã, Beragytham. Auentinus lib. 3 Annalium.

Diaconæ, presbyteræ, monachæ, meminit Gregorius tertius in Synodo Romana, tomo 2 Conciliorum.

Ac iuxta hos gradus promoueri solebant. Adrianus notarius, & postea subdiaconus, deinde diaconus factus est. Porrò progressus, tandem pontifex summus euasit. Liber pontificalis. Gregorius secundus fuit bibliothecæ custos, & subdiaconus, & postea diaconus, ac postremò Romanus pontifex factus est. Liber Pontificalis. Stephanum secundum per Ecclesiasticos ordines sigillatim promotum esse, Liber Pontificalis indicat. Stephanus in Concilio Romę indicto statuit, nullum ad episcopalem dignitatem ascendere debere, nisi per distinctos gradus.

DISTINCTIO COETVS
Ecclesiastici.

Cœtus Ecclesię distinctus fuit in clericos, laicos, catechumenos, & energumenos. Beda lib. 2. in Marcum. Catechumenorum meminit Diaconus lib. 23 rerum Romanarum. & Beda lib. 1. cap. 2. & 3. in Iohannem. In expositione in Genesin cap. 5. Per hæc quinque ascensiones Ecclesiæ ostenduntur: id est, Catechumeni, baptizati, coniugati, pœnitẽtes, sancti. Idem in Iohannem lib. 1. cap. 2. Tres ordines fidelium sunt, quibus Ecclesia constat: coniugatorum, continentium, & doctorum.

Clerici

Clerici uestitu fuerunt segregati ab alijs plebeijs hominibus. Albinus in epistola ad Ethelardum inquit: Non solent Francorum clerici, nisi religiosis uestibus amiciri. Vincẽtius lib. 23. capite 174. Et Synodus Francorum in tomo 2 Conciliorum: Presbyteri uel diaconi, non sagis, laicorum more, sed casulis utantur, ritu seruorum Dei.

DE OFFICIIS GRADVVM *singulorum.*

EPiscoporum munus erat, docere: ut patet ex uitis doctorũ, quas suo loco describimus. Et Synodus Anglica sub Adriano, capite 11 dicit, Episcopi munus esse, fiducialiter & ueraciter absq; ullo timore uel adulatione loqui uerbum Dei, regibus, principibus, omnibusq; dignitatibus: nunquam ueritatem subterfugere, nulli parcere, neminem iniustè damnare, neminem sine causa excommunicare, omnibus uiam salutis tam uerbis quàm exemplis demonstrare.

Ordinare presbyteros & diaconos. Tarasius ad impositionem manuum donis allici non potuit, & ut sacerdotum ordinationes gratis fiant ordinauit. Ignatius in uita eius.

Altaria & ecclesias dedicare: ut postea dicemus.

Baptizare. Vulfrannus uoluit baptizare Ratholdum, ducem Frisonũ. Sigebertus.

Chrisma conficere. Nauclerus generatione 25. ex Synodo Francica: Beda in Marcum libro secundo.

Ignem renouare. Sabbato sancto pro fontis sacri baptismate sumptus ignis per sacerdotem renouabitur. Zacharias in epistola ad Bonifacium, tomo 2 Conciliorum.

Velare moniales, ut de monachatu est dictum in Capite de Ceremonijs.

De sanctis nouiter inuentis iudicare, colendi'ne sint, an secus. Nam Carolus Magnus in Constitutionibus suis inquit: De Ecclesijs seu sanctis nouiter sine autoritate inuentis, nisi episcopo probante, minimè uenerentur.

¶ Chorepiscoporum munus erat, seruire episcopo, & illi mortuo cum consensu pontificis & magistratus & Ecclesiæ succedere: ut apparet ex epistolis Zachariæ ad Bonifacium. Et ipse Bonifacius in epistola ad Volradum petit, ut Lullus chorepiscopus suus sibi substituatur. Ac suffraganeos episcopis fuisse subiectos, ac de eorum uoluntate emẽdasse, quæ iussi sunt emendare, patet ex Caroli Magni decreto primo, in Synodo Duriensi.

¶ Presbyterorum erat, audire confessiones. Synodus Francica sub Carolomanno, tomo secundo Conciliorum: Vnusquisque præfectus unum presbyterum habeat, qui hominibus peccata confitentibus iudicare, & indicare pœnitentiam possit.

Celebrare missas. Lullus iubet presbyteros missas celebrare pro tempestatibus, in epistola ad Denehardum.

Episcopo assistere, ut testis castitatis, & uitæ & fidei & doctrinæ illius. Synodus Francica tomo secundo Conciliorum.

Et offerre pro mortuis, eorumq; memoriam facere. Gregorius tertius in epistola ad Bonifacium, tomo secundo Conciliorum: Presbyter faciat memoriam mortuorũ Christianorum. Et Bonifacius Aldherium monet, ut pro animabus fratrum preces & missarũ solẽnia fieri curet. in epistola ad ipsum.

Archipresbyterorum munus erat, curare ut incantatores & augures, & diuinatores, & tempestarij, id est qui tempestates faciebant, & malefici examinentur: & in carcere affligantur, donec confiteantur peccata sua, & emendationem promittant: & episcopo suo indicare, si comites & præfecti accepta pecunia eos fortè dimittãt: ut patet ex Constitutionibus Caroli Magni.

Subdiaconorum munus erat, episcopis, & alijs qui deponebantur, ornatum auferre: ut patet ex historia Stephani tertij, in Libro Pontificali. Et obedire officijs Leuitarum: Beda libro primo, capite 2. in Esram.

Scriniariorum seu notariorum erat, publicè recitare scripta. Sic Leontius Scriniarius in ambone ad S. Petrum cõsistens, publicam confessionem recitat, in qua populus & clerus Romanus profitebatur se peccasse, quòd non restitissent ordinationi Constantini, qui ex laico pontifex erat electus. Liber pontificalis in uita Stephani tertij.

DE RATIONE GVBERnationis.

SIngulis Ecclesijs, iuxta Canones, unus tantum præerat episcopus, qui cũ presbyteris & diaconis & alijs collegis onus gubernationis subijt. Nam in Concilio in Gallia à Carolomanno conuocato constituitur, ut singulæ ciuitates suos habeãt episcopos. Mutius lib. 7. Et episcopi & presbyteri domum Dei seu plebem fidelium ædificare dicuntur. Beda libro 1. cap. 4 in Ezram. Et unum clericum ad duas Ecclesias ordinari, uetat Synodus Nicena 2. Et Carolus Magnus in Constitutionibus suis edicit, ne in una ciuitate sint duo episcopi: & ne liceat clerico in duabus ciuitatibus ministrare.

Sed presbyterorum, & aliorum clericorum, pro Ecclesiarum ratione diuersa, uariat etiam numerus. nam alibi plures, alibi pauciores præfuerunt.

¶ Si autem in summam redigantur, quæ diffusè in historijs annotata sunt, hæc ferè gubernatorum Ecclesiæ fuerunt opera.

Ouiculas suas de capitibus doctrinę sacrę

erudire. Vuillehadus pias conciones in Frisia fecit: Balæus Centuria 13. capite 70. Et Carolus Magnus in edicto suo inquit: Fides catholica ab omnibus episcopis & presbyteris legatur diligenter, & omni populo prædicetur. Vuillericus episcopus Bremensis passim in multis locis docuit uerbum Dei: ut patet ex Crantzij metropolis libro primo, capite 11. Primi Saxonum apostoli uerbo Dei strenuè institerunt. Saxonia Crantzij libro secundo, capite decimosexto. Tarasius ascẽdens ambonem, parabat mensam doctrinæ ex diuinitùs inspiratis Scripturis, uenans obsonia ad animas alendas utilia. Ignatius in uita eius.

Carolus Magnus in Constitutionibus suis Aquisgrani factis: Fides catholica ab episcopis & presbyteris diligenter legatur, & omni populo prædicetur. Item: Primum omnium prædicandum est gentibus generaliter, ut credant Patrem & Filium & Spiritum sanctum, unum esse Deum omnipotentem, æternum, inuisibilem, qui creauit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt: & unam esse Deitatem, substantiam & maiestatem in tribus personis Patris & Filij & Spiritus sancti. Item: Prædicandum est, quomodo Dei filius incarnatus est de Spiritu sancto, & ex Maria semper uirgine, pro salute & reparatione humani generis passus, sepultus, & tertia die resurrexit à mortuis, & ascendit in cœlos: & quomodo iterum uenturus sit in maiestate diuina, iudicare omnes homines secundum merita propria. & quomodo impij pro sceleribus suis cum diabolo in ignem æternum mittuntur, & iusti cum Christo & sanctis angelis suis in uitam æternam. Item, diligenter prædicandum est, de resurrectione mortuorum: ut sciant & credant, in ijsdem corporibus præmia meritorum accepturos.

Falsa dogmata, eorumque assertores impugnare & refutare. Sic Petrus Damascenus, & Petrus Maiumenus palàm Arabum & Manichæorum, & Mahumeti dogmata damnarunt. Paulus libro uigesimosecundo rerum Romanarum. Ioannicius moriturus, Methodio & sacro cœtui suadet, ut in fide orthodoxa permaneant, & sibi à profanis hæreticorum uocibus caueant, & inter se concordiam seruent. Metaphrastes tomo quinto, in uita eius. Bonifacius Bauariam transiens, Erminulfum hæreticum deuicit. Hedio libro sexto, capite 21 Ecclesiasticæ historiæ.

Vitia & peccata grauiter & liberè arguere, & singulos ad pœnitentiam uocare. Bonifacius in epistola ad Ethelbaldum regem Anglorum, satis liberè reprehendit eius turpitudines. Et Gregorius secundus hortatur Bonifacium, ut opportuno & importuno tempore instet increpando & adhortando, in epistola ad eundem, apud Hedionem libro 6. capite 7. & tomo 2. Cõciliorum. Et Stephanus Romanum populum ad pœnitentiam hortatur. Liber pontificalis. Leo Papa fuit uitiorũ seuerissimus obiurgator. Antoninus in Chronico. Vulfrannus nunquã diuitibus honoris aut timoris gratia, si qua deliquissent, parcebat, sed aspera reprehẽsione corripiebat. Beda de sacerdotibus sui seculi inquit: Neq; illi soli qui in fine mũdi Antichristo illi cõtra Deũ se erigenti adhęserint, eius regno seruire putandi sunt: sed & hodie quàm plurimi fidei mysterijs initiati, cum diuersis se facinoribus immerserint, regno eiusdem impiè militare probantur. in Samuelem libro 2. capite 5.

Carolus Magnus in constitutionibus suis: Prædicare necesse est, quantum malũ sit odium, uel inuidia: quia in lege scriptum est, Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè arguas eum. Idem apud Ansegisum libro primo de legibus Francorum, capite centesimo quinquagesimoquarto, quemlibet presbyterum iubet habere assignata capita de maioribus & minoribus uitijs, eaque populo proponere, ut sibi cauere discat à seruitio diaboli.

A' prauis consuetudinibus auocare auditores. Tarasius eos qui delectabantur equorum certaminibus, atque tympanis & tibijs, monuit, ut domi manerent, & sacris Scripturis & canticis uacarent. Ignatius in uita eius. Gregorius secundus in epistola secunda ad Bonifacium, monet eum, ut polygamiã, esumq; caballorum abroget: & interdicat, ne Christiani sua mancipia uendãt gentibus ad sacrificia. Et Carolus Magnus in Cõstitutionibus monet episcopos & presbyteros, ut homines ab ethnicis superstitionibus abducant.

Vnumquenque de suo officio commonefacere: Omni instantia admonete eos de dilectione Dei & proximi, fide & spe in Deo, de humilitate & patientia, de charitate & continentia, de benignitate & misericordia, de eleemosynis, & confessione peccatorũ suorum, & ut debitoribus suis secundum Dominicam orationem sua debita dimittant. Carolus Magnus in edicto suo. Omnes cõcordiam & pacem Christianam comprobent, iuxta Euangelij doctrinam, & more Christiano uiuant. Gregorius tertius in epistola ad Viuilum, apud Auentinum libro tertio Annalium. Bonifacius Rathobodum Frisonum regem ad clementiam & fidem Christianam hortatus est. Auentinus libro tertio Annalium. Bonifacius in epistola sua Nithardum monet, ut dies noctesque

sacris

sacris literis incumbat. Eanuulfus in epistola ad Carolum Magnum, monet eum de suo officio: nempe ut fidem Christi in subditis propaget, zelum rectitudinis in eorum conuersione multiplicet, idolorum cultus insequatur, fanorum ædificia euertat.

Hæreticos præfractos, & manifestè facinorosos, censura Ecclesiæ coercere & excommunicare: Dissidentium donaria aris & sacris ædibus arceantur, nec ea sacerdotes recipiant, nisi reconciliati fuerint. Gregorius tertius in epistola ad Boios, apud Auentinū libro tertio. Gregorium secundum hæreticorum fuisse ualidissimum persecutorem, Antoninus refert titulo decimoquarto, capite primo. Cum hæreticis in sacris mysterijs corporis & sanguinis Domini non communicamus, & consilium & consensum eorum deuitamus. nam cum talibus, cumque paganis, cumque permixta plebeia multitudine, nostri labores & pugnæ forasticæ uidentur esse. Bonifacius in epistola ad Danielem. Lullus excommunicat Suuitham abbatissam, quòd passa sit suas nonnas contra statuta Canonum, & sanctæ regulæ disciplinam, peregrinationem suscipere.

Et rursus pœnitentiam agentes recipere, & consolari. Pontifex Thassilonem pœnitentem absoluit, & in monasterium tradidit. Aemylius libro secundo de Francis. Omnes qui catechizantur, remissionem peccatorum, & requiem sperare æternam docentur: Beda libro secundo de tabernaculo, capite decimotertio. Tarasius in epistola ad Iohannem presbyterum censet, ordinatum per pecuniam, si modò pœniteat, recipi debere. tomo 2 Conciliorum.

Si quis presbyter eum qui à peccato conuertitur, nō receperit, sed reijcit, deponitor. Canon Apostolorum repetitus in actione 1 Nicenæ 2. Ac ibidem decernitur iuxta sententiam sex Synodorū uniuersalium, hæreticos ab errore discedentes, recipiendos esse.

Confessiones audire. Cuique tribuno unus duntaxat sacerdos à sacris, pœnitentia & confessionibus esto: Carolomannus in edicto suo apud Auentinum libro tertio, & tomo 2 Conciliorum.

Sacramenta administrare. Germanus patriarcha Constantinopoleos, baptizat Cōstantinum. Paulus libro uigesimoprimo rerum Romanarum. Adrianus filios Caroli, & Thomas Mediolanensis filiam eius Gislam baptizauit. Annales Francorum.

Examinare & ordinare ministros Ecclesiæ. Quisque sacerdos episcopo suo pareat, & in quadragesima suscepti muneris rationem reddat. Carolomannus in edicto apud Auentinum libro tertio. Constantinus duodecim ordinauit episcopos. Liber pontificalis. Qui autem sunt in templo Dei, hodie qui columbas uendunt, nisi qui in Ecclesia precium de impositione manus accipiunt? per quam uidelicet impositionem manuum Spiritus sanctus cœlitùs datur. Sed redemptor noster cathedras uendentium columbas euertit, quia talium negociatorum sacerdotium destruit. Hinc est quòd sacri Canones Simoniacam hæresim damnant, & eos sacerdotio priuari præcipiunt, qui de largiendis ordinibus precium quærunt: Beda in Marcum libro tertio, capite undecimo.

Coniuges initiare sacra benedictione, & copulatione. Nicetas Leonem & Irenem in Ecclesia Phari coniuges pronūnciat. Paulus libro uigesimosecundo rerum Romanarum.

Conuersari cum flagitiosis eo fine, ut in uiam reducantur. Gregorius 3. in epistola ad Bonifacium: In fine epistola continebat, quod sunt quidam presbyteri seu episcopi multis uitijs irretiti, quorum uita in se ipsis sacerdotium maculat. Et si tibi liceret cum eis edere aut loqui, nisi coherciti fuerint, dicimus, ut hos ex Apostolica authoritate redarguendo admoneas, & ad mundiciam Ecclesiasticæ disciplinæ reducas. Etsi quidem obedierint, saluabunt animas suas, & ipse mercedem lucratus es: ueruntamen collocutionem & mensam communem cū eis agere non recuses. Plerunque contingit, ut quos correctio disciplinæ tardos facit ad percipiendam ueritatis normam, conuiuiorum sedulitas & admonitio blanda ad uiam perducat iusticiæ. Id ipsum autem & in illis proceribus, qui tibi adiutorium præstant, obseruare debebis. 2 tomo Conciliorum.

Orare pro Ecclesijs & regibus. Gregorius secundus uiso cometa, & lunæ deliquio, & Tybris diluuiō, frequentes supplicationes facit Romæ. Platina.

Et alios ad orandum excitare. Sic Bonifacius Eadburgam abbatissam, & Alherium abbatē monet, ut pro Germanicis gentibus idolorum culturæ deditis intercedāt, ut ad agnitionem Dei & gremium Ecclesiæ conuertantur. Idem ab episcopis Angliæ petit, ut pro conuersione Saxonum paganorum apud Deum instent: in epistola ad ipsos.

Libros & Commentarios in sacra Biblia scribere. Aponius opusculum in Cantica canticorum edidit. Et Beda multos Commentarios fecit, & alij doctores huius Seculi, ut constat ex Vitis eorum. Eosque iudicio Ecclesiæ & piorum subijcere. Beda in libros Regum, quæstione trigesima: Obsecro Lector, ut si quid in his explanatiunculis gratum dixi, ad laudem donantis Dei referas.

feras. Sin autem aliàs,ita imperitiæ uel præsumptioni meæ ueniam tribuas,ut ipse cum omnibus quibuscunque potes crebræ meditationi,continuæ obseruationi,opportunæ prædicationi diuinarum insistas Scripturarū: communiq; labore satagamus, ut nos negotiatores Dominicæ pecuniæ fideles, nos artifices & clusores spiritalium gemmarum siue mœniarum, nos propugnatores sanctæ ciuitatis,nos cœlestium inueniamur fabri armorum:nobis reuersus à nuptijs summus paterfamiliâs dicere dignetur, Quia super pauca fuistis fideles, super multa uos constituam,intrate in gaudium Domini uestri, Amen.

Temporum rationem,& festorum, & ieiuniorum rudi populo edicere. Bonifacius ad orationes frequentes,& ieiunia, & eleemosynas adhortatus est populum: Mutius libro sexto, pagina quadragesimanona. Et Zacharias in epistola quarta ad Bonifacium inquit: populis tibi commissis prædica ieiunium, & supplicationes apud Dominum litaniarum, & superueniens eius clementia adiuuabit te.tomo secundo Conciliorum. Lullus monet Denehardum, ut Thuringis ieiunia indicat.

Superstitiones taxare. Sic Beda reprehendit præposterum studium ædificandi templa & monasteria, neglecto ministerio uerbi: libro secundo,capite octauo in Ezrā. Ordo poscebat, inquit, deuotionis, ut post ædificatam ac dedicatam domum Domini, mox sacerdotes & leuitæ qui in ea ministrarent, ordinarentur, ne sine causa domus erecta fulgeret, si deessent qui intus Deo seruirent. Quod sæpius inculcandum eis, qui monasteria magnifico opere construentes, nequaquam in his statuunt doctores, qui ad opera Dei populum Dei cohortentur, sed suis potius inibi uoluptatibus ac desiderijs seruiant. Obseruantes ariolos, aruspices, incantatores, phylacterijs utentes, damnat Synodus Romana sub Gregorio tertio,tomo 2 Conciliorum.

Seditiones compescere. Orta seditione Constantinus papa mittit sacerdotes cum Euangelijs & crucibus Domini, ut partes se darent.Liber pontificalis.

Dissidia inter principes componere. Gausibertus episcopus, & Fulebertus, & Ansfredus, lites inter Carolum & Carolomannum diremerūt:ut patet ex epistola Stephani papæ ad Carolum,

Ceremonias instituere: qua in re Romani pontifices sibi nimium potestatis sumpserunt,ut patet ex eorum uitis & decretis.

Cantionum & hymnorum rationem uel per se, uel per alios præscribere: ut patet ex Bedæ lib.quinto,capite uigesimoprimo Anglicæ historiæ.

Easque in publico congressu obseruare. Sic episcopus metropolitanus in ecclesia more solito preces facit, seu collectam recitat: Plebs tua, & ecclesia tua supplicat tibi.Paulus Diaconus libro uigesimosecundo rerum Romanarum.

Monasteria & scholas Ecclesiasticas inspectione & correctione regere. Ludgerus monasterium ordinis Benedicti in Vuerdena ædificauit, & instituit. Crantzius in Metropoli libro primo. Crodegangus monasteria inuisit,eaque reformauit. Liber de uita eius. Iohannes Beruelaci presbyterorum collegium instituit. Polydorus libro quarto de Anglis. Bonifacius in epistola Eadburgam abbatissam monet, ut pro conuersione Germanorum preces fundat. Bonifacius monet Chutbertum, ut clericos & sanctimoniales de tenuitate & pompa uestium arguat. Vuilhelmus libro primo, capite sexagesimoquinto, de Anglis. Et Synodus Anglica capite quarto præcipit, ut omnes episcopi prouideant, ut canonici canonicè, & monachi & monachæ rectè uiuant.

Aegrotos uisitare. Crodegangus episcopus Metensium ægrotos uisitauit. Liber de uita eius. Paulus papa cum paucis fidelibus,sub noctis silentio, per cellas infirmorum, & pauperum, & incarceratorum circuibat, & necessaria subministrabat. Liber pontificalis.

Aut per literas consolari. Sic Bonifacius Buggam abbatissam per literas consolatur.

Imagines, ne colantur à rudioribus,tollere. Nicetas patriarcha Constantinopolis iconas erasit, & statuas destruxit, & facies imaginum deliniuit. Paulus libro uigesimosecundo rerum Romanarum.

Scriptis etiam Ecclesiæ & posteritati prodesse. Albinus in secundum caput Ecclesiastæ: Vir sapiens in lege Domini meditatur, & Scripturarum sanctarum desudat interpretatione: & libros componit multos, ut memoriam sui posteris relinquat.

Bono exemplo præire gregi. Sacerdotes sanctitatem, quam habitu, caluitie & nomine profitentur, moribus exhibeant: Euangelij patrumque scita, exprimant uita. Decretum Boiorum in Dingelfing: Auentinus libro tertio Annalium. Vuiho episcopus Osnaburgensis pro zelo sacræ religionis institit uerbo & opere,ut creditas animas seruaret & multiplicaret.Crantzius libro primo,cap. secundo in Metropoli. Corbinianus Phrysingensem Ecclesiam sanctissimæ uitæ documētis instituit.Phrysingensis libro 5. capite uigesimoquarto. Carolus Magnus in Constitutionibus suis:

Ministri

Ministri altaris Dei suum ministerium bonis moribus ornent.

Sed tamen contraria etiam exempla repe riuntur. nam de sacerdotibus Francorum Auentinus inquit: Nihil superbius, nisi salacius sacerdotibus erat: canes & scorta alebãt in Francia, luxu & auaricia perditi. Decimas & huiusmodi donaria intercipiebant, contra instituta maiorum: nihil egenis elargiebãtur: Ecclesiasticas opes, bona pauperum, soli abliguriebãt. Lib. 3 Annalium. Gangulphus ab adultero clerico occiditur. Martinus in Chronico. Polygamia, & adulterijs, & cædibus hominum insignes fuisse Francorum sacerdotes, Zacharias in epistola ad Bonifacium indicat, tomo 2 Conciliorum.

Pauperum curam & ratioñe habere. Adrianus singulis diebus centum pauperes in atrio Lateranensi pauit. Platina. Synodus Romana censuit, episcopos eò collocandos, ubi prædia abundent, quæ alendis pauperibus suppetant. oportere enim episcopũ penu & alimoniæ pauperum promũ condũ & procuratorem esse. Auentinus libro tertio Annalium. Leo alendis pauperibus apprimè deditus fuit. Blondus decadis secundæ libro primo. Stephanus papa fuit pupillorum & uiduarum defensor: ut Iohannes de Oppido refert.

De causis matrimonialibus tractare. Bonifacius in epistola ad Zachariam indicat, quendam uiduam consobrini sui duxisse, & asserere tale matrimonium ab Apostolica sede confirmatum esse: quod sibi non uideatur uerùm, cũ Synodus & Ecclesia in Anglia talem copulam incœstum & damnabile piaculum iudicarit. Tarasius ab imperatore interrogatus, an possit suam uxorem dimittere, quæ sibi insidiata fuisset ueneno? Omnino, respondet, propter scandalum id fieri nõ posse. Ignatius in uita eius. Gregorius tertius in synodo Romana sanxit quædam de matrimonio, ut suo loco dicetur: & maximè raptum uirginum & uiduarum damnat tomo secũdo Conciliorum. Potestas emendandi incœstuosos, episcopis conceditur in capite sexto synodi Duriensis.

Castra sacrificandi & comprecandi gratia sequi. Carolomannus in edicto suo inquit: Vnus aut ad summum duo episcopi delecti suffragio, cum suis sacerdotibus principem comitentur ad bella, sacrificandi comprecãdique causa, cuiq; tribuno unus duntaxat à sacris, pœnitentia & cõfessionib. esto. Auentinus libro tertio. Et Arno cum Pipino filio Caroli, contra Hunnos & Auares in militiã proficiscitur. Auentinus libro quarto Annalium. Et Albinus & alij episcopi & abbates castra Caroli, cum moueret in Desideriũ Longobardum, sequuti sunt. Vincentius libro uigesimotertio, capite 169.

PECCATA GVBERNATORUM *Ecclesiæ.*

Occurrunt etiam quędam, quæ pręter ac contra sui muneris rationem Ecclesiarum ministri egerunt.

Nam aliqui docendi officiũ neglexerunt, & oberrarunt. Vuillarius relinquens Viennensem sedem, Romam prodeambulauit, seq; in amicitiã Stephani insinuauit. Adon ætate 6. Episcopus quidam in Thuringia fuit, qui prędicationis uerbum disseminare neglexit: ut patet ex epistola 2 Gregorij secundi ad Bonifacium, tomo 2. Conciliorũ.

Alij scriptis Ethnicorum & philosophicis euoluendis magis operam impenderunt, quàm sacris. nam huiusmodi reprehendit Beda in Samuelem libro 2. capite 9. Nobiles sæpe magistri Ecclesiæ, magnorumq; uictores certaminum, ardẽtiore quàm decet oblectatione libros gentilium lectitantes, culpam, quam non præuidere, contrahebant: adeò ut quidam eorũ se pro hoc ipso scribat in uisione castigatum, obiectumq; sibi à Domino inter uerbera ferientia, quòd non Christianus, sed Ciceronianus potius esset habendus.

Aut plus diligentiæ cantionibus & hymnis impenderunt, quàm cõcionibus sacris. Sic Accan Hagustaldẽsis episcopus, cantorẽ Mahan ad se suosq; instituendos accersiuit: qui per annos duodecim carmina Ecclesiastica uel renouauit uetera, uel docuit noua. Beda libro 5. capite uigesimòprimo, de Anglis. Et à Luitprando sacerdotes & clerici instituti sunt, qui ei quotidie diuina officia decantarunt. Paulus libro sexto, capite decimooctauo, de Longobardis.

Aut fabulis hominum ueritatem corruperunt: quod crimen Gregorius tertius in epistola ad Bonifacium, Boiorum sacerdotibus impingit, apud Auentinum libro tertio Annalium.

Aut inter concionandum non Dei, sed suum negocium egerunt: ut refert Auentinus lib. 3 de sacerdotibus Boiorum.

Aut ueras sententias damnarunt. Sic Bonifacius legatus Germaniæ, Vergilium Iuuauiensem damnat, quòd asseruerat esse Antipodes. Auentinus libro tertio Annaliũ.

Aut superstitiones auxerunt. Bonifacius monasteria condidit, coniugium sacerdotum damnauit, peregrinationes instituit, purgatorium docuit mortuorum esse, & imagines uenerari iussit. Balæus Centuria secunda, capite decimotertio. Vuilibaldus Eystetensis, cum Burchardo Anglo Herbipolensi præsule Romanam Synagogam multis adauxit superstitionibus. Balæus Centuria secunda, capite decimosexto. Et Hiero soly-

ſolymorum epiſcopus dixit, ideo monaſteria Palęſtinæ ab Arabibus occupari, quia adoratio imaginum ſit in ijs abolita: cum uerbum Dei teſtetur propter idololatriam pœnas uenire,& nō propter eius abrogationē. Metaphraſtes in uita Theodori. Milredus epiſcopus gaudet,ſe Bonifacium apud Deum habere patronum: in epiſtola ad Lullū.

Aut uiſiones & ſomnia uana, uel ſua uel aliorum,ad confirmandas ſuperſtitiones inuulgarunt. Nam Eguuinus Vuigornienſium epiſcopus,iureiurando coram Conſtantino Romano pontifice affirmauit,ſe per uiſionem iuſſum eſſe,imaginem Marię in templo colendam uulgo exhibere.& ſcripſit librum integrum de ſuis apparitionibus, quē pontifex ſcriptis diplomatibus comprobatum,Brituualdo Anglorum primati diſtrictè præcepit, ut collecta ſynodo anno Domini 710.ſua authoritate populis commendaret, regibus etiam ſub anathematis maledictione intereſſe iuſsis. Balæus Centuria prima, capite 91. Monachi per literas ſignificarunt Pipino, ſe patris eius Caroli Martelli animam uidiſſe in inferno ſepeliri, quòd cenſum ab Eccleſiaſticis uiuens cepiſſet, & uiros religioſos pecunijs mulctaſſet. Balæus Centuria ſecunda,capite quinto. Et papam Romanum habuiſſe ſomnium de Carolo Martello,quòd corpore & anima ductus ſit ad inferos: ideoque miſiſſe nuncios ad epiſcopum Aurelianenſem, ac iuſsiſſe aperiri ſepulchrum eius,& inuentum eſſe in eo ſerpentem miræ magnitudinis. Chronicon de ducibus Bauariæ. Et Bonifacius in epiſtola ad Eadburgā, uiſiones cuiuſdā qui à morte reuixerat, cōmemorat. Et Chutbertus in epiſtola ad Lullum uiſiones commemorat pro cōfirmanda miſsificatione pro mortuis.

Item mendacia miracula. Sic Conſtantinus epiſcopus Cypri narrat in quarta actione Nicena, quendam qui clauum in parietem adigendo, Petri depicti in pariete frontem transfodiſſet, indeque dolorem capitis ſenſiſſet, iuſſum eſſe clauum eximere,& ſic ſanatum eſſe. Chutbertus in epiſtola ad Lullum narrat,feminam miſſarum ſolennitatibus de puteo redemptam eſſe.

Ad fidem homines coegerunt. Sic Bonifacium armata manu in Thuringiam irruiſſe, eoſque ad fidem ſuſcipiendam adegiſſe, Iſenacenſe Chronicon indicat.

Aut pœnitentibus ſatisfactiones imperarunt. Gregorius ſecundus, in epiſtola ſecunda ad Bonifacium, iubet eum pœnitentiam indicere, comedentibus agreſtem aut domeſticum caballum: tomo 2 Conciliorū.

Aut rebaptizarunt: ut patet ex epiſtola Zachariæ ſecunda ad Bonifacium,tomo ſecundo Conciliorum.

Aut fulmine excommunicationis contra hoſtes pugnarunt. Sic Adrianus papa Deſiderij copias, excommunicationem minatus repreſsit. Bonfinius lib.9.decadis 9. rerum Vngaricarum:& Antoninus.

Aut eo ſuperſtitiones & idololatrias confirmarunt. Sic Gregorius ſecundus Leonem, & Stephanus Anaſtaſium patriarcham excommunicauit, eo quòd damnarent imaginum cultum. Blondus decadis primæ, libro decimo. Martinus in Chronico. Et Synodus Nicena in actione ſeptima: Qui auſi fuerint aliud ſentire aut docere, aut more impiorum hæreticorum Eccleſiaſticas traditiones contaminare: aut nouam quandam uaniloquentiam inducere, aut quicquam de conſecratis in Eccleſia abijcere, Euangelij inquam depictum codicem,aut figuram crucis, aut imaginis alicuius picturam, aut reliquias martyrum, quas ſciuerint eſſe germanas & ueras, aut contra iſta uafrè & improbè aliquid excogitare, quod ſit contra conſtitutionem Eccleſiaſticam: aut uti tanquam communibus, ſacratis Deo, repoſitis precioſis, aut monaſterijs reuerendis: ſi fuerint epiſcopi aut clerici,deponuntor: ſi monachi aut laici, communione priuantor.

Aut eo pacem inter diſsidentes conſtituerunt. Sic Adrianus legatis Thaſsiloni ducis Bauariæ excommunicationem minatus eſt, ſi in fide Caroli manerent. Regino libro ſecundo,& annales Francorum.

Aut eo percuſſerunt innocentes, uel contra traditiones humanas agentes. Sic Taraſius eos excommunicat, qui impedimento fuerant facinoroſo, ad eccleſiam tanquam ad aſylum confugienti. Ignatius in uita eius. Et Gregorius tertius in Synodo Romana, clericos comam nutrientes anathemate damnat: tomo 2 Conciliorum.

Aut pro mortuis obtulerunt: ut patet ex epiſtola Gregorij tertij ad Bonifacium, tomo ſecundo Conciliorum. Et Naucleri generatione uigeſimaquinta, & Bonifacij epiſtola ad Aldherium.

Aut templorum & monaſteriorum ædificationi,ſeu reparationi, ſeu conſecrationi plus operæ nauarunt, quàm alijs magis neceſſarijs & utilibus officijs. Nā de ędificatione eccleſiarum paſsim extant exempla. Gregorius tertius porticum ante baſilicam Lateranenſem extruxit, in cuius frontiſpicio totius orbis deſcriptionem pingi curauit: fortè indicans, ſe dominum totius orbis eſſe debere. Liber pontificalis. Vuipertum Luneburgi in honorem Mariæ ſacellum extruxiſſe, Chronicon Saxonicum annotat, anno Domini ſeptigēteſimo nonageſimooctauo.

Et

Et de monasterijs. Bonifacius monasteria ædificauit, ut patet ex eius historia.

Et de reparatione. Gregorius secundus multa templa renouauit, & monasteria extruxit. Liber pontificalis. Gregorius tertius quoq; multa monasteria renouauit. Liber pontificalis.

Et de consecratione. Stephanus papa altare in honorem Petri & Pauli consecrauit: Regino & Iuo. Bonifacius basilicam Fridislariæ consecrauit: Regino lib. 2. Modestus ædes sacras in solio, & Liburnia ciuitate extruxit & consecrauit. Auentinus lib. 3 Annalium. Padeburnensem ecclesiam Leo pontifex consecrat: & à rege postulat, ut eam prędijs ditet. Crantzius in Metropoli lib. 1. cap. 11. Et Leonem papam monasterium Marię Aquisgrani consecrasse, refert Lucensis. Zacharias papa monasterium Fuldense dedicasse, annotatur in Chronico Isennacensi. Idē cum multis archiepiscopis & episcopis Cassinense templum dedicauit, ut refert Hostiēsis. Turpinus cum nouem alijs episcopis, Galecianum templum Iacobi, iussu Caroli consecrauit. Sabellicus Enneadis 8. lib. 8.

Aut reliquias sanctorum præconijs suis & ueneratione superstitiosa coluerunt. Sic Hucbertus corpus Lamperti Leodium transtulit, anno 710. Sigebertus. Athalongus nugatus est, se reliquijs Chiliani & sociorū eius à cæcitate liberatum esse, anno Domini 746. Sigebertus. Sanctorum patrocinia in bello sacerdotes ferebant, ut apparet ex decreto Carolomanni, tomo 2 Conciliorum.

Cultum imaginum potius defenderunt, licet agnoscerent non admodum conuenire uerbo Dei, quàm uideri uoluerunt errasse. Germanus in epistola ad Thomam Claudiopoleos: Ante omnia prouidendum est, ne à sententia permuteris, ne ex hoc inimici nostri & hostes crucis Christi, supercilium eleuent contra fidem nostram, dicantque: Hucusque Christiani errarunt. nisi enim institutum suum idololatriam cognouissent, non sanè nunc manufacta abijcerent. Quod ipsum quantum contumeliæ subuersionisque fidei in Christum conciliet, quiuis agnoscere potest. Et rursus: Hæc non dicimus, quòd arbitremur nobis circa ærearum statuarum operositatem laborandum: sed tantummodò, ut admoneamus sanctitatem tuam, ueterem consuetudinem non esse reijciendam. tomo 2 Conciliorum.

Sacra uasa exosculati sunt. actione 6. Nicenæ secundæ.

Aut monachorum & heremitarum opera ficticia, quasi summus Dei cultus essent, cōmendarunt. Bonifacius monasteria ceremonijs Benedicti imbuit. Auentinus libro tertio Annalium: Quas animas ego confidenter in illis intelligi dico, qui ueri philosophi cœlestes effecti, relinquentes mundum cum delicijs & fallacijs & pompis suis, & eremi habitationem aulis regalibus prętulerunt: potius eligentes cum bestijs & sæuissimis draconibus in desertis, quàm cum nequissimis hominibus in urbibus habitare: & nimium sumptuosa illa impendia ciborum, quibus oneratus, diuersos languores terminando distenditur uenter, ad unius pulmentarij crudorum holerum, uel exiguum panis & aquæ usum redegerunt. Aponius in Cantica canticorum libro secundo. Sicut templum Dei in ciuitate est, ita in plebe fideli uita religiosorum: Beda in Lucam libro quinto, capite 19.

Et eorum fraternitatem & societatem expetiuerunt. Sic Bonifacius in epistola ad Opparum abbatem orat, ut se in fraternitatem dilectionis & societatem spiritualem suscipiat, & pro se preces faciat.

Aut matrimonia sub prætextu uoti, pietatis & castitatis dissoluerunt. Bonifacius coniugia ministrorum damnauit. Et Gregorius tertius, & Synodus Romana nuptias Adriani & Epiphanię diaconę planè damnat: tomo secundo Conciliorum. contra Dei institutionem.

Vel ob ficticiam Ecclesiasticam seu spiritualem cognationem. nam Zacharias constituit, ne quis ducat uxorem sororem spiritualem, quam uidelicet pater leuarit de baptismo: idq; sine omni uerbo Dei. Chronicon Æditui. Vetuit etiam inter compatres & commatres connubium. Acta pontificum. Et sacerdotes per totam Franciam & Gallias, & per Hispanias affirmant, maximi criminis reum esse illum, qui in matrimoniū accipiat uiduam, cuius filiam in baptismo adoptiuam susceperit. Bonifacius in epistola ad Pethelmum.

Ægrotos & energumenos oleo consecrato inuxnerunt. Beda lib. 2 in Marcum.

Aut ciuilib. negocijs, à suo officio alienis, sese immiscuerunt. Hubertus Leodiensis episcopus iura legalia, mensuras & pondera uictualium ciuibus instituit. Acta Tungrēsium. Et Crodegangum episcopum & principem Reipublicæ Metēsium fecit Pipinus, eiusq; ditioni totam Galliam subiugauit. Acta Metensium. Corbinianus latronem cruci & coruis adiudicatum, contra Dei iusticiam liberauit: ut patet ex uita eius. Legati Adriani episcopis Angliæ interdicunt, ne in Synodis secularia iudicent. Synodus Anglica cap. 10. sub Adriano.

Legationibus perfuncti sunt. Sic Formosus & Damasus episcopi, ab Adriano & Pipino ad Thassilonem Bauariæ ducem ablegantur, ut eum de iureiurando commonefaciant,

nefaciant. Regino libro secundo. Et Arinus episcopus & Heinricus abbas, à Thassilone ad Adrianum remittuntur, ut petant pacem. Libro eodem.

Aut canes & accipitres ad uenandum aluerunt: id quod Carolomannus prohibet apud Auentinum 3 Annalium, & tomo 2 Cõciliorũ. Et Gebolibus accusatur eam ob rẽ, & deponitur à Bonifacio. ibidem.

Aut bonis Ecclesiæ abusi sunt ad canes uenaticos & scorta alẽdos, & ad luxũ: quod Auentinus narrat de sacerdotibus Francorum, libro tertio Annalium.

Aut more principum, cum equitatu & peditatu & armis processerunt. Sic Lullus Moguntinus episcopus interfuit bellis à Carolo Magno gestis: ut indicant Malmesburius & Lelandus apud Balæum Centuria decimatertia, cap. 56. Episcopus Herbipolensis Franconiæ dux dicitur: & cum rem diuinam faciebat, gladium in altari nudũ ante se se habebat: Hermannus Schedel ætate 6. Carolus Herinbertum Mindẽsem episcopum, ministris & præsidijs muniuit aduersus hostes: Metropolis Crantzij libro primo, cap. 9. Carolus (non Deus) episcopis gladium dedit, quo contumaces terrerent & punirent. Crantzius in procemio Metropolis: & lib. 1 cap. 1. Et equites Francos episcopis parastatas ordinauit. Curio libro secundo Chronologiæ. Luderum episcopum Monasteriensem, inter insignia sua gladium & baculũ pastoralẽ habuisse, Chronicõ Saxoniç indicat.

Et bella gesserunt: ut patet ex uitis Pontificum, contra Zachariæ epistolam ad Francos: Sacerdoti pugnare non licet. Item: Sacerdoti qui pastor est, arma non ferre, nedũ quenquam bello occidere licet. Et Carolomanni edictum: Nemo sacris initiatus arma ferat. Auentinus 3 Annalium, & tomo 2 Conciliorum. Et Anepos episcopus duxit exercitum Francorum contra Vilianum in Sueuos. Adon ætate 6. Senones, Vuisigotthos, & Saracenos, ductu Ebbonis episcopi sui erumpentes fuderunt & fugarunt. Aemylius libro 2 de Francis: & Annonius libro 4. capite 55. de Francis.

Et ui alios exturbarunt, occupatis eorum bonis. Sic Calistus Aquileiensis, Amatorẽ Foroiulianum episcopum ædibus expulit, & ui habitationem eius occupauit. Paulus libro 6 cap. 14 de Longobardis.

Aut sacra loca uisitarunt ipsi, uel alios ut facerent hortati sunt. Bonifacius peregrinationes instituit: & effecit, ut multi cum oblationibus Romam irent. Mutius lib. 7.

Roma reuersi, mentiebantur se à pontifice esse absolutos de suis facinoribus. sicut de presbytero quodam constat ex Gregorij secundi epistola secunda ad Bonifacium, qui cum Romam uenisset, nihil dixerat de suo peccato: sed tantùm literas commendaticias ad Carolum petierat, & nihilominus reuersus domum se absolutum nugatus est. Tomo secundo Conciliorum.

Et munitiones fecerunt. Ludgerus Mymigardeuordensis episcopus, Carolo contra Vuilsos pugnanti adfuit: & accepta à rege licentia, Helmenstadium oppidum communiuit. Metropolis Crantzij lib. 1.

DE DONIS.

QVidam tum doctores, tum monachi, tum etiam laici, dono miraculorum præditi indicantur. nam Petrum Ticinensem, uirginitatis flore decoratum, miraculis claruisse, indicat Paulus Diaconus libro sexto, capite decimooctauo de Longobardis. Et Albinum, Guericũ, Nodoaldum.

Quidam etiam futura prædixerunt: ut Germanus Anastasio uestem pedibus suis conculcanti dixit: Ne festines, Dyppium te expectat. & euentus postea ostendit, fuisse uatidicam uocem. Zonaras tomo tertio. Baudolinum & Theolapium prophetico spiritu futura prædixisse, Paulus narrat libro sexto, capite decimooctauo de Longobardis. Bonifacius prædixit, basilicam Fridislariæ inuictam fore ab igne. Regino libro secundo. Ioannicij multa uaticinia Metaphrastes refert: ac Tarasium prædixisse, Leonem imperatorem à Michaele interfectum iri. idem narrat in uita eius. Bonifacius de se dicere solitus est: Vado prædicare Frisijs, & ibi pro Christo occidar. Nauclerus generatione uigesimaquinta. Beda amicis & principibus prædixit, rei Christianæ magnam mutationem. Balçus Centuria 2. cap. 1.

DE SYNODIS PRIuatis.

SI res postulabat, episcopus, presbyteri, diaconi, clerici, & quidam ex laicis, conuentus agebant, in quibus aut de ministrorum Ecclesiæ electione & uocatione tractabatur. Sic Stephanus tertius à Synodo Romana in pontificem deligitur. Liber pontificalis. Vinea custodienda dicitur tradi illi, qui in ea sapientior repertus fuerit: per hoc, quòd de iudicio seruorum uel procerum, docendi accepit potestatem, & susceptam docendo custodit. Apponius in Cantica canticorum.

Aut depositione. Gregorius tertius Georgio presbytero, quem uolebat ab ordine sacerdotali deijcere, parcit, obsecrante pro eo Concilio & optimatib. Liber põtificalis. Sic Cõstantinus papa, lectis Canonib. in Synodo priuata Romç deponitur: & Mauricius subdiaconus Orariũ de collo eius tollit, atq; ad pedes proijcit. Liber pontificalis in uita Stephani.

Aut

Aut dogmata examinabantur. Stephanus secundus hortatus est clericos, ad diligentem sacræ Scripturæ lectionem. Liber pontificalis. Constantinus papa, cum Apostolicæ sedis Concilio, praui dogmatis literas Philippici respuit. Beda de ratione temporum, libro secundo.

Aut de litibus Ecclesiasticorum agebatur. Carolus Magnus in Constitutionibus suis, ex Carthaginensi Synodo, clericorum & Ecclesiasticorũ lites, inter Ecclesiasticos, & nõ apud seculares componi debere decernit.

Aut de modo & forma pœnitentiæ. Carolus Magnus in Constitutionibus suis Aquisgrani propositis, anno Domini septingẽtesimo octuagesimonono, in Concilio Acironensi: Inuentum est in eos qui cum quadrupedibus peccant, dura & districta pœnitentia. Quapropter episcopi & presbyteri, quibus iudicium pœnitentię iniunctum est, conentur omnimodis hoc malum à consuetudine prohibere, uel abscindere.

DE BONIS ECCLEsiasticis.

ECclesiæ singulæ sua quædam possederunt bona, quæ partim Imperatorum & principum, & aliorum dominorum largitione acquisiuerunt. Oda uxor Boggis regis Aquitanorum, sua munificentia Ecclesias Dei in Gallijs ditauit, anno Domini 711. Sigebertus. Offa rex, loco satisfactionis pro peccatis suis, decimam partem bonorũ suorum sacerdotibus & pauperibus distribuit. Polydorus lib. 4. historiæ Anglicæ.

Partim contributione & oblatione. Nã oblationum meminit Gregorius 2 in epistola ad Thuringos, tomo 2 Conciliorum.

Partim hæreditate episcoporum. Corbinianus Phrysingensem ecclesiam plurimis possessionibus locupletauit. Phrysingensis libro quinto, cap. 24. Vt unusquisq; presbyter res quas post diem consecrationis acquisierit, proprias Ecclesiæ relinquat: Ansegisus libro primo de legibus Francorum, capite centesimo quinquagesimo.

Partim ex legatis & testamentis ciuium. Theodorus enim ob ueniã delictorum suorum, prædium quod ex hæreditate paterna acceperat, Petro legauit. Liber pontificalis. Hugo senior primus ecclesiæ Ortruuiensi ad S. Michaelem legauit bona. Chronicõ Isennacense. Leonianus Beneuenti ecclesiæ Modesti omnẽ suam substantiã legauit. Hostiensis lib. 1 cap. 10. de Casinensi cœnobio.

Partim fictitio titulo patrimonij Apostolorum. Sic Sicilia tria talenta & dimidium auri cõferebat Ecclesijs Romanis. Paulus Diaconus lib. 21 rerum Romanarum. Et pontifices eo prætexu dementantes Francorum reges, Domini Italiæ facti sunt, ut postea dicemus.

¶ Catalogum eorum quæ in bonis Ecclesiasticis fuisse dicuntur, ferè huiusmodi suppeditant historiæ: Thesauri, uasa aurea, uasa argentea, uestes preciosæ. Ecclesiarum κειμήλια Habdallas uendidit. Paulus libro uigesimo secundo.

Villæ & prædia. Galeciana Ecclesia Iacobi, à Carolo Magno prædia accepit. Turpinus apud Sabellicum libro octauo, Decadis octauæ.

Decimæ. Decimas à prophanis occupatas, Carolomannus suo edicto restitui iubet, apud Auentinum libro tertio Annalium. Talem statum Carolus Magnus post impositum iugum Christi, reliquit in prouincia, ut liber esset populus à tributorum iugo, cæterùm Ecclesijs & pontificibus iure decimarum obnoxius permaneret. Metropolis Crãtzij libro 1. capite octauo.

Reditus. Carolus Vuihoni Osnaburgensi episcopo assignauit reditus de prouentibus prouinciæ, unde cum suo clero uiueret, ad confirmandos recens baptizatos in suscepta religione Christi. Cranzius libro primo, capite 2. Metropolis. Redituum Ecclesiæ meminit Gregorius 2. in epistola ad Thuringos, tomo 2. Conciliorum.

Tributa & uectigalia. Gregorius 2. in epistola ad Germanos, apud Auentinũ lib. 3.

Emporia. Constantinus Irenes filius, commercium nundinarium centum librarũ auri largitus est ecclesijs Ephesi, ad famulatum Iohannis apostoli. Paulus Diac. libro 23 rerum Romanarum.

Domus parochiales, seu episcopales. Sic Gregorius 2. iubet Thuringos Bonifacio facere domum, in qua possit habitare, in epistola 3. tomo 2. Conciliorum.

Arces. Carolus Magnus Padeburnensi ecclesiæ arcem Iborch, quæ nunc Triborg uocatur, dedit. Metropolis Cranzij libro 1. capite undecimo.

Insulæ. Gradensis ecclesia habuit duas insulas, Centinariam & Mussouium. Sabellicus Enneadis 8. libro 7.

Monasteria. Canthur comes illustris, ecclesiæ Metensi Lorishan cœnobium tradidit, anno 763. Sigebertus.

Bonis Ecclesiæ præfici solebant presbyteri, seu archiepiscopi, seu archidiaconi: ut patet ex capite 7. Synodi Duriẽsis, ubi quatuor uel octo homines fide digni constituuntur, ad decimarum acceptionem.

Dispensatores eorũ episcopi erant. Pontifices res Ecclesiasticas procurent: leges Boiorum apud Auentinum libro 3. Sic Gregorius 2. in epistola ad Thuringos iubet, Bofacio unam ex quatuor portionibus Ecclesiæ dari, ad fabricas ecclesiasticas reseruandas, de qua Deo tantum rationem reddere

teneatur,

teneatur,tomo secundo Conciliorum. Ansegisus libro primo de legibus Francorum, capite 143 dicit: Carolum Magnum constituisse,ut decimæ sint in episcopi potestate, & per presbyteros dispensentur.

¶ Vsus autem eorum fuerunt hi: Episcopis & alijs ministris Ecclesiæ,inde stipendia soluere. Zacharias ecclesijs uectigalia, quo oleum pro lampadibus emeretur,& fundos assignauit, ex quibus sacerdotes uiuerent. Liber pontificalis. Omnes decimas tribuant sacerdotibus:Leges Boiorum apud Auétinum libro tertio Annalium. Bona Ecclesiæ in tres partes distribuebant:una sacerdotibus, altera pauperibus, tertia militibus dabatur. Hedio libro sexto,capite nono ,parte tertia Ecclesiasticæ historiæ. Decimæ,tributa, donaria, & huiusmodi templorum uectigalia,in quatuor patres dispertita : unam Bonifacius, alteram sacerdotes sedulò pascentes ac docentes populum accipiant. Gregorius secundus in epistola ad Thuringos,apud Auentinum libro tertio, & tomo secundo Conciliorum.

Pauperibus,uiduis & orphanis subuenire. Tertia pars bonorum Ecclesiasticorum egenis & pauperibus distribuatur: Gregorius secundus in epistola ad Germanos, apud Auentinum libro tertio. Carolus Magnus in Constitutionibus suis inquit:Vt decimæ populi diuidantur in quatuor partes: id est,una pars episcopo, altera clericis, tertia pauperibus, quarta Ecclesiæ in fabricis applicetur, sicut in decreto Gelasij papæ continetur.

Captiuos redimere. Iohannes sextus ex ærario Ecclesiæ multos redemit. Crantzius in Metropoli libro secundo,capite primo:& Platina.

Ecclesias ædificare,aut instaurare. Carolus iussit ædificare abbates & episcopos de bonis Ecclesiæ,ne in luxum uictus conferrétur.Mutius libro octauo. Quarta pars bonorum Ecclesiasticorum,ad instaurandas & reficiendas sacras ædes reseruetur: Gregorius secundus in epistola ad Germanos, apud Auentinum titulo tertio : & in epistola ad Thuringos,tomo 2 Conciliorum.

Conferre in sumptus bellicos, si necessitas postulabat. Carolum Magnum propter bellorum assiduitatem, res Ecclesiasticas laicis tradidisse,Iuo indicat. Et Carolomannus in edicto suo inquit:Hoc quoque consensu mystarum & populi Christiani sciuimus,ut propter crebra bella, & ferocissimarum gentium quibus undique cingimur, assiduas in nos incursationes,pars Ecclesiasticæ pecuniæ,nempe duodeni denarij, quem solidum uocamus,contribuantur mihi,quo militibus nostris præmia condigna laboribus soluantur. Auentinus libro tertio Annalium. Carolus Martellus militibus stipendiarijs decimas Ecclesiarum, cum consilio episcoporum concessit.Erphordiensis capite sexagesimoquarto, & Martinus in Chronico.

Porrò non licebat bona Ecclesiæ ad hęredes transferre,nec post degradationem usurpare. Zacharias in epistola ad Bonifacium: Episcopus condemnatus,de quo inquisiuisti,qui impugnator & fornicator existit,atq; res Ecclesiæ post degradationem sibi uendicare nititur,hic omnino ac detestabiliter respuendus est. (quæ enim portio infidelis cum fideli? aut quæ communio Christi ad Belial?)hunc & sanctorum Patrum traditiones,& sanctorum Canonum instituta cõdemnauerunt.Tomo 2 Conciliorum.

DE BIBLIOTHECIS.

Bibliothecarum plurium fit mentio: ut Constantinopoli in basilica regia in domo,ubi collegio Oecumenico codices multi humanæ & diuinæ sapientiæ fuisse, Zonaras tomo tertio indicat. Romæ Bibliothecam Petri Zacharias restituit. Platina in uita eius. Hagulstadiæ:Beda lib.5.cap.21. Eboraci & Turoniæ:Albinus in epistola ad Anglos.Balæus Centuria 2.capite 15. Lindisfarnæ,de qua Lelandus inquit: Pessimè sit Danicis piratis Lindisfarnensis Bibliothecæ depopulatoribus. Balæus Centuria decimatertia,capite 59.

¶ In ijs autem habuerunt libros sacros. Zonaras tomo tertio.

Et Patrum. Commentarij Chrysostomi in sacras literas Constantinopoli in patriarchæ triclinio fuerunt.Zonaras tomo 3.& Diaconus libro 23 rerum Romanarum.Acca episcopus Hagustaldensis, historias passionum Apostolorum,martyrum, unà cum cæteris Ecclesiasticis uoluminibus summa industria congregans,amplissimam bibliothecam fecit.Beda lib.5.cap.21 historię Anglicę.

Et philosophicos. Zonaras tomo 3.

Acta Synodorum. Adrianus in Bibliothecam recondit acta synodi Nicenæ,pro cultu imaginum celebratæ.Liber pontificalis.

¶ Cura Bibliothecarum, hominibus idoneis de clero committi solebat. Gregorius secundus sub Sergio papa fuit custos Bibliothecæ Romanæ.Liber pontificalis. Bibliothecæ Eboracensi Albinus Flaccus præfuit primus.Balæus Cẽturia secunda,capite decimosexto. Stephanus monachus custos librorum patriarchatus:actione prima Nicenæ secundę.

DE SCHOLIS.

Scholarum passim fit mentio:utpote Constantinopoli. Zonaras tomo 3. Romæ scholam condidit Offa Merciorum rex. Poly-

Polydorus libro 4 Anglicæ hiſtoriæ. Et ſcholarum Miliæ, unde pueri & præceptores ramos palmarum ferentes obuiam proceſſerunt Carolo, meminit liber Pontificalis in Adriano. Pariſijs. ibi enim Sebaldus artes liberales didicit. Schedel ætate 6. Et Lutetijs Academiam inſtituit Carolus Magnus, ut indicat Polydorus libro quarto, anno Domini 791. Palmerius: & Balæus centuria 14. cap. 32. Ticini. Polydorus lib. 4 de Anglis. Oſnaburgi. Crantzius in Metropoli libro 1. cap. 2. Reginoburgij. nam ibi operam literis Hyldolphus cum fratre dedit. Auentinus libro tertio Annalium.

Ac in monaſterijs ſcholas fuiſſe, conſtat ex ijs quæ de monaſtica diximus, in capite de ceremonijs. Et Theodorum in monaſterio Sabæ à presbytero inſtitutum eſſe, Metaphraſtes indicat in uita eius, tomo quinto. Bedæ diſcipulus fuit Mailroſius & Albinus. Balæus Centuria 14. capite 32. Carolomannus in Cōcilio cui Bonifacius interfuit, præcepit, ut monachi & ſacerdotes literis operā ſedulò darent, emendatè & rectè ſcriberent, in omnibus contubernijs monachorum & epiſcoporum ædibus pueros docerent: ut patet ex actis eius Synodi. Et Carolus Magnus in Cōſtitutionib. ſuis Aquiſgrani, anno 20 regni ſui factis, inquit: Obſecramus ut monachi, præpoſiti, cōgregationes, bonā & probabilem habeant conuerſationem, &c. & non ſolùm ſeruilis conditionis infantes, ſed etiam ingenuorum filios aggregent, ſibique ſocient, & ut ſchola legentium puerorum fiat. Pſalmos, notas, cantus, computum, gratiam per ſingula monaſteria uel epiſcopia, & libros catholicos bene, emēdatè: quia ſæpe, dum bene aliqui Deum rogare cupiunt, per inemendatos libros malè rogant: & pueros ueſtros non ſinite eos uel legendo uel ſcribendo corrūpere. &, Si opus eſt Euangelium, pſalterium, & miſſale ſcribere, perfectæ ætatis homines ſcribant, cum omni diligentia.

In ijs autem Magiſtri & pædagogi, diſcipulos ſuos imbuerunt literis. Conſtantinopoli in ſchola erat Oecumenicus doctor, & habebat duodecim collegas, quibus publicus uictus dabatur. Illi autem erudiebant diſcipulos in ſacris & philoſophicis ſtudijs, ac Imperatores ex ijs uiros ad conſilia rerum gerendarum ſeligere ſolebant. Zonaras tomo tertio. Habdallas Chriſtianos ſub ſuo principatu degentes, literas diſcere prohibuit. Paulus libro uigeſimo ſecundo. Vuillehadus magnatum liberos literis in Friſia imbuit. Balæus Centuria decimatertia, capite ſexageſimo.

Et catecheſi, ſeu doctrina cœleſti, Zonaras tomo tertio.

In philoſophia. Carolus Magnus in Academia Pariſienſi Ariſtotelē tradi iuſſit: quia nemo alius inter Græcos & Latinos extaret, inquirendi ueri abſolutior artifex: & nemo perinde atque ille, magnitudinem philoſophiæ conſpiciendam dediſſet. Curio libro ſecundo Chronologiæ.

Et artibus dicendi. Zonaras tomo tertio. Iohannem Mailroſium utriuſq; linguæ Latinæ & Græcæ peritiſsimum fuiſſe, hiſtorici omnes de eo referunt: Balæus Centuria 14. capite 32 Scriptorum Britanniæ. Bonas artes Lutetiæ & Ticini Carolus curauit doceri. Polydorus libro quarto Anglicæ hiſtoriæ. Oſnaburgi Græcam & Latinam ſcholam, & clericos utranque linguā doceri Carolus ordinat, in Metropoli libro 1. capite ſecundo Crantzij.

Et mathematis. Bedam inſignem mathematicū fuiſſe, Lelandus teſtatur: & Balæus Cent. 10. cap. 23. Et Virgilium Iuuauienſem epiſcopum, in mathematicis diſciplinis & prophana philoſophia magis quàm Chriſtiani mores ferebant, eruditum fuiſſe, Auentinus libro 3 Annalium refert.

Magiſtros ſcholæ etiam cantare in templis ſolitos, apparet ex Vrſpergenſi.

Cura etiam aliqua ſcholarum, ad epiſcopos & presbyteros pertinebat. Carolus enim Magnus Burchardo Herbipolenſi duodecim adoleſcentes, ex illuſtribus parentib. Saxonum natos, quos obſides acceperat, ſeruandos & erudiendos in doctrina pietatis commiſit: ut narrat Capgrauius & Lelādus, teſte Balæo Centuria 13. cap. 57. Oſnaburgenſi epiſcopo, ut ſcholam aperiat, Carolus iniungit. Crantzius in Metropoli lib. 1. cap. 2.

In Academijs morem fuiſſe, inſignia & titulos eruditionis & honorum cōferre literatis, ſubindicare uidetur Balæus, ex Alcuino & Lelādo hęc referens: Simeon Anglicus ita eximiè doctus fuit, ut doctoratus etiam titulo inſignitus haberetur. Centuria decimatertia, capite quinquageſimooctauo.

Etiam in aulis principum, liberi pædagogos ſuos habuerunt. nam Irene imperatrix filiam ſuam Heliſeo eunucho & notario commendauit erudiendam in Græcis & Romanis literis, & moribus. Paulus 23 rerum Romanarum.

Et reges ipſos non puduit, præceptores alere. nam Carolum Magnum Albinus docuit dialecticam, rhetoricam & aſtronomiā. Author eſt Helinandus, ut annotat Erphordienſis capite 69.

DE CONSOCIATIONE ECCLEſiarum in una aliqua prouincia.

IN prouincijs ferè Eccleſiæ cæteræ, ad metropolin ſuam, eiuſq; epiſcopum in generali adminiſtratione reſpiciebant.

Metropo-

Metropoleon autem harum fit mentio in histotia huius Seculi:

In Asia, Cizycum. Paulus Diaconus libro 20 rerum Romanarum. Damascus. Petrus enim metropolita Damasci uocatur à Paulo libro 22 rerum Romanarum. Nicea metropolis Bithyniæ. Acta Synodi Nicenæ, tomo 2 Conciliorũ. Tyana, Stauropolis, Mocesus. Acta Synodi Nicenæ, tomo 2 Conciliorum. Sidæ metropolis episcopus fuit Leo Constãtinopolitanus, in actione 2 Nicenæ synodi. Sinnadon metrapolites fuit Iohannes, ut constat ex epistola Germani ad Constantinum Nacoliæ episcopum, actione tertia Nicenæ synodi.

In Europa, Coloniam metropolin confirmat Zacharias, in epistola ad Bonifacium. Nauclerus generatione 25. Herbipolis. Heinricus Erphordiẽsis cap. 67. Eisteda, Mynda, Padelburna, Osnaburga. Crantzius in metropoli lib. 1. cap. 2. Moguntium, metropolin Germaniç appellat Marianus Scotus.

¶ Extat in quodam uetusto codice Catalogus metropoleωn in Gallijs & Germania, quem adscribimus. Prouincia Lugdunensium prima habet ciuitates quatuor, quarũ metropolis est Lugdunum: cui subiectæ sunt Ecclesiæ Augustodunensis, Lingonensis, Cabillonensis, Matisconensis.

Prouincia Lugdunensis secunda habet ciuitates 7. quarum metropolis est Rothomagus: cui sunt subiectæ Baiocas, Abrincatinũ, Ebroas, Saxis, Lexouium, Constantia.

Prouincia Lugdunensis tertia habet ciuitates octo, quarum metropolis est Turonũ: cui subiectæ sunt Cinnomaimis, Redonum, Andegauis, Nannetis, Corisolitum, Vencoum, Oximensis, Diablincum.

Prouincia Lugdunensis quarta habet ciuitates 8, quarum metropolis Senonis: cui subiectæ sunt Carnotũ, Antisiodorus, Niuernis, Trecas, Aurelianis, Parisius & Meldis.

Prouincia Belgica secunda habet ciuitates 12, quarum metropolis est Remis: cui subiectæ sunt Suessio, Catalaunis, Viromandunum, Atrebacum, Camaracus, Syluanectum, Bellouagus, Ambianus, Morinus, quæ nunc Taruanensis dicitur: & Bononia, quam nunc Boloniam uocant.

Prouinciæ Belgicæ primæ metropolis est Treueris: cui subiectæ sunt Mediomatricum, id est Metis, & Leucorum, Tullo, & Viridunus.

Prouincia Germaniæ prima habet ciuitates quatuor, quarum metropolis est Moguntia: cui subiectæ sunt Argentoratum, id est Strasburg: Memmecum, id est Spira: Vangionum, id est Vuormacia.

Prouincia Germaniæ secunda habet ciuitates duas, quarũ est metropolis Agrippina, id est Colonia: cui subiecta est Tungris.

Prouincia maxima Sequanorum habet ciuitates nouem, quarum metropolis est Vesoncionum: cui subiectæ sunt Equestrium Neuedunus: & Heluetiorum, id est Auenticus: & Basiliensium, id est Basilea, & Vindonense, & Argentoriense, id est Argentoratum: & Ebrodunense, & Rauracense, & portæ Abucini.

Prouincia alpium Cocciarum & Apenninarum habet ciuitates duas, quarum metropolis est Centronium, id est Drancasia: cui subiecta est ciuitas Valensium, id est Octodorus.

Prouincia Viennensium habet ciuitates quatuordecim, quarum metropolis est Vienna: cui sunt subiectæ ciuitates Gennabensium, Gratianopolitanorum, Albensium, quę nunc dicitur Viuaria: Docensium, Valentinorum, Trigastinorum, Vasiensium, Araucicorum, Carpentoracensium quæ nunc Vindeisca, Cabellicorum, Auenticorum, Arelatensium, & Massiliensium.

Prouincia Aquitaniæ prima habet ciuitates octo, quarum metropolis est Biturigum: cui subiectæ sunt Aruernensis, Ricetum, Albigensis, Cadurcensis, Lemouicum, Cabalũ, Vellauorum.

Ac sedes episcopales interdum ex uno loco in alium sunt translatæ ab episcopis, uel magistratu. Nam Hucbertus è Traiecto Leodium sedem episcopi transposuit, reliquijs Lamberti eò præmissis, anno Domini 710. Sigebertus. Aliquando accessit etiam pontificum consensus, ut infrà dicitur.

Tituli metropolitanorum sunt, Pontifex. Sic omnes plebes pontificibus pareant: Auentinus inquit libro tertio, ex Synodo Dingelfingensi.

Interdum in una prouincia plures metropolitani nominantur. Heddi occidentaliũ Saxonum episcopo defuncto, episcopatus prouinciæ illius in duas parochias diuisus est. Beda libro quinto, capite decimonono Anglicæ historiæ. Sed Carolus Magnus in Constitutionibus suis uetat, ne prouincia inter duos metropolitanos diuidatur.

Ac oportebat eos in principali cathedra suæ parochiæ residere, & non aliam magis Ecclesiam frequentare. Carolus Magnus in Constitutionibus suis.

¶ Officia autem eorum fuerunt: Curare, ut uera doctrina in Ecclesijs sibi subditis doceretur, ex autenticis, & non ex apocryphis libris. Carolus Magnus in edicto suo inquit: Sic & uestrum est uidere, dilectissimi & uenerabiles pastores, & rectores Ecclesiarum Dei, ut presbyteros mittatis per parochias uestras, populum Deo seruientem, ut rectè & honeste prędicent: & non sinatis noua

ua uel non Canonica, aliquos ex suo sensu, & non secundum Scripturas sacras, fingere & prædicare populo. Sed & uosmetipsi utilia, honesta & recta, & quæ ad uitam ducunt æternam, prædicate: aliosq; instruite, ut hæc eadem prædicent. Theodoricum Arno cōstituit episcopum in Hunnorum regione, ut populum instituat, rerum cœlestium curam gerat, ritus colendi summum Deum eiusq; uoluntatē condoceat. Auentinus libro quarto Annalium. Carolus Magnus ex Laodicensi Synodo Canonem repetit in constitutionib. suis, ut Canonici tantùm libri in Ecclesijs legantur. Et ex Carthaginensi primo, ut fides sanctæ trinitatis & incarnationis Christi, passionis & resurrectionis & ascensionis in cœlos, diligenter omnibus prædicetur.

Cauere hæreses. Dent operam episcopi, ne lupi tecti pelle ouina, ouile irrumpant. Gregorius 3. in epistola ad Boios, apud Auētinum libro tertio.

Abolere ethnicas superstitiones & idolomanias, cum præsidio præfecti politici. Synodus Francica tomo 2. Conciliorum: Decreuimus quoq;, ut secundū Canones unusquisque episcopus in sua parochia solicitudinē habeat, adiuuante Graphione, qui defensor Ecclesiæ est, ut populus Dei paganias non faciat: sed ut omnes spurcitias gentilitatis abijciat & respuat, siue prophana sacrificia mortuorum, siue sortilegos uel diuinos, siue phylacteria & auguria, siue incātationes, siue hostias immolaticias, quas stulti homines iuxta Ecclesias ritu pagano faciūt, sub nomine sanctorum martyrum uel confessorū Domini, suos sanctos ad iracundiam prouocantes.

Iuuare excommunicationem. nam nō licebat excommunicatum ab uno episcopo, in communionem admittere. Carolus Magnus in constitutionibus Aquisgrani.

Episcopos & presbyteros in sua prouincia ordinare. Theodoricum regem Arno facit episcopum in Hunnorum prouincia, ut templa dedicet, & sacerdotes cooptet. Auentinus libro 4 Annalium. Sed non licebat alterius clericum recipere, aut ordinare, iuxta caput 6 Synodi Duriensis sub Carolo Magno: sine commēdaticijs literis, & sui episcopi uel abbatis licentia. Idem in Aquisgranensi decreto.

Aut ab alijs ordinatos examinare, tum de doctrina, tum de administratione Sacramentorum. Synodus Francica sub Carolomanno tomo 2 Conciliorū: Statuimus etiam, ut secundum cautelam omnes undecūq; superuenientes ignotos episcopos uel presbyteros, ante probationem Synodalem in Ecclesiasticum ministerium non admittamus.

Visitare Ecclesias. Canon Synodi sub Carolomanno sic habet: Vnusquisq; presbyter in parochia habitans, episcopo sit subiectus, & semper in quadragesima rationem & ordinem ministerij sui, siue de baptismo, siue de fide Catholica, siue de precibus & ordine missarum episcopo reddat & ostendat: & quandocunq; iure Canonico episcopus circumierit parochiā, ad confirmādos populos, presbyter paratus sit ad suscipiendum episcopū cum collectione & adiutorio populi. Nauclerus Generatione 25. tom. 2 Conciliorum. Gregorius 3. in epistola ad Bauaros, apud Auentinum lib. 3. Parochos sæpius uisitent episcopi, presbyteros rectè uiuere compellant. Synodus Anglicana cap. 3. Carolus in Constitutionibus Aquisgrani inquit: Episcopi diligenter discutiant per suas parochias presbyteros, eorum fidem, baptisma, & missarū celebrationes, ut & fidem rectam teneant, & baptisma Catholicum obseruent, & missarū preces bene intelligāt, & ut psalmi dignè secundum diuisiones uersuum modulentur, & Dominicam orationem ipsi intelligāt, & omnibus prædicent intelligenda, ut unusquisq; sciat quid petat à Deo, & ut Gloria patri cum omni honore apud omnes cantetur: & ipse sacerdos cum sanctis angelis, & populo Dei, communi uoce, Sanctus sanctus sanctus decantet.

Curare ut in Ecclesia omnia rectè fiant. Carolus Magnus in Cōstitutionib. suis Aquisgrani: Vnusquisq; uestrûm uideat p suas parochias, ut Ecclesia Dei suum habeat honorem, simul & altaria secundum suam dignitatem uenerentur, & non sit domus Dei & altaria sacrata peruia canibus: & ut uasa sacrata Deo cum magna ueneratione habeantur, & ut sacrificia sacrificata cum magna diligentia ab eis colligantur, quæ dignis cum honore seruentur: & ut secularia negocia uel uaniloquia in Ecclesijs non agantur, quia domus Dei domus orationis debet esse, non spelunca latronum: & ut intentos habeant animos ad Deum, quando ueniūt ad missarum solennia: & ut non exeant ante completionem benedictionis sacerdotalis.

Cognoscere & componere cōtrouersias & lites inter suos episcopos ortas cum consilio comprouincialium. Stephanus tertius: Omnis accusatio intra prouinciam audiatur, & à comprouincialibus terminetur, nisi tamen ad Apostolicam sedem fuerit appellatum. 3. q. 6. Et Carolus Magnus in Constitutionibus suis, repetit Canonem Synodi Chalcedonensis, ut clericorum negocia ab episcopis dijudicentur, & non à secularibus.

In causis matrimonialibus decernere quid fieri oporteat, & alijs indicare. Gregorius tertius Bonifacium monet, ne concedat ut quis amplius duas simul ducat uxores: in

epistola ad ipsum. Item, ne quis intra quartum gradum cōtrahat matrimonium: ac concedit, ut maritus, cuius uxor propter imbecillitatem nequeat debitum reddere, alteram ducat, & ægrotam illam simul alat. tomo secundo Conciliorum.

Cauere, ne bona Ecclesiastica abalienentur. Carolus Magnus in Constitutionibus suis: Vt singuli episcopi, abbates & abbatissæ diligenter considerent thesauros Ecclesiasticos, ne propter perfidiam aut negligentiam custodum aliquid de uasis, reliquoq; thesauro perditum sit: quia dictum est nobis, quòd negociatores, Iudæi, nec non & alij glorientur, quòd quicquid eis placeat, possint ab eis emere.

Celebrare Synodos prouinciales. Zacharias in epistola ad Gallos & Francos inquit: Quotannis conuentus cogantur, in quibus de concordia & pace Christiana agatur: si quid aduersum fuerit, resecetur, quo templum Dei firmum ac immobile perstare possit. Auentinus libro tertio. Gregorius tertius in epistola ad episcopos in Boiaria & Alemannia: Catholica sanctorum iubet autoritas, ut bis in anno pro salute populi Christiani, seu exhortatione adoptionis filiorum, synodalia debeât celebrari. tom. secundo Conciliorum.

Ac in ijs hæreticos & sceleratos deponere, uel excommunicare. Quotannis Concilia celebrentur: in hisce pietatem Christianam, candoremq; germanum à malis sacerdotibus pollutum, expiato. Carolomannus in edicto apud Auentinum, libro tertio Annalium. Carolus anno Domini 794, ad condemnandam hæresin Felicianam, Conciliū episcoporum ex omnibus regni sui prouincijs in uilla Francofurti congregauit. Regino lib. 2, & annales Francorum.

Aut sese excusare. Sic Leo Romanus pontifex, omnes episcopos Italiæ congregauit, ac se excusauit: ut Antoninus indicat titulo 14. cap 1. § 7.

Aut superstitiones instituere. Sic Guthbertus in epistola ad Lullum dicit, in generali Synodo de natalicio die Bonifacij & sociorum eius celebrando, constitutum esse.

Aut decreta ad gubernationem prouincialium Ecclesiarū necessaria facere. Bonifacius multa Concilia celebrauit, quorum unum Augustæ fuit: in quibus multas ordinationes, quib. Ecclesia uteretur, instituit. Mutius lib. 6 de rebus Germaniæ.

Ad Synodos archiepiscoporum aut uniuersales ire, aut pro se alios ablegare, ac in ijs pro se & suis subscribere. Ex Francia duodecim episcopi ad Concilium Romanum, à Stephano tertio conuocatum, uenerunt. Liber pontificalis. Iussu Imperatorum, omnes Pontifices ex unaquaq; regione & ciuitate proficiscuntur in regiam ciuitatem, ad œcumenicam Synodum. Ignatius in uita Tarasij. In actis Nicenæ secundæ, multorum episcoporum metropolitanorum mentio fit.

Monasteria consecrare, & tueri. Ludgerus Mymigardensis episcopus, subiecit Ecclesiam Helmenstetensem abbati Vuerdensi. Metropolis libro primo, capite decimo. Bonifacius monasterium Fuldense fundauit, & dedicauit, & regulam Benedicti in eo obseruari præcepit. Zacharias in epistola ad Bonifacium, tomo 2 Conciliorum.

Custodes erant disciplinæ monasticæ. Bonifacius in epistola ad presbyteros Angliæ, commonefacit monachos de officio.

Magistratus iussu legationibus fungi. Carolus Osnaburgensi episcopo priuilegia concedit, ut si fortè contingat ut Imperator Romanorum & rex Græcorum coniugalia fœdera inter filios eorum contrahere disponant, cum sumptu à rege uel Imperatore adhibito, laborem simul & honorem legationis istius assumat. Crantzius in metropoli libro primo, capite secundo, ex Caroli priuilegio.

Iudices probare, uel improbare. Carolus Magnus in Constitutionibus suis: Probati à metropolitano iudices, non spernantur.

DE CONSOCIATIONE
Ecclesiarum in pluribus Prouincijs.

IN Prouincijs quibusdam, metropolitani cum Ecclesijs suis subesse solebant uni alicui episcopo. Sed tamen id non ubique fuisse, constat ex epistola Bonifacij ad Zachariam: in qua indicat, Francos seniores testari, amplius quàm octoginta annis Synodum nullam in ea regione esse habitam, nec archiepiscopum isthic fuisse, nec iura Canonica scilicet Romanorum fundata aut renouata esse. tomo 2. Conciliorum.

¶ Sedes aūt archiepiscopales, quas Thronos appellat Synodus Nicena secunda, hæ ferè in historijs huius seculi celebrantur.

Hierosolyma. Patriarchæ Hierosolymorum mentio fit apud Reginonem lib. 2. Et in 3. actione Nicenæ 2. extat Theodori patriarchæ epistola.

Antiochia. Theophylacti patriarchæ Antiochiæ meminit Paulus lib. 22.

Alexandria. Cosmæ Alexandriæ patriarchæ meminit Paulus libro uigesimosecūdo rerum Romanarum.

Thessalonica. Summi Thessalonicensium sacerdotis meminit Zonaras tomo 3.

Sardinia. Thomæ archiepiscopi Sardiniæ mentio fit in actis Synodi Nicenæ.

Constantinopolis. Patriarchæ Constantinopolitani meminit Zonaras tomo tertio.

Et

Et Sigebertus,& Adon ætate 6. Beda epiſcopatum & pontificatum Conſtantinopolitanum uocat,quem Zonaras patriarchatum appellat. Et Metaphraſtes Taraſium archiepiſcopum uocat,in uita eius,tomo 5.

Roma. Stephanum papam patriarcham uocat autor uitę Crodegangi, in actis Metenſium. Leontius ſecretarius Imperatoris meminit archiepiſcopi Romani,in actione ſecũda Nicenæ ſecundæ.

Rauenna. Iohannis Rauennæ archiepiſcopi mentio fit in libro Pontificali.

Gradum. Antonini Gradenſis archiepiſcopi meminit liber Pontificalis.

Aquileia. Petro patriarcha Aquileienſis eccleſiæ mortuo, Serenus ſucceſsit. Paulus Diaconus libro ſexto,capite decimo de geſtis Longobardorum.

Mediolanum. Benedicti Mediolanenſis archiepiſcopi meminit Paulus ibidem.

Rothomagum. Egidius Rothomagenſis archiepiſcopus fuit: & Remigij meminit Sigebertus anno 751.

Apud Bituriges Ermenbertus, accepto pallio ab Adriano,conſtituitur archiepiſcopus: ut patet ex epiſtola Adriani ad Pipinum.

Laureacum. Auentinus lib.3 Annalium.

Moguntium. Nam Bonifacium archiepiſcopum Moguntinum uocat Regino libro ſecundo.

Treuiris. Nodoaldi Treuirenſium archiepiſcopi meminit Crantzius libro ſecundo,capite primo, in Saxonia.

Iuuauia. Archiepiſcopus enim eius Arno, pallium à papa Leone accepit anno Domini 798. Coſmographia Munſteri,& Auentinus libro quarto.

Bathauia. Exciſa urbe Laureaco, Vtilo dux Bauariæ, Viuilum iuſsit Bathauiã commigrare:eaq; urbs poſtea Laureacenſium archiepiſcoporum domicilium manſit. Auentinus lib.3 Annalium.

Vuormacia. Archiepiſcopatum Vuormaciæ ſub Gregorio tertio fuiſſe, Æditiuus in Chronico indicat: & Moguntiam translatũ eſſe per Bonifacium,narrat.

Colonia. nam Crantzius Hildebaldum Colonienſem uocat archiepiſcopum, in Metropoli lib.1.cap.5.

Metis. nam Stephanus papa Crodegangum pallio archiepiſcopi decorauit. Acta Metenſium.

Brema. nam Carolus Vuillehadum iſthic archiepiſcopum conſtituit. Crantzius in Metropoli.

Eboracum. Egbertus Eboracenſis archiepiſcopus, archipræſulatum nitori priſtino per recuperatum pallium reſtaurauit. Vuilhelmus lib.4. de Pontificibus:Balæus Centuria 2.capite 5.

Dorouernum. Athelardi archiepiſcopi Dorouernenſis meminit Leo, in epiſtola ad Cenulphum: Vuilhelmus libro primo,cap. 71. de Anglis.

Viennæ archiepiſcopatum Gregorius tertius inſtituit. Martinus,& Æditiuus in Chronico:Liber Pontificalis,tomus 2. Concil.

¶ Tituli iſtorum ſunt: Patriarcha. Germanus appellatur Patriarcha,in Chronico Iuonis,& à Zonara tomo 3.

Primas ueteris Romæ. Taraſius in epiſtola,actione 3. Nicenæ 2.

Summus ſacerdos. Zonaras tomo 3.

Præcipuus ſacerdos. Sic Paulus Diaconus appellat Zachariã libro ſexto,capite decimotertio de Longobardis.

Archiepiſcopus. Paulus lib. 6. cap. 10. de Longobardis. Et Thomæ archiepiſcopi Mediolanenſis meminit Regino lib. 2.

Summus paſtor. Sic appellatur Taraſius in Nicenæ 2, actione 1.

Papa. Adrianum ſanctiſsimum papam Baſiljus uocat,in actione 1. Nicenæ 2.

Archiflamen. Sic Carolomannus Bonifacium appellat,in edicto. Auentinus lib. 3.

Archymiſtes. Viuilus archimyſtes Laureacenſis. Auentinus lib. 3. Annalium.

Pontifex. Sic Zacharias uocatur apud Paulum Diaconum lib. 6. cap. 13. de Longobardis. Et Orientis epiſcopos Leontius Pontifices uocat,in actione 2. Nicenæ ſecundæ.

Archipontifex. Liber de uita Crodegangi,capite undecimo.

Nouum eſt, quòd Bonifacius ſe legatum Germanicum Apoſtolicæ ſedis appellat, in epiſtolis ſuis.

¶ Archiepiſcopi autem cõmuni omniũ ſuffragio eligebãtur, ut patet ex epiſtola Gregorij 3. ad Boios,apud Auentinum lib. 3. & edicto Carolomanni,apud Auentinum lib. 3.

Ordinari ſolebant uel à Pontifice Romano,uel ab alijs uicinis archiepiſcopis & metropolitanis. Zacharias papa Natuiæ epiſcopum ordinauit. Liber Põtificalis. Et Stephanus 3. Leonem archiepiſcopum Rauennatẽſem conſecrat. Liber Pontificalis.

Ac ſolebant metropolitani epiſcopi, ad ſedes archiepiſcopales transferri. Anno 2. imperij Artemij translatus eſt à Cyzico urbe metropoli Germanus Conſtantinopolim:in quo et commonitorium translationis,quod ſubinfertur,pronunciatum eſt, continẽs ita: Electione & approbatione religioſiſsimorum presbyterorum & diaconorum, totius uenerabilis cleri, ſacrique ſenatus, & amici Chriſti populi,conſeruandæ huius regiæ urbis diuina gratia, quæ ſemper infirma curat, & ea quæ non ſunt adimplet, tranſtulit Germanum ſanctiſsimum prę́ſulem Cizycenſiũ metropoleos,in epiſcopũ huius à Deo cõſer

uandæ ac imperatoriæ ciuitatis. Facta est pręsens translatio in præsentia Michaelis sanctissimi presbyteri, & apocrisarij Apostolicę sedis, & reliquorum sacerdotum ac præsulum, sub Artemio Imperatore. Paulus Diaconus libro uigesimo rerum Romanarum.

Ac alij plures, alij pauciores, sub sua diœcesi Ecclesias habebant. Bonifacius Moguntinensis metropolites, & Coloniensis ecclesię præfectus fuit. Balæus Centuria 2. cap. 13. Et Moguntũ & Coloniam in præcipuas stationes sibi reseruauit, è quibus prouinciales episcopos cõsilijs gubernauit. Hinc adeptę sunt duæ istæ urbes quendam in episcoporum aliquot stationes principatum, quem honorem Bonifacio debent. Curio lib. 2. Chronologiæ. Sidonius maximus Boiorum pontifex, fuit archiepiscopus Laureacensis, & episcopus Bathauiensis. Auentinus lib. 3. Sub Iuuauiensi esse iubetur Theodoricus episcopus Hunnorum. Auentinus lib. 4 Annalium. Et sub Gregorio 3 in Vuormacia fuit archiepiscopatus, habens sedecim episcopos suffraganeos, & uocabatur ciuitas Vangionũ. Æditus in Chronico. Rauennatium urbs multarum extat caput Ecclesiarum. Gregorius 3. ad Vrsum ducem Venetũ. Sabellicus Enneadis 8. lib. 7. Postquam Vuitekindus ad fidẽ uenit, Saxonia subacta in prouinciam est redacta, quæ diuersis temporibus in octo episcopatus diuisa, Mogũtino & Coloniensi archiepiscopis est subiecta. Saxonia Crantzij lib. 2. cap. 14. Dorouernensis archiepiscopatus 12 episcopos sub se habuit: sed Offa eum in duas parochias diuisit, cum cõsensu Adriani papæ. Verùm Cenulphus consulit ea de re Leonem papam, qui in integrum restitui iubet. Vuilhelmus lib. 1. cap. 70 & 71.

Ac erat inter illos episcopos ordo aliquis. Sic Eistetensis, cancellarius seu scriba sedis Moguntinæ fuit: & in Concilijs & cõuentionibus, à dextris archiepiscopi Mogũtini primum locum obtinuit: & à Moguntino uestẽ insignẽ, quam Rationale uocant, accepit: ut indicat Hartmãnus Schedel ętate 6. pag. 182.

¶ Officia eorum erant, Tueri cõsensum in pura & syncera doctrina: ut patet ex historia Tarasij, apud Ignatium. Idem in epistola ad Iohannem presbyterum tom. 2 Concil. inquit: Submittimus nos, ut per omnia Euãgelicis & Apostolicis & Patrum doctrinis inseruiamus. Ad hæc omnibus modis operam damus, ut quicunq; in sacerdotalem sortem adoptati sunt, ita cõseruentur & uiuant, quẽadmodum decet omnes eos qui in nomine Domini uocati sunt. Si uerò aliqui recusant præceptis horum stare, ego sanè cum illis nullam communionem habere uelim, alienusq; sum ab illorum animis.

Dare operam, ut sacra Scriptura in suæ gentis linguam transfusa, à plebe legi posit. nã id ut faciat Egbertus, Beda monet, in epistola ad ipsum.

Obscuriora in sacris literis dicta explicare. Sic Tarasius quosdam Psalmos Dauidis obscuriores ita exposuit, ut intelligi à lectorib. possent. Ignatius in uita eius.

Cauere, ne quis nouis opinionib. & phrasibus turbet Ecclesiam. Cutbertus in epistola ad Lullum queritur, quòd nouellarũ conuersationum prauæ ubiq; sectæ succrescant, propterea quòd postpositis antiquorum patrum decretis, ac legibus Ecclesiasticis relictis, multa iuxta proprias adinuentiones praua & nociua instituantur. Carolus Magnus in Constitutionibus suis Aquisgrani factis: Vestrum est, pastores & rectores Ecclesiarũ Dei, uidere, ut presbyteros quos mittitis per parochias uestras, ad regendũ per ecclesias populum Deo seruientem, ut rectè & honestè prædicent: & non sinatis noua, uel nõ Canonica aliquos ex suo sensu, & non secundũ scripturas sacras fingere, ac prædicare populo. Sed uosmetipsi utilia, honesta & recta, & quæ ad uitam ducunt æternam, prædicate: aliosq; instruite, ut hæc eadem prædicent.

Magistratus cõmonefacere, ut defendant sacerdotes contra hæreticos & paganos. Sicut facit Bonifacius in epistola ad Griphonem, Caroli Martelli filium: Obsecro & adiuro pietatem uestram, per Deum patrem omnipotentem, & per IESVM CHRISTVM filiũ eius, & per Spiritum sanctũ, per sanctam Trinitatem & unitatem Dei, ut si tibi Deus potestatem donauerit, ut adiuuare studeas seruos Dei, sacerdotes, presbyteros qui sunt in Thuringia, & monachos & ancillas Christi defendere cõtra paganorum maliciam, & adiuuare Christianum populum, ut eos pagani non perdant, ut ante tribunal Christi mercedem habeas perpetuam. Idem in epistola ad Volredũ petit, ut Pipinus dignetur suorum sacerdotum suscipere curam, ne post obitum suum dispergantur, & populus prope Marcam legem Christi amittat.

Extirpare hæreses, & errantes in uiam reducere. Bonifacius in epistola ad Lebeogytham: Pietatẽ Domini precamini, ut Spiritu principali cõfirmet cor meum Deus, qui me indignũ pastorem in populo uocari uoluit, ut lupo ueniente, more mercenarij non fugiam: sed exẽplo boni pastoris, agnos pariter cum matribus, Ecclesiam sanctam Catholicam cum filijs & filiabus suis, contra hæreticos & schismaticos uel hypocritas fideliter ac fiducialiter defensare studeam.

Idololatriam abrogare: ut patet ex epistola Bonifacij ad Danielem. Et Gregorius 2. in 3. epistola ad Thuringos, & in epistola ad Saxones, monet eos, ut idola colere sacrificijs

ficijs desinant. tomo secundo Conciliorum. Et Gregorius tertius in epistola ad Germanos, & Zacharias in epistola ad Bonifacium indicat, se Romæ auguria abrogasse: ac hortatur eum, ut idem apud suos faciat. tomo 2. Conciliorum.

Iuuare propagationem Ecclesiæ. Egbertus duodecim misit monachos in Frisiam, ut isthic plebem uera doctrina imbuerent. Non aliud Laureacensibus archiepiscopis Sidonio, Peregrino, Vniloni studium fuit, quàm dilatandæ religionis Christianæ. Lazius lib. 2. cap. 2. de Viennensium rebus. Gregorius 2. horratur Saxones, ut desistant à cultu idolorum & statuarum, & Deum uerum colant: in epistola ad Saxones.

Distribuere parœcias suæ prouinciç, & clericorum operas dispertiri. Per Dei gratiam populis Germaniæ aliquantulum correctis, tres ordinauimus episcopos, & tres parochias in tribus urbibus. Bonifacius ad Zachariam: Nauclerus generatione 25. Et Zacharias in epistola ad Vnilonem indicat, Bonifacium Boiorum prouinciam in quatuor parochias diuisisse, quç antea unum tantum habuerat episcopum. Vnde Auentinus inquit: Fauēte Vtilone, Boiaria in Ecclesiasticas diœceses & parochias diuisa est. Auentinus libro tertio Annalium. Virgilius Salisburgensis episcopus, Modesto episcopo Charinorum facit potestatem consecrandi templa, sacerdotes ordinandi iuxta patrum & maiorum consulta. Auentinus libro tertio. Bonifacius in Pannonia episcopos & diaconos constituit. Mutius libro sexto de Germania. Bonifacium Germaniam in tres parochias distinxisse, seu tres sedes episcopales constituisse, Herbipolensem, Bambergensem, & Erfordiensem, Hedio refert libro sexto, capite septimo: & cōstat ex epistola Bonifacij ad Zachariam, tomo secundo Conciliorum.

Cognoscebant causas suarum Ecclesiarum. Sic ad Theodorum Antiochiæ patriarcham ciues Epiphaniæ accusant episcopū suum Cosmam, de sacrorum uasorum abalienatione: quæ cum non posset restituere, cum Constantino se coniunxit. Paulus libro uigesimosecundo rerum Romanarum.

Inspectores erant morum, & minus rectè sese gerentes obiurgabant, & corrigebant. Tarasius multis ex ijs qui erant relati in numerum clericorum, qui suos lumbos zonis cingebant aureis, & ornati erant uarijs & preciosis uestibus sericis, aurum quidem ademit: fecit autem succingere lumbos cingulis contextis ex pilis caprarum. ijs uerò qui toti corpori ex ijsdem filis purpureas uestes habebant contextas, excogitat tunicas remotas à curiositate nimia & delicijs, ut quæ essent uestitus honestus, & cōuenirent ijs qui Deo seruire statuerunt, & profitentur humilitatem. Ignatius in uita Tarasij. Idem constat ex epistola eius ad Iohannem, tomo secundo Conciliorum.

Visitare Ecclesias. Vuillericus Bremensis, cum Verdensi in Transalbianam regionem, pro opportunitate penetrauit. Metropolis Crantzij libro primo, capite decimotertio.

Et iuxta Canones emendare ea quæ non rectè fiebant: ut patet ex Zacharię epistola ad Bonifacium, tomo 2. Conciliorum.

Ordinare episcopos metropolitanos, eosq; confirmare in suo episcopatu. Bonifacius ordinauit episcopos, & confirmauit missatores. Balæus Centuria secunda, capite decimo tertio. Idem Carolomanni rogatu Traiecti ordinauit episcopum, ut apparet ex Bonifacij epistola ad Stephanum. Nauclerus generatione uigesimasexta. Gregorius tertius in epistola ad Bonifacium: Ex uigore Apostolicæ sedis debes ordinare episcopos, pia tamen contemplatione, ne uilescat dignitas episcopatus. 16. q. 1. tomo 2 Conciliorum. Bonifacius Villibaldum Eistetensem episcopum ordinauit, & summum Cancellarium suum constituit. Balęus Centuria secūda, capite decimosexto.

Ac mandabant, ut illi qui sub metropolitanis erant, obedientiam & reuerentiam illis præstarent. Sic Germanus præcepit Theophilo Nacoliæ episcopo, ut suo metropolitę literas tradat, omnemq; honorem illi debitum tribuat, illiq; secundum sacerdotalem ordinationem se subijciat: actione tertia Nicenæ secundæ.

Minus idoneos ab officio deponebant. Sic Bonifacius Francorum sacerdotes multos remouit. Auentinus 3 Annalium.

Celebrare Synodos in sua diœcesi. Bonifacius celebrauit Synodos. Balæus Centuria 2. cap. 13. Brithuualdus primas Anglorum, Londini iussu Romani pontificis synodum celebrat. Balęus Centuria 1. cap. 91. Stephanus 3. ad Concilium Romanum conuocat Tusciæ & Campanię & Italię episcopos. Liber pontificalis. In Synodo sacerdotes omnium suffragijs cooptati, prauos & criminibus designatos exautorate, Concilia pro salute Christiani populi bis quotannis iuxta Danubium ubi libuerit cogite: in hisce controuersiæ & causæ omnium secundum Christi seruatoris legem, & placita Euāgelij, Pauliq; legati Christi scita cognoscantur. Gregogorius 3 in epistola ad Viuilum.

Aut etiam in alia, si rogabantur à magistratu. Sic Bonifacius à Carolomanno rogatus, Synodum in Francia celebrauit: ut patet ex epistola Zachariæ, ad eundem. Nauclerus generatione uigesimaquinta. Et deposuit ab

officio quosdam sacerdotes. Auentinus lib. tertio Annalium.

Et consentiebant archiepiscopi. Sic Bonifacius consensu archiepiscopi Cantuariensis, Londini Synodum celebrauit. Hedio libro sexto, capite uigesimoprimo.

Cum consensu & autoritate Imperatorū, indicere Synodos uniuersales. Sic Tarasius & Imperatores septimam synodum indixerūt. Zonaras tomo tertio, & actione tertia Nicenæ secundæ.

Proficisci ad synodos uniuersales, aut per literas & legatos suam excusationem uel sententiā afferre. Sic Tarasius patriarcha Constantinopolis, & Imperatores, conuocaturi septimam Nicenam synodum, Romam mittunt, & ad cæteros patriarchas, ac petunt ut uel ipsi ueniant, uel legatos mittant, qui suā uicem in synodo sustineant. Zonaras tomo tertio: Paulus libro uigesimotertio. Gregorius tertius ad Synodum Romanam uocat Antonium Gradensem, & Iohannem Rauennæ archiepiscopos. Liber pontificalis. Adrianus papa legatos & literas synodicas ad synodum Nicenam misit, quæ leguntur: ut patet ex actis. Idem fecit patriarcha Antiochenus, qui Thomam presbyterum, & Iohannem monachum ablegauit cum scriptis, quæ Imperator legi iubet in epistola sua, in actione prima. Tarasius in epistola ad Antiochiæ & Alexādriæ episcopos inquit: Sanctitatem uestram precamur, quo nobis simul cum epistolio uestro duo mittantur, qui uices uestras hic peragāt. Si quid autem ex Dei traditione hactenus, quod ad hoc argumentum facere possit, habueritis: uelim nobis declaretis, quo literæ uestræ synodicæ, & uicarij quoque à uobis missi, hi quidem cum gratia audiantur, illæ uerò legantur: atque id solum, ne amplius schisma aliquod in Ecclesia Dei maneat. Idem etiam hoc à primate ueteris Romę postulauimus. Vos autem fraternè nunc obtestamur, Apostolicamq; ad uos uocem eloquimur, ut cum Deo optima inuestigetis: & iuxta diuinam uestram speculationem, ea quæ inuestigata sunt, manifestetis. tomo secundo Conciliorum. Iohannes in secundo Niceno concilio, tenet locū trium thronorum, Alexandriæ, Antiochiæ, & Hierosolymorum.

In Synodis Oecumenicis, unus aliquis, aut plures, ex archiepiscopis solebant præsidere. Secundam Nicenam Tarasius Constantinopoleos patriarcha gubernare uidetur, actione prima. Ipse enim exponit, quo consilio ab Imperatoribus patres sint conuocati. tomo secundo Conciliorum.

In quæstionibus difficilioribus solebant abbatum & monachorum eruditorum sententias cognoscere. Sic Bonifacius Vuinfretum abbatem rogat, ut sibi libros & tractatus super epistolas Pauli cōmunicet: & quærat, ubi in scriptis Ecclesiasticis disputatum & iudicatum sit, capitale peccatum esse, cōmatrem ducere uxorem, sicut Romani æstiment.

Curabant bibliothecas: ut Beda libro quinto, capite uigesimoprimo de Acca Hugustaldensi episcopo refert. Egbertus Eboracensis archiepiscopus, nobilissimam bibliothecam in gratiam studiosorum instituit: unde Albinus libros in bibliothecā Turonensem transferri curauit, ut patet ex eius epistola, apud Balæum Centuria secunda, capite decimoquinto. Eanbaldo Eboracensi nō tam fortunæ dignitatem, quàm thesauros ueterum librorum gratulari Albinum in epistola, refert Balæus Centuria decima, capite uigesimoseptimo, ex Lelando. Benedictus Biscopius, comparatis hinc inde ex Italia & Gallia exemplaribus tum Latinis tum Græcis, bibliothecam copiosam instruxit in suo monasterio. Balæus Centuria secunda in uita eius.

Vt Ecclesijs & monasterijs census darentur, exigebant. Sic Bonifacius impetrauit à Francis, ut Ecclesijs & monasterijs ab unoquoque coniugio seruorum duodecim denarij redderentur: ut patet ex epistola Zachariç: Nauclerus generatione uigesimaquinta, & tomo secundo Conciliorum. Athelardus effecit, ut Egfridus priuilegia Ecclesijs restitueret. Vuilhelmus libro primo, capite septuagesimosexto.

Vnà cum alijs sacerdotibus & primatibus regni, eligere Reges seu Duces. A patriarcha populoq; Veneto, & à tribunis & proceribus, & cūcta plebe, Paulus Lucius dux Venetorum creatur Heracleæ. Bergomensis libro decimo. Ad creationem noui principis Bauariæ, ut mos est gētis, episcopi & monachi cum proceribus conueniunt. Auentinus libro tertio Annalium. In Anglicana synodo sub Adriano decernitur, ut sacerdotes cum senioribus populi Reges eligāt, sed non de adulterio aut incœstu prognatos: capite duodecimo.

Inaugurare Imperatores & Reges. Precibus à patriarcha peractis, Leo Constantinum filium suum coronauit Imperatorem. Zonaras tomo tertio. Et Anastasius patriarcha Nicephorum Artabasdi filium coronauit. Paulus libro uigesimosecundo. Idē Anastasius Leonē coronauit, libro eodem. Bonifacius Moguntinus Pipinum in regem unxit, & Childericum tyrānicè depositum, & populum ab eius fide absoluit, Romani pontificis autoritate. Regino lib. 2. Balæus Centuria 2. cap. 13, de Scriptoribus Britanniæ. Archis Beneuenti dux ab episcopis unctus & coronatus

coronatus

coronatus est. Leo Hostiensis lib.1.cap.10. de Casinensi cœnobio.

Regibus munera mittere. Bonifacius Ethelbaldo regi Merciorũ, pro signo ueri amoris, mittit accipitrẽ unũ, falcones duos, duo scuta, & duas lanceas. in epistola ad ipsum.

Iussu Imperatorum & regum ciuilia negocia tractare. Hierosolymitanus patriarcha iussu Cõstãtini ad Carolum scripsit, eumq; rogauit, ut Palęstinæ subsidium ferat contra Saracenos. Chronicon Æditui.

Cura disciplinæ monasticæ, etiam ad archiepiscopos pertinebat. Alcuinus in epistola ad Athelardum archiepiscopum Dorouernensem monet, ne Romam ad Carolum proficiscens, secum adducat clericos uel monachos uersicoloribus & pompaticis uestib. indutos: quod non soleant Francorum clerici, nisi religiosis uestibus amiciri. Vuilhelmus lib.1 cap.65.

In causis matrimonialibus, quid fieri iuxta Canones & pontificum decreta debeat, referre. Sic Zacharias in epistola ad Bonifacium inquit: Admonere & adhortari & increpare eos frater ne cesses, quatenus à tali scelesto recedant matrimonio, ut non inæternũm pereant. Tomo 2. Conciliorum.

Reliquias sanctorum curare, & prædicare. Patriarcha Hierosolymitanus Carolo per monachum misit reliquias de sepulchro Domini. Regino lib.2. Adon ætate 6.

Pugnare de iure & finibus suæ diœceseos. Benedictus Mediolanensis cũ Romano pontifice rixatur de Ticinensi ecclesia: sed uincitur ab illo potentia. Paulus libro 6. cap.10. de Longobardorum gestis. Et liber Pontificalis in Gregorio 2.

Postremò & hoc sciendum est, archiepiscopos, pręsertim Occidentis, propemodum oportuisse mancipia esse Romanorum Pontificum, ac eorum iussa & decreta exequi: ut patet ex ijs quę postea de operibus Antichristi dicemus.

DE CONSOCIATIONE, ET *mutuis officijs archiepiscoporum.*

Archiepiscoporum societas & coniunctio consistebat in conseruatione consensus, in doctrina & pacis & concordiæ, & disciplinæ Ecclesiasticæ, & alijs officijs, ad Ecclesiæ communem administrationem pertinentibus.

Hinc sunt illæ appellationes, quibus sese inuicem ornant: Coepiscopus. Gregorius 3. papa Bonifacium Moguntinum appellat coepiscopum, in epistola apud Auentinum lib.3. Annalium. Et Gregorius 2. in epistola ad Germanos, uocat coepiscopos: et in epistola ad Ethilbaldum. Item Guibertus Lullum coepiscopũ suum appellat, in epistola.

Frater. Zacharias in epistolis suis, Bonifacium sæpe fratrem uocat.

Seruus seruorum: quem titulum Gregorium Magnum primum inuenisse, superiorib. seculis est indicatum. retinuerũt autem eum etiam hac ætate pontifices Romani. Sic Gregorius 2. in epistola ad Germanos, uocat se episcopum & seruum seruorum Dei. Et Zacharias in 3. epistola ad episcopos Germaniæ, tom.2. Conciliorum.

Eo tamen etiam alij, præsertim pontificij, usi sunt. Sic Bonifacius se seruum seruorũ Dei appellat: in epistola ad Zachariã tom. 2. Conciliorum.

Symbolum uerò istius societatis erant, literæ synodicæ. Gregorius 2. misit synodicã ad Anastasium Constantinopoleos episcopum. Liber pontificalis. Et Iohannes Cõstãtinopoleos misit Gregorio 2. synodicam, cui rescripsit. Liber pontificalis. Synodicã Orientales episcopi ad Constantinũ papam miserunt, quam in ambone curauit populo prælegi: ut patet ex epistola Constantini ad Pipinum.

¶ Officia autem, quæ sibi inuicem archiepiscopi præstiterunt, hęc ferè colliguntur ex historijs.

In difficilioribus quęstionibus sententias cõtulerũt. Pleguinus Nortabrinus, orta quæstione de sex ætatibus mundi, Bedam consulit: ut indicat Balæus Centuria 2, cap. 8. Elipandus Toleti episcopus, per literas cõsulit Felicẽ episcopũ Orgellis, qd de humanitate Christi sentiendũ sit: utrũ secundũ id quod homo est, ꝓprius an adoptiuus Dei filius credendus & dicẽdus sit? Annales Francorũ, anno Domini 792. Germanus Cõstantinopoleos, cum episcopo Natoliæ cõtulit de ueneratione imaginũ: ut patet ex act.3. Nicenæ 2.

Bonifacius in epistola ad Pethelmũ coepiscopum inquit: De unaquaq; re consiliũ uestrum & responsum audire desideramus. Affirmant sacerdotes per totam Franciã, & per Gallias, nec non & per Hispaniã, maximi criminis reum esse hominem, qui in matrimonium acceperit illam uiduam, cuius antea filiã in baptismo adoptiuã suscipiebat. quod peccati genus si uerum est, hactenus ignorabam: & nec in antiquis Canonibus, neque in decretis Pontificum patres, nec in calculo peccatorũ Apostolos usquã enumerasse cognoui. qua de re si aliquid uspiam in Ecclesiasticis scriptis disputatum inuenissetis, nobis indicare curate: & quid uobis uideatur, nosse uelimus. Damascenus à Cosma rogatus, quæstiones difficiles hæreticorum explicauit: ut patet ex libro de conuersatione eius. Carolus Magnus libro tertio, capite undecimo. Debuerat Ecclesia Græcorũ, ad circumiacentium prouinciarum Ecclesias legationem sciscitatiuam facere, utrum imagines adorari

adorari aut non adorari deberent: & quidquid de hac re plures secundū Apostolicam institutionem tenere uellent Ecclesiæ, ipsa quoq; teneret.

Contra corruptelas doctrinæ & errores, ediderunt communes confessiones & refutationes, subscriptis suis nominibus. Chutbertus in epistola ad Lullum: Adhæc quia multæ subinde oriuntur hæreses, quid aliud in primis agere debemus, quàm ut indefinēter suffragia uenerabilium antistitum Ecclesiarum Dei postulemus?

De suo officio contra hæreticos, se mutuò commonefecerunt. Daniel instituit Bonifaciū, quomodo paganos confutare debeat: ut suo loco indicabimus. Adrianus Tarasium in epistola sua monet, ut pugnet contra eos quos ille uocat hęreticos, qui damnabāt cultum imaginum. actione 2. Nicenæ 2.

Et negligentes increpabant. Sic Beda Egbertum in epistola ad eundem satis apertè arguit negligentiæ: & monet eum de sacra Scriptura in Saxonicam linguam uertenda: & iubet eum cauere, ne specie ocij potius quàm uirtutis, monasteria à regibus & episcopis splendidè instituantur.

In errorem prolapsos, reuocare in uiam studuerunt. Sic Anastasius patriarcha conatus est per literas Stephanum secundum, cultū & adorationem imaginum defendentem, & Imperatori resistentē, in uiam reuocare: sed hanc gratiam reportauit, ut ab eo sit excōmunicatus. Blondus decadis 1. lib. 10. Tarasius eos qui uacillabant, rectius instituebat. Ignatius in uita eius, apud Metaphrasten. Adrianus in epistola ad episcopos Hispaniæ, Eliphandum & Velascarium, Christum filium Dei adoptiuum appellantes, & pascha cum Iudæis obseruantes, refutat: & nisi pœnitentiam agant, excommunicari iubet. Felix in Synodo Bauarica, ad erroris sui agnitionē adductus, eundem damnat & abdicat. Annonius lib. 4. cap. 83.

Communi consilio excōmunicarunt. Sic cōmuni sentētia Theodorus Antiochenus, & Theodorus Hierosolymitanus, & Cosmas Alexandrinus, cum episcopis sibi subiectis, die Pentecostes post lectionem Euangelij, singuli in sua ciuitate, uno eodemq; modo Cosmam Epiphaniæ episcopum ob sacrilegium anathematizarunt. Paulus lib. 22 rerum Romanarum.

De sui ordinatione, & confessione de doctrina, literas sibi inuicem miserunt, & eam ut legitimam approbarunt. Tarasius in epistola ad episcopos Antiochiæ & Alexandrię: Quandoquidem antiqua quędam obseruantia, imò uerò Apostolica traditio, in Ecclesijs diu obtinuit, ut illi q recēs assumpti fuissent ad summi alicuius sacerdotij gradus, illis qui & ante eos, & multis temporibus summi sacerdotij gradum obtinuissent, fidem suam exponerent: uisum igitur est mihi hęc sequuto, & me submittere uobis, & manifestè meę fidei cōfessionem apud uos exponere: quemadmodum à Spiritus sancti tubis, quarū sonus egressus est in omnem terram, & uerba eorum in fines orbis terræ, item à gregibus & ouibus eorum diuinis patribus nostris, à teneris unguibus didici. tomo secundo Conciliorum.

Ad synodos suas se inuicem admittebant. Bonifacius in epistola ad Egbertum archiepiscopum inquit: Obsecro, ut uestræ familiaritatis synodo unà cum seruis Dei mecum laborantibus adunatus esse merear: & sis mihi consiliarius & adiutor, in inquirendis & inuestigandis regulis ecclesiasticis iudiciorum Dei.

Libros sibi inuicem dedicarunt. Beda Nothelmo triginta Quęstiones in libros Regum dedicauit. Idem Vuithredo mathematico dedicauit libellum de æquinoctio. Vuilibaldus episcopus Eistetensis, uitam Bonifacij à se conscriptam offert censuræ Lulli Moguntinensis, & Megengardi Herbipolensis. Hedio lib. 6. cap. 21. Aponius rogatus ab Armenio presbytero, in Canticum Canticorum commentatus est, eiq; dedicauit.

Aut commodato sibi inuicem dederunt. Bonifacius Egberto mittit epistolas Gregorij, quas dicit se ex Romana bibliotheca accepisse: in epistola ad eundem. Idem à Nothelmo archiepiscopo petit, ut sibi interrogationum Augustini Anglicani & Gregorij responsionum exemplar mittat: & simul indicet, an capitulum illud, Quòd in tertia generatione fidelibus liceat matrimonia copulare, &c. uerè Gregorio attribuatur, an secus. Et Bugga abbatissa ad Bonifacium scribit, se passiones martyrum nondum potuisse procurare. Bonifacius petit à Daniele, ut sibi librum prophetarū, relictum ab abbate Vuinberto, mittat: in epistola. Et Cynehardus Ventanus episcopus à Lullo petit, sibi antiquos libros Ecclesiasticos & medicinales mitti: in epistola ad eundem.

Ministros Ecclesiæ commendarunt. Sic Daniel episcopus Bonifaciū in epistola commendat regibus, ducibus, episcopis, religiosis abbatibus & presbyteris.

Alij alijs eleemosynas & reliquias sanctorum, & alia munuscula miserunt. Bonifacius Danieli episcopo mittit casulam non holosericam, sed caprina lanugine mixtam, & uillosam, ad tergendos pedes: in epistola ad eundem. Idem Huerberto lectisternia caprina dono mittit: in epistola ad ipsum. Pethelmo coepiscopo suo corporale pallium, albis stigmatibus uariatum,

&

& uillosum, ad tergẽdos pedes seruorũ Dei, donat. Cynehardus Ventanus episcopus, Lullo mittit xeniola: ut patet ex epistola. & indumentũ de suo uestitu, sicut solebant sui antecessores Lulli prædecessoribus dare: in alia epistola ad eundẽ. Lullus pallam holo sericã Gutberto donat: in epistola ad ipsum.

Consilia cõferebant. Bonifacius in epistola ad Nothelmum archiepiscopũ inquit: Prę terea de uno peccato commisso, uestrũ consilium audire desidero, quod cuidam homini in matrimonio concedendo nesciens cõmisi, quod hoc modo cõtigit. Homo quidã, ut multi solent, alterius filiũ de sacri baptismatis fonte eleuãs, adoptabat sibi in filium, cuius matrem postea uiduatam marito duxit uxorem: quod Romani peccatum esse asserunt, & capitale peccatum, ita ut in talibus diuortia facere præcipiãt: & affirment regnãtibus Christianis Imperatoribus, illius matrimonij scelus capitali sententia mulctandum, uel peregrinatione perpetua delendũ: ut si hoc in catholicorũ patrum decretis uel canonibus, uel etiam sacro eloquio pro tam magno peccato computatum esse inueneritis, indicare mihi curetis: ut & ego intelligẽdo cognoscam, cuius autoritas sit in illo iudicio. Quia nullatenus intelligere possum, quare in uno loco spiritualis propinqtas, in coniunctione carnalis copulæ tam grande peccatum sit: quando omnes in sacro baptismate, Christi & Ecclesiæ filij & filiæ, fratres & sorores esse comprobemur. Idem in epistola ad Danielẽ petit consiliũ, de cõmunione sacerdotum paganis sese adiungentiũ. Bonifacius in epistola ad Egbertũ quærit consiliũ de sacerdote fornicario, qui dudũ post pœnitentiã in officiũ gradus sui à Francis iterum restitutus erat, utrum expediat omnes infantes sine regeneratoinis fonte mori, propter raritatem sacerdotũ: an uerò ipsum fornicariũ baptismum ministrare, & missas celebrare, cũ castiorẽ ministrũ habere nequeat. Scribit se audaciter præsumpsisse, & patienter consensisse, illum in ministerio diuino cõsistere: existimãdo leuius esse dubiũ, unius hominis periculum & audaciam, quàm ruinam & perditionem animarum penè totius populi.

Synodis uniuersalibus interfuerunt, ac cõmuni cõsilio de doctrina, de hæreticorũ refutatione & depositione, aut de restitutione, aut de ordinatione episcoporum, aut de dissensionibus componẽdis, aut de ceremonijs adęquandis, aut de iure metropolitanorum, de disciplina Ecclesiastica & monasteriorũ, aut de alijs similibus negocijs statuerunt: ut patet ex actis Synodi Nicenæ, cui Tarasius patriarcha Constantinopolitanus, & legati Romani & alij interfuerunt.

In Synodis solebant, in medio consessu, poni sacri & inuiolati Euangelij Dei codices: ut apparet ex actione 1. Nicenæ 2.

Literæ Synodicæ ab episcopis, in quibus testabantur de sua fide, in Synodos uniuersales mittebantur: addita petitione, de emẽdatione, si necesse sit. Sic Orientales episcopi, scilicet Hierosolymitani, Antiocheni & Alexandrini, inquiũt in 3 actione Nicenæ 2. in epistola sua: Has Synodicas literas cũ acceperitis patres, si quid in illis repertũ fuerit correctione dignum, petimus ut sine inuidia uestra nos reddatis participes, idq; literis rescriptis admonete.

Itẽ libelli confessionis offerebantur. Tres episcopi, Basilius Ancyranus, Theodosius Myrôn, & Theodosius Amorij ex concilio Ephesino, in quo damnatæ erant imagines, resipiscentes afferunt libellos de sua confessione. actione 1. Nicenæ 2.

Ad Synodos etiã monachi sunt admissi: ut patet ex actis Nicenę 2. nam Thomas pręses monasterij S. Arsenij, quod est in Ægypto, tenuit locum trium Orientalium diœcesium, ibidem.

Contentiones, quantum fieri poterat, uitabant. Tarasius in epistola ad Antiochiæ & Alexandriæ episcopos, in actione 3 Nicena inquit: Absit contentio & seditio lõgissimè à nobis: & quemadmodum uno baptismo tincti summam unamq; fidem habemus, ita quoq; in omnibus Ecclesiasticis negocijs unum animum studeamus habere.

Acta in Synodis promulgari solebant, & ad omnes episcopos & sacerdotes scribi. Sic Synodus Nicena in epistola sua ad sacerdotes omnium Ecclesiarum inquit: Dignũ fuisset, & uestram deuotam præsentiam reb. omnibus interfuisse, quo omnem à Deo electam nostram congregationem uno in loco inueniretis, & per Dei gratiã spectatores fieretis omnium quæ acta sunt: ita & dissertationis uim quoq; cognouissetis, quæ in confirmationem legaliũ Ecclesiæ catholicæ traditionum, & destructione eorum qui insurrexerunt cõtra ueritatem, & Apostolicas & patrum traditiones ab Ecclesia catholica alienarunt, facta est. Sed quoniam inter nos & uestram sanctitatem & humidũ iter est, & longa terrestris uia, duabus rebus opus fuit: nauibus scilicet, & iumẽtis, quibus deferri possetis. At quoniam utrorumq; copiam nõ habentes, nobis corpore adesse non potuistis: certum est, uos mente & animo idem sentiente nobis adfuisse: quod sanè Ecclesiæ Catholicę magnum adiumentum existit. Quandoquidem autem inter nos membra sumus, habentia unum caput Christum Dominum nostrum: necessarium duximus, omnem eorum quæ diuinè apud nos acta sunt, seriẽ narrare. to. 2. Concil. Et Tarasius in epistola ad

Adrianum

Adrianum papam exponit, quid in Concilio Niceno sit actum.

Communes literas ad reges & principes scribebant, monentes eos de suis peccatis. Sic Bonifacius archiepiscopus, legatus Germanicus Romanæ Ecclesię, & Vuera, & Burchard, & Vuerbrecht, & Abel, & Vulbach coepiscopi, scribunt ad Ethilbaldum Angliæ regem, ipsumq; ob libidines reprehendunt satis asperè & grauiter. has uerò literas Herefrido presbytero mittunt, eiq; iniungunt, ut regi prælegat: ut patet ex epistola ad eundẽ. Nos octo episcopi, qui ad unam Synodum conuenimus, quorũ nomina subter annotauimus, in commonitione, frater charissime, deprecamur, ut uerba admonitionis nostræ Ethbaldo regi Merciorum interpretando & recitando annuncies: & eo modo & ordine, quo ad te scripta transmittimus, sollicitè enumerando & prædicando illi indicaueris. & notum sit charitati tuæ, quia hęc uerba admonitionis nostræ, ad illum regem propter nihil aliud direximus, nisi propter purã charitatis amicitiam: & quòd de eadem Anglorũ gente nati & nutriti, hic uerò bonis & laudibus gentis nostræ lætamur & gaudemus, peccatis autẽ eius & uituperationibus eius tribulamur & cõtristamur. Item: Si hoc scelus maximum uerum sit (scilicet de Anglis, quòd more equorũ ruant in promiscuos coitus) rogamus omnes cõmuniter supradictũ regem, ut semetipsum cum populo corrigat, ne tota gens cũ principe hic & in futuro pereat: sed ut uitam propriã emendando & corrigendo, exẽplis suis iterũ gentẽ propriã ad uiam salutis dirigat: & unde peccatum antè contraxit, inde mercedẽ mereatur æternam.

Hortabantur alios ad scriptionem cõmentariorum in sacra Biblia. Beda in prologo super Samuelem, ab Acca antistite dicit sese excitatum esse, ut prophetę istius scripta literis mandet. Idem in prologo libri primi in Marcum repetit.

Sese inuicem consolabantur. Chutbertus cum suis consacerdotibus, presbyteris & abbatibus, ad Lullũ & cooperatores ipsius scribit epistolam, in qua consolatur eos de obitu Bonifacij, & ad constantiam hortatur. Bonifacius consolatur Danielem de amisso uisu, in epistola ad eundem.

Decreta ueterum & probatarum Synodorum tutati sunt. Sic Tarasius in oratione ad Imperatores, apud Metaphrasten inquit: Respirant sacrarum Synodorum pura decreta, quę Euangelicis seruãtur traditionibus, nec sustinent in æternũ ullo modo posse surripi. In Nicena altera, confirmantur ab omnibus decreta sex Synodorum uniuersalium, sed septima reijcitur: ut patet ex actis. Quæcunq; patribus pro tempore super fundamentum Apostolorũ & prophetarũ ædificare placuit, recipimus: quæ uerò secus habẽt, ut hostilia respuimus. actione 6. Nicenæ secundæ: Et in Anglicana Synodo sub Adriano decernitur, quòd omnes debeãt Nicenæ synodi fidẽ amplecti, atq; ob eam, si necessitas postulet, mortem oppetere. cap. 1.

Noui si quid fuit, mutuò sibi indicarunt. Bonifacius Gregorio 3 indicauit, ad centum millia animarũ ad sinũ matris Ecclesiæ à se, præsidio Caroli aggregata esse: ut patet ex epistola 2 Gregorij 3, tomo 2 Concil.

Alius pro alio orauit. Bonifacius rogat Nothelmũ, ut pro se cũ suis oret: in epistola ad eundẽ. Idem petit à Daniele episcopo, in epistola ad ipsum. Et ab episcopis & catholicis de stirpe Anglorũ postulat, ut pro se & Ecclesia sua orent. Idem à Pethelmo coepiscopo, in epistola ad eundem, poscit. Tarasius in epistola ad sacerdotes & episcopos Antiochiæ & Alexandriæ, petit pro se orari: actione 3. in Nicena 2.

Nouum est, quod primũ hoc seculo Bonifacius inuenit, & eius discipuli imitati sunt: ut episcopi & abbates inter sese fraternitatẽ, sicut uocabant, colerent: quæ consistebat in mutuis orationibus, & missarũ celebrationibus pro uiuis et mortuis, quorũ etiã nomina sibi inuicẽ solebant mittere. Constant hęc ex epistola Bonifacij ad Opparũ abbatẽ, & Buggã abbatissam: & ex Cynehardi Ventani episcopi ad Lullum: ubi inter alia indicat, se nomina presbyterorũ, diaconorumq;, ac monachorum uel monacharum, cęterorumq; quę miserat, per monasteria & parochias diœcesis suæ direxisse, ad celebrandũ pro eis missarũ solennia, & orationũ suffragia: petens ut Lullus idem de suis, quæ miserit, faciat. Et ex epistola Eardulphi Rofensis episcopi ad Lullũ. Et Alhredus rex in epistola ad Lullũ, mittit ei nomina proximorum & amicorum suorum: & petit, ut in orationibus missarũq; celebrationibus, Dei patrocinijs cõmendentur: ac promittit se curaturum, ut in cunctis monasterijs sibi subiectis, pro nominibus à Lullo transmissis idem fiat.

Hanc necessitudinẽ & coniunctionẽ sępe schismata & dissensiones in doctrina & ceremonijs dissoluerũt. Nã omnes Anglicanas Ecclesias cũ Pictis & Scotis fuisse coniũctas, exceptis Britonibus, qui alio tẽpore Pascha celebrabant, circiter annũ Domini 731. apparet ex Beda lib. 5, cap. 24. Gregorius 2 missa Synodica ad Anastasiũ, de cultu imaginũ à se dissidentẽ, nõ censuit eũ fratrẽ aut cõsacerdotẽ. Liber Põtificalis. Et sub Cõstãtini & Irenes imperio, Orientis episcopi, doctores Occidẽtis & Cõstantinopolitanos excõmunicabant quotidie. ad id dissidiũ tollendũ, indicta est Synodus Nicena: ut cõstat ex actis.

DE ROMANI PONTIFICIS *principatu & tyrannide, seu de operibus Antichristi in regimine Ecclesiastico.*

ROmanos pontifices supra omnes non modò metropolitanos, sed etiam archiepiscopos caput suum extulisse, & tandem principatum super omnes ecclesias seu episcopatum Oecumenicum consecutos esse, superiori seculo cõmemorauimus. Nũc autem quomodo sese Antichristus ille in tẽplo Dei sedens, pro Deo ostentauerit, & uerè filium perditionis egerit, gloriamq; & potẽtiam huius mundi acquisierit, sese supra eos qui dicuntur dij, hoc est supra magistratũ eleuauerit: & super bestiam, hoc est Imperium Romanum ascenderit, obseruandum est. Id uerò non aliunde rectius, quàm ex operibus eius cognosci & iudicari potest: quorum aliqua ex magno cumulo historiarum recensebimus.

Suum principatum contra eos qui oppugnare uidebantur, non cessauit confirmare decretis, ad eam rem in Synodis promulgatis. Adrianus, in decretis Nigelramno episcopo Mediomatricum traditis: Sedes Romana ueritatis uoce primatum obtinuit: nec prima diceretur, si aliã super se haberet. Quæ etiam caput est omnium Ecclesiarum, à quo omnes sumpserunt originem. Primatũ enim non Synodalibus aut aliquibus commentis meruit institutis, sed Domino largiente, qui ait: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & reliqua talia, & his similia. Quibus si aliquis superbo spiritu obuiauerit præceptionibus, non exeat impunitus, sed status sui periculo subiacebit. tomo 2. Conciliorum.

Et professione sua. Paulus papa ad Crodegangum episcopũ Metensem inquit: Nobis, quãuis indignis, uniuersalis totius mundi Ecclesia, uice sancti Petri est commissa. Liber de uita eius, cap. 11. Adrianus in epistola ad Tarasium, in actione 2 Nicenæ 2: Cuius etiam sedes, per totum orbem primatum obtinens lucet, omniumq; Ecclesiarum Dei caput existit. Vnde & ipse beatus Petrus apostolus, Dei iussu Ecclesiam pascens, nihil omnino prætermisit, sed ubiq; principatum obtinuit, & obtinet: cui etiã & nostræ beatæ & Apostolicæ sedi quæ est omnium Ecclesiarũ Dei caput, uelim beata uestra sanctitas ex syncera mẽte & toto corde agglutinetur, utpote quæ reuera sit recte sentiens, & pietatis incorruptæ conseruatrix. Tomo 2. Conciliorum. Et Zacharias in epistola ad Pipinum, sese appellat episcopũ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ. Stephanus papa in epistola ad Pipinum, gratias agit, quòd sanctam omnium Ecclesiarũ Dei matrem, & caput & fundamentum fidei Christianæ, Romanam Ecclesiam, ab hostium metu liberauerit. Eadẽ Paulus in epistola sua ad Pipinum habet. Adrianus in epistola ad Carolum: Nos omniũ Ecclesiarum pastoralem curam habentes, diuina præcepta uiolari non sinimus.

Et scriptione literarum ad omnes episcopos omnium prouinciarũ: qualis est Gregorij 3. in qua commendat Bonifacium, tom. 2. Conciliorũ. Et altera ad omnes Germaniæ populos. Et Adrianus ad omnes episcopos Hispanos literas scripsit.

A' Romana ecclesia discedẽtes saluari posse negant. Adrianus in epistola ad Hispanos, Romanam ecclesiam aliarum omnium caput nominat: & qui se ab hac abscindit, hunc extorrem à Christiana religione fieri dicit.

Et suis mandatis ac decretis ita obtẽperari uoluerunt, quasi è diuina Petri uoce essent prolata. Adrianus 25. q. 1. sic ait: Generali decreto constituimus, ut execrandũ anathema sit, & uelut præuaricator fidei catholicæ semper apud Deum reus existat, quicunq; regũ seu episcoporũ uel potentum deinceps Romanorum pontificum decretorum censurã in quoquã crediderit uel permiserit uiolandam. Chronicon Antonini titu. 14. cap. 1. §. 5. Zacharias in epistola ad Bonifacium: Nulli post hæc liceat, ea quæ à nobis sancita sunt, aliquo modo uiolare: quę autoritate B. Petri firma esse decreuimus.

Nec à quoquam iudicari uoluerunt, licet innumerabiles animas secũ ad inferos deducere uideantur. Sic enim Bonifacius, adulator Põtificius omniũ maximus, dixisse annotatur distinctione 40. Si papa suæ & fraternę salutis negligens deprehenditur, inutilis & remissus in suis operibus, & insuper à bono taciturnus, quod magis officit sibi & omnibus, nihilominus innumerabiles populos cateruatim secum ducit primo mancipio gehẽnæ, cum ipso plagis multis inæternũ uapulaturus, huius culpas isthic redarguere præsumit mortalium nullus: quia cunctos ipse iudicaturus, à nemine est iudicandus, nisi deprehendatur à fide deuius: pro cuius perpetuo statu uniuersitas fidelium tanto instantius orat, quanto suam salutem post Deum ex illius incolumitate animaduertit propensius pendère. Adrianus in epistola ad Carolum: Quanta autoritas B. Petro Apostolorum principi, eiusq; sacratissimæ sedi concessa est, cuiquam non ambigimus ignorari: utpote quæ de omnibus Ecclesijs fas habeat iudicandi, neq; cuiquam liceat de eius iudicare iudicio, quoniã quorũlibet sententijs ligata Pontificum sedes B. Petri apostoli ius habebit soluendi, per quos ad unam Petri sedem uniuersalis Ecclesiæ cura conflueret,

ret, & nihil unquam à suo capite dissideret.

Apparitionum, uisionum, somniorum & illusionum diaboli, ad confirmandas superstitiones extra uerbum Dei, approbatores, præcones & dictatores agebant. Sic Constantinus Brituualdo Anglorum primati seuerè mandauit, ut collecta Synodo Londini, apparitiones Eguuini Vuiccij de cultu imaginum singulis commendaret: & mortuorum imagines adorandas, & missas ante illas celebrandas constitueret: anno Domini 712. Balæus Centuria 1. capite 91. in Appendice, & capite 99.

Promulgatores librorum, in quibus opiniones fanaticæ traduntur. Sic Gregorius tertius dialogos Gregorij primi, pro confirmando purgatorio, publicari mandauit. Balæus Centuria 2. cap. 5. in Appendice.

Ecclesias Orientis & Occidentis distraxerunt. Zacharias enim Orientalem Ecclesiā ab Occidentali sciunxit, & sacerdotalem habitum inuenit. Balæus lib. 3. de Actis Romanorum pontificum.

¶ Honorarunt deos alienos, nimirum sanctos mortuos, argento & auro, & translatione, & ostensione. Paulus papa corpus Petronellæ, filiæ Petri, unà cum marmoreo sepulchro ex uia Appia in Vaticanum transtulit solenni pompa. Platina. Et Gregorius 3. in basilica Petri oratorium fecit, in quod posuit reliquias sanctorum, & festa ijs instituit. Liber Pontificalis. Apostolorum caluarias cum alijs reliquijs sanctorum, ferri & ostendi iussit Stephanus secundus. Balæus in uita eius, & Liber Pontificalis. Tota Italia Leoni Isauro supplicatorias literas misit, pro erigendis Imaginibus sanctorum. Idem Gregorius 3. fecit. Liber Pontificalis.

Accensione candelarum & lampadū. Zacharias uiginti libras auri annuatim ad oleum conferri iussit. Liber Pontificalis. Vt esset nouū idololatriæ genus. Balæus lib. 3. de Actis Pontificum.

Et Baalismo. nam Gregorius tertius instituit, ut ferè sine interuallo & à presbyteris hebdomadarijs, & à monachis in Ecclesia Petri diuina officia celebrarentur. Platina in uita eius. Et Paulus papa omnibus requiescētibus sanctis assiduè laudes persolui à monachis statuit. Liber Pontificalis.

Et adoratione. nam Stephanus secūdus profecturus ad Pipinum, commendat se beatæ Mariæ & Petro. Liber Pontificalis. Et Zacharias in epistola ad Bonifaciū inquit: Beatus apostolorum princeps Petrus, cooperetur tibi in omnibus bonis, quæ ei pārere desideras. Stephanus in epistola ad Frācos, promittit eis ab ipso Petro remissionem peccatorum, pro defensione sibi præstita.

Defectione ab Imperatore Constantinopolitano, & legitimo suo magistratu. nam eā solum ob causam Philippicū, Leonem, Constantinum Copronymum damnarunt hæreseos, ac ab eorum obediētia Occidentem auulserunt, & dignitatem Imperialē ad Francos transtulerunt Pontifices, ut imaginum uenerationem & cultum defendarent. Fasciculus temporum. Idem constat ex Diacono, Sigeberto, Reginone, & alijs.

Canones suos strictè obseruari uoluerunt. Zacharias in epistola ad Bonifacium inquit: Nō aliud te agere uolumus, quàm quòd præcipiunt Canones, uel etiam ab hac Apostolica sede instructus esse dinosceris. tomo 2 Cōciliorum. Et Gregorius tertius in epistola ad Boios inquit: Cum Ecclesiasticis opibus ita fieri par est, sicut Gregorius antecessor meus statuit. Auentinus lib. 3. Zacharias in epistola ad Bonifacium: Sic omnibus prædica, omnesq; doce, sicut à sancta Romana accepisti Ecclesia. tomo 2 Conciliorum. Adrianus in Synodo Anglica per legatos præcipit, ut decreta ex uniuersalium Synodorū cum decretis pontificum Romanorum sæpius lectitent, & iuxta exemplar eorum Ecclesiæ status corrigāt: cap. 4. Ibidem priuilegia à Romana sede in Anglicanas Ecclesias collata seruari imperat: cap. 8.

Suo principatui resistentes, muneribus & beneficijs expugnabant, & sibi deuinciebāt. Sic Paulus papa monet Pipinum, ut Marinū presbyterum, qui cum legato Imperiali consilia Romanæ sedi contraria machinatus fuerat, episcopum consecrari curet, & in una aliqua ciuitatum suarum constituat, quatenus perpetrati sceleris sui recordans, se iniquè egisse pœniteat.

Aut episcopos & archiepiscopos sibi repugnantes accusabant ad Reges, eorumq; brachio eos opprimebant. Adrianus in epistolis suis, Longobardos episcopos in partibus Thusciæ, & Italiæ, de finibus episcopatus litigantes, item Leonem Rauennatem grauissimè accusat.

Archiepiscopis leges dictabant, & quid faciendum esset præscribebant. Sic Bonifacius in epistola ad Zachariam dicit, sibi Pontificem apostolicum præcepisse, ut populorū quoscunq; uisitasset, conuersationem & mores sedis Apostolicæ Pontifici indicaret. Et Zacharias in epistola ad Bonifacium, quæ extat apud Nauclerum Generatione 25, præscribit ei, quomodo uisitare debeat ecclesias sub Carolomanno. Zacharias in epistola ad Bonifacium inquit: Virgilium philosophum à templo Dei & Ecclesia depellito, sacerdotio in Concilio abdicato, si illam peruersam doctrinam fuerit confessus. Auentinus libro 3. Annalium.

Ac eos, si quid præter uoluntatem eorum fecissent,

fecissent, reprehendebant. Sic Gregorius 3. reprehendit Serenum episcopum Massiliensem, quòd imagines confregisset.

Ac in ijs excōmunicandis, celeres & praecipites erant. Gregorius 2. cùm intellexisset, Anastasium successorem Germani, Constantinopoli damnare cultū imaginum, non censuit eum fratrem: & interminatus est ei depositionem & excōmunicationem. Liber pontific. & Platina. Stephanus 3. minatur excommunicationem Michaeli Rauennati, nisi sedem relinquat. Platina.

Archiepiscopos ordinandi & confirmādi potestatē sibi solis arrogabant. Benedictus Mediolanensis archiepiscopus Romā uenit, & causam egit pro ecclesia Ticinensi: sed uictus est, eo quòd à priscis tēporib. Ticinēses episcopi à Romana ecclesia fuissent cōsecrati. Paulus lib. 6. cap. 10. de gestis Longobard. Et Gregorius Bonifacium archimysten Germaniç declarauit. Auentinus libro 3 Annal. Ac quia per eū Pipinum unxit regē Frācorū Vuormaciç: ideo Bonifaciū & Mogūtinum archiepiscopū, secūdum à pōtifice Romano censeri, indicat Hartmānus ætate 6. Et Balçus asserit, Bonifaciū testari, se à papa secundū esse: cent. 2. cap. 13. Marianus Scotus. Bonifacium legatū Germaniç, & Moguntū caput & metropolin à papa & ducib. Franciæ designatū, indicat Auentinus lib. 3. Archimystes cōmuni omniū suffragio deligatur, isq; cōtinuò Romam eat, ut si dignus fuerit qui populo Christi præsit, à Romano pontifice consecretur. Gregorius 3. in epistola apud Auentinum libro 3. Zacharias in epistola ad Vuittam: Hoc interdicentes, ut nullus audeat ex alio episcopatu translatari, aut ordinare episcopum, post uestram de hoc seculo euocationem, nisi is qui Apostolicæ nostræ sedis in illis partibus præsentauerit uicem. tomo 2 Conciliorum.

Sedes episcopales & archiepiscoporū, pro suo lubitu uel instituebant, uel cōfirmabant priuilegijs, uel in alia loca trāsferebāt. Bonifacius in castro Vuisiburch, in honorē Chiliani, cuius reliquiç Athalongo cæco uisum restituisse fabula erat, episcopalem sedē cōstituit, priuilegijs acquisitis à pontifice, anno 746. Sigeb. Epistola Zachariæ ad Bonifacium apud Nauclerū generat. 25. & 2 tomo Conciliorum: Statuimus per Apostolicā autoritatē, episcopales illic sedes, quæ per successiones episcopos mereantur, & populis præsint: nimirū in Mersenburg, Bamberg, & Erfurd. Itē de trib. episcopis singulas confirmationes misimus, quas per sanctitatis tuæ manus eis largiri uolumus. Item, de ciuitate illa quæ nuper Agrippina uocabatur, nunc uerò Colonia, iuxta Francorum petitionem, per nostræ autoritatis præceptum, nomini tuo metropolin confirmamus, & tuę sanctitati direximus pro futuris temporibus, eiusdem metropolitanæ ecclesiæ stabilitatem. Leo papa archiepiscopatum Batauiēsem & Laureacensem, Iuuauiam transtulit. Auentinus lib. 3. Bonifacius iussu papæ archiepiscopatum Vuormaciæ transtulit Moguntiam, ob cædem Gerbilonis, qua ultus erat necem patris sui. Chronicon Aeditui. Stephanus papa Crodegangum Metensium episcopum pallio archiepiscopali ornat: eiq; facit potestatem, per totā Galliam episcopos ordinādi, & cū stola ubiuis eundi, & crucem ante se præmittendi. Liber de uita eius, cap. 11. Zacharias Coloniam ciuitatem metropolitanā designat, & cōfirmat, & Bonifacio subijcit: in epistola ad ipsum, tomo 2 Cōcil.

Sine suis literis cōmendaticijs neminem uolebant sacerdotio pręfici, ut Zacharias ad Frācorum principes scripsit: sicut indicat in epistola ad Bonifacium, tomo 2 Concil.

Archiepiscopos & episcopos quos ordinabāt, iureiurando ad obedientiā & reuerentiam præstandā deuinciebant. Vnde Bonifacius inquit in epistola: Gregorius papa dum me indignum ordinauit, & ad prædicādum uerbum fidei Germanicis gentibus misit, sacramēto me cōstrinxit, ut canonicis & iustis episcopis & presbyteris in uerbo, in facto, in cōsensu adstipulator & adiutor fierē.

Et regibus cōmendabant, ut maiori in honore eos haberent, quàm alios. Adrianus in epist. ad Carolum: Petimus, ut Petrum à nobis ordinatum episcopum exaltare dignemini. Sic enim decet, ut qui ab Apostolica sede ordinatus fuerit, omnibus in honore Canonicæ institutionis, sicuti mos antiquitùs fuit, partibus illis præcellat.

Præ se ferebant, quasi alijs archiepiscopis potestatem soluendi & ligandi conferrent, autoritate Petri, ut ita paulatim clauium ius ad sese traherent. Sic Leo papa in epistola ad Cenulphum ait: Athelando Dorouernēsi archiepiscopo, ex autoritate beati Petri, cuius uicem gerimus, talem præbuimus præsulatum, ut si quispiam ex subiectis suis tam regibus & principibus, quamq; ex uniuerso populo transgressus fuerit Dominica mandata, excommunicet eum, usq; pœniteat: & si impœnitens fuerit, sit uobis sicut ethnicus & publicanus. Malmesburiensis libro 1. capite 71, de Anglis.

Archiepiscopos sibi subiectos emungebant argēto, quod sibi deberi ratione subiectionis dictitabant. Sic Constantinus pontifex, Felicem Rauēnatensem, qui pecuniariam præstandæ subiectionis obligationem integram dare detrectabat, impugnauit: ut refert Blondus libro 10. decadis 1. Ac Bonifacius in epistola ad Zachariam indicat, se

ei munera mittere pro iudicio charitatis & obedientiæ, & deuotionis, uillosam unam, & argenti & auri tantillum. tomo secundo Conciliorum.

Ad gentes uel nondum cōuersas, uel nondum iugo pontificio subiectas, miserunt episcopos, eisque in mandatis dederunt, ut eas suo charactere imbuerent, & suo dominatui subijcerent: & hos seruos & legatos Apostolicæ sedis dixerunt. Sic enim Bonifacius de se dicit in epistola ad Zachariam tomo secundo Conciliorum. Hoc fine Grego gorius Bonifacium misit in Germaniam, ut patet ex eius epistolis, & formula iuramenti, quam in capite de Ceremonijs adscripsimus. Ea de re Balæus Centuria decimaquarta, capite trigesimo primo inquit: Gregorius secundus Romanus pontifex, Bonifacium suum longè antea designauerat Apostolum, ut omnia ad Romanæ synagogæ formam cōmutaret, & Germanos ad ipsum potius quàm ad Christum conuerteret: sicut in Anglia Augustinum Romanum monachum simili apostolatu fecisse olim legimus. Et ualde sollicitus erat Bonifacius ille, in ea functione, super papæ, non Christi regno promouendo: & nihil Christianū tunc credebatur, quod non è Roma uenisset. Fidem meam (in præstito papæ iuramento inquit) atque cōcursum, tibi & utilitatibus tuæ Ecclesiæ exhibebo. Et ad Zachariam papam in suæ legationis epistola: Quantoscunque audientes uel discipulos in hac legatione mihi Deus donauerit, ad obedientiam Apostolicæ sedis inclinare non cesso. Vnde ad Papæ utilitatem, reliquias uenerandas exposuit, purgatoriū prædicauit, oblationes pro mortuis in missis offerri iussit. Centum millia hominum Bonifacius charactere pontificio in Bauaria signauit: atq; terrore magis, quàm pia doctrina, Antichristi regno agglutinauit. idem Centuria secunda, capite decimotertio.

Ac quasi dictatores & imperatores, postularunt suos legatos suscipi, eisque obediri. Sic Gregorius secundus in epistola ad populos Germaniæ, quæ extat apud Auentinum libro tertio, inquit: Flagito, atque iure nostro postulo, ut Bonifacium tanquam legatum & nuncium Christi Dei, & imperatoris nostri, benignè excipiatis. Et minatur excommunicationem omnibus qui sese ipsius conatibus aut successorum eius opponant: apud Nauclerum generatione uigesimaquinta. Eundem etiam Carolo Martello commendat, apud Auentinum libro tertio. Et Zacharias Gallos & Francos iubet Bonifacio parêre. Auentinus libro tertio. Idem Sidonio & Vergilio minaces scribit literas, eosque iubet Bonifacio legato suo obtemperare. Auentinus libro tertio Annalium. Et Bonifacius ipse in epistola ad Stephanum secundum inquit: Gregorij duo, & Zacharias, me semper hortatione & autoritate literarum suarum muniebant, & adiuuabant. Nauclerus generatione uigesimaquinta. Et Gregorius secundus in epistola ad Germanos inquit: Si quis famulo huic ad illuminationē gentium, ab hac Apostolica sede destinato, assensum uel concursum præbuerit, exorantibus Apostolorum principibus, consortia mereatur sanctorum.

Eisque potestatem dederunt Apostolica autoritate, episcopos & presbyteros, quos uelint, ordinandi: & qui non placeant, deponendi: ut patet ex epistola Gregorij tertij ad populos Germaniæ, tomo 2. Concil.

Et quouis terrarum loco docendi, & uice Apostolica episcopos constituendi. Gregorius tertius in epistola secunda ad Bonifacium: Nec enim habebis licentiam, frater, pro iure cœpti laboris in uno loco morari: sed confirmatis cordibus fratrū & omnium fidelium, qui rudes sunt in illis Hesperijs partibus, ubi tibi Dominus aperuerit uiā, salutis uerbum prædicare non desistas. Non pigeat itinera capere aspera & diuersa, ut Christiana fides longè lateque tuo conamine extendatur. Hac Apostolica potestate fretus Bonifacius, scripsit epistolam ad Ethelbaldum regem Merciorum, ut indicat in epistola ad Ecbertum. Vuilhelmus lib. 1. capite sexagesimoquinto, de Anglis.

Distribuerunt suis mancipijs regna huius mundi, & gloriam eius. Sic Zacharias Buchoniam regionem Romano imperio subditam, Bonifacio donauit, cōsentiente Pipino & Carolomanno, & alijs principibus: ut refert Valentinus Muntzer ætate tertia, in Chronographia. Et Gregorium secundum in Moguntina sede, Bonifacium metropolitico iure totius Galliæ principem ac episcopum constituisse, Hartmannus narrat ætate sexta, & Auentinus lib. tertio Annalium. Gregorius secundus in epistola ad Thuringos, ex quatuor portionibus bonorū ecclesiasticorum, Bonifacio unā attribuit: tomo secundo Concilorum. Et Gregorius tertius in epistola ad Boios: Opportunū est, inquit, uos nosse fratrem ac episcopum præsentem Bonifacium nostram uicem agentem, cum digno & debito honore pro Christi nomine suscipere. tomo secundo Concilorum.

Et priuilegia quædam concesserunt. Sic Zacharias Bonifacio seni permisit adsumere coadiutorem, eumque in extrema hora uitæ suæ cum consensu aliorum designare successorem: quod aliàs de iure nulli cōceditur episcopo aut prælato. 7.q.1. cap. Petijsti.

Petijsti. Antoninus titulo 14.capite 1. § 7. tomo 2 Conciliorum.

Ac eos afflictos consolati sunt. Sic Adrianus Vuillehadū & Ludgerum, à Vuitekindo pulsos, consolatus est, cum Romā uenissent. Saxonia Crantzij libro 2. capite 14.

Ac eos defenderunt strenuè contra oppugnatores. Sic Zacharias Albertum & Clementem Bonifacij aduersarios damnat, in epistola ad Bonifacium, tomo 2 Cōciliorum. Adrianus in epistola ad Carolum rogat, ut Mauricium Histriensem episcopum restituat in integrum.

Et Ecclesiasticos uiros à dicenda causa in ciuili foro & iudicio liberarunt. Nam Adrianus sanciuit, ne clericus extra suum forum in iudicium traheretur. Balæus libro tertio de Actis pontificum. Et Zacharias in synodo Romana, capite duodecimo prohibet, ne clerici contendentes, litem ad politicos uiros referant, sed ad episcopum, aut ad Papam.

Fornicationum & libidinum Romani cleri agebant patronos. Adrianus in epistola ad Carolum, excusat & defendit sacerdotes Romanos, qui ad Carolum accusati erant, de libidinibus & fornicationibus.

Benedictiones suas, ut rem maximi momenti, impertiebantur regibus & ducibus, pro acceptis beneficijs. Paulus in epistola ad Carolum & Carolomannum, suas benedictiones eis impertit largissimè. Idē in epistola ad exercitum Francorū, benedictiones distribuit ijs qui pro se strenuè pugnauerāt.

In pallio consecrando, eoq; alios episcopos irretiendo, mira astutia & uafricie usi sunt. Leo papa Arnoni archiepiscopo Iuuauiensi misit palliū, anno Do. 798. De pallijs & archiepiscopis à Romana ecclesia petendis, Bonifacius Francos monuit, pontificis iussu, ut patet ex epistola eius ad Zachariā: Iure tibi sacri pallij direximus munus, quod beati Petri apostoli autoritate suscipiens induaris: atq; inter archiepiscopos unus, Deo autore præcipimus, ut censearis. Gregorius 2. in epistola secūda ad Bonifacium. 16. q. 1. & Auentinus libro tertio, & tomo secundo Conciliorum.

Idem in reliquijs Sanctorum, & alijs rebus donandis & communicandis, egerunt. Gregorius secundus tres spongias benedictas misit Eudoni Aquitaniæ episcopo. Liber pontificalis. Zacharias papa Alberto & Occario, Comitibus limitis Pannonici, quos Franci Margrauios uocabant, reliquias mittit Quirini & Hippolyti. Lazius libro 2. capite secundo, rerum Viennensium. Leo pontifex Padeburnēsi ecclesiæ reliquias Stephani contulit in dedicatione, & indulgentias multas de largitate primæ sedis in diem anniuersarium octauo Idus Decembris dedit. Crantzius in Metropoli libro primo, capite undecimo. Gregorius in epistola sua Carolum adiurat, per claues confessionis Petri, quas ei ad regnum direxisse dicit. Paulus benedictionis causa Pipino mittit appallaream unam, spatam ligatam in gemmis cum baltheo suo, annulum unum habentem hyacinthum storacin, pallium unum habentem paones. Annonius libro quarto, capite 57 de gestis Francorum, narrat, Gregorium Carolo misisse claues sepulchri, & uincula Petri, & alia munera, ea conditione, ut Romanam ecclesiam à Lōgobardorum tyrannide liberaret. Idem postea Leonem fecisse, libro eodem, capite octuagesimosexto indicat: qui claues Petri & uexillum Romanæ urbis, & alia munera Carolo misit, & rogauit ut populum Romanum ad suam fidem & subiectionem per sacramenta firmaret.

Ad se appellantes, suscipiebant benignè: & plerunque una tantùm parte audita, muneribus sancto Petro oblatis, sententiam pronunciabant pro sceleratissimis. Ad Zachariam Romanum pontificem prouocant Sidonius Laureacensis archiepiscopus, & Vergilius Iuuauiensis, cùm dissentirent à Bonifacio. Auentinus libro tertio Annalium. Et Bonifacius in epistola ad Zachariam papam inquit: Episcopi & presbyteri generis Francorum, qui fuerunt adulteri, uel fornicatores acerrimi, quos filij fornicationum arguunt, reuertentes ab Apostolica sede dicunt, sibi Romanum pontificem licentiam dedisse, ut antea, ministrare. Verùm nos contrà contendimus, quia Apostolicam sedem cōtra decreta Canonum nequaquam audiuimus iudicasse. apud Nauclerum generatione 25. tomo secundo Conciliorū. Et Gregorius 2. in epistola secunda ad Bonifacium, negat presbyterum illum, qui dixerat se à pontifice absolutum esse, uera dixisse: ac iubet eum uitari. tomo secundo Conciliorum.

Et politicis uiris mandabant executionē suæ sententiæ. Gregorius 2. Carolum monet, ut in Thuringia sacerdotem ab officio remoueat, qui negligenter suum munus curabat: ut apparet ex Gregorij 2. epistola 2 ad Bonifacium, tomo 2 Conciliorum.

Ecclesias à iure pontificio liberas, oppresserunt, & sibi subiecerunt penitùs. Nam sub annum septingentesimū, Rauennatensem, Aquileiensem, & Mediolanensem, quę antea nunquam sub ipsorum potestate fuerant, subegerunt: ut patet ex Papæ epistola ad Vrsum ducem Venetum, apud Sabellicū. Nec obstat, quòd Platina & alij adulatores pōtificij nugantur, istas ecclesias antea fuisse

Romanæ subditas, sed postea se ab eius obedientia subtraxisse. Catalogus testium ueritatis. Stephanus tertius papa, ecclesiam Mediolanensem, quæ hucusque extiterat libera, suæ tyrannidi subiecit. Balæus in Actis pontificũ libro tertio, & Liber pontificalis. Et Felix Rauennatis archiepiscopus, solita, quæ ab uniuersis in scrinio episcoporum fiunt, indicula, & fidei expositiones, confessus est: sicque à Constantino papa reconciliationis promeruit absolutionem. Liber pontificalis. Ticinensem ecclesiam Gregorius secundus eripuit Benedicto, Mediolanensi episcopo, eamque sibi subiecit. Liber pontificalis, & Paulus libro sexto, capite decimo, de Longobardis. Hinc Balæus inquit: Ticinensem episcopum metropolitano suo Mediolanensi archiepiscopo rebellem Constantinus papa non ei reconciliauit, sed Romanæ sedi furtiuè subiecit. Libro tertio de Actis pontificum.

Ad sese iubebant difficiles controuersias & quæstiones referri. Sic Zacharias in epistola ad Bonifacium inquit: Tua fraternitas, si quid decæterò euenerit, ut sacri docent Canones, studeat emendare in plebibus sibi commissis. Si uerò noui aliquid acciderit, quod tua fraternitas per Canonum statuta minimè discernere possit, huc non pigeat nunciare, ut quæ ad emendationem nouæ plebis esse possint, tibi absque tarditate respondere maturemus. tomo secundo Conciliorum: Nauclerus generatione uigesimaquinta. Sic Bonifacius inter alias quæstiones etiam illam, quando lardum sit comedendum, Gregorium seu Zachariam interrogauit, qui respondet: tunc esse edendum, cum uel fumo siccatum, uel alioqui coctum fuerit. tomo secundo Conciliorum. Et Gregorius secundus in epistola ad Bonifacium inquit: Si qua grauiora, quàm ut à te ritè beneq; perfici queant, inciderint, ad me deferto. Item: Docendi Francos, & à malis falsisq; sacerdotibus purgandi prouinciam, nostro iure tibi demando, apud Auentinum libro tertio Annalium. Zacharias in Synodo Romana capite 12. episcoporũ lites ad sedem Romanam iubet deferri, & secus facientes damnat.

Ad quæstiones sibi oblatas respõdebant. Sic Zacharias in epistola ad Pipinũ respondet ei, & episcopis ipsius, ad quæstiones uigintiseptem. Adrianus ad quæstiones Egilæ episcopi Hispanorum respondit: ut patet ex epistola ad ipsum.

Vt sibi gratiam conciliarent apud exteras nationes, quibusdam Romæ locum habitatationis concesserunt. Sic cum Saxones & Longobardi Romam religionis ergò confluerent, uicum eis pontifex concessit. Liber pontificalis: & Blondus decadis secundæ, libro primo.

Monachorum ordinem altius euexerunt, quo in regno Antichristi promouendo essent expeditiores. Zacharias papa Cassinensi cœnobio priuilegia & ornamenta dedit, & abbatem confirmauit & consecrauit. Leo Hostiensis de Cassinensi cœnobio. Et nullius iuri nisi pontificis Romani id cœnobium uoluit esse subiectum: ibidem. Et abbati eius primum locum, præ omnibus alijs in synodis episcoporum tribuit: ibidem.

Ac plerunque eorum opera in legationibus usi sunt. Adrianus abbatem Sabinensem, cum alijs decem senioribus monachis, ad Desiderium misit, precatum ut ab armis discedat, & ablata restituat. Antoninus titulo decimoquarto, capite primo, §. sexto. Blondus decadis secundæ, libro primo: & Liber pontificalis.

Ac monasterijs libros & priuilegia & alia contulerunt. Sic Zacharias Petronaci Cassinensi abbati libros sacros, & regulam Benedicti, & alia quædam necessaria & utilia donauit. Paulus libro sexto, capite decimotertio, de Longobardis. Et Zacharias monasterium à Bonifacio fundatum, Fuldense nimirum, priuilegio sedis Apostolicæ munit: in epistola ad Bonifacium, tomo secundo Conciliorum.

Reges & principes in monachorum ordinem legerunt. Zacharias Carolomannum monachum totondit. Leo Hostiensis libro primo, capite septimo. Phrysingensis libro quinto, capite uigesimo. Idem Rachin Longobardorum regem monachum fecit: libro eodem, capite octauo.

Synodos cõuocabant, anno Domini 714. Sedulius Britannorũ, & Fergustus Scotorũ episcopi, in generali Synodo Romę fuerũt, Gregorio secundo ad S. Petrum sedente: ubi constitutũ fuit, missarũ celebritates publicè in ecclesijs fieri, quod antea non erat uisum, ut Sigebertus habet. Balæus centuria 1. cap. 91. Stephanus tertius à Pipino petijt, ut Romam mittat episcopos ad Synodum. Blondus decadis secundæ, libro primo. Gregorius tertius episcopos Hesperiæ Romanã ad Synodũ Romanã uocat. Liber pontificalis.

Aut alijs cõuocandi potestatẽ se conferre dicebant. Sic Gregorius 3. in epistola ad Bonifaciũ, ei potestatem facit Augustæ celebrãdi Synodum. Nauclerus generatione 25. Et Zacharias & Bonifacius Cuthbertum Magesethum Synodum cõuocare iusserunt, anno Domini 744. Balæus Centuria secunda, capite 14. Adrianus misit Cleophylacium & Stephanum ad Carolum Magnum, & iussit

iussit ut Germanorum & Francorum synodum colligeret. Blondus decadis secundæ libro primo. Et Gregorius secundus episcopis Bauariæ Iuggo, Ridolto, Philiphilo mandat, ut bis quotannis celebrent Synodos. Hedio libro sexto, capite septimo. Gregorius tertius in epistola ad Bonifacium: Ne labor noster frustrà sit, iuxta Danubium conuentus conciliaq; more Christiano celebrari iubeo. Auentinus libro tertio Annalium. Et Zacharias in epistola ad Bonifaciũ, iubet eum uice sua quotannis in Francia celebrare synodum. tomo 2 Conciliorum.

Et acta in ijs, sua autoritate cõfirmabant & promulgabant. Sic Stephanus ea quæ in synodo Romana acta erant, & uoce apocrisarij, & scripto promulgauit: pœna anathematis constituta in uiolatorem. Platina.

Et in synodos in alijs locis indictas, suos legatos mittebant: eisq; ut principem caperent locum, mandabant. In septima synodo Niceæ celebrata, Petrus archipresbyter, & Petrus monachus, nomine Romani pontificis intersunt: ut patet ex actis.

Nec tamen assentiebantur, ut alij synodos conuocarent, quos sciebant à sua sententia abhorrere. Adrianus enim inquit in epistola ad Tarasium: Quod si non perspecta mihi esset, & probè cognita erga sacras Synodicas sex constitutiones & uenerandas imagines, uestra synceritas & orthodoxa fides, nequaquam ad synodum cõuocandam assentiremus. actione 2. Nicenæ 2.

Synodos sine consensu & præsentia sua conuocatas & celebratas, damnabant: ut pa tet ex Adriani epistola ad Tarasium, in 2. actione Nicenæ synodi: In primis autẽ uestra sanctitas pijssimis & triumphatoribus nostris Imperatoribus, sine trepidatione inducat in animum, ut falsam congregationem illam, sine consensu ac præsentia Apostolicæ sedis, cõtra omnem patrũ uenerabilium traditionẽ, cõtra uenerandas imagines, sine ordine & debita conuocatione factam, execretur, & anathematizatam præsentibus apocrisarijs nostris cognoscat, quo omne zizaniũ ab ecclesia eradicetur, & IESV Christi Domini nostri uerbũ impleatur, cum ait: Et portæ inferorum nõ præualebunt aduersus eam. Et alibi: Tu es Petrus, &c. tomo secundo Conciliorum.

Acta in synodis, ubi ipsi non interfuerant, rescindebant, & damnabant. Sic ecclesia Romana condemnauit episcopos, qui interfuerant synodo à Constantino Copronymo Imperatore indictæ, contra cultum imaginum. Martinus in Chronico.

Ex scrinijs suæ ecclesiæ, communicarunt Historicis libros, quos pro suo arbitrio facilè potuerunt corrumpere, ad potestatis suæ ampliationem & confirmationem. Sic Nothelmus Londinensis, permissu Gregorij secundi perlustrauit scrinia ecclesiæ Romanæ: ac de Ecclesiæ Anglorum origine, regulis & decretis, & epistolis ad Augustinum apostolum missis, scripta inuenit: & ordine digesta, ad Bedam, ut Chronico suo insereret, misit. Balæus Centuria secunda, capite octauo. Et constat ex Bonifacij epistola ad Nothelmum, scriniarios Romanæ ecclesiæ negasse, in Gregorij responsionibus ad quæstiones Augustini, capitulum illud esse, quod apud Anglos habebatur, de permisso matrimonio in tertio gradu cognationis. Et Paulus Pipino misit Antiphonale, & Responsale, Artem grammaticã Aristotelis: Dionysij Areopagitæ geometriam, orthographiam, grammaticam, omnes Græco sermone: ut patet ex epistola Pauli ad Pipinum.

Suas ceremonias alijs Ecclesijs obtruserunt. Sic Romana missa, autoritate Imperiali, & decreto Synodi Romanæ, alijs populis est obtrusa: ut constat ex Actis, & cap. Adrianus. distinctione sexagesimatertia, ut Bibliander annotat ex Durandi Chronologia. Stephanus secundus, Gallorum Ecclesias cantilenis onerauit. Liber pontificalis, & Balæus. Paulus papa nouas ceremonias ad dedicationes ecclesiarum inuenit. Balæus in uita eius. Adrianus papa monet Egilam Hispaniæ episcopum, de ieiunio in sexta feria & sabbato celebrando. Et inter alia inquit: Si doctrinam sanctæ Catholicæ & Apostolicæ ecclesiæ Romanæ secutus fueris, non timebis mala: quia fortissimus autor, ac eius fundator beatus Petrus, clauiger regni cœlorum, tecum est usque ad finem, Domino pollicente, Ecce ego uobiscum sum, &c. Idem in epistola ad Hispanos monet, ut eodem tempore, quo Romana ecclesia, quæ omnium Ecclesiarum sit caput, Pascha celebrent.

Magna diligentia & cura prospexerunt sibi, ne quis à suis ceremonijs & doctrina recederet. Gregorius tertius in epistola ad sacerdotes Bauariæ: In omnibus, quemadmodum à Bonifacio edocti estis, agite, oues sedulò pascite. Et Gregorius secundus in epistola ad episcopos Germanos dicit, Bonifacio se mandasse, ut Apostolicæ sedis doctrina imbuat eos, quos fortè aberrare repererit. tomo secundo Conciliorum. Et Zacharias præcipit Bonifacio, ut sua uice quotannis in Prouincia Francorum concilium celebret, ut unitas & disciplina Ecclesiastica & Apostolica ubique in illis partibus dilatetur, & ueri catholici fiant, & caueatur ne quid aduersum pontificios moueatur. tomo secundo Conciliorum.

Extruendis, instaurandis & ornãdis templis, omnes Pontifices huius seculi operam dederunt: ut patet ex uitis eorũ, & Crantzij Metropoli libro secundo, capite primo.

De suis precibus pro regibus sibi addictis, magnificè gloriabantur. Adrianus in epistola ad Carolum inquit: In aula Apostolica ob uestrorum delictorum ueniam, sedulò à nobis, & cunctis Dei sacerdotibus, orationum opera diuinæ proferũtur maiestati.

Auxerunt opes ecclesiæ Romanæ. Omnia opera Pontificũ sunt aut in lapidibus, aut in templis, aut in tectis ædificandis, aut in imaginibus elaborandis, aut in augendis opibus Ecclesiæ, aut in excommunicandis Imperatoribus, & similibus nugis: sed in proprio ministerio episcopi nunquam, aut rarò uersantur. Robertus Barus in Adriano primo. Gregorius secundus coegit Luitprandum Italiæ regem primò renitentem, donationes iniustas Ariperti ad cleri luxum, ratas habere. Balæus in uita eius. Cum Carolus Magnus in Italiam uenisset, Longobardi à Desiderio deficiunt, & Romano pontifici amplissimus eorum ducatus subijcitur. Blondus decadis secundæ, libro primo. Zacharias in scripto suo, & per legatos à Constantino petijt, sibi donari duo oppida, quæ erant publici iuris, nimirum Nursas & Normas: & impetrauit. Antoninus titulo decimoquarto, capite primo. §. secundo: & Liber pontificalis.

Et sibi donata, aut raptu acquisita bona, ut possessores malæ fidei, subinde confirmari à regibus curarunt. Sic Adrianus à Pipino & Carolomanno ecclesiæ Romanæ donata, & à Carolo Magno aucta, sedulò sibi à Carolo confirmari, scripto manu ipsius exarato, & ab episcopis, abbatibus & ducibus & præfectis subscripto, & super altare beati Petri posito, postulauit, & impetrauit. Leo Hostiẽsis libro primo, capite decimoquarto, de cœnobio Casinensi. Ac Adrianus toties in epistolis ad Carolum monet eundem, ut promissis suis satisfaciat.

Formulas fidei imperatoribus præscribere conabantur, etiam non admodum bonas. Sic Zacharias binos ex Romano clero presbyteros ad Constantinum Copronymum ablegat, ut ei offerant formulam catholicæ fidei, ac postulent assensum. fuit autem in ea formula, ut colligitur ex historijs, etiam de cultu & adoratione imaginum. Blondus libro decimo, decadis primę.

Magistratus remouebant à iure confirmandorum episcoporum, ut sibi eam potestatem solis acquirerent. Sic Adrianus in epistola ad Carolum negat, legatos eius electioni Rauennatis episcopi unquam interfuisse: & asserit, Rauennates semper ab Apostolica sede archiepiscopos petere: & rogat eum, ne credat linguis aduersus sanctã Romanam catholicam Ecclesiam garrientibus.

Nullam cuiquam fidem seruare, sed simulando & dissimulando decipere etiam Reges solebant. Sic Paulus Desiderio recepit, quòd uellet agere cum Pipino, ut ipsi obsides restituat. Verùm ille contrarium facit: & Pipinum orat, ut Desideriũ constringat, & uel coactus pollicitationi suæ satisfaciat, sanctoque Petro omnia restituat: ut constat ex epistola ad Pipinum.

Equitare in bene saginatis equis. Nam cùm Carolus Adriano misisset duos equos, & alter in itinere mortuus esset, rescripsit ei rogans, ut ossibus & plenitudine carnis decoratos sibi equos mitteret in posterum, ac mercedem à beato Petro acciperet: ut uidere est in epistola eius ad Carolum.

Leges ciuiles dictitarunt. Adrianus quintus, quæstione sexta: Omnis qui alijs falsa intulerit, puniatur, & pro falsitate ferat infamiam. Qui calumniam illatam non probat, pœnam debet incurrere, quam, si probasset, reus utique sustineret. Idem distinctione quinta, quæstione sexta: Delatori, id est falso accusatori, lingua capuletur, aut conuicto caput amputetur. Idem distinctione quinta, quæstione prima: Qui in alterius infamiam publicè scripturam, aut uerba contumeliosa confinxerit, & repertus scripta non probauerit, flagelletur. Et qui eam prius inuenerit, rumpat, si non uult autoris facti causam incurrere. Idem distinctione quinta, quæstione tertia: In criminalibus causis nec accusator aliquem, nisi per se, accusare potest: nec accusatus per aliam personam se defendere permittitur.

Vt episcopus iureiurando se purget in crimine, quod non potest liquidò per testes probari: Gregorius tertius in epistola ad Bonifacium tradit, tomo secundo Conciliorum. Zacharias iubet de Sclauis exigi censum, ne sibi aliquando propriam uindicent terram: & ut dantes tributum, norint terram dominatorem habere. tomo secundo Conciliorum.

Tractare de Regum & imperatorum connubijs. Irene mittit ad pontificem Romanum, legatum suum, qui ageret cum Pontifice, ut suam autoritatem interponendo, efficeret apud Carolum Magnum Francum, ut se uxorem duceret: Dotem fore Romanum imperium, sicque Carolum fore dominũ Occidentis & Orientis. Pontifex intelligens è re sua fore, Carolum, suum mancipiũ, quàm potentissimum etiã esse, agit diligentissimum internuncium, nihil omittens quod ad rem perficiendã putauit ide-

idoneum. Mutius libro 7 Chronicorū. Stephanus secundus, in epistola ad Carolum & Carolomannum, multis rationibus ipsis dissuadet, ne de Longobardorum gente uxores accipiāt: quia sit gens perfida, & fœtida, & lepræ obnoxia.

Reges peregrè aduentantes, ad cōuiuium inuitabant. Zacharias Luitprandum Longobardū ad prandiū uocat, ut Apostolicā benedictionem suscipiat. Liber pontificalis.

Et honorum nudos titulos, pro magnis muneribus illis reddebant. Sic Pipinus propter munera ecclesiæ Romanę oblata, & defensionem contra Aistulphum, Patricius Romanus constituitur. Leo Hostiensis libro primo, capite nono, Casinensis cœnobij: & Martinus in Chronico.

Fœdera cum potentioribus regibus inibant. Adrianus cum Carolo Magno fœdus facit, de perpetua amicitia, & socijs armis contra hostes. Blondus decadis secundæ libro primo. Meminit eius Adrianus in epistola ad Carolum, ubi rogat, ut in sponsione, ante sacram Petri confessionem sibi facta, permaneat.

Aut aliàs sese in eorum amicitiam insinuabant. Sic Stephanus in epistola ad Carolomannum petit, ut sibi liceat filium eius ex baptismate suscipere. Idem Paulus in epistola ad Pipinum petit, in qua eum compatrem uocat, & uxorem eius commatrem.

Si qua noua accepissent, eis communicabant. Sic Paulus Pipino misit literas, quas acceperat ex Alexandria, ut patet ex epistola ad ipsum. Et Constantinus papa eidem Synodicam Orientalium episcoporum mittit, in epistola sua. Adrianus Carolo nunciat de morte Imperatoris Constantinopolitani. Idem in alia epistola indicat, Persas & Græcos esse discordes.

Dissidia inter reges sibi profutura excitabant. Sic Stephanus secundus, ut exarchatum Rauennatensem acciperet, inter Aistulphum & Pipinum dissidium excitat. Blondus decadis primæ libro 10. Annales Francorum. Phrysingensis libro 5. capite uigesimosecundo.

Et ea acceptis muneribus componebant. Sic Gregorius 2. Longobardum & Spoletinum & Beneuentinum duces reconciliat, ut illi armillas, baltheum, ensem, & reliqua arma, templo principis Apostolorum offerāt. Platina. Thrasamundus dux Spoletinus, rogatu Zachariæ, in gratiā à Luitprando recipitur, & in clericum ordinatur. Platina.

Imperatores & reges leui occasione excommunicarunt. Nam eo quòd Imperator Philippicus picturas, continentes gesta & decreta sex Synodorum uniuersalium, deleri, & Sanctorum statuas & imagines ex omnibus templis eradi iussisset, Constantinus papa uetuit, ne nomen Imperatoris aut chartas, aut figuram solidi numismatis susciperent, nec eius effigiem in Ecclesiam introducerent, nec nomen eius in Missis usurparent. Paulus libro sexto, capite undecimo, de Longobardis. Gregorius tertius pacem nactus, congregata synodo, Imperatorem non modò communione, sed etiam Imperiali dignitate priuat: anno Domini septingentesimo trigesimoprimo, & septingētesimo trigesimotertio. Sigebertus. Pōtifex igni & aqua Thassiloni interdixit, eo quòd Hunnos in Bauariam attraxisset. Aemylius libro 2. de Francis.

Ius inaugurandi & deponendi reges, ad se traxerunt: & quos uoluêre deposuerunt, & alios unxerunt, non sine obligationibus Romanæ sedi fructuosissimis. Sic Stephanus papa, cùm proceres regni Franciæ petijssent ab eo, ut Hilderico ob ignauiam regnum abrogaret, & Pipino & successoribus eius cōferret (Crantzius in Saxonia libro primo, capite trigesimoquarto: Auentinus libro 3 Annalium) Pipinum marescalcum Frāciæ creat regem, & filios eius, priori rege Childerico attonso, & in monasterium incluso: ac iuramento quo Pipinus ipsi obstrictus erat, dissoluto. Paulus libro uigesimosecundo, anno Domini 752. Sigebertus: Hostiensis libro primo, capite nono. Et proceres Francos autoritate à Petro sibi tradita adstrinxit, ut nunquam de altera stirpe, quàm de Pipini posteritate, & de consensu Romani pontificis, regem sibi designarent. Regino libro secundo. Adrianus duos filios Caroli reges coronauit, anno Domini septingentesimo octuagesimoprimo. Annales Francorum, & Regino. Et quamuis in ea consecratione usus est opera Bonifacij Moguntini episcopi: tamen ut sibi ius illud raperet, ad se omnia retulit, quasi sua autoritate mancipium illud egisset. Schedelius ætate sexta. Gregorius tertius pontifex, misit Stephanum presbyterum ad Rachisium, Longobardosque, sua sequutos arma: admonens eos, ne Desiderio quem appellasset regem, aduersarentur. Blondus decadis secundæ libro primo. Et iubet Rachisium regno cedere, ac monasterium ingredi, ni uelit fulmine excommunicationis feriri. Mutius libro 7.

Imperatores & magistratus incitare ad defensionem & propagationem cultus imaginum. Nam Adrianus in epist. ad Constantinū sic scribit: Nostra exiguitas Imperatoriā uestrā maiestatem, cū omni humilitate obsecrat, sinat aliquando recordationis causa

erigi in ecclesias sacram IESV Christi, iuxta incarnationem humanitatis imaginem: ponatur in aula Dei similitudo eius sanctæ matris, sanctorum quoque & beatorum Apostolorum, prophetarum, martyrum & confessorum, & ex animi desiderio eas ueneremur, quemadmodum à sanctissimis patribus, maioribus nostris, probatissimisque pontificibus, nobis à multis seculis traditum est. Reliquum est, ut mansuetudo Imperatoria, in partibus illis Græciæ hoc idem imperet, & orthodoxam fidem confirmet. actione secunda Nicenæ secundæ, tomo secundo Conciliorum. Et postea: Obsecramus ex animi feruore uestram mansuetudinem obtestando, & ueluti præsentes genibus aduoluti, & coràm uestigia pedum uolutando, ego cum fratribus meis coram Deo supplico, obtestor, adiuro, quo sacras imagines in ipsa Deum colente & regia urbe, & in utrisque Græciæ partibus, in pristinum statum restitui & firmari iubeatis, custodientes traditionem huius sanctissimæ & beatissimæ uestræ Ecclesiæ: abijciendo etiam & execrando impiorum hæreticorum improbam uehementiam, quò sacram hanc uestram catholicam & Apostolicam Romanam ecclesiam indissolutam complecti possitis.

Ab obedientia imperatorum Orientis recesserunt. Solebant Romani pontifices, si quid mali ab externo hoste imminebat, auxilia ab Imperatore Constantinopoleos petere: idque Gregorius facere noluit, prætendens, quòd Leo urbem regiam ægrè à Saracenis tutaretur. Accidit itaque, ut tunc primùm tutela Ecclesiæ ad alios translata sit. Platina in Gregorio 3. & Nauclerus generatione 25.

Subditos ab obedientia debita magistratui liberare, & prohibere ne Cæsari quod suum est detur. Nam cùm Leo anno nono Imperij sui, cultum imaginum prohibuisset, Gregorius papa, ut seditiosus Antichristus, tributa urbis Romæ & Italiæ Cæsari dari prohibuit. Paulus Diaconus libro uigesimoprimo rerum Romanarum. Et Romam atque Italiam, necnon & omnia tam Reipublicæ quàm Ecclesiastica iura in Hesperijs, ab obedientia Leonis & Imperij sub ipso constituti remouit. ibidem: & Otto Phrysingensis libro quinto, capite decimooctauo: anno Domini 731. Sigebertus. Gregorius secundus, qui à Blondo Stephanus uocatur, per uniuersum orbem Christianum scripsit, ne impijs prophanisq; Imperatoris Leonis Isauri iussionibus obedirent: tantamq; autoritatem tunc habuerunt Romani põtificis decreta, ut Rauennates primi, exinde Venetiæ populi atq; milites, apertam in Imperatorẽ Exarchumq; rebellionem præ se tulerint: impulerintq; pontificem & cæteros Italiæ populos, ut abrogata Constantinopolitani Imperij maiestate, alter ex Italia Romáue Imperator deligeretur. Eoque processit ipsa rebellio, ut depositis exarchi magistratibus, singulæ ei ciuitates, singula oppida tunc primùm, postquam Romanum imperium inclinauit, proprios magistratus, quos appellarunt Duces, sibi creare & præficere inchoauerint. Compescuit uerò Stephanus pontifex eam deligendi Imperatoris noui Italicensium uoluntatem, quòd Leonem sperauerit saniori posthac consilio flagitijs temperaturum. Blondus libro decimo, decadis primæ. Romanos uoluisse sibi ea quæ Imperialis erant potestatis uendicare, sed prohibitos esse à Leone pontifice, Vrspergensis refert. Verùm Leo ideo uidetur prohibuisse, ut sibi illa raperet, Senatu Romano & duce eius suppresso. Stephanus papa Pipinum à iuramento sui regis absoluit. Paulus libro 22.

Bona Imperij sibi rapuerunt, auxilio regum Francorum. Nam Campaniæ urbes, quę imperatori Constantinopolitano erant subditæ, Romanus pontifex sibi adscripsit. Bonfinius decadis primæ libro nono. Et Adrianus Romanæ urbis & Italiæ princeps à Carolo constitutus est. Leo Hostiensis libro primo, capite decimoquarto, de Cassinensi cœnobio. Blondus decadis secundæ libro primo, enumerat ex Bibliothecario, quæ regiones & urbes ereptæ sint Longobardis, & redditæ pontifici Romano: à Luna scilicet urbe pridem euersa, quicquid Liguria ad Italiæ fines habet: quo in tractu Corsicam ponit insulam, illi Ligurum littori, quàm cæteris Italiæ littoribus, proximiorem. Deinde Surianum, montem Bardonis, & Bercetum, loca Lucam inter & Parmam ad montem Tremulum pertinentia. Parmam postea nominat, atque Rhegium: quæ licet exarchatus essent, semper antea in Longobardorum durauerant potestate. Mutinæ autem ideo non meminit Bibliothecarius, quòd ea urbs tunc etiam, sicut multos ante annos, destructa, nondum eas quæ nunc extant habebat munitiones. Dehinc in Transpadanis solas nominãs Mantuam & Montem silicis urbes, exarchatum subintulit: quo uerbo cætera sunt cõprehensa, quę à Mantua pertinẽt ad Rauennam. Ponit postea Venetiam atq; Histriam: quarũ regionum appellatione omnia fuit cõplexus, quæ Lõgobardi in ducatu Foroiuliensi atq; Histria illi cõtermina consueuerãt obtinere. Et ab urbis Romę regiõe reuersus, Spoletinũ Beneuẽtanũq; ducatus ea in cõcessione nominat asscriptos. Blõdus decadis

decadis ſecundæ, libro primo: & Liber pontificalis, in uita Adriani. Cùm Pipinus Aiſtulphum expugnaret, Conſtantinus Copronymus per oratorem ab eo petijt, ut exarchatum Rauennatem, allasque ciuitates & oppida quæ Longobardi de Romano imperio occupaſſent, Imperiali iuriſdictioni reſtitueret, & pro ea re munera acciperet. Sed Pipinus reſpondit, ſe Romani pontificis ſeruum eſſe: ideoque beato Petro omnia acquiri, quæ armis capiat. Liber pontificalis. Blondus decadis ſecundæ, libro primo. Antoninus titulo 14. capite 1. § 3.

Obſeruatu autem dignum eſt, quomodo duo iſti prædones, nimirum pontifex & Pipinus, mutuas operas tradiderint. Franci detulerunt pontifici arbitrium declarandi regis, quaſi is ſit per quem reges regnant: qui pridem in urbe conſiſtere uix potuit, quo minus arbitrio Conſtantinopolitanorum imperatorum aut captus, aut relegatus abiret. Viciſsim Romana ſedes hoc præſtitit beneficium domui Pipini, ut regium nomen haberet, & deinde Carolum ad Imperiale culmen prouexit. Saxonia Crantzij in libro primo, capite trigeſimoquarto.

Bella gerebant. Sic Gregorius ſecundus ob caſtrum Cumanum recuperandum, armis uſus eſt Neapolitani ducis: illique, ſicut promiſerat, ſeptuaginta auri libras dedit, & exercitum cum Eccleſiæ proceribus contra Tyberium miſit. Liber pontificalis. Et Deſiderio Rauennam obſidente, archiepiſcopus & tres tribuni eam urbem pro uiribus tuebantur, ſubſidium quotidie à Romano pontifice poſtulantes. Bonfinius decadis primæ, libro nono. Gregorius ſecundus ſuos hoſtes à Leone miſſos, qui captum uenerant, capit: & multi ex ijs occiſi ſunt. Liber pontificalis, & Mutius lib. 6 de Germanis.

Et alijs bella ſuadebant, ad ſuorum aduerſariorum deletionem. Sic Heregiſo duce Beneuentorum deditionem offerente, Carolus rogat ſententias ſuorum conſiliariorum. Pontifex Adrianus bellum perſequendum cenſet: ſed ſacerdotes cæteri & amici regis, ne pauperes & agri uaſtentur, & ſacri prophanique ad egeſtatem redigantur, ſuadent pacem obſidibus acceptis. Auentinus 4 Annalium.

Munitiones faciebant. Gregorius tertius, ad urbis Romanæ inſtaurationem ſumptus fecit. Liber pontificalis. Adrianus cùm cognouiſſet, Deſiderium minitari obſidionem Romæ, portas urbis claudi, & muros inſtaurari, & alia neceſſaria parari curat. Blondus decadis ſecundæ, libro primo. Siſinnius papa calcem pro murorum inſtauratione iuſsit coqui. Liber pontificalis.

Fulmine excommunicationis hoſtes territabant. Adrianus ad Deſiderium epiſcopos mittit, qui ei, ſi Romanorum fines hoſtili manu ingrediatur, ſub anathemate ignem & aquam interdicant. quod ubi factum eſt, pudore quodam rex confuſus, Ticinum ſe recepit. Bonfinius libro nono, decadis nonæ, rerum Vngaricarum.

Et eodem ſua priuilegia corroborabant. Sic Zacharias Caſsinenſi priuilegium firmat his uerbis: Si quis, quod abſit, ea quæ ad laudem Dei pro ſtabilitate, ac Caſsinenſis cœnobij conſeruandi dignitate, & poſſeſſionum eius tutela à nobis ſtatuta ſunt, nefario auſu corrumpere, uiolare, aut refragari præſumpſerit, niſi reſipuerit, ſciat ſe anathematis uinculo innodatum, & à regno Dei alienatum: & cum diabolo & eiuſdem pompis, & Iuda Ieſu Chriſti Domini noſtri traditore, æterno ſupplicio æternæq; maledictioni deputandum.

Copias auxiliares, & defenſionem à regibus Francorum ſubinde petebant. Adrianus in epiſtola ad Carolum, indicat ei de Hildebrandi & Raginaldi ducum conſpiratione cũ Græcis contra Romam & Italiam, ac petit ab eo præſidium.

Diris adiurationibus reges Francorum adegerunt, ad ſuſcipiendum patrocinium commenticiorum bonorum Petri contra Longobardos. Sic enim Gregorius in epiſtola ad Carolum Martellum: Hortamur tuam bonitatem, coram Domino, & terribili eius iudicio, ut propter Deum & animæ tuæ ſalutem, ſubuenias eccleſiæ ſancti Petri, & eius peculiari populo, eoſdemque reges ſub nimia celeritate refutes, & à nobis repellas, & iubeas eos ad propria reuerti. Non deſpicias deprecationem meam, neque claudas aures tuas à poſtulatione mea. Sic non tibi ipſi claudet princeps Apoſtolorum cœleſtia regna. Coniuro te in Deum uiuum & uerum, & ipſas ſacratiſsimas claues confeſsionis beati Petri, quas uobis ad regnum direximus, ut non præponas amicitiam regum Longobardorum amori principis Apoſtolorum: ſed uelocius & ſub nimia feſtinatione ſentiamus poſt Deum tuam conſolationem, ad noſtram defenſionem, ut in omnibus gentibus declaretur ueſtra fides & bonum nomen. Et Stephanus in epiſtola ad Carolum & Carolomannum: ſibi indicatum ſcribit, quòd pro iuſticijs ſancti Petri ſummis uiribus eſſent decertaturi, ſicut & Pipinus pater eorum fecerat. quare illos monet, ut hæc

promiſſa

promissa, & quidem citò præstent. Coniurat illos coram Deo uiuo, extremo eius iudicio, & Petro Apostolorum principe, ut nimia uelocitate Petro iusticias reddere Longobardos iubeant: hoc est, ut Longobardis ui eripiant, quæ ipsi obtinuerant à patrimonio sancti Petri. Hoc nisi fecerint, in extremo iudicio rationem Deo & Petro reddituros ipsos comminatur. Hortatur quoque, ne credant dicentibus, Papam Petri iusticias recepisse. Idem Stephanus in epistola ad Pipinum, Carolum & Carolomannum, cùm implorat eorum opem contra Aistulphum, obiurgat eos, quòd plus Aistulphi mendacijs, quàm ueritati crediderint: monet, ut pro isto peccato doleant: & quæ beato Petro offerenda promiserunt, citò possidenda reddant, quòd fortis exactor Petrus existat: item quòd ipsi ex promissione & proprio chirographo explere cogantur, ne à beato Petro in extremo iudicio ostenso chirographo damnentur. Obedientibus ipsis, scribit, uitam æternam à beato Petro promissam. Deinde coniurat illos per Deum omnipotentem, sanctam Mariam matrem eius, per uirtutes cœlorum, beatos apostolos Petrum & Paulum, per tremendum iudicij diem, ut Petri iusticias faciant, quòd ipsis res eius commendatæ sint. Extat etiam epistola Stephani, nomine Petri ad Francos scripta, in qua sanctus Petrus Pipinum, Carolum & Carolomannum, omnes sacerdotes, episcopos, abbates, presbyteros, uel uniuersos religiosos, monachos, cunctos iudices, duces, comites, & cunctum Francorum regni populum coniurat, ut suum populum & ecclesiam ubi corpus suum requiescit, à Longobardis liberent, quòd Francos peculiariter diligat inter omnes gentes, secundum promissionem quam à seruatore suo accepit. Et indicat diuam uirginem, thronos omnes atque dominationes, ac cunctos cœlestis militiæ exercitus, martyres, confessores, ac omnes Deo placentes, pro hoc officio uicissim promittere in hac & futura uita patrocinia, præparationem tabernaculorum, præmia æternæ retributionis, & infinita paradisi gaudia. Vocat ecclesiam Romanam fontem uiuum, unde Franci satiati & renati sint: flagrantissimam flammam, unde ipsi lucem acceperint: matrem spiritualem, sanctam Dei Ecclesiam, in quam sperantes uitam æternam accipiant: fundamentum fidei. Hortatur, ne se à populo suo Romano separent: id enim si fecerint, separatum eos iri à regno Dei, & uita æterna. Promittit subsidium & patrocinium in omnibus quæ à se poposcerint, dummodò ipsi populo Romano subueniant. Coniurat eos per Deum uiuum crebrò, ne ciuitatem suam Romanam à Longobardorum gente laniari permittant, ne ipsi igne tartareo cum diabolo & angelis eius puniantur. Adrianus in epistola ad Carolum petit, ut sibi curet reddi loca, quæ olim à Constantino & Pipino & Carolo & alijs, beato Petro sint concessa, nunc uerò à Longobardis occupata.

Item mendacijs crassis de beato Petro. nam Paulus in epistola ad Carolum & Carolomannum nugatur, beatum Petrum misso oleo, hos reges in utero sanctificasse, ad ecclesiam Romanam exaltandam. Idem in epistola ad Pipinum fingit, à beato Petro eum electum & consecratum esse propugnatorem Romanæ ecclesiæ. Paulus in epistola ad Pipinum fingit, se à Græcis propter orthodoxam fidem impugnari, cùm esset propter raptum Imperium certamen.

Postularunt à regibus Francorum, ut Romanam ecclesiam exaltarent: eisque pro ea re mercedem animæ suæ pollicebantur. Nam cùm Gregorius, Stephanus & Paulus petijssent, Romanam ecclesiam ab hostibus liberari: tandem Adrianus à Carolo poscit auxilium pro exaltatione spiritualis matris Romanæ ecclesiæ. Cui Carolus respondet: Se nihil pro deminoratione, sed omnia pro exaltatione & honore sanctæ Ecclesiæ facturum: ut patet ex epistolis. Adrianus in epistola ad Carolum rogat, ut sicut cœperat, pro mercede animæ suæ, territorium Sauinense beato Petro regni cœlorum clauigero tradi iubeat. Et in alia epistola ad eundem indicat, se preces pro Carolo facere, ut Deus ei tribuat uictorias, ac regnum dilatet, ad exaltationem spiritualis matris sanctæ Dei Romanæ ecclesiæ. Idem petit in alia epistola, ut ducatum Spoletinum ecclesiæ Romanæ celeriter reddi curet, quem olim ei obtulisset. Item, ut cogerent barbaras gentes à se subiectas, uestigia pedum ad ecclesiæ Romanæ exaltationem osculari: ut patet ex epistola Adriani ad Carolum.

Ac sibi archiepiscopos reluctantes subijcerent. Sic Adrianus in epistola ad Carolum, accusat Leonem Rauennatensem episcopum, quòd ab ipso falsò accusatus est. Item, quòd sibi & sancto Petro inobediens sit, & multa bona quasi ex mandato Caroli Romanæ ecclesiæ abstulerit. Item, quòd Pentapolin à Pipino Romanæ ecclesiæ datam, etiam auferre nisus sit. Queritur, Romanam ecclesiam in magnam humilitatem & deminorationem uenisse. Indicat Sergium archiepiscopum Rauennatensem, à Stephano papa propter inobedientiam depositum

positum esse: & in locum eius Philippum presbyterum quendam missum, cum Eustachio duce, eosque Papæ nomine omnia administrasse. Carolum ex Philippo illo rei ueritatem agnoscere posse. Orat Carolum, ne patiatur Romanam ecclesiam, quæ omnium aliarum caput est, in tantum contemptum uenire: sed ut subijciat sibi Leonem Rauennatensem episcopum, & exarchatum.

Regibus Francorum omnia quæ contra ipsos suscipi intelligebant, ab Imperatore & alijs prodere soliti sunt. Sic Adrianus per legatos & literas indicat Carolo, quòd legati Græcorum, cum uidua Archisi ducis contulerint consilia, de Beneuentano ducatu è manibus Caroli extorquendo: & quòd Neapolitani cum signis & imaginibus Græcos excepissent. quare rogat eum, ut sic omnia pertractet, ut suæ & ecclesiæ Romanæ securitati prospiciat. Idem Carolo indicat, Adalgisum Desiderij filium in fines Calabriæ uenisse: & exponit consilium de Beneuentanis cogendis, in alia epistola.

Carnifices eorum agebant, qui contra reges sibi confœderatos aliquid dicerent. Sic Adrianus Paulinum, contra Carolum quædam mussitantem, in uincula coniecit, eique misit: ut constat ex epistola eius ad Carolum.

Expostulabant cum Regibus, si quid præter suam uoluntatem egissent. Sic Adrianus in epistola ad Carolum, expostulat cum eo, quòd Anastasium missum suum in Francia, propter uerba quædam importabilia, quæ Carolo dixerat, detineret. Scribit id nunquam ab exordio mundi factum esse: iubet ipsum remitti Romam, se pœnam impositurum, si meritus sit. Indicat se nunquam ullo argumento cognouisse, Anastasium infidelem Caroli esse: obliquè Carolum tali sæuitia uti iubet in hostes Romanæ ecclesiæ, scilicet in Gaufridum Longobardum, qui cum Anastasio profectus sit, & fraudem in Caroli palatio commiserit, persuadendo notario, falsas facere literas, ut inter se & Carolum scandalum immitteret. Item Paschalem & Saracinum, qui talia in urbe Romana ausi sint, qualia nunquam ab exordio mundi facta sunt. Sed ipsos ad Carolum confugientes, receptos esse, haberi in maxima æstimatione, uacare distractionibus: mirari se, quòd illos apud se Carolus uiuere patiatur. Se uindictam dignam in eos qui Carolo detrahant, exercere scribit. Paulinum exemplo esse, quem uinctum Carolo miserit. orat ut idem faciat, magisque Ecclesiam exaltet.

Eos qui sese dominatui suo submittebant, ad fidem & iusiurandum adstringebant. Sic Spoletini, Picentes, Firmani, Auximani, Anconitani capillum detonsi, & sacramento adacti, sese Romano pontifici subdiderunt. Blondus decadis secundæ, libro primo. Et Bonfinius decadis primæ, libro nono rerum Vngaricarum: & Liber pontificalis in uita Adriani.

Alius pontifex, alterius decreta & constitutiones mutauit & abrogauit. Adrianus pontifex Offæ Merciorum regi concessit, ut sedem archiepiscopalem, contra suorum maiorum decreta, Lichefeldiam transferret. Leo uerò successor eius effecit, ut Cantuarijs restitueretur eadem dignitas. Vuilhelmus libro primo, capite sexagesimonono. Stephanus tertius Synodo collecta, omnia retractat à Constantino decreta. Ranulphus libro quintò, capite uigesimosexto, in Polychronico.

Huc etiam pertinent decreta impia, qualia sunt: Prohibitio nuptiarum. Gregorius tertius presbyteram, diaconam, monacham aut commatrem spiritualem, iungi matrimonio uetuit. Liber pontificalis. Hinc sacerdotes Franci, Galli & Hispani, maximum peccatum esse senserunt, ducere uiduam in uxorem, cuius filiam de baptismo quis susceperit: quod tamen genus peccati Bonifacius negat se hactenus agnouisse. in epistola ad Pethelmum, & ad Nothelmum. Gregorius tertius in epistola ad Bonifacium: Addidisti adhuc, quòd si pater uel mater filium filiamque intra septa monasterij, in infantiæ annis sub regulari tradiderint disciplina, utrum liceat eis, postquam pubertatis impleuerint annos, egredi, & matrimonio copulari: hoc omnino deuitamus. quia nefas est, ut oblatis à parentibus Deo filijs, uoluptatis frena laxentur. tomo secundo Conciliorum. Adrianus in epistola ad Carolum, damnat nuptias monachorum.

Aut permissio & dispensatio contra ius Dei. Nam Gregorius tertius uxorem auunculi ducere permisit: & Bonifacius in epistola ad Zachariam, apud Nauclerum generatione uigesimaquinta, & tomo secundo Conciliorum. Sententia pontificum Carolus Magnus post annum Irmogardam uxorem suam repudiauit, quòd infœcunda uitio corporis, & clinica esset. Auentinus libro tertio Annalium. & Gregorius tertius in epistola ad Bonifacium: Quod posuisti, quòd si mulier infirmitate correpta, non ualuerit

luerit debitum uiro reddere, quid eius faciat iugalis: bonum esset, si sic permaneret, ut abstinentiæ uacaret. Sed quia hoc magnorũ est: ille qui se non poterit continere, nubat magis. non tamen subsidij opem subtrahat ab illa, cui infirmitas præpedit, & non detestabilis culpa excludit. tomo 2 Concil.

Missificatio. Gregorius 3. constituit, ut monachi & presbyteri in oratorio omnium sanctorum, Missarum solennia celebrent. Liber pontificalis.

Laicorum ab electione pontificum exclusio. Adrianus enim sanxit, ne ulli laici electioni pontificis intersint. Liber pontific.

Decretum de uenerandis & adorandis & colendis imaginibus. Paulus libro 6. capite 11. de Longobardis. Gregorius tertius imagines & ossa sanctorum uenerari, & orationes pro mortuis fieri iussit, ut patet ex epistola eius ad Bonifacium. Balæus centuria 2. capite 5. Sigebertus anno Domini 733. ac Liber pontificalis in uita eius. Synodus Romana à Stephano, item Gregorio tertio conuocata, uenerationem imaginum approbat, & contrariũ sentientes damnat. Sigebertus.

Et decreta friuola: qualia sunt, de tempore quando lardum sit comedendum: quòd equi morbo regio infecti, ab alijs separandi, & si curari nequeant, in puteum proijciẽdi, aut in foueam: quòd animalia à rabidis lupis & canibus lacerata, debeant ab alijs seiungi, ne mordeant alia. Zacharias in epistola ad Bonifacium, tomo 2 Conciliorum. Item, de equorũ naribus non findendis, neq; auribus colligandis, neq; caudis eorũ truncandis: qualia legati Adriani in Anglica synodo, cap. 19. præ nimia stulticia ꝓposuerũt.

Imperium mundi à Græcis, eo quòd cultum imaginum abolerent, cœperunt transferre ad Francos, sub finem huius seculi: ut patet ex Sigeberto. Stephanus papa Romanum imperiũ à Græcis transtulit ad Germanos, in personam magnifici uiri regis Caroli, tunc iuuenili ętate constituti. Martinus in Chronico.

¶ Confirmarunt autem dominatum Romani pontificis, subinde magis magisq;, Synodi uniuersales, primum locum & summã potestatem ipsi & legatis eius deferentes: ut factum est in synodo Nycena secunda.

Et alias Synodos, sine Romani pontificis consensu & præsentia factas, damnantes. Nã Patres in Nicena synodo, actione 6. hoc argumento reijciunt septimam Nicenam. Septima synodus Nicena falsò sic dicta, non habuit cooperarium, ut hæc quæ nunc celebratur, Romanum papam: neq; illius sacerdotes, neq; per uicarios, neq; per prouinciales literas, quemadmodum fieri in Synodis debet. Quinetiam neque concordantes sibi habuit Orientis patriarchas, Alexandrinum inquam, Antiochenum, & urbis sanctæ summos pontifices, neque cum illis etiam mystas & sacerdotes.

Et episcopi sese illis ultrò subijcientes. Sic Bonifacius in epistola ad Stephanum secundum uocat se exiguum discipulum Romanæ ecclesiæ, apud Nauclerum generatione 25. Ac inter alia inquit: Si minus peritè aliquid, aut iniustè à me factum aut dictum reperitur, iudicio Romanæ ecclesiæ prompta uoluntate & humilitate emendaturum me spondeo. Theodorus Rauennatum episcopus Romano se submisit tandem, cum prius se dignitate ei parem contumaciter asseuerabat. Quod subiectionis exemplum, quoniam in omnes Occidẽtis & Aquilonis partes dimanauit, non ausi sunt Britannicis illis Ecclesiæ renouatoribus se opponere, qui in Rheni & Danubij regionibus ueterẽ tenebant Ecclesiastici ministerij formã. Curio libro 2 Chronologiæ.

Et iureiurando se obligantes, ad decretorum eius obedientiam: ut Bonifacius fecit, & alij.

Aut pallium ab ijs petentes. Sic Egbertus Eboracensis, pro pallio epistolam ad Zachariam papam scripsit. Balæus centuria 2. capite 15 de Scriptoribus Britanniæ.

Aut assentatoriè de eius principatu docuerunt, & locuti sunt. Sic enim Burchardus Vuirtzburgensis episcopus inquit apud Aemylium libro 2 de gestis Francorum, de Zacharia pontifice: Nulla orbis terrarum pia regio est, cuius pater sanctissimus non sis, cuiq; magnitudo & felicitas tua charior sua esse non debeat, & pericula huius sacrosanctæ sedis solicitudinem non inijciant. Itẽ: Te in hac arce ac præsidio, tanquam in terrarum specula Deus collocauit. Et cùm Leo esset ab aduersarijs suis Romæ accusatus, omnes assessores in basilica Petri una uoce responderunt: Sedem Apostolicam omnium ecclesiarum caput à nemine iudicari debere. Nauclerus generatione 27. Et Formosus & Damasus episcopi, legati papæ, in oratione ad Thessalonum ducem Bauariæ, uocant Adrianum papam uiuum supremę maiestatis oraculum, cui refragari scelus inexpiabile sit. Auentinus libro tertio Annalium. Christus princeps pastorum, mundo uicarium dereliquit Petrum. Aponius libro 2 in Cantica canticorum. Et Scriptores librorum Caroli Magni, de cultu Imaginum, lib. 1. capite quinto: Sicut cæteris discipulis Apostoli, & Apostolis omnibus eminet Petrus: ita nimirum cæteris sedibus Apostolicæ, & Apostolicis Romana eminere dinoscitur. Hæc enim nullis Synodicis constitutis cæteris ecclesijs prælata est, sed ipsius Domini

Domini autoritate primatum tenet, dicentis: Tu es Petrus,& super hanc petram, &c. Cui non incongruè B.Pauli doctoris gentium est attributa societas,ut illius sanctæ Ecclesiæ firmaretur autoritas.

Eisq; titulos fecerunt nimis magnificos: ut sunt, Beatissimus & Sanctissimus Pater, Summi sacerdotij iure ac sanctitate quàm proximè superos accedēs. Sic enim Burchardus Vuirtzburgensis episcopus, in oratione sua ad Zachariam locutus esse, indicatur ab Aemylio libro 2.de gestis Francorum. Bonifacius in epistola ad Zachariam hos titulos ei attribuit: Reuerendissimo Patri, & dilectissimo Domino,cum timore & honore uenerando magistro Apostolici honoris,priuilegio prędito pontificatus Apostolicę sedis, infula sublimato Zachariæ, Bonifacius exiguus seruus uester. Apostolicus pontifex: Bonifacius in epistola ad Zachariam. Summus pontifex,& papa uniuersalis Adrianus uocatur à Carolo Magno, in priuilegio ecclesiæ Bremensis.Crantzius in Saxonia lib. 2.capite 15. Sic scilicet decuit Antichristum honorare,& adorare.

Et omnia arcana pontifici reuelantes. Sic Bonifacius dicit, se promisisse Gregorio, quòd omnium populorum mores,ad quoscunq; accessurus sit,indicare uelit:in epistola ad Zachariam. Et Campolus Caietanus episcopus Adriano indicauit, Adalchisum Desiderij filium, in fines Calabriæ uenisse. Adrianus in epistola ad Carolum.

Aut confirmationem sui episcopatus ab ijs petentes. Sic Bonifacius in epistola ad Zachariam petit,ut tres illas urbes,quas sedes episcopales esse uolebat, suis scriptis & priuilegijs confirmet,apud Nauclerum generatione 25. & tomo 2 Conciliorum. Et Zacharias tres illas sedes, nimirum in Mersenburg & Bamberg & Erfurd,confirmat,tomo 2.Conciliorum.

Et legatos Apostolicæ Ecclesiæ se appellantes. Bonifacius in epistola ad Leobgytham,se omnium ultimum & pessimum legatorum esse ait, quos Romana ecclesia ad prædicandum destinarit.

Aut alios ad obedientiam Romanæ sedis inuitantes. Vt Bonifacius fecisse se indicat, in epistola ad Zachariam: Sicut prędecessorū uestrorum pro autoritate S. Petri serui deuoti, & subditi discipuli fuimus: sic & uestræ pietatis serui obedientes, subditi, sub iure Canonico fieri mereamur, optantes catholicam fidem & unitatem Romanæ Ecclesiæ seruando dilatare:& quantoscunq; audientes uel discipulos in ista legatiōe mihi Deus donauerit, ad obedientiā Apostolicæ sedis inuitare,& inclinare non cesso.tomo 2. Conciliorū. Idē in epistola ad Gudbertū indicat, se effecisse ut quidā in Synodo promiserint se ecclesiæ Romanæ subiectos esse uelle.

Aut apud eos accusantes alios. Sic Sidonius & Virgilius,Bonifacium ad Zachariam accusant, quòd Neophytos rebaptizarit: & efficiunt, ut illi interdicatur, ne id amplius tentet. Balæus Centuria 14. capite 31. Epistola eorum extat in 2 tomo Conciliorū.

Ac eos qui sese Romanæ meretrici non subijcerent,insectantes. Adrianus Egilæ episcopo Hispaniæ præcipit,ut excommunicet omnes qui se non purgauerint,& papę esse probauerint:in epistola ad ipsum.

Et pēsiones pro ijs exigētes. Sic Mauricius apud Histrienses,pensiones pro beato Petro exegit.Sed eam ob rē à Græcis priuatur oculis:ut patet ex epistola Adriani ad Carolum.

¶ Et reges & principes, asserentes papam esse caput Ecclesiarum Dei, & sacerdotū in omni mundo. Vt Luitprandus facit in legibus suis. Item,qui ex diuersis terris Romā miserunt eos quos elegerant episcopos, ut ab illis consecrarentur,uel à legatis eius. Vnde Crantzius in proœmio Metropolis dicit, episcopos Germaniæ,quos Carolus corporali gladio armauit,à summo pontifice & legatis eius consecratos esse. Carolus petijt ab Adriano,ut Ermenbertum Bituricum ordinet archiepiscopū, quod & facit:ut patet ex epistola eius.Sic Petrum episcopū rogatu Caroli ordinauit. Adrianus in alia epistola.

Aut errantes episcopos ad ipsos miserunt. Sic Carolus Felicem in Synodo Bauarica, de errore conuictum, Romam misit, ut isthic errorē retractaret. Annonius lib.4.cap.83.

Aut priuilegia eorum commenticia renouarunt & confirmarunt. Sic Iustinianus Constantino pontifici Romano,cuncta Ecclesiæ priuilegia renouauit.Beda libro 2.de Tempore,& Regino libro 2. Et Carolus Magnus anno Domini 774. donationem illam, quā pater eius Pipinus fecerat,nouis scriptis cōfirmauit.Leo Hostiensis libro 1. capite 14 de Casinensi cœnobio.

Aut armis eius potentiam munierunt. Sic Curio libro secundo rerum Chronologicarum refert, Carolum Magnum armis & imperio cōmunijsse ambitiosam summi iuris uendicationem Romani pontificis. Et Mutius lib.9 refert,Carolum coegisse Romanos,qui nondū obediebant pontifici,ut iureiurādo cōfirmarint se facturos, quidquid papæ cōstituissent & mandarent, aut in posterum cōstituturi essent.anno Domini 796.

Aut senatum & populum Romanū pontifici parēre & subesse iusserunt. Sic Pipinus hortatus est,ut Romani fidē seruarent Paulo pontifici:ut patet ex senatus & populi Romani literis ad Pipinum.

Aut eius arbitrio res etiam politicas sub-

iecerunt. Sic Carolus bellum Thessalono duci Bauariæ illaturus, cum esset obiurgatus ab Adriano, eam ob rem totam causam illius arbitrio permisit. Idem etiam Thessalonus fecit, qui ab eo tanquam à communi orbis Christiani parente petit, ut fautor atque consultor adsit. Auentinus libro tertio Annalium.

Aut donationibus regnorum & urbium, potentiam eius auxerunt. Luitprandus rex Longobardorum, admonitus à Gregorio, donationē patrimonij alpium Coctiarum, quam Herebrechtus rex fecerat, & ille repetierat, denuò confirmauit. Beda de Ratione temporum: & Paulus de gestis Longobardorum libro 6. capite 13. Adon ætate sexta. Blondus decadis 1. libro 10. De hac re tamen Platina sic censet in Iohanne septimo: Sunt qui scribant (sine authore tamē.) Arithpertum Longobardorum regem religione motum, condonasse alpes Coctias beato Petro, & quicquid à Taurinis & Medullis Genuam usque Ligusticamque protenditur. Alij autem affirmant, donationem ipsam ab Arithperto confirmatam fuisse. Verùm cū de donatione nil certi habeatur, paleamque pontificij iuris periti appellent, quod sine frumento sit, nihilque Constantinianæ elegātię ac dignitatis habeat, quomodo de confirmatione constabit? Pipinus Rauennam & Pentapolin, & omnem Exarchatum occupauit, & pontifici tradidit. Regino libro secundo: & Adon ætate 6. Redditus est Romanis Exarchatus, quicquid Padū & Appēninum interiacet, à Placentinis usque ad stagna Venetorum. & quicquid inter Isaurum flumen, Apenninum & Hadriaticum continetur: addo etiamquę de Hetruscis & Sabinis cœperat. Platina, Antoninus uerò has urbes recenset: Rauennam, Cesenas, Arminū, Sinigalliam, Pesaurum, Hesium, Fanum fortunæ, Forispopulum, Forumoliuij cum castro, Sasibium, montem Feltri, Serram, Acceuagium, castrum Martini, Montemlocati, Vrbinum, Callis, Leuooculis, Egubiū, Chomachium, ciuitatem Narniensem. titulo decimoquarto, capite primo, §. tertio. Blondus decadis secundæ libro primo. Sabellicus Enneadis 8. libro octauo. Ex eo tempore quo Gregorius secundus papa restitit Leoni Isauro, papæ in Italia Domini, subinde quæsiuerunt quomodo potentiam suam stabilirent: donec tandem à Pipino omni Orientalium metu liberati, maximam Italiæ partem, quā ui subegerat, dono acceperint: Et Balæus inquit Centuria secunda, capite quinto: Vrbes ac plures per Italiam ditiones capiebat Romuleum Petri rete, quod furtum specioso Petrini patrimonij titulo obtegūt. Fauētiam & ducatum Ferrarię seu Comadum, cum exarchatu Rauennatis, Pipinus & filij eius Carolus & Carolus Magnus beato Petro concedentes offerebant, cum ex Desiderij manibus ui extorsissent. Bonfinius decadis primæ libro nono: & Liber pontificalis. Hinc eorum opes, fastus & tyrannides radices sumpserūt. Hinc papa, omnium Christianorum principum Deus terrestris esse cœpit, & mundi monarchas sibi subditos fecit: Balæus. Ex his rectè Crantzius in Metropoli libro secundo, capite primo: & in Saxonia libro secundo, capite primo infert: donationē Constātini Magni esse commenticiam: cùm constet Pipinum & Carolum Magnum, Romanam ditasse ecclesiam, ex Longobardorum oppresione.

Aut cum ab alijs iustè oppugnatum, defenderunt. Sic Pipinus rex inuitatus à pontifice, in Italiam ingressus est, & repressit Aistulphum, & Rauennam & totam Pentapolin sancto Petro tradidit. Regino libro secundo. Et Vrsus dux Venetorum, Gregorio tertio in recuperanda Rauenna, à Longobardis occupata, opem tulit. Sabellicus Enneadis 8 libro septimo. Et Carolus ab Adriano accersitus, Desiderium expugnat, anno Domini septingentesimo septuagesimotertio. Annales Francorum. Et Regino libro secundo: Ranulphus libro quinto, capite uigesimosexto.

Aut nimis religiose pedes illius exosculati sunt. Sic Carolus Magnus, Adriani pontificis pedes osculatus scribitur à Blondo, decadis secundæ libro primo. Crantzius in Metropoli libro secundo, capite primo: Adrianus uidit Romę Carolum Magnum exosculantem uestigia eius. Et Iustinianus imperator, Constantini papæ: ut Platina in uita eius indicat. Et Luitprandus rex Longobardorum prostratus humi, pedes Stephani secundi osculatur: ut narrat Blondus decadis primæ lib. 10.

Aut è regnis suis uectigalia & tributa dederunt. Sic Inas Occidentalium Saxonum, & Offa Merciorum rex, papæ annuum reditum de singulis domibus regni sui fecerunt (Ranulphus libro quinto, capite uigesimoquinto, in Polychronico: & Polydorus libro quarto) delusi à pseudomonachis. Balæus Centuria prima, pagina nonagesimaprima.

Et equos regios illis donantes. Carolus Adriano duos equos misit, quorum alter in itinere mortuus est. Quare papa petit, ut sibi equos ad suam sessionem idoneos mittat, nimirum ossibus & plenitudine carnis decoratos, ut diximus.

QVI SESE OPPOSVERINT *dominatui & tyrannidi Romanorum pontificum, ac contra Antichristum reclamarint.*

NOn defuerunt qui Romani pontificis dominatum improbarunt, & quantũ in ipsis fuit, remorati sunt. Nam archiepiscopi in Francia, per Bonifacium iussi petere pallium à Romana ecclesia, licet promiserant se facturos, tamen postea rem in deliberationem & moram reiecerunt: ut patet ex epistola Bonifacij ad Zachariam. Et Felix Rauennas archiepiscopus, non potuit Romani põtificis suasione aut precibus adduci, ut eam uim pecuniæ integram Romanis pontificibus quotannis redderet, quantam illi postulabant iuxta formulam obligationis. Blondus libro decimo, decadis primæ. Huc etiam illi pertinent, qui sese pontificis legatis opposuerunt: inter quos sunt Clemens Scotus cum Adalberto Gallo, ac socijs, Samsone, Sidonio Boiorum archiepiscopo, & Virgilio Hyberno, & similibus, qui in multis restiterunt Bonifacio, improbantes cœlibatum clericorum, reliquiarum & statuarum uenerationes, & primatũ Pontificis, depositiones regum, iuramentorum uiolationes, missas pro mortuis, terrores purgatorij: ac Clemens contra Bonifacium scripsit librum. Balæus Centuria decimaquarta, capite trigesimo. Idem & Samson fecit: capite trigesimoprimo. Et Iohannes Mailrosius Græcis adhærens, Romanæ synagogæ impura dogmata non probauit: capite 32.

Et excommunicationem Pontificum contemnentes. Eiusmodi aliquot fuisse, colligi potest ex epistola Zachariæ ad Bonifacium, tomo secundo Conciliorum, ubi inquit: Et hoc inquisisti, quid fiendum sit de excommunicato episcopo, & Apostolicam autoritatem negligente. Hic detestabilis est coram Deo & hominibus, cui condemnato incondemnatus non communicabit.

Et iugum pontificium excutientes. Sic Leò Rauennas episcopus, multa bona quasi ex mandato Caroli subtraxit Adriano, & nullos ex sibi subiectis Romam appellare concedere uoluit: & iudices à Pontifice ordinatos reiecit, aliosque constituit: & literas ad Pontificem ab alijs scriptas aperuit: ut patet ex Adriani epistolis ad Carolum.

Et impia eius decreta de cœlibatu & monastica aspernantes. Nam Ragimbaldus & alij Longobardorũ episcopi, contra Adriani decretũ permiserũt monachis, ut uxores ducerẽt: ut patet ex epistola Adriani ad Carolũ.

Et titulos primatui Romano cõtrarios usurpantes. Tarasius uocatur uniuersalis seu generalis patriarcha, in actione 2. Nicenæ 2. Et pontificiorũ legati, non omnia quæ subinde ab illis constituebantur capientes & approbantes. Sic Bonifacius multum disputat in epistolis ad Nothelmum & Pethelmum, de opinione Romanorum, quòd non liceat commatrem ducere uxorem: ut paulo antè assignauimus.

Et quidã abbates & monachi. Nam cum Pipinus à Stephano papa esset inflammatus contra Aistulphum, Carolomãnus ab abbate suo instructus, uenit ad Pipinũ, eiq; dissuadere conatus est societatẽ cũ pontifice Romano. & licet nõ indicetur apertè, quibus usus sit argumentis: tamen colligi potest ex libro Pontificali, in uita Stephani, quòd non probarit Pontificis audaciã, qua affectabat mundanum principatũ, anno Domini 752. Sigebertus. Blondus decadis 2. libro 1. Annonius libro 4. capite 51. de Francis. Adrianus in epistola ad Carolum ualde queritur, se à Rabigãdo abbate & possessore episcopo neglectũ & contemptũ esse. Eos enim Apostolicas syllabas nõ curasse, quibus Romam inuitati fuissent.

Et Synodi decreta impia Pontificũ rescindentes & refutantes. Sic Francofordiana Synodus ex Gallię, Italiæ & Germaniæ pontificibus à Carolo collecta, acta Græcorũ de adorandis imaginibus, quæ Adrianus papa approbauerat, & per suos legatos fecerat, rescidit. Regino libro 2. Auentinus libro 4 Annalium: & Hincmarus libro contra Iandunensem episcopum, capite 20. Annonius lib. 4. capite 85. Synodus, quæ ante paucos annos Cõstantinopoli sub Helena & Cõstantino filio eius cõgregata, & ab ipsis nõ solùm septima, uerùm etiã uniuersalis appellata, ut nec septima nec uniuersalis diceretur, habereturq; ab omnibus quasi superuacua, in totum ab omnibus abdicata est. Et Synodus quædam Ephesina, cultum imaginum dãnauit, ut patet ex actione 1. Nicenæ 2. Synodales canones præcipiẽtes, ut unusquisq; in eo loco ubi cõstitutus fuerit, & ubi uotũ suum uouerit, ibi maneat, & ibi Deo uota sua reddat, damnare peregrinationes, quæ à multis Romã, & ad alia loca sancta instituebantur, Eangytha indicat in epistola ad Bonifaciũ.

Et Ecclesiæ Græcorum, quæ ob translationem Imperij ad Francos Romanis postulantibus, ut ad Ecclesiæ unitatem redirent, rescripserunt: Quia uos à nobis subtraxistis, ideo & nos à uobis nos subtraximus. Ranulphus libro quinto, capite uigesimooctauo in Polychronico.

Et ciuitates Pontifici tributa negantes. nam Histrienses & Græci episcopo suo Mauricio oculos eruerunt, eo quòd se fidelẽ beati Petri profiteretur, eiusq; pẽsiones ibidem exigeret: Græcis contendentibus, territorium esse

 rium esse

rium esse Caroli regis, & non pontificis, ut constat ex epistola Adriani ad Carolum.

Et Imperatores, penes quos erat ius confirmandi Romanos pontifices. nam Adrianus Papa in Synodo centum & quinquaginta trium episcoporum & abbatum, dedit Carolo ius eligendi Pontificem, & ordinandi Apostolicam sedem, dignitatem quoque Principatus scilicet Romani: insuper archiepiscopos & episcopos, per singulas prouincias ab eo inuestituram accipere definiuit: & ut nisi è rege laudetur & inuestiatur episcopus, à nemine consecretur: omnesque huic decreto rebelles anathematizauit: anno Domini septingentesimo septuagesimotertio. Sigebertus. Blondus decadis secundæ libro primo. Et data Carolo Magno potestate creandi & ordinandi sacerdotes, clarissimi uiri aduenæ aulam eius frequentabant, spe dignitatis augendæ, & sacerdotij acquirendi. Auentinus libro 4 Annalium.

Nec omnia ad eius nutum gerentes. Sic Carolus, cum Adrianus censeret Heregisum Beneuentanum ducem persequendum bello, non illi, sed suis sacerdotibus pacem suadentibus obtemperat. Auentinus libro quarto Annalium.

Et erroneas eorum opiniones & sententias improbantes. Sic Carolus Magnus Adriani sententiam, de colendis & adorandis imaginibus & statuis, haud obscurè damnauit per Francofordianam Synodum, & per libros suos de cultu Imaginum: in quibus refutat duas epistolas Adriani ad Constantinum & Tarasium, ut patet ex Collatione libri primi, capite decimoseptimo, decimooctaua: & libri secundi, capite decimotertio, usque ad uicesimum sextum: & libro tertio, capite decimoquinto & decimosexto. Exagitat item Carolus satis acerbè Iohannem Antiochenum, quòd adulatione prædicasset concordiam Tarasij & Adriani, de imaginum adoratione. Idem in Constitutionibus suis anno uigesimo regni sui Aquisgrani promulgatis, ex Laodicensis concilij Canone constituit, ne ignota Angelorum nomina fingantur, aut nominentur, prę ter illa quæ in sacris extant: ut Michael, Gabriel, Raphael, & ex concilio Aphricano, capite quinquagesimo, falsa nomina martyrum & incæstas sanctorũ memorias uenerari uetat. Idem uetat clocarum seu campanarum baptizationes.

Et Imperatores Græci, defensionem eis denegantes. Sic cum Romani auxilium contra Desiderium peterent, Græci responderunt: Habetis temporalia, defendite uosmetipsos: uel restituite nobis temporalia, & defendemus uos ut tenemur. Chronicon de ducibus Bauariæ.

Ac arma in eos ferentes. Sic Gręci, tempore Pipini, in Romanos & Rauennates irruptionem fecerunt: ut constat ex epistola Pauli ad Pipinum. & Desiderius exercitum Imperatoris Cõstantinopolis inuitauit: epistola Pauli ad Pipinum.

Et superstitiosa eius decreta contemnentes. Sic Constantinus mandatum Pauli tertij, de imaginum sacrarum restitutione & cultu, aspernatus est. Platina in uita Pauli.

Ac Longobardos, & postea Francos, ab amicitia & fœdere Pontificum auertere machinantes muneribus & pollicitationibus. Nam Leo Isaurus Eutychium eunuchum, eam ob causam ad Longobardos misit. Bergomensis libro decimo. Et Constantinus Copronymus à Pipino postulat, ut bona Longobardis erepta Imperiali iurisdictione restituat, & non Pontifici. Blondus decadis secundæ libro primo: & Aemylius libro 2. de gestis Francorum.

Et reges, qui episcopos suos Romani pontificis autoritati innitentes, bonis suis priuarunt. Cum Offa Merciorum rex sedem episcopatus à Cantua Lichtfeldam transtulisset: & Iambrithus archiepiscopus multis sudoribus fatigatus, crebra sedis Apostolicæ & uetera & noua edicta proferret, priuabat eum omnibus prædijs, quæ intra terminos suos erant. Vuilhelmus libro primo, capite 69.

Et depositionem pontificum suadentes. Offa rex Anglię Carolo suasit, ut Adrianum remoueret, & alium substitueret: ut colligitur ex epistola Adriani ad Carolum.

Et Longobardi Romæ dominantes, & iudicia exercentes, ut patet ex continuatore Eutropij, qui sic scribit: Inuadentibus Longobardis Italiam, & conuersis ad Christi fidem, fugati sunt Græci, & cessauit Imperium ab urbe Roma usque ad Francos. per reges enim principabantur Longobardi. Diuisis quippe Italiæ finibus, Spoletanorum dux Romæ constitutus est uice regis, tali pacto: ut quando Apostolicus obiret, interesset dux præfatus electioni futuri pontificis, accipiens plurima dona in partem regiam. Si autem lites inter Romanos surgebant, ex primatibus regis adueniebat missus cum eodem duce, ad deliberandas causas, & legalium iudicia. Et qui in culpam criminis incurrebant, regali puniebantur potestate, aut in exilium mittebantur, etiam inconsulto Apostolico, usque ad Zachariam præsulem: qui subdole, quasi pro familiaritate quadam, profectus est ad Carolum regem Francorum, eo quòd idem Carolus habebat filiam Desiderij regis Italici uxorem: inuitauitque eundem Carolum in Italiam,

seminans inter reges discordias, laudans & proferens illi Imperialia sceptra: accepitque ab eo securitatem, quo tempore ingredi deberet Italiam: iurantesque mutuò, reuersus est. Transeunte autem eo per fines regni Desiderij, separauit ab eo quosdam de suis, dans quibusdam plurima dona, quibusdam iurat dari similia. Accipiente autem Carolo hoc regnum, profectus est Romam: deditque ibi donaria multa, quæ usque hodie Romanum tenet dominium, de regni huius confinibus. Fecitque pactum cum Romanis, eorumque pontifice, & de ordinatione Pontificis, ut interesset quis legatus, & ut contentiosas lites ipse deliberaret. Constituebant autem annualia dona, in Papiæ palatium perducenda, auri libras decem, argenti centum, pallia optima decem, exceptis priuatis donis. Et quando Imperator adueniebat Romam, uel suus legatus, mittebantur iudices à palatio singulis annis, qui per cuncta Romanorum confinia legalia uendicabant placita, compellentes habitatores locorum illorum uenire ad placitum, iudicantibus eorum iudicibus rectam legem in præsentia Imperialium iudicum. Etsi alterius gentis inuenirentur habitatores, regali iudicio iudicabantur. Erant denique monasteria in Sabinis, Domini saluatoris, & sanctæ Dei genitricis Mariæ, necnon & monasterium beati Andreę apostoli iuxta montem Soractis, seu cætera fiscalia patrimonia, intra Romanos fines ad usum Imperialem. Non solùm autem in Italico regno, uerùm etiam in Francia proficiscebantur monachi, ferentes uectigalia, uina & alia donaria, iuxta uirium posse. Igitur Romanis in sua securitate gloriantibus, leuatum est cor illorum, iuxta illorum consuetudinem, uolueruntque Imperialem potestatem uendicare sibi. Resistente autem Leone papa, comprehẽderunt eum, uolueruntque eius eruere oculos. Eruerunt autem unum, & alterum non potuerunt, quia liberauit eum diuina miseratio: & eiectus est ab illis extra urbem, quasi perditis ambobus luminibus. Qui fugiens in Franciam, peruenit ad Carolum. Vnde accidit, eundem Carolum uenire pro uindicta Apostolici: cõprehẽdensq; Romanos, de maioribus eorũ uno die in campo Lateranensi fecit trecentos decollari.

Propterea inuentum est, ut omnes maiores Romæ essent Imperiales homines, tam episcopi quàm laici: & omne uulgus pariter cum his faceret fidelitatem Imperatori: & ut suus missus omni tempore moraretur Romæ, ad deliberandas litigiosas contentiones. Morabatur quippe in palatio sancti Petri: & erat constitutum, quanta & qualia stipendia de palatio ei darentur quotidie. Quod autem reliquum erat, de supradictis monasterijs uel patrimonijs, deferebatur affluenter. Tanta nempe imperialis uirtus ibi uigebat, ut si in legali iudicio minoris uel inscij causa postponeretur, & ille alicuius consilio pedes teneret legati Imperatoris, petens ab eo iustam legem, & missus adiuraret principes Romanorum dicens: Per eam fidem quam Domino Imperatori debetis, facite huic homini iustam legem: nemo erat ausus declinare neque ad dexteram neque ad sinistram, etiamsi à propinquis Pontificis illata esset iniuria. Multotiens uerò non ante Apostolicum, sed in iudiciali loco ad lateratus, ubi quidam locus dicitur Ad lupam, quæ mater uocabatur Romanorum, ibi iudiciariam legem finiebant. Compositiones quoque, quæ solebant, à malefactoribus æqualiter diuidebantur misso Imperatoris & Apostolici. Si autem talis culpa erat, ut res scelerata fisco publico subderetur, non ad Ecclesiasticam transibat subiectionem, nisi per donatiuum Imperiale præceptum. Si enim aliquis iram incurrebat Imperatoris, episcopus aut iudex Romanus, & licitum esset Cæsari uenire Romam, ueniebat. Sin autem mittebatur dux Spoletinus, comprehendebatur offensor, & ducebatur in exilium: domus uerò illius signabatur annulo regis, usque ad eius consultum, ut si quando reuerteretur ad gratiam, haberet propria salua. Sin aliàs, per Imperialia prę cepta distribuebatur militibus. Quod si ad iudicis potestatem reijciebatur quisquam, & Cæsaris adhæreret clementiæ, mittebatur pro tali negocio legatus ab Imperatore, qui diligenter examinaret rei ueritatem. Et si eiectus propriam haberet culpam, sustineret iniuriam. Catalogus testium ueritatis.

Et exarchi Romæ ius dicentes. Sic Iohannes Tizocopos patricius à Iustiniano exarchus Italiæ factus, clerum Romæ oppressit, & quatuor presbyteros interfecit. Blondus decadis 1. lib. 10.

Et postea conantes animos Romanorum, à Carolo ad Imperatorem Constantinopolitanum reducere. Nam hoc Desiderium & Paulum Aphiartam molitos esse, Platina refert in Stephano tertio. Idem apparet ex epistola Pauli ad Pipinum.

Et reges Francorum ius Romæ dicentes, & administrantes. Nam cum Leo tertius Carolo claues sacras, insigne pontificiæ dignitatis, & aquilam signum Romani imperij misisset, & se & Romam in eius fidem commendasset, ac postulasset ut legatos Romam amandaret, qui populi Ro-

mani fidem sacramento, Carolo deuincirent: misit Carolus duodecim proceres diuini iuris prudentes in Italiam & Romam, ut controuersias cognoscerét, supplices audirent, causas absoluerent, lites dirimerent,& ius dicerent. Auentinus libro quarto Annalium. Et Leonem pulsum restituit, & hostes eius partim exilio, partim morte multauit. Annales Francorum: Phrysingensis libro quinto, capite 30.

Et legati Francorum pontificibus uim inferentes. Nam Stephanus papa queritur, Christophorum & Sergium & Dodonem legatum Carolomanni, cum armis in Lateranense patriarchium ad se interficiẽdum irruisse. in epistola ad Carolum.

Et reges, qui oppidis & castris & agris & alijs bonis eos spoliarunt. Sic Aistulphus Ecclesiæ Romanæ eripuit ea, quæ à maioribus suis dicebantur collata. Adon ætate sexta: Iuo in Chronico sub Constantino. Eaque dixit à pontifice diabolico ingenio esse à Republica ablata. Liber pontificalis in uita Stephani secundi. Et postea facta pace, tributum Romanis indixit, in singula capita aureos singulos. Blondus decadis primæ libro decimo. Et postea Desiderius similiter multa subtraxit, quæ tamen restituere coactus est à Carolo. Liber pontificalis.

Et Romanus senatus, & ciues pontifici obedientiam præstare detrectantes. Nam etsi anno septingentesimo nonagesimosexto. Caroli authoritate inducti Romani iurauerant, se in posterum in pontificis potestate & obsequio futuros: tamen post biennium conati sunt se in libertatem asserere, & Reipublicæ ac Senatui asscribere ea quæ Cæsaris nimirum Constantinopolitani essent. Id molestè tulit Leo tertius pontifex: nam ipse sperabat se potiturum illis bonis. Mutius lib. 9.

DE OFFICIIS POLITICI *magistratus, in iuuanda gubernatione, & conseruanda disciplina Ecclesiastica.*

IMperatores & reges, ac alii politici gubernatores, interdum nonnihil ædificationem & disciplinam Ecclesiæ iuuerunt.

Nam, ut idonei & salutares in Ecclesijs, præsertim amplioribus, doctores constituerentur, curam egerunt. Sic Calistus, uir egregius, annuente Luitprando, Aquileiensem Ecclesiam suscepit regendam. Paulus libro sexto, capite decimotertio de Longobardis. Carolus contulerat episcopatum nobili adolescenti: sed cum uidisset eum gestientem in sellam equi insilire, reuocato dixit: Video ex moribus & gestibus tuis, te bello aptiorem quàm episcopatui, ubi oportet esse uiros pietatis & bonorum morum exemplaria. Tu igitur mecum ibis contra hostes militatum: alij magis idoneo munus episcopi imponemus. Nauclerus generatione uigesimaquinta. Et Mutius libro octauo testatur, Carolum etiam alios, ob mores pastore indignos, non modò reprehendisse, sed etiam ab officio deiecisse. Carolum Magnum ab Achaio Scotorum rege uiros eruditos petijsse, & Iohannem Mailrosium inter alios missum esse, Polydorus, Hector, Maior, & alij testantur. Balæus Centuria decimaquarta, cap. uigesimosecundo. Odilo dux Bauariæ, Virgilium præfecit abbatiæ Petri intra muros Salisburgi. Balæus Centuria decimaquarta, capite octoagesimosecundo. Et Constantinus & Irene Tarasium Constantinopoli episcopum fieri consentiunt. Metaphrastes in uita eius. Iussu Thessaloni ducis, Modestus consecratur Charinorum episcopus. Auentinus libro tertio Annalium. Carolus Ludgerum ex monasterio Beneuentano uocat, & episcopum Mymingrodensem constituit. Crantzius libro primo, capite tertio, in Metropoli. Potestatem eligendi pontificem, & inuestiendi, ut uocant, episcopos, Adrianus Carolo attribuit anno Domini septingentesimo septuagesimotertio. Sigebertus in Chronico. Iussu Carolomanni Bonifacius Burckhardum consecrat episcopum Vuirtzburgensem: & consensu Vtilonis ducis Bauariæ, & Suitogerionis præfecti, Vuilibaldum Aichostadij. Auentinus libro tertio Annalium.

Et minus idoneos ab officio remouerunt. Zacharias Pipino scripsit, ut episcopos adulteros & homicidas amoueret, & in laicorum ordinem redigeret. Auentinus in libro, Cur Deus Turcæ uictoriam largiatur contra Christianos: Hedio libro sexto, capite nono. Et Carolomannus in decreto Synodi suæ inquit: Falsos presbyteros & adulteros uel fornicatores diaconos & clericos, de peculijs Ecclesiarum abstulimus, & degradauimus, & ad pœnitentiam coegimus. tomo 2 Conciliorum.

Ad ueræ doctrinæ susceptionem & propagationem interdum siue gentes siue Iudæos hortati sunt, uerbis & edictis. Carolus magnus expugnata Sicambria quę nunc Buda uocatur, populum hortatur, ut fidem Christi suscipiant. Bonfinius libro nono, decadis primæ. Idem Vuitekindo persuasit, ut Christianus fieret. Crantzius. Lex pacis non alia fuit Carolo, quàm ut Saxones & aliæ gentes, abiectis idolis, Christi fidem amplecterentur. Metropolis Crantzij in Proœmio, & libro 1. cap. 1.

Aut

Aut episcoporum ablegatione promouerunt. Sic Britrichus Vestsaxonum rex, cum consilio episcoporum Angliæ, Vuillehadum in Frisiam misit post Bonifacium, ut isthic colligeret Ecclesiam. Crantzius in metropoli: & Balæus Centuria decimatertia, capite sexagesimo. Et Carolus Magnus Hunnis uictis præfectos & sacerdotes dedit, qui in ea gente Christianam fidem plantarent. Bonfinius libro nono, decadis primæ. Carolus Vuitekindo pontificem promisit se daturum, modò illi de habitatione prospiciat. Crantzius in metropoli lib. 1. cap. 9.

Aut episcopatuum institutione. Sic Carolus Magnus Bremensem, Mindensem, Padeburnensem, Vuerdensem, & alios episcopatus instituit, ad propagationem ueræ religionis, ut suprà diximus.

Tuebantur consensum in syncera doctrina. Anastasius Imperator, de suo consensu in sana doctrina, ad Romanum pontificem scripsit. Blondus decadis primæ, libro decimo. Et imperatores in Nicenæ actione prima: Sanctarum Dei nostri Ecclesiarum statum, qua possumus cura & consilio conseruare contendimus: sacerdotumque concordiam per omnia firmam & stabilem esse desideramus, Orientis uidelicet in partibus, Septentrionis, Occidentis & Meridiei.

Idololatrias abrogarunt. Sic Leo cultum imaginum abrogare studuit interdictis & supplicijs. Paulus libro uigesimoprimo rerum Romanarum. Et Carolus Magnus in Vngaria Hunnis cæsis, templa & idola demoliri iubet. Bonfinius libro nono, decadis primæ. Pelagius rex Hispaniarum, cœlesti auxilio fretus, finitimos ad Christi religionem compulit. Phrygio. Carolus idolum Crodo in Hartzburg, & fanum Veneris Megdeburgi subuertit. Crantzius in Saxonica libro secundo, capite nono. Et alia Saxonum idola. Crantzius in Metropoli libro primo, capite tertio. Et idolum Irmensul. Annonius libro quarto, capite sexagesimonono, de Francis. Et Constantinus Copronymus adorationem imaginum abrogauit: monachos iussit ducere monachas, & edere carnes: reliquias sanctorum & lipsana combussit, sanctorum intercessionem ficulneum præsidium uocauit. Zonaras tomo tertio. Paulus libro uigesimosecundo rerum Romanarum. Idem Aistulphus fecit.

A' uera religione recedentes, ui reducebant. Thessalonus dux Bauariæ cum cognouisset Venedorum proceres iugum religionis Christianæ excutere, in Chariorum regionem copias duxit: & Valdungum ducem Venedis designat, qui eos in fide contineat. Auentinus libro tertio Annalium.

Blasphemos coercebant. Præfectus summo studio annitatur, ut incantationes, auguria, sortilegia, & huiusmodi præstigias non abeant impunè: quę etiam auspicio Dei optimi maximi, diuorumque eius fiunt, quos huiusmodi contaminationibus magis ad iracundiam prouocari certum est. Carolomannus in edicto, apud Auentinum libro tertio.

De publica pœnitentia, aut gratiarum actione pro beneficijs indicenda, episcopos monebant. Sic Pipinus in epistola ad Lullum mandat, ut unusquisque episcopus in sua parochia, absque ieiunio indicto letanias faciat, Deum laudando, qui post maximam tribulationem magnam abundantiam dedisset. Et Carolus uictis Saxonibus, eisque ad fidem Christi adductis, petijt ab Adriano, ut curaret litanias & gratiarum actiones celebrari: quod & fecit, ut patet ex epistola eius ad Carolum. Et Carolus in Constitutionibus suis: De hoc, si famis euenit clades, aut inæqualitas aeris, uel alia qualiscunque tribulatio, non expectetur edictũ nostrum, sed statim deprecetur misericordia Dei.

Leges de rebus Sacris & Ecclesiasticis, non iuxta aulicorum distorta iudicia: sed iuxta episcoporum ex uerbo Dei propositas sententias, sanciebant. Sic Constantinus celebrato Concilio cum uiginti octo episcopis, decretum promulgat de non adorandis imaginibus. Paulus libro 22. rerum Romanarum. Et Carolomannus in Synodo sua, cum episcopis & populo decernit, ut paganas obseruans superstitiones, multetur undecim solidis. Nauclerus generatione uigesimaquinta. Et sacerdos scortator, in carcere pane & aqua pastus pœnas luat: & ut de bonis Ecclesię duodeni denarij contribuantur in sumptus belli. Auentinus libro tertio Annalium. Vbi inter alia Carolomannus sic inquit: Iuxta religiosorum sacerdotum & procerum meorum consilium rogauimus, iussimus, decreuimus, uoluimus, hæcque placita præscripsimus. Ethelbaldus cum Chutberto archiepiscopo cõsilium capit de emendandis uitijs, quæ Bonifacius increpauerat. Vuilhelmus libro primo, capite 66. de Anglis. Et Carolus Magnus constitutiones suas, quas in palatio Aquis fecit anno 20 regni sui, episcoporum iudicio subijcit.

Abusum excommunicationis præcauebant. Carolus Magnus in Constitutionib. suis edicit, ne excõmunicatio fiat sine causà.

Hæreticos damnatos à Synodis, & factiones, legibus & suo neruo reprimebant.

Alphonsus rex Hispaniarum, Arianum dogma funditùs extirpauit: unde Catholicus est appellatus. Ritius, & Phrygio, anno Domini 736.

Et alios sacerdotes seditiosos & contumeliosos in magistratum. Sic Carolomannus & Pipinus quosdam ex ijs qui aduersus Bonifacium concitabant populum, in uincula coniecerunt. Auentinus libro 3 Annalium. Et Carolus Anastasium legatū Adriani, contumeliosa quædam dicentem in ipsum, coniecit in uincula: ut patet ex Adriani epistola ad Carolum.

Ad uisitandas & instaurandas Ecclesias ab hæreticis turbatas, utebantur opera doctorum, & zelo Dei feruentium, & in pietate exercitatorum uirorum. Gratiæ actæ Carolomanno & Pipino ducibus Francorum, quòd Bonifacio in errones animaduertendi, impios exaugurandi, pios inaugurandi data potestas. Auentinus libro 3 Annaliū. Et Carolus ad Feliciani hæresin extirpandam, Francofurti episcopos omnes ex suo regno collegit. Regino libro secundo, & Annales Francorum.

Episcopos & presbyteros sui officij cōmonefaciebant: ut patet ex cōstitutionibus Caroli Magni, Aquisgrani factis.

Scelera & peccata prohibebant & puniebant. Adulteria, incœsta matrimonia, seuerius cohibeto: Carolomannus in edicto apud Auentinum libro tertio. Vsuras prohibet Carolus Magnus, in decretis Aquisgragrani, anno regni sui uigesimo. Item ut homicidia infra patriam, sicut in lege Domini interdictum est, nec causa ultionis, nec auaritiæ, nec latrocinandi fiant: & ubicunq; inuenta fuerint, à iudicibus nostris, secundum legem, ex nostro mandato uindicentur: & non occidatur homo, nisi lege iubente. Item: Et furta, & iniusta connubia, nec non & falsa testimonia, sicut sæpe rogauimus, prohibete diligenter, sicut & lex Domini prohibet. Idem prohibet ebrietatem, & coniurationes, quas faciebant per sanctum Stephanum, aut per nomen regis. Item edicit, ut nullus præsumat alium cogere ad bibendum, nisi quod ei necesse fuerit.

Consuetudines & leges, pietati & honestati & iusticiæ contrarias, abrogabant. Iustinianus legem apud Amasgos, de castrandis filijs, aboleuit. Paulus Diaconus in uita eius, & Cuspinianus. Carolus Magnus in Synodo Duriensi, capite octauo, homicidas & alios facinorosos, qui iuxta leges capitali supplicio afficiendi sunt, si ad Ecclesiam confugiant, uetat excusari, aut uictu foueri.

Et superstitiones. Carolus Magnus in Constitutionibus: Præcipimus ut caucolatores & incantatores, & tempestarij, & obligatores non fiant: & ubicunque sunt, emendentur, aut damnentur. Item de arboribus uel petris uel fontibus, ubi aliqui stulti liminaria uel alias obseruationes faciunt, omnino mandamus, ut iste pessimus usus tollatur. Item de tabulis uel codicibus requirendis: & ut nullus in Psalterio uel Euangelio, uel alijs rebus sortiri præsumat, nec diuinationes aliquas obseruare. Item prohibet, ne Ecclesiæ uel sancti nouiter in uenti uenerentur, sine episcopi autoritate.

Pios doctores defendebant. Carolus Martellus bellum suscepit contra Ratbodum Frisonum regem, eo quòd Christianos eiecisset, & Ecclesias destruxisset, atque idololatriam instaurasset. Hedio libro sexto, capite uigesimoprimo Ecclesiasticæ historiæ. Idem uicto Landofrido, Pirminium ab eo in exilium pulsum restituit. Auentinus libro tertio Annalium. Et Luitprandus Pennoni Foriiulianorum duci, qui in uincula coniecerat Callistum episcopum Aquileiensem, irascitur. Bonifacius in epistola ad Danielem: Sine patrocinio principis Francorum nec populum Ecclesiæ regere, nec presbyteros uel clericos monachos uel ancillas Dei defendere possumus, nec ipsos paganorum ritus & sacrilegia idolorum in Germania, sine illius mandato & timore prohibere ualeo. Carolus Magnus in Constitutionibus suis: Qui subdiaconum occiderit, trecentis solidis componat. Qui Diaconum, quadringentis: qui presbyterum, sexingentis: qui episcopum, noningentis: qui monachum, quadringentis solidis culpabilis iudicetur.

Rectè agentes laudabant, & muneribus ornabant. Sic Carolus Magnus Vuillehadum bene & de omni maritima regione promeritum laudat, & archiepiscopum Bremensem constituit. Cranzius in Metropoli.

Aegrotantes consolabantur. Pipinus Bonfacium ægrè habentem consolatur: ut patet ex Bonifacij literis.

Ministris Ecclesiæ immunitatem ab oneribus publicis concedebant. Carolus in diplomate Osnaburgensis Ecclesiæ inquit: Episcopo & successoribus eius perpetuam concedimus libertatem, & ab omni regali imperio absolutionem. Cranzius in metropoli libro primo, capite secundo. Et Carolus in Gallia omnes seruos clericorum libertate donauit, pro se & pro posteris suis omnibus. Erphordiensis capite sexagesimo octauo. Ethelbaldus in priuilegio inquit: Donatione me uiuente concedo, ut omnia monasteria & Ecclesiæ regni mei, à publicis uectigalibus in operibus & oneribus absoluantur, nisi in structionibus arcium & pontium

tium, quæ nulli unquam relaxari possunt: præterea habeant famuli propriam libertatem in fructibus syluarum & agrorum. Et in captura piscium: nec municula præbeant uel regi, uel principibus, nisi uoluntaria, sed liberi Deo seruiant. Vuilhelmus libro primo, capite 67. de Anglis.

Ecclesias dissidentes ad concordiam hortabantur. Carolus Magnus Romam ueniens, monet populum, à Leone dissidentem, ut pastorem animarum diuinitùs datum, ut nuncium supremæ maiestatis, ueneretur & obseruet. Auentinus libro quarto Annalium.

Pacem inter episcopos, abbates, comites & iudices ut conseruarent, operam dabant. Sic Carolus Magnus in Constitutionibus suis inquit: Vt pax sit, & concordia, & unanimitas, cum omni populo Christiano inter episcopos, abbates, comites, iudices, & omnes ubique seu maiores seu minores personas: quia nil Deo sine pace placet, nec munus sanctæ oblationis ad altare, sicut in Euangelio ipso Domino præcipiente legimus. quia & illud secundum mandatum est in lege: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Item in Euangelio: Beati pacifici, quoniam filij Dei uocabuntur. Et iterum: In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. In hoc enim præcepto discernuntur filij Dei & filij diaboli: quia filij diaboli semper dissensiones & discordias mouere satagunt, filij autem Dei semper paci & dilectioni student.

Libros Apocryphos legi & haberi interdicebant. Carolus Magnus in Constitutionibus suis inquit: Pseudographia, & dubiæ narrationes, uel omnino quæ contra fidem catholicam sunt (ut epistola pessima & fallacissima, quam transacto anno dicebant aliqui errantes, & in errore alios mittentes, quod de cœlo cecidisset) nec credantur, nec legantur, sed comburantur. nec in errorem per talia scripta populus mittatur: sed soli Canonici libri, & catholici tractatus, & sanctorum authorum dicta legantur & tradantur.

Bonis Ecclesiasticis conseruandis & augendis studebant. Pipinus Vaipharum Aquitanorum ducem, bona Ecclesiarum Francicarum obtinentem, armis cogit restituere. Regino libro secundo. Carolus Magnus ubique in regno suo abbatibus & episcopis, & alijs Ecclesiarum præsidibus præcepit, ut honestè ædificarent, ne pecunia in luxum uictus consumeretur. Mutius libro octauo. Præcipimus omnibus ditioni nostræ subiectis, ut nullus priuilegia Ecclesiarum, aut monasteriorum, aut Ecclesias diripere pertentet. Carolus Magnus in edicto suo. Decimas, bona ecclesiastica occupata à prophanis, restituimus. Carolomannus in edicto, apud Auentinum libro tertio.

Scholas & artium studia liberaliter fouebant. Carolus Magnus ab Achaio Scotorum rege, uiros eruditos petijt, & Clementem & Iohannem accepit, ac per eos Luteciæ & Ticini bonas artes docere curauit. Polydorus libro quarto de rebus Anglorum. Osnaburgi Græcas & Latinas scholas Carolus iubet aperiri, & clericos utranque linguam docere, quo possit eorum opera uti in legationibus. Crantzius in Metropoli libro primo, capite secundo. Academia olim ab Athenis Romam attracta, per Carolum Magnum Parisios transfertur. Vuernerus in Fasciculo: anno Domini septingentesimo nonagesimoprimo, iuxta Palmerium: & Balæum Centuria secunda, capite decimoseptimo. Idque opera quatuor monachorum, discipulorum Bedæ, Rabani, Albini, Claudij, Iohannis Scoti. Erphordiensis capite sexagesimo nono. ac tanta illam prouentuum & possessionum amplitudine locupletauit, quantam uix omnes Galliæ & Germaniæ, quæ inde postea natæ sunt, academiæ possent æquare. Curio libro secundo Chronologiæ. Et tribus aut quatuor seculis extinctum literariæ sapientiæ lumen, in mundo rursus accendit. ibidem.

Custodes erant Ecclesiasticæ disciplinæ. Carolus, contra Simoniam prælatorum & canonicorum Argentinensium, edicta promulgauit. Hedio libro 6. capite decimoquinto Ecclesiasticæ historiæ. Carolomannus in edicto suo falsos diaconos, presbyteros, adulteros & scortatores uetat ali bonis Ecclesiæ, & exauthorat: & ne quis ex clericis arma ferat, aut canes & accipitres & aues ad uenandum alat, apud Auentinum libro tertio Annalium prohibet. Pipinus in Gallijs cantum Ecclesiasticum reformauit. Sigebertus in Chronico, 751. & Inas rex Occidentalium Saxonum, religiosis leges condidit. Polydorus libro 4. de Angliæ rebus: & Balæus. Carolus Magnus edixit, ne ianitoribus Ecclesiæ liceret communi uestitu uti in Ecclesia: anno Domini septingentesimo nonagesimoquinto Sigebertus.

Lites de bonis Ecclesiasticis, delegabant cognoscendas & dirimendas episcopis. Ato Fruxinensis episcopus Meginhardũ Tigurinorũ monachorum præsulẽ, ob 14. decimas interceptas, in ius trahit ad regẽ. Dictus utrique dies, in contuberniũ Tigurini lacus. Arno Salisburgensis episcopus, & Elenandus primarius sacerdos, iudices a Carolo dati, cognita

cognita cauſa iuſsêre monachos, templa decimasq; ſuo pontifici reddere. Auentinus libro quarto Annalium.

Epiſcopis Eccleſias commendabant. Sic Carolus Herbipolenſi epiſcopo Eccleſiam Padeburnenſem in initio commendauit, donec iſthic epiſcopum conſtitueret. Crantzius in Metropoli libro primo, capite quarto & 11. Carolus Magnus Arnoni archiepiſcopo Iuuauienſi iniungit, ut Sclauorum regionem de uera religione erudiat.

Alijs epiſcopis imperabant, ut obedirent archiepiſcopis ſuis. Carolomannus in edicto ſuo inquit: Epiſcopi omnes, quos per ciuitates deſignauimus, Bonifacio archiflamini, nuncio Chriſti, & legato diui Petri, dicto audientes ſunto. Auentinus libro tertio Annalium.

Comitibus, ducibus, & præfectis ſuis, etiam ſeriò mandabant, ut epiſcopis iuxta Canones & leges obedirent, & iuuarent eos ſuo neruo, in bonorum Eccleſiaſticorum exactione & diſciplina: ut patet ex Conſtitutionibus Caroli Magni.

Synodos conuocabant. Sic Conſtantinus Copronymus Synodum cõuocauit, ad iudicandum & ſtatuendum de imaginum cultu. Paulus libro uigeſimoſecundo rerum Romanarum. In conuocatione iſta Taraſium patriarcham Conſtantinopoleos, & Adrianum papam conſenſiſſe, Erphordienſis refert capite ſexageſimonono. Vtilonem ducem ueſtrum à uobis adiri uolo, ut illius edicto conuentus ſacerdotum, antiſtitum, procerum, gentiſque indicatur. Gregorius tertius in epiſtola ad Viuilum. Orta quæſtione de Trinitate, & imaginibus ſanctorum, inter Oriẽtis & Occidentis Eccleſias, Pipinus in Gentiliaco uilla Synodum cogit. Annonius libro quarto, capite ſexageſimoſeptimo de Francis.

Aut epiſcopis poteſtatem conuocandi, & aſſenſum præbebant. Iuſtinianus Iohannem ſeptimum monet, ut Synodum cõuocet. Platina. Vitiſa ſanctis epiſcopis ſe in conuocandis Synodis cooperatorem præbuit. Gotthus libro decimoſexto, capite uigeſimoquinto.

Ac in ijs aderant & præſtabant, ut omnia ordine & tranquillè fierent. Carolomannus in Synodo Francica, tomo ſecundo Cõciliorum: Statuimus per annos ſingulos Synodũ congregare, ut nobis præſentibus Canonum decreta & Eccleſiæ iura reſtaurentur, & religio Chriſtiana emendetur. In Nicena Synodo Theophylactus comes imperialis obſequij, & alij politici interfuerũt: ut patet ex actis.

Et unicuique dabant libertatem, ſine omni formidine ea loqui, quæ animo concepiſſet, quo ueritas magis magisque eluceſceret: ut patet ex epiſtola Imperatoris & Irenes, in actione prima Nicenæ 2.

Communes preces ab epiſcopis expetebant, pro felici gubernatione, & rerum ſalutarium ſucceſſu. Ethelbertus Cantiorum rex mittit Bonifacio caucum argenteum intus deauratum, penſantem libras tres & ſemis: & duo repte, ea intentione, ut Bonifacius ſuarum precum ſuffragia ſibi impertiat: ut conſtat ex epiſtola ad eundem. Idem petit Cenulphus à Leone pontifice in literis. Vuilhelmus libro primo, cap. ſeptuageſimo de Anglis.

Sedes epiſcopales & archiepiſcopales, quò uolebant collocabant, aut transferebant. Inas Vuelliæ ſedem epiſcopalem collocat: & à Cantijs archiepiſcopalem ſedem Lichefeldiam, ab Offa Merciorum rege translatam. Vuilhelmus libro primo, capite ſexageſimonono de Anglis. Cenulphus ſucceſſor reſtituit. Polydorus libro quarto. Carolus Magnus quatuor epiſcopatus ſuper Vuiſeram fundauit: Mindẽſem, Bremenſem, Herſtallenſem, qui ad fontem Poduli ſeu Padelbornum translatus eſt, & Vuerdenſem: item Oſtrouici, Schydræ, & in Aulica, & Hamburchi. Erphordienſis capite ſexageſimooctauo, ſexageſimonono. Omnes Francorum principes ſedem metropolitanam Bonifacio elegerunt, Moguntum nimirum: quod approbat Zacharias in quarta epiſtola ad Bonifacium, tomo ſecundo Conciliorum.

Ad bibliothecas inſtruendas ſumptus conferebant. Carolus Magnus ſermones Patrum, homilias ſanctorum, & martyrologia diligenter inquiri & conſcribi iuſsit. Saxonica Crantzij libro ſecundo, capite nono. Et omnium nationum quæ ſub ipſo erant, memorabilia geſta, quę in literas nondum erant relata, ſcribi mandauit. Crantzius libro eodem, cap. 2.

Templorum, monaſteriorum, xenodochiorum ædificationem, exornationem, & renouationem ſuis ſumptibus, reditibus & priuilegijs promouebant. Carolus Magnus ſpolijs & theſauris in Vngaria repertis, multas eccleſias & monaſteria ædificauit. Auentinus libro quarto Annalium. Luitprandus Papiæ templa plurima extruxit, additis multis prædijs. Bergomenſis libro decimo. Idem ſacras ædes, ubicunque in toto regno ſuo uetuſtate collapſas comperit, pontificibus & abbatibus, ad quorum curam pertinebant, ut reſtaurarentur, impetrauit, adhibens curam per legatos ut imperata perficerent. Eginhardus in uita Caroli, & Vrſpergenſis in Chronico. Carolus mille libras ſtanni ad tectum

Eccleſiæ

ecclesię Petri Romam misit. Adrianus in epistola ad eundem. Et xenodochia quibus uolebant conferebant: ut patet ex Constitutionibus Caroli.

QVAE A' POLITICIS VIris *contra suum officium & Ecclesiæ utilitatem gesta sint.*

ABusi tamen nonnunquam magistratus & aulici consilarij sunt sua potentia, contra Ecclesiæ utilitatem.

Nam quidam hæreticis opinionibus dediti, pro ijs propagandis edicta fecerunt impia & iniusta. Philippicus imperauit, ut de homousio Romanus & Constantinopolitanus clerus consentirent. Paulus libro sexto, capite undecimo.

Aut idololatricos cultus confirmarunt & promouerunt. Sic Constantinus & Irene cultum & adorationem imaginum strenuè defensarunt & propagarunt: & ciues rectè sentientes spoliatos armis urbe eiecerunt, ut Paulus Diaconus & Ignatius in uita Tarasij indicant, & suprà de Persecutione retulimus. Et Artabasdus imperator imagines, quas Leo & Copronymus abstulerant, propter uenerationem impiam restituit. Paulus Diaconus, & Honorius in Chronico.

Quidam planè ineptos & impios Ecclesijs obtruserunt ministros & episcopos. Defuncto Sergio, Mauricius Rauennã cum copijs ingressus, Michaelem ui ordinat episcopum. Platina. Liber pontificalis.

Quidam hæreticos restituerunt, cum nõdum egissent pœnitentiam. Sic Philippicus Cyrum ad monasterium suum redire iussit. Paulus libro sexto, capite undecimo, de Longobardis.

Quidam synceros & constantes doctores afflixerunt. Vitiza rex Gotthorum, cum ex ephebis excessisset, episcopos, sacerdotes & alios ministros Ecclesiæ persequitur: & patrum constitutiones & Ecclesiæ autoritatẽ, quæ eius flagitijs aduersabatur, abrogat. Gotthus libro 16. capite 25. Carolus Martellus Eucherium Aurelianensem, & Robertum Remensem, episcopos in exilium eiecit. Hedio libro 6. capite 17. Dicitur quòd præfecti & comites sui maiorem uiolentiam & seruitutem monachis & sacerdotibus irrogent, quàm cæteri Antichristiani reges fecissent. Bonifacius in epistola ad Ethelbaldum.

Quidam Baalismum instituerunt, aut confirmarunt. Luitprandus intra palatium suum, oratorium construxit: ubi & sacerdotes & clericos multos instituit, qui die noctuq; exoluerent diuina officia. Bergomensis libro decimo. Carolus Magnus psallendi legendique officia in Ecclesia discreuit, ipse se choris psallentium immiscuit: coram se ubicunque esset diuinum peragi religiosè curauit officium ac ministerium. Crantzius in Saxonia libro secundo, capite nono. Et Carolus in Constitutionibus suis inquit: Cantum Romanum pleniter discant, ordinaliter per nocturnale uel graduale officium peragatur, secundum quod beatæ memoriæ genitor noster Pipinus rex decertauit ut fieret, quãdo Gallicanum tulit, & ob unanimitatẽ Apostolicæ sedis, & sanctæ Dei Ecclesię pacificam concordiam.

Aut bona Ecclesiæ suo fisco & ærario, sine aliqua necessitate Reip. uendicarunt. Sic Leonem fecisse, Paulus Diaconus libro uigesimoprimo rerum Romanarum narrat, eo quòd tria & dimidium talenta auri, quæ Ecclesijs solui solebant, suo ærario adscripsit. Et Thracensium prætorem, omnes sacros libros & uasa ecclesiarum & monasteriorum uendidisse, Iuo narrat sub Cõstantino. Bonifacius Ethelbaldum regem Merciorum accusat, quòd multa priuilegia ecclesiarum & monasteriorum fregerit, & facultates inde abstulerit. Vuilhelmus libro primo, capite 64, de Anglis.

Ex superstitione uerò magistratu sese abdicarunt, & clerici aut monachi facti sunt. Rachis Longobardorum rex, cum uxore & filijs Romam ueniens, à Zacharia monachus creatur, anno Domini septingentesimo quadragesimo. Sigebertus. Sic postea anno septingentesimoquinquagesimo, Hildericus Frãcorum rex monachus factus est. idem. Carolomannus Romam profectus, dimissa seculari gloria, habitum mutauit: & in monte Soracte monasterium Syluestri ædificauit, ibique monachum egit, paulo pòst ad Casinum montem commigrauit. Annonius libro quarto, capite sexagesimo, de Francis.

Alij impias consuetudines tolerarunt. Sic Luitprandus consuetudinem de monomachia, impiam quidem fatetur in titulo nonagesimoprimo Legum Longobardicarum: sed tamen se eam abolere non posse ait.

Alij ex superstitione, in martyrum & mortuorum honorem, magnas impensas fecerunt. Carolus Magnus Galecianam Iacobi ędem inuisit, ditatq; prædijs amplissimis, & instruit donarijs. Sabbellicus Enneadis 8. libro 8. ex Turpino. Inas ob Iosephi Arimathiẽsis memoriam, Glasconiense templũ extruxit, cum cœnobio Benedictinorum, & prędijs locupletauit. Polydorus Vergilius li. 4. de reb Anglię: & Balæus. Offa reliquias Albani gemmis & auro, & templo & monasterio honorat, magnis impẽsis. Vuilhelmus

libro primo, capite 69 de Anglis. Carolus Parisijs basilicam Dionysij multis muneribus ditauit. Annonius libro quarto, capite 57 de Francis.

Et superstitionem de reliquijs sanctorum uenerandis, suis edictis confirmarunt. Carolus Magnus indixit per totum orbem, ut idibus Iunij uenirent Aquisgranum, ad contemplandum reliquias de Hierosolymis allatas. Erphordiensis cap. 69.

Item de spirituali cognatione. Sic Luitprandus rex Longobardorum, in legibus suis titulo 24. sancit, Ne quis commatrem suam ducat uxorem, nec filiam quam de fonte leuarit.

Alij erga episcopos & monachos profusè largi fuerunt. Carolus Magnus Arnoni pontifici Iuuauiensi, eiusque successoribus subiecit ea loca quę Hunni & Auares tenuerant. Auentinus libro 4 Annalium. Et monachos à patriarcha Hierosolymitano missos, muneribus amplissimis onustos à se dimisit. Adon ætate 6. Auentinus lib. 4 Annalium. Carolus prædam in Pannonia repertam, per episcopatus & monasteria largissimè distribuit. Saxonia Crantzij libro secundo, capite sexto.

Alij in suscipiendis pontificijs ceremonijs, nimis faciles fuerunt. Sic Naitanus rex Pictorum, Ceolfridi abbatis literis permotus, Romanas ceremonias Paschatis, & tonsuræ, & similes suscepit, & suis imperat. Beda libro 5. capite 22 de Anglis. Et Pipino autore, ritus Romanæ ecclesiæ primùm in Franciam translati & suscepti sunt. Ganguinus libro tertio, anno 751. Sigebertus. Et Carolus Magnus in Constitutionibus suis Aquisgrani factis imperat, ut secundum morem Romanum baptizetur in Francia.

Ac in ijsdem propagandis nimis fuerunt seueri. nam Missa, & officium Romanum à Gregorio compositum, & in synodo Romana approbatum, diuulgatum est authoritate Imperiali: ut Durandus ait. Nam Carolo executio mandata est, qui minis & tormentis Romanã missam alijs populis obtrusit. Can. Adrianus. dist. 63. Bibliander in Chronologia: & Carolus Magnus libro primo, capite sexto, de Cultu imaginum.

Superstitiosum est, quòd monasteria uirorum & uirginum erexerunt, ac in ea filios & filias suas abdiderunt. Aistulphus monasteria uirginum ædificauit, & filias suas Deo dicauit. Platina in Paulo. Bergomensis lib. 10. Vtilo Boiorum regulus, septem ædes monachis construxit. Auentinus 3 Annalium.

Et de ijs instituendis & reformandis, supra modum solliciti fuerunt: ut patet ex Caroli Magni Constitutionibus.

Ac ignauum & ociosum illud genus uitę, largitionibus & priuilegijs confirmarunt. Carolus Magnus secundum numerum alphabeti monasteria condidit, & in singulis literam auream centum librarum Turonensium collocauit. Mutius lib. 8. Carolus cum ad Casinum montem uenisset, omnia monasterij dona ab alijs principibus Benedicto data confirmauit. Platina in Adriano. Offa Albano cœnobium extruxit, & Benedicti regulam in eo ualere iussit Polydorus libro 4 de Anglis. Cenulphus itidem fecit: ibidem. Carolus Roberto abbati & ecclesiæ Vincentij immunitatem dedit ab omnibus uectigalibus. Annonius libro quinto, capite primo de Francis.

Et propagarunt. Carolus per Adilgarium à Theodemaro abbate Casinẽsi petijt, ut sibi monachos mitteret, qui disciplinam Benedicti in Francię monasterijs instituerẽt. Hostiensis libro primo, capite decimoquarto, de cœnobio Casinensi.

Romanos legatos, ecclesias charactere pontificio signantes, nimis studiosè promouerunt. Carolomannus Bonifacio literas dedit, ad omnes Galliæ & Germaniæ principes & magistratus, ut eum exciperent, & securum pręstarent, & omnibus quibus opus esset iuuarent. Mutius libro septimo. Ac eos qui sese illi reformatori opponebãt, ut impios & seditiosos ui oppressit: ut patet ex Auentini libro tertio Annalium. Pipinus Ratobodum Frisonum ducem coegit audire, Clementem à Sergio pontifice illi genti episcopum datum. Æmylius libro primo de Francis.

Alij Ecclesiasticis uiris nimium potestatis concesserũt in negocijs ciuilibus, eosque seculari brachio armarunt. Sic Pipinus rex Francorum coronatus, Burckhardo & successoribus eius ducatum Ostrofrancię donauit: ut Valentinus Muntzer in Chronographia ætate tertia indicat. Et Pipinus & Carolomannus, Bonifacio Moguntiam sedem metropoliticam dederunt: ut constat ex epistolis Bonifacij, apud Nauclerum generatione 25. Artemius imperator ex assensu pontificum, ingentem classem in Arabes, Alexãdriam misit. Ignatius libro 2. Et Carolus in iudicio Franciæ sex episcopos, & sex politicos uiros constituit. Ganguinus libro tertio. Carolus Herimberto episcopo Mindensi ministros non paucos, nec paruos adiecit, ut haberet Ecclesia defensores suos. Metropolis Crantzij libro primo, capite nono. Omnem prouinciam à Drauo flumine Anassum uersus, unde Hunni & Auares exacti sunt, Arnoni Iuuauiensi pontifici eiusq; successoribus perpetuò addixit Carolus. Auentinus libro quarto Annalium. Abbatẽ Fuldẽsem mille milites imperatori alere,

Vin-

Vincentius libro 23. capite 151 indicat. Quę bona ecclesię Bremensi Carolus largitus sit, ex eius priuilegio liquet: quod extat in Saxonia Crantzij libro secundo, capite 15. & in Metropoli libro primo, capite 7 & 8. Carolus adiecit episcopis suum gladium, ut haberent quo & contumaces terrerent, & distringerent. Crantzius in procemio Metropoleos. Carolus anno Domini 781 Roma in Franciam reuersus, terram Saxonum inter episcopos diuisit, & singulis suos fines assignauit. Chronicon Quedlinburgense. Pipinus Crodegango adiungit copias Francorum, ac potestatem ei facit, Agaunensibus Gorgonij reliquias auferendi. Liber de uita Crodegangi, capite 11.

Alij nimis liberales fuerunt in episcopos Romanos, eisq; ecclesias subiecerũt. Luitprãdus rex nõ solùm quatuor ciuitates, sed insuper Sabinense patrimoniũ, & Narniã & Anconam & Cumanã ciuitates, & uallẽ Sutrini agri, põtifici Zacharię dono dedit. Blondus decadis 1. libro 10. Crantzius in Dania libro 3. capite 35. Et postea cùm idem rex Rauennam obsedisset, ab Eutychio exarcho rogatus Zacharias, ad eum accessit: & effecit ut cuncta quæ de Aemylia aut Rauennatib. cæpisset, sibi redderet, excepta Cæsenatis oppidi parte. Blondus libro decimo, decadis primę. Carolus partem thesauri, quam ab Heinrico duce Foroiulianorum acceperat, Romano pontifici misit. Adon ætate 6. Eginhardus in uita Caroli, folio 120. Adrianus in epistola ad Carolũ indicat, se die noctuq; pro eo preces facere, ut Deus ipsi cunctas barbaras nationes subijciat, ut uestigia pedum eius ad sanctæ Dei Ecclesiæ exaltationem osculari cogantur.

Et regna sua uectigalia fecerunt: id quod de Ina Occidentalium Saxonum circa annũ Domini 740, & de Merciorum rege Offa circa annum 775, Polydorus refert: qui sua regna Romano pontifici tributaria fecerunt. Libro 4 Anglicæ historiæ.

CAPVT VIII. DE SCHISMATIBUS.

DISSENSIO INTER IVSTINIANUM, & Iohannem Papam septimum.



IVstinianus imperator, qui ob synodũ Constantinopolitanã alteram, offenderat Romanos põtifices, ut in superiori cẽturia exposuimus: reuersus ad Imperiũ, cogitauit de illis sibi recõciliãdis: duosq; episcopos metropolitanos Romã ad Iohannẽ 7. ablegauit, atq; obtulit libellũ suæ cõfessionis: ac postulauit, ut is collecta synodo eum approbaret, atq; ita cõsensus inter Orientis & Occidẽtis ecclesias cõstitueretur. Sed Iohannes, pro sua ambitione, id planè facere recusat: ac legatos & libellos re infecta dimittit. Imperator uerò aliquãto pòst, Constantinũ papam ad se euocat Constãtinopolin, eiq; pedes osculatur, ab eoq; petit remissionẽ peccatorũ: & cõfirmat priuilegia Romanæ ecclesiæ, ac Felicem Rauennatẽ episcopũ & ecclesiã eius Romano pontifici armis subijcit, atque hoc modo iratorũ istorũ deorum irã placat. Platina in uita Iohannis 7. & Constantini 1. & Nauclerus generatione 24.

SISINNII, DIOSCORI & Bonifacij dißidium.

Inter Sisinnium & Dioscorum fuit cõtentio de põtificatu. Sed Dioscoro superato, Sisinnius eã dignitatẽ arripuit: quã tamen per dies 20 tantùm obtinuit. Defuncto aũt eo, Dioscorus ui põtificatũ occupat: quẽ rursus Bonifacius pellit. Horũ nomina inter põtifices nõ recenseri, Vuernerus in Fasciculo temporum putat: eo quòd dubitatum sit, an essent ueri successores. ætate 6.

SVB PHILIPPICO.

Dißidium inter Philippicum & Romanos pontifices, de sexta Synodo, & picturis.

CAusam dissidij inter Constãtinum & Philippicum, Historici nõ satis clarè exponunt: simultatem tamen quandam inter ipsos fuisse oportet. Nam quia metuit eum, dissuasit Iustiniano, ne armis ipsum lacesseret. Narrant autem pleriq;, eum Sextã synodum improbasse, adeò ut picturam acta illarum rerum continentem, à parietibus S. Sophiæ abraserit: & Cyro patriarcha cum Romanis sentiente deposito, Iohannem monachum substituerit. Eam uerò rem adeò displicuisse Constantino populoq; Romano, ut habita synodo, Philippicum & Iohannem damnarit hæreseos Constantinus: & decreuerit, imagines Patrum qui sex illis Synodis interfuissent, in porticu Petri pingendas esse: ac interdixerit publicè, ne quis Imperatoris hæretici nomen uel imaginem, siue in scriptis, siue in nummis reciperet: anno Domini 712, iuxta Sigebertum: Paulus Diaconus libro 20 rerum Romanarum: Platina in uita Constantini. Dum autem Petrus præfectus autoritatem Imperatoris tueri conatur, à Christophoro & alijs pontificijs grauis seditio excitatur: ut in uia Sacra ante Palatium, res armis tractaretur, & utrinque fieret cædes: ut habet Liber pontificalis. Postea uerò Anastasius & Theodosius, se cum Romanis sentire, & imagines atque picturas uenerari & colere, testati sunt. Paulus Diaconus in uitis eorum: & Beda libro 2 de Ratione temporum.

SVB THEODOSIO.

Dissidium inter archiepiscopum Mediolanensem & papam Romanum.

Ticinensis episcopus contra Mediolanensem elatus, nolebat amplius esse sub eius iurisdictione. Romani autem, more miluorum, ut utrunq; bellatorem raperét, in occasiones intenti erant. Ticinensis Mediolanésem ad pótificem accusat. Venit Benedictus Mediolanensis Romá, ut causam suę ecclesiæ agat. Sed Constantinus pontifex, seu (ut alij nolunt) Gregorius 2. Ticinésem ecclesiá sibi adiudicat, eo quòd olim Ticinenses episcopi à Romanis fuissent consecrati. Atq; ita Ticinensis ecclesia uitás fumum, in inextinguibilem ignem seipsam præcipité egit. Paulus libro 6. capite 10. de Longobardis. & Platina in uita Constantini papæ primi. Et non multo pòst Stephanus 3. etiam Mediolanésem ecclesiá in suá potestatem redegit. Liber pontific. & Balæus in Actis pontificum.

SVB LEONE.

Dissensio ob imaginum cultum.

Idololatricus imaginú cultus, multas turbas in ecclesijs dedit. Ná Mahumetani nihil habebát splendidius, quod in Christianis reprehéderent, quàm imaginum & ossium mortuorú uenerationé superstitiosam & impiá. Id uerò malú cùm Leo Isaurus, & quidá alij rectè sentiétes uereq; pij episcopi conantur amoliri, à forti armato oppressi sunt. Leo enim colligit Synodú, & re in disceptationem deducta, ueritatem agnoscit: non rectè sanctos, eorumq; imagines & reliquias adeò superstitiose coli & adorari: ac ne id amplius fiat, edicto cauet: insuper argéteas, aureas & ligneas statuas igne purgat, atq; è medio tollit, ne occasionem peccandi, uel Saracenis materiá blasphemandi Ecclesiam Dei ulterius præbeant. Hac de re etiam ad Romanum pótificem diligenter scribit, monés ut idem in Italia fieri curet. Huic bono & pio conatui Imperatoris, sese opponit Germanus, falsò asserens Antichristú fore imaginú euersorem: cui adhærét & professores in collegio œcumenico, alijq; nónulli superstitiosi & seditiosi ciues, quos Imperator cohercet. Pontifex uerò Romanus Gregorius 2. Imperatoré frustrà rogatú ut parceret imaginib. collecta synodo excómunicat: atq; Romá & uniuersam Italiá, imò insuper omnia tá Reip. q̃ Ecclesiastica iura in Hesperijs, ab obedientia & imperio Leonis remouet: Cęsariq; césum & uectigalia dari manifestè ꝓhibet: nimirú ut seditiosissimi Antichristi notas ostétet, anno D. 728. Idé paulo pòst Gregorius 3 quoq; designat, anno D. 731. Sigeb. Præterea cú Francis fœdera noua init, ut aduersus Leonem præsidiú haberet. Iohánes etiá Damascenus cú episcopis Orientis sese strenuú εἰκονολατρείας exhibet propugnatoré, atq; Imperatorem eá ob causam anathemate ferit. Paulus Diac. lib. 6. cap. 14. de Longobardis: & libro 21 rerum Rom. Et Zonaras tomo 3. Et Platina in Gregorio 2.

Dissidium inter Calistum & Pemmonem.

Amator episcopus Foroiulianus, à Calisto patriarcha Aquileiési ui de domo sua deturbatur. Id Pemno dux & nobiles Longobardi indignè ferentes, Calistum apprehensum in Potium castellum ducunt, ibiq; in carceré conijciunt. Sed Luitprandus in Pemnonem eam ob causam animaduertit. Paulus Diac. libro 6. capite 14. de Longobardis.

Dissensio Britannorum de Paschate, & alijs ceremonijs Pontificijs.

Pictos & Scotos & Britones, etiam post synodum in Strenesbalch, suá sentétiam de Paschate atq; alijs ceremonijs retinuisse, diximus suprà. Sed sub initium huius seculi, Naitanus Pictorú rex, à pótificijs instructus, in eorú cócessit sententiá: atq; ad Ceolfridú abbaté scribes, rationes petijt, cur oporteret Romano more pascha celebrari atq; tóderi, & nó alio. Ceolfridus aút satis prolixa epistola respódet, in lege pręceptum esse, ut pascha primo mense anni, & tertia eiusdé mensis septimana, id est, à quintadecima die usq; ad uicesimamprimam fiat: & additum esse per institutionem Apostolicam ex Euangelio, ut in ipsa tertia septimana dies Dominicus seligatur, ac in eo paschatis initium statuatur. Deinde de tonsura quidé ait, non nocere eius uariationem illis, quibus pura fides est in Deum, & syncera charitas erga proximum: sed tamen ideo in coronam attonderi oportere catholicos, quia Petrus fuerit attonsus: quodq; eo modo quo Britones tódeantur, olim Simon magus fuerit rasus. Hac epistola lecta, rex Naitanus in consessu doctorum & procerum Deo gratias agit, & decretum facit de paschate & tósura in eum modum obseruanda. Beda libro 5. capite 22. Non multo pòst etiam Huenses monachi, ab Ecgberto instituti, sub abbate Duumchado, anno nimirum Domini 728, Romano more pascha celebrare incipiunt. Beda libro 5. capite 23. Britones uerò totius Ecclesiæ catholicæ statutum, pascha & alias ceremonias pótificias respuerunt, & impugnarunt. Beda libro 5. capite 24.

SVB CONSTANTINO

Copronymo.

Inter Bonifacium & episcopú Colonię Agrippinæ, lis quædá orta est, de Traiectési ecclesia. Coloniensis enim, eá ad suá iurisdictioné ptinere affirmat: Bonifacius uerò, sibi & Romano pótifici eá adscribere parat. Coloniensis pro suo iure allegat donationem

Dagoberti regis Francorum. Sed Bonifacius respondet, eo fine donationē esse factam, ut Coloniēsis ex illo loco ad Frisonū gentem, ueram religionem propagaret. id autē cum non sit factū, ius eius Ecclesiæ esse amissum. Deinde cum Vuillibrordus à Sergio Romano sit eò missus, ac is destructam illā Ecclesiam rursus ædificarit, Frisonesq; ad fidem Christi prædicando uerbum Dei adduxerit: iure eam Ecclesiā deberi Romano pontifici, ut qui Vuillibrordum ordinarit, atq; eò miserit, & per ipsum in istis locis collegerit Ecclesiam. Re ad pontificē relata, pro se potius quàm pro alio sententiam tulit, ac Coloniensem insuper Bonifacio addixit: ut patet ex epistolis Zachariæ & Stephani ad Bofacium, in secundo tomo Conciliorum.

Dissensio ob imagines.

Constantinus Copronymus, uerā sententiam de abolēdo superstitioso imaginū cultu amplexus, eam quoq; conatur cōseruare & propagare: atq; Synodo collecta, errorē de imaginū cultu, intercessionem sanctorū, & uenerationem reliquiarū damnat: & Iohannem Damascenū, aliosq; episcopos excōmunicat, ac monachos ducere uxores cogit: uiq; cohercet eos, qui cōtra Dei & Synōdi & suū decretū imagines uenerabātur, earumq; cultū tutabantur: ut patet ex libro 22 Pauli Diaconi rerum Romanarum, & Zonara tomo 3.

Alia dissensio propter imagines.

Gandaui excitatur anno Domini 752, ciuilis motus, propter sanctorum imagines: quas alij ceu idololatriæ instrumenta execrabantur: alij uerò colendas, atq; in templa ponēdas esse censebāt. In ea aūt discordia interfectus est Hildebertus abbas Blandiniensis, qui cōtra fautores Cæsaris, decretis Pontificum de habendis statuis adhæsit. Iacobus Meier in Chronico Flandriæ.

Dissensio circa Pascha.

Anno Constantini uigesimo, quidam in Oriente, Pascha octauo idus Aprilis celebrat: quidam uerò idibus Aprilis. Paulus Diaconus libro 22 rerum Romanarum.

Dissensio de Baptismo iterando, inter Bonifacium & sacerdotes Boiariæ.

Sacerdos quidā Bauarus, Latinæ linguæ ignarus, inter baptizandū dixerat: Baptizo te in nomine patria, & filia, & spiritus sancta. Bonifacius Pontificis legatus, & reformator Germaniæ, baptizatū censet rebaptizandum esse: quia non sit Latini sermonis proprietas obseruata. Sed Sidonius & Vergilius episcopi, doctiores Romano illo asino, dissentiebant ab eo, & rebaptizationē impediebant. Res ad pontificem tandē refertur ab utrisq;. Ille pronunciat, linguæ erratū absq; omni dolo & fraude admissum, nō impedire uim baptismi. Constāt hæc ex epistola Zachariæ, in 2. tomo Conciliorū: & Auentino, 3. Annalium: & Balæo Centuria 14. capite 82.

Dissensio de Antipodibus.

Virgilius pro concione dixerat, esse Antipodes. Id cum Bonifacius geometriæ ignarus audijsset, statim pro sua libidine insectandi uiros bonos reprehēdit, & in calumniam trahit, quasi aliū mundum, alios sub terra homines, aliū deniq; solem atq; aliā lunā esse assereret: & iubet eum publicè errorē fateri, atq; retractare. Sed Virgilius eum refutat, & ad regem Vtilonem accusat. Bonifacius continuò efficit, ut Zacharias papa, quem uelut numen quoddam Bauari suspiciebant & uenerabantur, ad Vtilonem scribat, ut Virgilium deponat, si non ab errore discedat: Romamque ad examen mittat. Idem etiam Pontifex ad Sidonium & Virgilium scribit, eosq; Bonifacio subesse atq; parēre præcipit. Auentinus libro tertio Annalium.

Dissensio inter Bonifacium & Albertum, & Clementem & Samsonem.

Albertus, & Clemens, & Samson, & complures alij à Bonifacio dissenserunt, atq; cōtra eum uoce & scriptis pugnarunt, quòd Ecclesias Romano pontifici subijceret: ac potestatem regiā apud Francos, à legitima stirpe Merouei, ad adulterinam progeniē Pipini transtulisset: quòd reliquiarū sanctorum uenerationē, purgatoriū, oblationes pro mortuis prædicaret: & sacerdotū coniugium abrogaret: atq; exorcismis uteretur, fœminasque non sine suspicione secum duceret. Sed eam ob rem à Pontificib. hæreseos damnati, atq; oppressi sunt: ut apparet ex Auētini lib. 3. & Balęi Centuria 14. capite 30. 31. 32. Luzeburgicus eos inter hæreticos recenset: sed non exprimit, qua in re errarint.

Dissensio Romana circa electionem Pontificis.

Stephano secundo defuncto, alij Theophylacium, alij Paulum eligunt: sed tandem una parte dispersa, in Paulum Diaconū consentiunt. Platina, & Liber pontificalis.

Alia Romana seditio.

Paulo defuncto, Desiderius Totonem Nepesinum ducē excitat, ut Romam cum exercitu eat: & Constantinum fratrē suum, siue largitionibus, siue ui Pontificē cōstituat. Id ille dat effectum, atq; Philippum competitorem armis reprimit. Cum autem Constantinus annum Ecclesiam gubernasset, & in sententiam Constantini de imaginū cultu abrogando propensus esset: populus Romanus seditionem mouet, ac illum de pontificatu deijcit: & Stephanum tertium eligit. Platina, Liber pontificalis.

SVB LEONE COPRONYmi filio.

Monachi quidā in cœnobio Vincentij, abbates suos Autbertū & Pothonem

detulerant ad Carolum Magnū, quòd cōtra eum conspirassent. Carolus eos Romam ad Adrianum ablegat, & iubet eum inquisitionem facere. Autbertus in itinere obit mortem. Cum auté alij Romā uenissent, & res in cōsessu coram Pontifice & alijs tractaretur, monachus accusat Pothoné, quòd cum pro incolumitate regis fuisset psalmus, Saluum me fac Domine, cantandus, ille surrexisset: & quòd in priuato sermone contra regis maiestatem quædam dixisset. Item alij tres monachi eum accusant, quòd se ad regé ire cupientes, in carceré coniecerit. Potho respondet, se ob alia negocia monasterij surrexisse: & negat quicquam contra honoré regis dictū à se esse: & se absente incarceratos illos esse affirmat, quia uisi fuissent fugam adornare, atq; uitam monasticam deserere. Pontifex accepto iureiurando à Pothone, quòd nihil contra regem dixisset, & quòd in eius fide permanere uelit, eum dimittit: scriptis ad Carolum literis, in quibus quid & quomodo cum eo egerit, indicat.

SVB CONSTANTINO ET IRENE.

Dissensio Platonis & Tharasij.

Tarasius permiserat Imperatori Constantino, ut suam uxorem Mariam, in monasteriū abderet, aliamq; duceret: ac Iosepho monacho & abbati præceperat, ut coronaret Theodaten. Id cum Plato abbas Saccidionis monasterij cognouisset, non modò improbabat, sed etiam ab eius abstinebat communione. Verùm imperator Platonem capit, & monachos eius in exilium pellit: atque hac persecutione inter eos egregiam scilicet pacem facit, suamque causam (ut opinabatur) meliorem reddit. Paulus libro uigesimotertio rerum Romanarum: Zonaras tomo tertio.


Dissidium ob imaginum cultum.

De cultu imaginū consensus erat inter Orientis & Occidentis Ecclesias: sed Constantinopolitani & Græci inter se dissentiebant. Alij enim imagines damnabāt, alij uerò propugnabant. Quare Tarasius ab Imperatore Constātino & Irene postulat, ut uniuersalis cōgregetur Synodus, in qua de ea re statuatur, ac dissidiū tollatur. Indicta itaq; Niceæ Synodus, imaginū uenerationé approbat & restituit: atq; ita in errore fit cōsensio, ueritate eiusq; assertoribus dānatis & oppresis: ut patet ex actis tomi 2 Conciliorum. Sed tamen Carolus Magnus & Synodus Frācofordiensis acta istius Pseudosynodi rescidit: atq; imagines quidé haberi pmisit, sed adorari & coli uetuit: ut colligitur ex Reginonis lib. 2. & Auentini 3. Annaliū, & ex libris Caroli Magni contra uenerationem imaginum.

CAPVT NONVM DE SYNODIS.

SYNODI SVB IVstiniano.

SYNODVS BRITANNICA.



Circa annum Domini septingentesimumquintum, Daniele & Adhelmo episcopis Occidentaliū Saxonum existentibus, in Synodo statutum est, ut Prouincia Australium Saxonum, quæ hactenus ad ciuitatis Ventanæ cui præerat Daniel, parochiā pertinebat, & ipsa sedem episcopalé ac propriū haberet episcopum: consecratusq; est eis primus episcopus Eadberecht. Beda lib. 5. cap. 19.

SYNODVS NIDDENSIS.

Vuilfridus ex episcopatu suo apud Nordanhūbros excussus, post longas peregrinationes in Angliā reuersus, per Synodū Niddēsem & Osredū regé restituitur in integrū. Beda lib. 5. cap. 20. Eccles. hist. gentis Angl.

SYNODVS LONDINENSIS.

Cum mota esset cōtrouersia de cultu imaginū, diabolus ad idololatriæ cōfirmationē omnem lapidé mouit, utens opera suorum mancipiorū: nimirū pontificū Romanorum, & monachorū. Inter alios aūt Eguuinū monachum Benedictinum, nuper Vuiccijs designatum episcopū, hominé ex superstitionū colluuie compactū excitat: eiq; in somnis instillat per illusiones & prestigias suas, quasi à Maria uirgine iubeatur in ecclesia sua collocare imaginē eius, & populo uenerationē atq; adorationē istius idoli persuadere. Is uerò quiescere non potest. sed rem in actum deducere instituit: librumq; de suis uisionibus conscribit. Res defertur ad pontificē Romanum Constantinū: qua uerò id factū sit occasione, non est annotatū: fortè quia aliqui boni sese impietati illi & uanitati opposuerunt, quos sathan Apostolica autoritate refringendos censebat. Pontifex prius hominé accersit, & iureiurando obtestatur, ut ueritaté dicat. Videbat enim ipse Scripturam sacrā imaginū cultui refragari, & opus esse nouis reuelationibus ad eam idolomaniam stabiliendū. Ille uerò in sua sententia cōstanter perseuerat, atq; Pontifici fidē facit. Ergo Apostolica sua autoritate approbat uisiones Eguuini: ac Bonifacio legato suo imperat, ut in Brytanniā abeat, atq; Londini cum consensu Brithuualdi archiepiscopi Anglorum Synodū celebret. Isti auté pontifici obsequentes, episcopos & reges sub anathematis pœna cōuenire Londinū iubent. In eo cōgressu nō datur locus disputationi & collationi, ut par erat: sed uisiones Vuiccij proponuntur de cultu imaginū, & indicatur eas à Pontifice maximo esse comprobatas.

Deniq;

Deniq; promulgatur decretũ, de imaginibus in templa collocandis, missarumque celebratione & adoratione honorandis, ac deniq; de abdicãdis sacerdotũ uxoribus. Tali modo cultus imaginũ Anglicanis ecclesijs, autoritate Antichristi & illusionibus diabolicis, atq; approbatione superstitiosæ uanitatis, est obtrusus: paucis pijs frustra gementibus, & contradicentibus: circiter annum Domini 712. aut 714. Nauclerus & Balæus Centuria 1. capitibus 91. & 94. & 99.

In Londinẽsi synodo damnatũ esse matrimoniũ cuiusdã, qui duxerat uiduã, quę uouerat uotũ castitatis, & uxor cõsobrini sui fuerat: Bonifacius narrat in epistola ad Zachariam. Sed an hæc uel alia synodus fuerit, non satis constat.

SVB PHILIPPICO.

SYNODVS CONSTANTINOPOLITANA.

Monachus uates & hæreticus, Philippico prædicens Imperiũ, iureiurãdo eum deuinxerat, ut Sextã synodum, quam malè factam esse asserebat, abrogaret. Eius promissi memor Philippicus, cũ ad Imperiũ uenisset, Synodũ cogit ex episcopis plurib. quorũ nomina nõ sunt annotata. Ioannis patriarchæ Constãtinopolis, Nicolai diaconi, Algepidi diaconi, Antiochi Chartophylacis meminit Paulus Diaconus lib. 20 rerũ Romanarũ: sed incertũ est, an ei Synodo interfuerint. Patres aũt illi iuxta Imperatoris uoluntatẽ, sextã Synodũ uniuersalẽ, in qua duę uoluntates & operationes in Christo contra Monothelitas assertę erant, damnant: & Cyrum patriarchã ab officio remouent, atq; Iohannẽ ordinant. Imperator decretorũ executorem strenuũ se præbet, & imagines Patrũ, qui in sex Synodis uniuersalibus interfuissent, in Sophiæ tẽplo depictos abradi iubet: ac scribit ad Romanũ pontificẽ, eiq; imperat, ut & ipse decreta suæ Synodi approbet: clerumq; suũ cogat, ut de homousio cũ Ecclesia Constãtinopolitana cõsentiat. Narrant hæc Beda lib. 2 de Ratione temporũ: Paulus Diaconus lib. 6. cap. 11 de Longobardis; & lib. 20 rerũ Romanarũ: Adon Viennẽsis ętate 6. Phrysingensis lib. 5. cap. 15. Zonaras tomo 3. Platina in Constantino primo, & alij: circiter annũ Domini 712. Sigebertus: primo anno Philippici. Erphordiensis capite 63.

SYNODVS ROMANA TEMPORE *Constantini papæ.*

Constantinus papa, acceptis literis Philippici, conuocat Synodũ, & quid faciendũ sit deliberat: ac tandem omniũ consensu decernit, Quia imperatoriæ literæ percipiant hęreseos & erroris approbationẽ, ideo ijs nõ esse præstandã obedientiã, iuxta Regulam, Oportet Deo magis obedire quàm hõibus.

Deinde, quia Imperator picturam sex Synodorum uniuersaliũ abrasione damnarit: ideo debere omnium Patrum imagines, qui in sex Synodis fuissent, Romæ in porta Petri depingi, confessionis loco, quòd Romana ecclesia decreta Synodorum amplectatur.

Tertiò, quia Imperator hæreticas opiniones propugnet, & uerã sententiã damnet, ideo eum esse pro excõmunicato habendũ.

Quartò, cum Imperator sit hæreticus, & imagines Patrum reijciat, ideo nec eius effigiem esse in Ecclesiam pro more recipiendã: nec nomen, nec literas, nec figuram, siue in scripto, siue in moneta recipiendam: quod sanè nimium fuit. Nam excommunicatio hanc uim à Deo & uerbo eius non habet, ut subditos ab Imperatoris excõmunicati iusta & debita obediẽtia & reuerentia liberet. Actum anno Domini 712. Sigebertus: Beda libro 2. Paulus libro 6, capite 11 de Longobardis: Adon ætate sexta: Platina.

Quintò, contra manifestum Dei uerbum, imagines non modò habendas in templis, sed etiã summa ueneratione colendas, Constantinus decreuit. Balæus, in uita eius.

SYNODVS ROMANA ALIA, *tempore Gregorij secundi.*

Gregorius secundus Romæ Synodũ generalem celebrat, anno Domini 714. In ea etiam interfuerunt Sedulius Britannorũ, & Fergustus Scotorum, episcopi. Statutũ autem est, ut missarũ celebritates publicè in tẽplis peragerentur, quod quidẽ antea non solebat fieri. Sigebertus in Chronico: Balæus Centuria 1. cap. 91. & Centuria 14. cap. 28 & 29. In 2. tomo Conciliorũ, Gregorio 3. adscribitur ista Synodus: ac annotatur celebrata anno 6 Leonis, ac referũtur eius decreta.

1 Si quis presbyteram duxerit in coniugium, anathema sit. Et responderunt omnes tertiò, Anathema sit.

2 Si quis diaconam in cõiugium duxerit, anathema sit. Et responderunt omnes tertiò, Anathema sit.

3 Si quis monacham, quam Dei ancillam appellamus, in coniugium duxerit, anathema sit. Et responderunt omnes tertiò, Anathema sit.

4 Si quis commatrem spiritualem duxerit in coniugium, anathema. Et responderunt omnes tertiò, Anathema sit.

5 Si quis fratris uxorem duxerit in coniugium, anathema sit. Et responderunt omnes tertiò, Anathema sit.

6 Si quis neptem duxerit in coniugium, anathema sit. Et responderunt omnes tertiò, Anathema sit.

7 Si quis nouercam aut nurum suam duxerit in coniugium, anathema sit. Et responderunt omnes tertiò, Anathema sit.

8 Si quis consobrinam duxerit in coniu-

gium, anathema sit. Et responderunt omnes tertiò, Anathema sit.

9 Si quis de propria cognatione, uel quam cognatus habuit, duxerit uxorẽ, anathema sit. Et responderunt omnes tertiò, Anathema sit.

10 Si quis uiduam furatus fuerit in uxorem, uel consentiens ei, anathema sit. Et responderunt omnes tertiò, Anathema sit.

11 Si quis uirginem, nisi desponsauerit, rapuerit, uel furatus fuerit in uxorem, uel consentiens ei, anathema sit. Et responderunt omnes tertiò, Anathema sit.

12 Si quis hariolos, aruspices, incantatores obseruauerit, aut phylacterijs usus fuerit, anathema sit. Et responderunt omnes tertiò, Anathema sit.

13 Si quis in aliquam partem nostra præcepta antè emissa apostolicæ Ecclesiæ de oliuetis & locis diuersis temerauerit, & nõ in omnibus obseruauerit, anathema sit. Et responderunt omnes tertiò, Anathema sit.

14 Adrianus filius Exhilarati, qui post præstitum sacramentũ in Apostolica confessione, Epiphaniam diaconam illicito ausu in uxorẽ habet, anathema sit. Et responderunt omnes tertiò, Anathema sit.

15 Epiphania diacona, quæ post prædictum sacramentum, cum Adriano Exhilarati filio fuga lapsa est in uxorem, anathema sit. Et responderunt omnes tertiò, Anathema sit.

16 Si quis ei in tam crudeli actu consensum præbuit, anathema sit. Et responderunt omnes tertiò, Anathema sit.

17 Si quis ex clericis relaxauerit comam, anathema sit. Et responderunt omnes tertiò, Anathema sit.

SYNODVS GERMANICA *à Bonifacio celebrata.*

Bonifacius, Vuera, Burchardus, Vuerbrechtus, Abel & Vulbach, in Synodo quadam cõsentiunt, de literis ad Ethilbaldũ regem scribendis, quibus eum moneát de suis flagitijs: ut patet ex epistola quá subijcimus.

¶ Domino charissimo, & in Christi amore cæteris regibus præferendo, inclyta Anglorum imperij septra gubernanti, Ethilbaldo regi, Bonifacius archiepiscopus legatus Germanicus Romanę ecclesiæ, & Vuera, & Burchardt, & Vuerbercht, & Abel, & Vulbach, coepiscopi, perennem in Christo charitatis salutem. Confitemur coram Deo & sanctis angelis, quia quandocunq; prosperitatẽ uestrã, & fidem in Deo, & opera bona coram Deo & hominib. per nuncios fideles audiuimus: quòd inde gaudentes, & pro uobis orantes læti gratias agimus Deo: postulantes & obsecrátes Saluatorẽ mũdi, ut uos sospites, & in fide stabiles, & in operibus coram Deo rectos, in principatu Christiani populi longo tẽpore custodiat. Quando aũt aliqua dilectiõis uestrę iniuria de statu regni uestri, uel euẽtu bellorũ facta, aut, quod maius est, de salute animę periculosum damnũ perpetratũ, per auditũ ad nos usq; peruenerit, mœrore & tristicia nos cruciat: quia gaudio uestro in Dei uoluntate cõgaudemus, & aduersitate cõtristamur. Audiuimus enim, qđ eleemosynas plurimas facias, et in hoc cõgratulamur: quia qui eleemosynas minimis fratribus indigentib. tribuunt, iuxta ueritatẽ Euangelicã, & in die iudicij clementẽ sententiã à Domino audituri sunt, dicente: Quamdiu fecistis uni ex minimis fratribus meis, mihi fecistis: uenite benedicti patris mei, possidete regnum paratũ uobis ab exordio mundi. Audiuimus quoq;, quòd furta & iniquitates, periuria & rapinas fortiter prohibeas: & defensor uiduarũ & pauperũ esse dignosceris, & pacis stabilitatẽ in regno tuo habeas: & in hoc quoq; laudãtes Deum gauisi sumus, quia ipsa ueritas & pax nostra quæ est Christus, dicebát: Beati pacifici, quoniam filij Dei uocabuntur. Sed inter hæc, una malæ æstimationis famã, de uita pietatis uestræ, ad auditũ nostrum peruenit: qua audita, contristati sumus, & illam optamus non fuisse ueram. Multis enim narrantibus compertũ est nobis, quòd nunquam legitimam in matrimoniũ uxorẽ duxisses: quòd à Domino Deo, ab ipso mundi primordio constitutum est. & per apostolum Dei Paulum præceptum est iteratum, illo docente: Propter fornicationẽ autẽ unusquisq; suam uxorẽ habeat, & unaquæq; uirum suũ. Nam si hoc causa castitatis & abstinẽtiæ facere uoluisti, ut ab uxoris cõiunctione pro timore & amore Dei abstinuisses: & hoc uerum & impletum pro Deo comprobaueris, & in hoc gaudemus: quia non est reprehensibile, sed magis laudabile. Si aũt (quod absit, ut multi dicunt) nec legitimam accepisti uxorẽ, nec castitatis abstinentiam pro Deo seruasti, sed libidine dominante, in scelere luxurię & adulterij, famam gloriæ tuæ, coram Deo & hominibus confuderis, in hoc ualde contristamur: quia & in conspectu Dei flagitiũ, & coram hominibus famæ uestræ cõfusio esse dinoscitur. Et adhuc, quod peius est, qui nobis narrant, adijciunt: quòd hoc scelus ignominiæ maximè cum sanctis monialibus & sacratis Deo uirginibus, per monasteria commissum sit. Nam hoc peccatũ duplex esse, non dubiũ est: ut uerbi gratia dicamus. Cum uindictę reus sit puer apud Dominum suũ, qui uxorẽ Domini sui adulterio uiolauerit: quãto magis ille qui sponsam Christi, creatoris cœli & terræ, putredine suæ libidinis cõmaculauerit, dicẽte B. Paulo apostolo: An ne-

An nescitis, quia corpora uestra templa sunt Spiritus sancti? Et alibi: Nescitis, quia templū Dei estis, & spiritus Dei habitat in uobis? Si quis aūt templū Dei uiolauerit, disperdet illum Deus. templum enim Dei sanctū est, quod estis uos. Et iterū, idololatrię seruituti adulteros & fornicatores in sermone & numero peccatorū iūgit dicēs: An nescitis, quia iniqui regnū Dei nō possidebūt? Nolite errare: neq; fornicarij, neq; idolis seruientes, neq; adulteri, neq; molles, neq; masculorū cōcubitores, neq; fures, neq; auari, neq; ebriosi, neq; maledici, neq; rapaces, regnum Dei possidebunt. Apud Græcos enim & Romanos iudicatur quasi blasphemiam Deo irrogasse, qui huius reus sit: ut ꝓpriè de hoc peccato ante ordinationē interrogatus, si reus inuētus fuerit, ut cū uelata uel cōsecrata Deo nonna cōcubuisset, ab omni gradu Dei sacerdotij prohibeatur. Propter hoc fili charissime, sollicitè cōsiderandum est, quanti pōderis hoc peccatum esse iudicetur ante oculos æterni iudicis, quod faciētē inter idololatrię seruos cōstituit, & à diuino ministerio altaris abijcit, licet antè peracta pœnitentia reconciliatus sit Deo. Corpora enim per uotum propriæ sponsionis, & per uerba sacerdotis consecrata, templa Dei esse, per sanctam Scripturam dicuntur: & ideo uiolatores illorum, iuxta Apostolos, filij perditionis esse dinoscuntur. Princeps aūt apostolorum Petrus, luxuriosos libidine prohibēs, dixit: Sufficit enim præteritum tempus, &c. Et Salomon: Precium scorti, uix unius est panis: mulier autem uiri preciosam animam capit. Et alibi: Non grandis est culpa, cùm quis furatus fuerit: furatur enim ut esurientem impleat animam, deprehensus quoque reddet septuplum. Qui autē adulter est, propter cordis inopiā, perdet animam suā. Longum est enim enumerare, quanti spirituales medici huius peccati uenenum horrendum uituperabāt, & terribiliter prohibebāt: quia penè omnib. peccatis grauior & deterior est fornicatio, & ueraciter dici potest laqueus mortis, & puteus inferni, & uorago perditionis. Propterea obsecramus & cōtestamur fili charissime, clementiam tuā, per Christum filiū Dei, & per aduentū eius, & regnum ipsius, ut si hoc uerū sit quòd in isto scelere uersaris, & uitam tuā pœnitendo corrigas, & purificando emendes: & memor sis, quia indecens esse cōprobatur, ut imaginem Dei, quæ in te creata est, per luxuriam ad imaginem & similitudinem maligni diaboli cōuertas: & tu, quem non propria merita, sed larga pietas Dei, regem ac principem multorum constituit, teipsum per luxuriam seruum maligno spiritui constituas. quia, iuxta dictum Apostoli, Quodcūq; peccatū fecerit homo, huius seruus est. nō solùm à Christianis, sed etiā ab ipsis paganis in opprobrium & uerecundiam deputatur: quia ipsi pagani uerum Deum ignorātes, naturaliter quę legis sunt, & quod ab initio Deus cōstituit, custodiunt in hac re: quia proprijs uxoribus matrimonij fœdera seruantes, fornicatores & adulteros puniunt. Nam in antiqua Saxonia, si uirgo paternam domum cum adulterio maculauerit: uel si mulier maritata, perdito fœdere matrimonij, adulterium perpetrauerit, aliquando cogunt eam propria manu per laqueum suspensam, uitam finire: & super bustum illius incensę & cōcrematæ, corruptorem eius suspēdunt. aliquando congregato exercitu fœmineo, flagellatā eam mulieres per pagos circūquaq; ducunt, uirgis cædentes, & uestimenta eius abscindētes iuxta cingulū, & cultellis suis totū corpus eius secantes & pungētes, minutis uulnerib. cruentatam & laceratā de uilla ad uillā mittunt: & occurrunt semper nouæ flagellatrices, zelo pudicitiæ adductæ, eáq; aut mortuā, aut uix uiuā derelinquunt, ut cæteri timorē adulterandi & luxuriandi habeant. Et Vuinedi, quod est fœdissimū & deterrimū genus hominū, tam magno zelo matrimonij amorē mutuum obseruant, ut mulier uiro proprio mortuo uiuere recuset: & laudabilis mulier inter illos esse iudicatur, quæ propria manu sibi mortē intulit, ut in una strue pariter ardeat cū uiro suo. Cùm ergo gentiles, qui Deum nesciunt, & legem non habent, iuxta dictū Apostoli, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, & ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis: præterea, fili charissime, cùm tu Christianus & ueri Dei cultor esse cognominaris, si in iuuentute adolescentiæ tuæ putredine luxuriæ inquinatus, & fœtore adulterij inuolutus, & uoragine libidinis quasi puteo inferni demersus fueras: iam tempus est, ut memor Domini tui, à diaboli laqueis resipiscas, & à fœtore luxuriæ sordidatam animam laues. Iam tempus est, ut pro timore Creatoris tui tale piaculum iterare & maculare ultrà non præsumas. Tempus est, ut multitudini pereuntis populi parcas: quæ sequendo exempla peccantis principis, cadebat in puteum mortis. quia quantoscunq; uel per bona exempla ad uitam cœlestis patriæ contrahimus, uel per mala exempla ad perditionem sequentes præibimus: de tantis proculdubiò ab æterno iudice uel pœnas uel præmia accepturi sumus. Sic enim gens Anglorum, sicut per istas prouincias diuulgatum est, & nobis in Francia & in Italia improperat, & ab ipsis paganis improperium est: quòd spretis legalibus connubijs, adulterando & luxuriando, ad instar Sodomitanæ gentis,

fœdam uitam uixerit. De tali commixtione meretricum æstimandum est, degeneres populos & ignobiles & furentes libidine fore procreandos, & ad extremum uniuersam plebem ad deteriora & ignobiliora uergentem, & nouissimè nec in bello seculari fortem, nec in fide stabilem, & nec honorabilem hominibus, nec Deo amabilem esse uenturam: sicut alijs gentibus Hispanicæ prouinciç, & Burgundionum populis contigit, quæ sic à Deo recedentes fornicatç sunt, donec iudex omnipotẽs taliũ criminũ ultrices pœnas per ignorantiã legis Dei, & per Saracenos uenire & sæuire permisit. Et notãdũ, quòd in illo scelere aliud immane flagitium subterlatet: id est, homicidium. quia dũ illæ meretrices, siue monasteriales, siue seculares, malè cõceptas soboles in peccatis genuerint, & sæpè maxima ex parte occidũt, non implẽtes Christi ecclesias filijs adoptiuis, sed tumulos corporibus, & inferos miseris animab. satiãtes. Præterea nũciatũ est nobis, q, multa priuilegia ecclesiarũ & monasteriorũ fregisses, & abstulisses inde quasdã facultates. & hoc si uerũ est, peccatũ grãde esse dinoscitur, testãte sacra Scriptura, quç ait: Qui abstulerit aliquid patri uel matri, & dicit, Hoc nõ est peccatũ: homicidç particeps est. Pater noster sine dubio Deus est, qui nos creauit: mater nostra Ecclesia, quæ nos in baptismo spiritualiter regenerauit. Ergo qui Christi pecunias & Ecclesiç fraudauit uel rapuit, homicida ante cõspectũ iusti iudicis esse deputabitur. De quo quidã sapiẽtum dixit: Qui rapit pecuniã proximi sui, iniquitatem facit: Qui autẽ pecuniam Ecclesiç abstulerit, sacrilegiũ facit. Et dicitur, quòd præfecti & comites tui, maiorẽ uiolentiam & seruitutem monachis & sacerdotib. irrogent, quàm cçteri antè Christiani reges fecissent. Igitur postquã Apostolicus pontifex sanctus Gregorius, ab Apostolica sede missis prædicatorib. catholicç fidei, gentem Anglorũ ad Deum uerum conuertit, priuilegia ecclesiarũ in regno Anglorum intemerata & inuiolata permanserunt, usq; ad tẽpora Ceolredi regis Merciorum, & Osredi regis Derorum & Berniciorum. Hi duo reges, hæc duo peccata maxima, in prouincijs Anglorum, diabolico instinctu suis exemplis sceleratis, contra præcepta Euangelica & Apostolica Saluatoris nostri publicè facienda monstrauerunt: & in istis peccatis commorantes, id est, in superstitione & adulterio nonnarum, & fractura monasteriorum, iusto iudicio Dei damnati, de culmine regali huius uitæ abiecti, & immatura & terribili morte præuenti, à luce perpetua extranei, in profundum inferni & tartarum abyssi demersi sunt. Nam Ceolredum præcessorem uenerandæ Celsitudinis tuæ, ut testati sunt qui præsentes fuerant, apud comites suos splendidè epulantem, malignus spiritus, qui eũ ad fiduciã damnandæ legis Dei suadẽdo pellexit peccantẽ, subitò in insaniã mentis conuertit, ut sine pœnitentia & cõfessione furibundus & amens, & cũ diabolis sermocinãs, & Dei sacerdotes abominans, ab hac luce sine dubio ad tormenta inferni migrauit. Osredum quoq; spiritus luxuriæ fornicãtem, & per monasteria nonnarum sacratas uirgines stuprantẽ & furentem, agitauit, usq; quo ipse gloriosum regnũ & iuuenilẽ uitam, & ipsam luxuriosam animam cõtemptibili & despecta morte perdidit. Quapropter fili charissime, caue tibi foueam, in quã uidisti corã te alios cecidisse: caue tibi iacula antiqui hostis, per quæ propinquos proprios coram te uulneratos cadere uidisti. Attende tibi à laqueo insidiatoris, in quo notos & cõmilitones tuos uidebas strangulatos, & præsentem uitam & futuram perdere. Noli talium ad perditionem exempla sequi. Tales enim, iuxta propbetiã sanctæ Scripturç, qui angustiauerunt iustos, & qui abstulerũt labores eorum, in die iudicij dicturi sunt: Errauimus à uia ueritatis, & iusticiæ lumen non luxit nobis, & sol non est ortus in nobis, & uiam Domini ignorauimus. & quid nobis profuit superbia, aut quid diuitiarum iactatio contulit nobis? transierunt omnia illa tanquam umbra, & tanquam nuncius præcurrens: & tanquam nauis quæ pertransijt, cuius non est uestigiũ inuenire, aut tanquam auis transuolans in aere. Et post pauca: Sic & nos nati cõtinuò desiuimus esse in malignitate: nam consumpti sumus. Talia dixerunt in inferno, hi qui peccauerunt. Quomodo species impij tanquam lanugo est, quæ à uento tollitur: & tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur: & tanquam fumus, qui à uento diffusus est: & tanquam memoria hospitis unius diei prætereuntis? & aliàs, numerus dierum uitæ hominis centum anni, quasi paruula gutta de magno mari deputatus est. Hæc enim omnia, secundum authoritatem sanctæ Scripturæ, rerum collatione simillima sunt. Sic & Iacob frater Domini, & apostolus, de impio diuite disputans dixit: Sicut flos fœni transibit. exortus est enim sol cum ardore, & arefecit fœnum, & flos eius decidit, & decor uultus eius deperit: ita & diues in itineribus suis marcescit. Et ita ipsa ueritas in Euangelio proponens dixit: Quid enim proderit homini, si lucretur totum mundum, &c.

SVB LEONE.

SYNODVS ORIENTIS.

CVm Leo Imperator, anno 9 imperij sui, imagines tolli iussisset, ne Saraceni haberent,

haberét ob quod Christianos idololatriç accusarét: cumq; Gregorius pōtifex eā ob causam Imperatorem dānasset, tributaq; ei dare uetuisset: Iohannes Damascenus in Syria cū episcopis & monachis, imaginū uenerationē in Synodo defēdit, & Leonē anathemate ferit. Paulus Diac. libro 21 rerum Rom.

SYNODVS CONSTANtinopolitana.

Cùm Leo non modò Constantinopoleos ciues, & Orientis quosdam episcopos, sed etiam Romanū pōtificem uideret imaginum cultū defendere, indicit Synodum. Conueniunt patres ad septimam Idus Ianuarij, tertia feria decimętertię indictionis, anno Imperij eius 13, Domini uerò 730, iuxta Sigebertum, in tribunali nouendecim cubituum, ac interest ei cœtui Germanus etiam patriarcha. Cæterorum uerò nomina in literas nō sunt relata, hauddubiè propter historicorum inuidiam, aut negligentiā. Controuersia autē de imaginū cultu atq; ueneratione, deq; intercessione Marię uirginis & sanctorū, ac de reliquijs mortuorū, proponitur discutiēda. Disputatur in utramq; partē acriter, & cōferūtur sentētię: tandēq; ex mutua collatione manifestū fit, sanctorum intercessionē fabulam, imaginūq; & reliquiarum cultū atq; adorationē, esse merā idololatriam uerbo Dei contrariam. Germanus patriarcha ita in angustias redigitur, ut nihil amplius habeat quo suā sententiam plausibiliter saltē tueatur. Damnatur igitur à patribus, ex regula uerbi diuini, cultus & ueneratio imaginum. Huic decreto omnes subscribunt. Germanus uerò se id facere posse negat, sine uniuersalis synodi sententia: & sponte episcopatu sese abdicat. Synodus ergo in locum eius surrogat Anastasium, discipulum & syncellum Germani. Paulus Diaconus libro 21 rerū Romanarū. Imperator postea imagines & statuas in foro comburit: & edicto cauet, ne quis eas adoret aut ueneretur: & Gregorio pōtifici per literas imperat, ut nisi gratia sua excidere uelit, idem faciat. Regino libro primo Chronicorum.

SYNODVS ROMANA.

Gregorius 3. acceptis edictis Leonis, de imaginibus damnandis & tollendis: indicit Romæ, seu (ut quidam uolunt) Rauennæ Synodum. Conueniunt nongenti & tres episcopi, iuxta Sigebertum: seu mille, iuxta Bonfinium, libro 8. decadis 1. de Vngaris. Inter eos aūt fuerunt, pōtifex ipse Gregorius, ut præses: & Antoninus Gradensis archiepiscopus, Iohānes Rauēnas archiepiscopus, & alij Hesperiæ partis episcopi. Liber pontific. Adstat pro more omnis clerus Romanus, & nobiles, consules, & populus, anno imperij Leonis 16, Domini uerò 733. Sigebertus.

Tractatur aūt de imaginum ueneratione, deq; Leonis decreto, & Anastasij ordinatione: ac iuxta Antichristi nutū, cultus Maosin & deorum alienorū approbatur. ac tandem cōmuni decreto sancitur, quod in hunc modum referunt: Si quis deinceps catholicam consuetudinem, & usum fidelem cōtempserit, ac uenerabilium & sanctarum imaginū Dei & saluatoris nostri IESV Christi, beatæ Mariæ, Apostolorumq; & aliorum sanctorū depositor, destructor & prophanator extiterit, aut blasphemus: ipse communione sanctæ Ecclesiæ sit priuatus. Antoninus titulo 14, capite primo, § 1. distinctione tertia, capite Perlatum est.

Deinde damnatur Leonis decretum, atq; ipse simul cōmunione fidelium & imperio priuatur (Nota hîc Antichristi tyrannidē & ferocitatē. Quis hoc potestatis Romano concionatori dedit, ut Monarchas de solio suo exturbaret?) eo quòd imagines sacras ex tēplis abrasisset, statuasq; demolitus esset, & de homousio malè sentiret. Platina sub Gregorio 3. & Bergomensis libro 10.

Tertiò, Anastasius patriarcha Constantinopolis damnatur, atq; ab officio suo remóuętur: ut colligitur ex Pauli Diac. libro 21 rerum Rom. Blondi decad. 1. lib. 10. Sabellici Ennead. 8. lib. 8. Ob huius igitur synodi & pontificis autoritatem, Roma cū tota Italia & Occidente, ab obedientia Leonis recessit, tributaque & uectigalia ei amplius reddere detrectauit. Ecce talem seditionem præsul Romanus, more & ductu istius qui author est homicidij, excitat.

SYNODVS AVGVSTANA.

Bonifacius accepta uenia à Gregorio 3. Augustæ Vindelicorū synodum celebrat, cū Periochio eius urbis episcopo, & alijs Germanię principib. pro fide Romana cōfirmānda: ac multa decreta fecit de reb. Ecclesiasticis. Epistola Gregorij 3. ad Bonifaciū, apud Nauclerū gener. 25. pag. 601. Mutius lib. 6. folio 48. de Germania. De huius uel in alio loco habiti Concilij decretis, Bonifacius in epistola sua ad Chutbertum scribit inter alia in hunc modum: Præterea charissimi, non quia uestræ prudentiæ opus sit, rusticitatis nostræ statuta audire uel legere: sed propter bonam & humilem & sanctam uoluntatem nostram, putamus uos libentius scire uelle, quàm nescire, quæ hîc sacerdotes nobiscum seruanda decreuerunt, uobis emendanda & corrigēda designamus. Decreuimus quoq; in nostro synodali conuentu, & confessi sumus fidem catholicā, unitatēq; & subiectionē Romanę ecclesiæ, fine tenus uitæ nostræ seruare uelle, sancto Petro & uicario eius uelle subijci, synodum per omnes annos congregare, metropolitanos pallia ab illa

illa sede quærere, & per omnia præcepta sancti Petri canonicè sequi desiderare, ut inter oues sibi commendatas numeremur: & isti confessioni consensimus & subscripsimus, & ad corpus S. Petri principis Apostolorum direximus, quod gratulando Romanus pōtifex suscepit. Statuimus, ut per annos singulos canonum decreta, & Ecclesiæ iura, & norma regularis uitę in Synodo legantur & repetātur. Decreuimus, ut metropolitanus, qui sit pallio sublimatus, hortetur cæteros, & admoneat & inuestiget, quis sit inter eos curiosus de salute populi, quisúe negligens seruus Dei. Nam uenationes, & syluaticas uagationes cum canibus, & ut accipitres & falcones habeant, prohibuimus. Statuimus, ut per annos singulos unusquisque presbyter, episcopo suo in Quadragesima rationem ministerij sui reddat, siue de fide catholica, siue de baptismo, siue de omni ordine ministerij sui. Statuimus, ut singulis annis unusquisque episcopus parochiam suam sollicitè circumeat, populum confirmet, & plebes doceat, & inuestiget ac prohibeat paganas obseruationes, uel omnes spurcitias gentilium. Interdiximus seruis Dei, ne pompato habitu, uel sago, uel armis clerici utantur. Statuimus, quòd proprium sit metropolitani, iuxta Canonum statuta, subiectorum sibi episcoporum inuestigare mores: & sollicitudinem habere circa populū, qualis sit: & moneat, ut episcopi à synodo uenientes, in propria parochia cū presbyteris & abbatibus conuentū habentes, præcepta synodi seruare insinuādo præcipiāt, & unusquisq; episcopus, si quid in sua diœcesi corrigere uel emēdare nequiuerit, id idē in Synodo corā archiepiscopis & palàm omnibus ad corrigendū insinuet: eodem modo quo Romana ecclesia nos ordinatos cū sacramento constrinxit, ut si sacerdotes uel plebes à lege Dei deuiasse uiderim, & corrigere non potuerim, fideliter semper sedi Apostolicæ & uicario sancti Petri ad emendandum indicauerim. Sic enim, nisi fallor, omnes episcopi debent metropolitano, & ipse Romano pōtifici, si quid de corrigēdis populis apud eos impossibile est, notū facere, ut sic alieni fiant à sanguine animarum perditarum.

SVB CONSTANTINO
Copronymo.

SYNODVS ROMANA
sub Zacharia.

ANno Luitprandi 32, qui fuit Domini 742, Zacharias Romæ synodū cogit. Conuenerunt episcopi 34, presbyteri 14, diaconi 4. Occasionem præbuerūt, Bonifacius & Germani archiepiscopi & principes, qui à Gregorio papa asserebant nuptias in quarto gradu Germanis esse concessas: & nunc à Zacharia petebant rationes, cur eas damnaret. Pontifex negat, in archiuo ecclesiæ tale Gregorij statutum reperiri: & damnat illas nuptias, ut illicitas. Decreta hæc esse dicuntur cum patrum assensu, quæ adscribimus.

¶ Zacharias sanctiss. ac ter beatissimus episcopus sedis Apostolicæ, cū omnib. episcopis, presbyteris & diaconibus, Domino uolente & auxiliante, ita decreuit, qualiter singulis capitibus nunc subter declaratur.

Primo capitulo: Vt episcopi cū mulierib. omnino non habitent, ne ab antiqui hostis fraude decipiātur. ut iuxta Apostolicā uocē non uituperetur ministeriū nostrū, quia scriptū est: Si quis tēplum Dñi uiolauerit, disperdet illum Deus. Cauere nos oportet, fratres mei, ab illicitis, ut mūdas ad Dñm ualeamus leuare manus. Scriptū est enim: Sācti estote, quoniā & ego sanctus sum, dicit Dominus.

Secundo: Vt presbyter uel diaconi subintroductas mulieres nullo modo secū audeāt habere, nisi forsitan cōmatrem suā, aut proximitatē generationis sibi habētes, quæ suspiciones effugiūt: sicut in synodo Niceno cōtinetur. Si quis uerò prǽsumpserit cōtra statuta agere, sacerdotij sui priuetur honore.

Tertio: Vt episcopi, presbyteri, diaconi, secularibus indumētis minimè utantur, nisi ut cōdecet tunica sacerdotali: sed neq; dum ambulauerit in ciuitate, aut in uia, aut in plateis, sine operimento præsumat ambulare, præter si in itinere longo ambulauerit. Quia sicut mulier orans in ecclesia non uelato capite, deturpat caput suum, iuxta Apostoli uocem: ita sacerdos sine operimento deturpat suū sacerdotium. Nā si temerè præsumpserit cōtra statuta agere, cōmunione priuetur, donec quæ statuta sunt implere maturet.

Quarto: Vt iuxta sanctorum patrum & canonum statuta, omnes episcopi huius Apostolicæ sedis ordinationi subiaceant. Qui propinqui sunt, annuè idibus Maij mensis sanctorum principum apostolorum Petri & Pauli liminib. pręsententur, omni occasione seposita: qui uerò de longius sunt, iuxta chirographum suum impleant. Nam qui huius constitutionis contemptor extiterit, præter si ægritudine ualida fuerit detentus, sciat se canonibus subiacere.

Quinto: Vt presbyteram, diaconam, nonnam, monacham, uel etiam spiritualem commatrem, nullus præsumat nefario coniugio copulare. Nam qui huiusmodi opus perpetrauerit, sciat se anathematis uinculo esse obligatum, & Dei iudicio cōdemnatum, atq; à sacro corpore & sanguine Domini nostri IESV Christi alienū: statuēte Apostolica cēsura, ut quicunq; sacerdotū eos cōmunicare prę-sumpserit, eorum consortio condemnatus, sacerdotij sui priuetur honore. Si autem hi qui

qui cōiuncti sunt, admoniti declinauerint, & ab alterutrum fuerint diuisi, pœnitentiæ submittantur, ut sacerdos loci præuiderit.

Sexto: ut consobrinā, neptem, nouercam, fratris uxorē, uel etiā de propria cognatione nullus præsumat coniugio sibi copulare. Quia scriptum est in lege Domini: Turpitudinem uxoris patris, turpitudinē uxoris fratris atq; sororis tuæ non reuelabis: turpitudo enim tua est. Et si Deus Hebraico populo ante incarnationem unigeniti filij sui hæc seruare mandauit, quantum amplius nos qui Christianæ religionis documenta tenemus, ab illicitis cōnubijs nos conseruare debemus: ne demersi in uoragine ignis, & æterno cōcremēmur incēdio? Si quis uerò in hoc nefario coniugio conuenerit, & in eo permanserit, sciat se autoritate Apostolica anathematis uinculo esse innodatum: & nullus sacerdos illis tribuat communionem, ut in superiore Capitulo continetur. Et si inclinatus diuisusq; fuerit ab illicita copula, pœnitentiæ submittatur, ut sacerdos loci considerauerit.

Septimo: ut uirginem aut uiduam, nisi desponsatam habuerit, nullus audeat furari in uxorem. Si quis temerario ausu præsumpserit uirginem aut uiduam furari in uxorem, præter quam despōsatam habuerit, anathema sit.

Octauo: Vt nullus clericus aut monachus comam laxare præsumat. Si quis monachus aut clericus comam laxare præsumpserit, anathema sit.

Nono: Vt nullus Calendas Ianuarij & brumas ritu paganorum colere præsumat, aut mensam cum dapibus in domibus præparare, & per uicos & plateas cantationes & choros ducere: quod maxima iniquitas est. Si quis autem id fecerit, anathema sit coram Domino.

Decimo: Vt Christianus filiam suam in cōiugio Iudæo nullo modo audeat copulare, ne secta illius coinquinata pereat in æternum. Si quis Christianus filiam suam Iudæo in cōiugio copulare præsumpserit, nisi perfectè crediderit Christo, & baptizatus fuerit: uel seruū aut ancillā eidē Iudæo Christianus uenundare præsumpserit, & si uidua Christiana Iudæum duxerit uirum, uel consenserit ducenti, anathema sit.

Vndecimo: Vt ordinatiōes presbyterorū ab episcopis nō nisi certis temporibus fiant, à multis concilijs hoc statutū est, & iam & nunc confirmatū est à uestra prudentia, sanctissimi fratres, ut primi, quarti, & septimi, & decimi mensium horū sacerdotū debeant fieri ordinationes. Aliqui enim ex nostris per incuriā, ignorātes Canonum seriem, illicitam fecerunt ordinationē: sed dum nostris insonuisset auribus, Canonicā susceperunt disciplinā. Pro quo omnibus Apostolica autoritate interdicimus, ut qui norunt Canonū seriem, obseruent: & qui nesciunt, meditentur: ne dum fuerint lapsi, canonicæ succumbant sententiæ. Sed & hoc interdicimus, ut nullus episcoporum audeat iuxta sanctorū Canonū statuta, quēlibet clericum bigamū, aut qui uiduā duxerit uxorē, ad sacros ordines ꝓmouere, aut alterius ciuitatis clericos sine dimissoria sui episcopi suscipere uel ordinare. Neq; eū usurpet, nisi eius episcopus precib. exoratus cōcedere uoluerit: quia hoc & sancti Patres statuerūt. Si quis uerò ꝓsumpserit, Canonica dānetur sententia.

Duodecimo: Diaconi seu clerici, qui inter se causam habuerint, nullo modo præsumant publicis actoribus interpellationē facere, nisi suo episcopo: & si forsitan episcopus cōtra eum habuerit, ad uicinū episcopū confugium faciat, iuxta Canonū statuta: & si minimè cōuenerit, ut decidatur inter eos intentio, ad Apostolicā ueniat sedē. Si quis uerò præter statuta agere præsumpserit, gradus sui honore priuetur, aut ab Ecclesia pellatur, dum usq; causa susceperit finem.

Decimotertio: Vt nullus episcopus, presbyter aut diaconus, ad celebrandum missarum solennia audeat cum baculo intrare, aut uelato capite ad altarium Domini assistere: quoniam & Apostolus prohibet uiros uelato capite orare in Ecclesia: & si temerè præsumpserit, communione priuetur.

Quartodecimo: Vt episcopus aut presbyter, dum ingressus fuerit ad missarū solennia celebrāda, nullo modo audeat data oratione recedere, aut ab alio episcopo aut presbytero suppleantur missarum solennia: sed qui initium ponit, suppleat usq; in finem. quia scriptum est: Qui perseuerauerit usq; in finem, hic saluus erit. Si quis uerò præsumpserit præter quod posuimus agere, à sacro corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi sit suspensus.

SYNODVS BRYTANNICA *in Clouesho.*

Cùm clerus Anglicanus, ob ociū & cibū alienum Sodomiticas exerceret libidines, Zacharias papa & Bonifacius per literas Chutbertū Magesetū cōpellunt, ut anno D. 744 Synodō in Clouesho habita, decreta ad institutionē melioris uitæ ꝓmulgeat. Balæus Centuria 2. cap. 14. ex Lelando & alijs.

SEPTIMA CONSTANTI*nopolitana.*

Constantinus Copronymus Constantinopoli synodū conuocat, anno imperij sui decimotertio, iuxta Paulum: aut decimoquarto, iuxta Sigebertū: Domini uerò 755. Occasionē præbuit cōtrouersia de imaginū & reli-

& reliquiarum ſanctorum cultu, & ueneratione, deq; interceſsione ſanctorum, & ſimilibus ſuperſtitionibus, quas cognouerat à Romano pontifice approbari & defendi.

Conuenerunt epiſcopi trecenti & triginta octo: ut patet ex definitione eius Synodi, quæ recitatur in actione ſexta ſecundæ Nicenæ. Sigebertus in Chronico tantum trecentos & triginta habet. In Paulo Diacono lib. 22, tantum 38 numerantur: ſed ſcriptorum uitio fortè trecenti ſunt omiſsi.

Inter illos præcipui fuerunt Theodoſius Epheſinus, Paſtilas Pergamenus, Conſtātinus patriarcha Conſtantinopolitanus, Gregorius Neocæſarienſis, (qui & definitionē Synodi cōſcripſit) Baſilius Piſidię. Roman. pōtifex inuitatus, neq; legatos eò miſit, neq; literas prouinciales, eo quòd iampridem ab obedientia Imperatorū Oriētis deficere cœperat: & quòd intelligebat cōtra ſuos deos, eorumq; cultū deliberatū iri in eo Concilio.

In Palatio Hieriæ, quarto idus Februarij, agi cœptum eſt: & durauit Synodus uſque ad ſextam idus Auguſti.

Controuerſia autē de imaginū cultu, ut par erat, diſcuſſa, imagines damnantur, & fieri prohibētur: & Germanus patriarcha, & Gregorius Cyprius, & Iohannes Damaſcenus nepos Manſur, imaginū patroni, anathematizantur: & Conſtantinus Sylæi epiſcopus patriarcha Conſtātinopolitanus deſignatur. Gregorius Neocæſarienſis Synodi ſententiā libro complectitur, qui in foro, in præſentia Imperatoris & Patriarchæ uniuerſalis, & reliquorū epiſcoporum, coram populo recitatur & promulgatur. Is uerò in hūc modū in actione 6. ſecundi Niceni concilij aſsignatus legitur, licet uideatur eſſe corruptus in 15 & 17 Canone, ubi interceſsio à ſanctis peti & poſtulari iubetur. Conſtat enim ex hiſtoria Conſtantini Copronymi, eo tempore etiam ſanctorum interceſsiones pro ficulneo pręſidio habitas, & damnatas eſſe.

¶ Sancta magna & uniuerſalis Synodus, quæ iuxta gratiam Dei, & per pium deuotorum & orthodoxorum noſtrorū Imperatorū Conſtantini & Leonis decretum, in hac diuinorū ſtudioſa & regia ciuitate congregata eſt, in baſilica intemeratæ & ſanctæ ſemper uirginis Deiparæ Mariæ, quæ cognominatur Blachernis, hęc ſubſcripta determinauit.

Deitas omnium cauſa, & perfectè cuncta conficiens, quæ omnia ſua bonitate ab ijs quę non erant, ad eſſe produxit, hæc uniuerſa, ut ornatè & compoſitè ferrentur, definijt, ut bonum iuxta gratiā illius traditū habentia habitum, indeclinatā permanſionem, & minimè labilē ad ambigua nutum, ſtatumq; ueritatis conſeruent.

Poſteaquam Lucifer ob claritudinē ſedem ſuam apud Deum firmatam habere nolens, & contra Creatorem ſuum in ſuperbiā mentis elatus, illinc cum deſertorum exercitu ex ſuperilluſtri Dei principatu per ſe eſſet delapſus, cunctorū malorum opifex, autor, inuentor & magiſter declaratus, defecit: hominem à Deo creatum, in loco, à quo ipſe deiectus erat, uidere non ſuſtinens, omnem aduerſus eum improbitatē exhauſit, & per fraudem illum à gloria & ſplendore Dei alienauit: & ut creaturam, relicto Creatore, adoraret, compulit.

Vnde opus manus propriæ Deus plaſmator in perniciē abire cōſpicatus, ferre ipſum non potuit. Videns enim quod neq; per legis ſtudium, neq; per Prophetarū ſanctorum ſalutiferā admonitionem genus humanum in priſtinam nobilitatē redire poſſet, filium ſuum proprium in extremis & definitis temporibus in terras miſit: qui patris placito, & Spiritus ſancti uiuificantis & æquipollentis cooperatiōe, in utero uirginis habitans, & ex ſancta & immaculata illius carne, in ſua propria ſubſtantia ſiue exiſtentia carnem accipiens nobis conſubſtantialem, item hanc mediante anima rationali & intellectuali compingens & configurans, natusq; ex ea ſupra omnem rationem & intellectum, uolensq; crucē ſubiens, mortemq; eligens, & tertio die à mortuis reſurgens, omnem ſalutarem ſuam diſpenſationem impleuit.

Reduxit nos à corruptrice dæmonum doctrina, nempe ab idolorum cultu & errore, & in Spiritu & ueritate adorationem nobis dedit. Et ſic in cœlos aſſumptus, ſanctos illius diſcipulos & Apoſtolos doctores eiuſcemodi ſalutaris fidei reliquit, qui noſtrā ſanctam Eccleſiam ueluti ſponſam ſuam, uarijs pietatis & lucidis dogmatibus exornantes, undiq; ornatā & uenuſtam, ueluti aureis tegmentis ornatam indicarunt: cuius ſpecioſitatē inclyti noſtri patres & doctores, item ſex ſacræ priores ſynodi aſſumentes, incontaminatam conſeruauerunt.

Tomus ſecundus.

Rurſus huius decorē uidere recuſans prædictus ille improbitatis architectus, non dubitauit per diuerſa tēpora & modos uarios, praua quadā perſuaſione humanū genus ſibi ſubijcere. Quo modo ſub prætextu Chriſtianiſmi idololatriam latēter induxit, proprijs ſuis ſophiſmatibus eos qui illum reſpicerent, eò adducens, ut non putarent ſibi à creaturis abſiſtendum, uerùm has adorandas & colendas: Deumq; ipſum facticium aliquid eſſe, Chriſti nomine appellatum.

Quamobrem ſanè, quemadmodum olim dux autorq; noſtræ ſalutis IESVS, ſuos abſolutè doctos diſcipulos Apoſtolosq;, infuſa illis Spiritus ſancti poteſtate, ad eiuſcemodi

modi rerũ extirpationẽ misit: ita sanè & nũc suos famulos, & qui cum Apostolis certant, fideles nostros reges suscitauit, peritos & sufficientes ad cõponendã quę inter nos est contentionẽ, & ad disciplinã diabolicæ munitionis subuertendã, quæ erecta est aduersus cognitionẽ Dei, idq; in redargutionẽ diabolici erroris & insidiarũ. Qui excellẽti & diuino zelo cõmoti, fideliũ Ecclesiã dæmonum fraude deprędatã uidere nõ sustinẽtes, uniuersum deuotorũ episcoporũ sacrũ conuentũ cõuocauerũt: quò synodicè in unũ cõuenientes, ex sacra Scriptura disquisitionẽ, de erroneã similitudinũ pictura faciant, quæ ab excelsa & Deo decẽte latria ad humilem, terrestrẽ, & materialem creaturarũ latriã hominum mentes detrahit. Hæc inquã disquirant, & quid sibi hac de re uideatur exclament, cognoscentes id quod à Prophetis dictum est: Labia sacerdotũ cognitionem custodient, & legem exquirent ex ore eorum. Nuncij enim Dei sunt omnipotentis.

Et ideo cõgregata sacra hæc nostra Synodus, quã numero trecenti triginta octo constituimus, iuxta ritũ legislationis Synodicę, uoluntariè amplectimur & prædicamus decreta & scita, traditionesq; quas illi firmiter approbauerunt, & seruare iusserunt.

Et primùm quidẽ, iuxta quod Sancta synodus magna uniuersalis, quę tẽporibus pię recordationis Cõstãtini Magni Imperatoris in Nicea cõgregata est, quæ impijssimũ Ariũ sacerdotali abdicauit dignitate, ꝓpterea quod increatũ filiũ Dei creaturã esse dixit, cum sit cõsubstantialis Patri & Spiritui sancto, necnõ eiusdẽ gloriæ & dignationis: quę quoq; à Deo electũ nobis pronunciauit fidei symbolum. Ita quoq; deinceps centum quinquaginta patres cõgregati in imperatoria ciuitate, temporibus magni imperatoris Theodosij, Macedoniũ Spiritus sancti hostẽ condemnarunt, utpote quem constabat in sanctum & increatũ Spiritum blasphemias profudisse. Dicebat enim illum patri & filio non esse consubstantialem. Illa autem Synodus, salutaris nostræ symbolon fidei latius extendit, ter sanctum Spiritum & omnipotentem Deum esse prædicans.

Post has, ducentorũ sanctorũ patrum in Epheso prior congregatio, Theodosij iunioris imperio, iudaizantẽ, & hominis adoratorem Nestoriũ condemnauit: quia decernebat, ipsum Christum propriè ex Deo uerbum, & particulatim aliũ Christum ex muliere, & propriè quidẽ creatum Deum uerbum, & particulatim hominem. Hinc duas hypostases in uno Christo cõstituebat, unionemq; iuxta hypostasin negabat, secundum quam nõ alius atq; alius adoratur, sed unus intelligitur Christus IESVS unigenitus una adoratione in propria carne adoratus.

Congregata deinde est & in Chalcedone, magna & uniuersalis Synodus, imperante Marciano Dei amãtissimo Imperatore. Hęc Dioscorũ & infelicẽ Eutychẽ anathematizauit, docentes, in duabus naturis, post exactam iuxta hypostasin uerbi Dei unionẽ, nõ esse eundẽ & unũ Christum & Dominũ cum carne: sed ex duabus naturis unitionẽ factã, unã aũt mixtam & confusam perfectã fuisse. Vltra has Constantinopoli cõgregata Iustiniani Imperatoris imperio, qui nunc in Dei pace quiescit, Synodus est, quæ Origenem, (qui & Adamantius) Euagrium, & Didymum, cum gentilibus illorum cõmentarijs anathemate deuouit. Præterea Theodorũ Mopsuestiæ episcopũ, & Diodorum Nestorij præceptorẽ, Seuerum, Petrum, Zoaram, cum impijs eorũ dogmatibus damnauit: & epistolam Ibæ appellatam, quæ ad Marin Persam extat: decreta autem & statuta quartæ Synodi uniuersalis approbauit.

Deinde temporibus Constantini Pij Imperatoris, in hac deuota ciuitate centum septuaginta episcoporum Conciliũ coactum est, in quo Theodorus quẽ Pharan uocant, & Cyrus Alexandriæ præsul, & Honorius Romanus episcopus, Sergius itẽ & Paulus, Pyrrhus & Petrus, qui illic præsidebant, item Macarius Antiochenus, cũ Shephano illius discipulo, anathemate percussus est, & extra catholicã Ecclesiam eiectus: quòd unam uoluntatem & operationẽ in duabus unius Dei nostri Christi naturis statuerent.

Sex igitur istæ sacrę & uniuersales, piæ & Deo placentes Synodi, dogmata nostræ inculpatæ fidei ex sanctis Euangelijs initiatæ tradiderunt: unam scilicet esse hypostasin in duabus naturis & uoluntatib. & operationibus unius Christi Domini Dei nostri, illiusq; unius esse & miracula & passiones. Quę & nos cũ omni diligentia & discussione, cõsilio ter sancti Spiritus exquirentes & cognoscẽtes, cõtra ipsum illud salutis nostrę dogma, hoc est, cõtra Christi œconomiã, nefandam pictorũ artem blasphemantẽ, & sex sanctas Synodos subuertentem inuenimus.

Nestorium autem, diuidentem in filiorum dualitatem unicum filium & uerbum Dei pro nobis incarnatum, fingunt. Nec minus Arium, Dioscorum, Eutychen, Seuerũ, qui confusionem & commixtionem duarum naturarum unius Christi statuunt.

Tomus tertius.

Quamobrẽ iustũ censemus, breuiter per præsentem hanc nostrã definitionẽ, eorum qui hæc faciunt & uenerantur, errorem demonstrare. Igitur sanctorũ Patrum, & uniuersalium Synodorũ purã & inuiolatã, & à Deo traditã fidem nostrã & cõfessionem sic obser-

obseruantes, dicimus, non debere quenquã diuisionem aut confusionẽ, ultra uerum sensum & uoluntatem inexprimibilem & incognoscibilem illam unionem duarum secundum hypostasin unam expressæ personæ naturarum comminisci.

Quæ nam est hæc insana opinio pictorũ, ut lucri turpis & miseri causa, ea quæ effici nequeant, studeant conficere: ut & ea quæ ore & corde sunt tantummodo confessa, impijs manibus figurare intendant?

Arbitratus etiam sic est, ipsam imaginem Christum uocando. Est autem Christus hoc nomine Deus & homo: sequitur, ut & imago Dei sit & hominis. Et consequens est, ut aut iuxta opinionem uanitatis suæ, deitatẽ, quæ circumscriptione creatæ carnis circumscribi non potest, circumscripserit: aut inconfusam illam unitionẽ, impietatis cõfusione confuderit: & geminas blasphemias in deitatem, & per descriptionem & confusionẽ intulerit. Iisdem ergo blasphemijs earũ adorator inuoluitur, & uæ illud utrisq; præmium, quòd scilicet & cũ Ario, Dioscoro, Eutyche, & Acephalorum hæresi errauerint.

Damnati autẽ à cordatis uiris in eo, quòd incomprehensibilẽ & incircumscriptibilem diuinam Christi naturam ipsi depingere studuerunt, ad aliam aliquam praua inuentione apologiam confugiunt, quod solius carnis, quam uidimus & palpauimus, & cum qua uersati sumus, illius inquam imaginem exhibemus: quod sanè impium est, & Nestoriana diabolica inuentio.

Considerandum est & hoc. Quòd si iuxta orthodoxos patres, simul caro, simul Dei uerbi caro, nunquam partitionis noticiã suscepisset, sed totaliter tota natura diuina assumpta, & totaliter & perfectè deitate arrepta fuisset: quomodo in duas diducetur, & ab impijs illis, qui istud facere conantur, priuatim separabitur? Consimiliter uerò & de sacra eius anima se habet. postquam enim assumpsisset deitas filij in propria hypostasi carnis naturam, inter deitatẽ & carnis crassitudinem, anima mediam se interposuit: & quemadmodum simul caro, simul uerbi Dei caro, sic simul anima, simul uerbi Dei anima. Et ambabus simul conspectis, uidelicet anima & corpore, inseparabilis ab ipsis deitas extitit, & in ipsa etiam disiunctione animæ à corpore in uoluntaria passione. Vbi enim anima Christi, illic etiam deitas: & ubi corpus Christi, & illic quoque deitas consistit.

Siquidem igitur in passione inseparabilis ab his mansit deitas, quomodo insani isti, & quauis imprudentia irrationaliores, carnem deitate coniunctam & deificatam diuidunt: & hanc, ut nudi hominis imaginẽ, pingere conantur? Et ex hoc in aliud impietatis barathrũ labuntur. Nam carnem à deitate separãtes, & per se subsistentem eam inducentes, aliamq; personam in carne constituentes, quam in imagine representari dicunt, quartam personã Trinitati adijciunt, & diuinam assertionem prædicant impiam. Itaq; fiet illis qui Christum depingere nituntur, ut aut deitatem circumscriptibilem, & cum carne confusam dicant: aut corpus Christi expers deitatis & diuisum, præterea personã per se subsistentem in carne asserant: & ita Nestorianæ Deo repugnanti hæresi similes existunt. In talem igitur blasphemiam & impietatem cadentes, pudore suffundantur, auersentur seipsos, & talia facere desinant: nec hi solum qui faciunt, uerumetiam qui falso nomine factam & dictam ab ipsis Christi imaginem uenerantur. Absit à nobis ex æquo & Nestorij diuisio, & Arij, Dioscori, Eutychis & Seueri confusio, male sibi ipsa repugnantia, & quæ utraq; ex æquo impietatem procurant.

Exultent & lætentur, & libertate linguæ fruantur, quicunque ueram Christi imaginem syncerissima mente facientes, desiderant & uenerantur, & ad salutem animi corporisque adferunt: quam ipse Dominus noster Deus summus sacerdos, ex nobis integrè massam assumens, circa passionis tempus in typum & recordationem efficacissimam suis sacerdotibus & mystis tradidit. Nam cum se sponte morti obijceret, gloriosæ inquam illi & uiuificanti, sumens panem, benedixit, postquam gratias egisset, & fregit, tradensque discipulis dixit: Accipite, manducate in remissionem peccatorum, hoc est meum corpus. Similiter & calicem tradens, dixit: Hic meus est sanguis, hoc facite in mei memoriam. Veluti, ne esset ulla alia species electa ab illo: aut quasi non posset ullo alio typo eorum quæ sub cœlo sunt, incarnatio illius repræsentari. Ecce igitur uiuificantis corporis illius imaginem, quæ honorificè & gloriosè exhibita est. Quid enim aliud in his egit Christus Deus? Non sanè aliud, quàm ut ostẽderet & exhiberet nobis hominibus apertè mysterium illud, in dispensatione secundum illum operatum. Quia quemadmodum id quod è nobis assumpsit, materia sola est substantiæ humanæ, iuxta omnia non perfectè expressa, quæ per se existit persona, ne adiectio in diuinitate accidat: ita & imaginem totam electam, uidelicet panis substantiam, mandauit apponi, ne scilicet humana effigie figurata, idololatria induceretur. Quemadmodũ igitur secundum naturam Christi corpus (utpote quod à Deo esset) sanctum est: sic & posi-

& positione, uidelicet imago eius sancta, ut quæ per quandam sanctificationem ipsa Dei gratiā manet. Hoc enim, ut diximus, Dominus Christus tractauit, ut sicuti carnem quam assumpsit, propria secundum naturam sanctificatione ex sua unitione deificauit: similiter etiam panem Eucharistiæ, ueluti ueram imaginem naturalis carnis, per sancti Spiritus aggresione sanctificatam, diuinum corpus esse uoluit, illiq; sic placuit. Medius autē uenit sacerdos, qui ex communi sanctum id facit sacra illa sua anaphora. Cæterùm iuxta naturā animata & intelligibilis caro Domini, per Spiritum sanctum diuinitati iuncta est. Eodē modo & à Deo tradita imago carnis eius, panis scilicet diuinus, impletus est Spiritu sancto, cum poculo quoq; sanguinis lateris illius uiuificantis. Hæc igitur uera incarnatæ dispensationis Christi Dei nostri imago, quēadmodum prædictū est, quam ipse nobis uerus naturæ uiuidus creator, propria uoce tradidit.

Tomus quartus.

Imaginum autem falsi nominis praua appellatio, neq; ex Christi, neq; Apostorum, neq; patrum traditione cœpit: neq; precationem sacram ullam, qua sanctificari possit, habet: sed manet cōmunis, & inhonorota, quēadmodū ab artifice pictore absoluta est.

Quod si autē quidam ex eo errore existentes dixerint, rectè & piè à nobis dictum esse, in subuersione imaginis Christi à nobis facta, propter indisseparatam & inconfusam essentiam duarū naturarum in una hypostasi conuenientiū: tamen iterum dubitare oportet, propter imagines ter inculpatæ & supergloriosæ dominę Deiparæ, Prophetarum, Apostolorū, & martyrum, cum sint meri nudiq; homines: neq; ex duabus naturis, diuina scililet & humana, in una hypostasi consistant, quemadmodū in solius Christi imaginibus fieri renunciauimus.

Dubitare autē oportet propter imagines ter inculpatæ & supergloriosæ Deiparæ dominæ, Prophetarum, Apostolorū & martyrum, cum fuerint nudi homines, & non ex duabus naturis constituti, quid nam conueniens aut commodum ad has dicere potuerint, subuerso priore argumento. Profectò nihil est quod hic habent.

Sed quid dicimus de subuersione? Quandoquidem catholica nostra Ecclesia, media existens inter Iudaismum & gentilitatem, neutram illis consuetam sacrificationē accepit: uerùm nouam pietatis & mysticæ constitutionis à Deo datæ, formam & uiam ingreditur. Nam cruenta Iudæorum sacrificia & holocaustomata non admittit, & gentilitatis in sacrificando omnem idololatriam & statuarum copiam auersatur. Hæc enim caput & inuentrix abominabilis istius artis fuit. Nam cum spem resurrectionis non haberet, dignum sibi ludicrum excogitauit, ut per eum lusum absentes tanquā adhuc præsentes exhiberet. Siquidem igitur nihi noui sapit hæc res, profectò tanquam alienum dæmoniacorum hominum inuentum, ab Ecclesia Christi longissimè abijciatur.

Cessent itaq; ora omnium, quæ loquuntur impia & contumeliosa contra hanc nostram Deo gratam sententiam & decretum. Sancti enim qui Deo plecuerunt, & qui ab eo dignitate sanctitatis honorati sunt, etiā si hinc transmigrauerint, non tamen eos odiosa mortua ars unquam faciet rediuiuos. Sed quicunque ex gentilium errore illis statuas aut imagines erigere fuerit conatus, blasphemus iudicabitur.

Quomodo autem & ualde laudatam Dei matrem, quam obrumbrauit plenitudo deitatis, per quā nobis eluxit lumen quod adiri nequit, matrem inquam ipsis cœlis altiorem, sanctiorem Cherubim, uulgaris gentilium ars pingere audet? Rursus, quomodo eos qui cum Christo regnaturi sunt, & in sedibus cum eo sedebunt iudicaturi orbē terrarum, conformes eius gloriæ, quibus non erat dignus mundus, ut diuina miracula asserunt: quomodo inquam eos non timent per artem gentium exhibere? Profectò non fas est Christianis, qui spem resurrectionis habent, dæmonū culturæ consuetudinibus uti. Et eos qui in tanta & tali gloria resplendebunt, non decebat ignominiosa & mortua materia ignominia afficere. Nos autem ab alienis, nostræ fidei demonstrationes non recipimus, & in dæmonibus testimonia non requirimus.

Ad hæc exquisita & exputata nostra sententia, tum ex Scriptura diuinitùs afflata, tum ex patrum electorum testimonijs efficacibus, conuenientibus nobis & asserentibus piam nostram intentionē, exhibebimus nostram definitionē, quibus non cōtradixerit is qui conatur hæc in dubium uocare: qui uerò ignorat, discat is, & erudiatur, quòd scilicet à Deo sint. Principiò uerbum diuinæ uocis, sic dicētis, præmittimus: Deus est Spiritus: Quicunq; Deum adorauerit, in Spiritu & ueritate adoret. Et iterum: Deum nemo uidit unquam, neq; uocem eius audiuistis, neq; formā eius uidistis. Beati sunt qui non uiderunt, & crediderunt. Et in ueteri Testamento ait ad Mosen & populū: Non facies tibi idolum, neq; omnē similitudinem quæcunque sunt in cœlo suprà, & in terra infrà. Quam ob causam in monte, in medio ignis, uocem uerborum uos audiuistis: similitudinem autem non uidistis, sed tantummodo uocem. Et mutauerunt glo-

riam immortalis Dei per imaginem non solum ad mortalis hominis similitudinem effictam: & uenerati sunt, & coluerunt ea quæ condita sunt, supra eum qui condidit. Et rursum: Si enim cognouimus Christum secundum carnem, iam non cognoscimus: per fidem enim ambulamus, non per speciem. Et hoc quod ab Apostolo apertè dictum est: Igitur fides ex auditu, auditus autem per uerbum Dei. Si enim cognouimus Christum secundum carnem, iam non cognoscimus. Per fidē enim ambulamus, non per speciem.

Tomus quintus.

Eadem etiam & Apostolorū discipuli & successores diuini patres nostri tradunt. Epiphanius enim Cyprius, inter antesignanos præclarus, sic inquit: Attendite uobis, ut seruetis traditiones, quas accepistis. Ne declinetis neq; ad dextram, neq; ad sinistram. Quibus infert hæc: Estote memores, dilecti filij, ne in Ecclesiam imagines inferatis, neq; in sanctorum cœmiterijs eas statuatis, sed perpetuò circūferte Deum in cordibus uestris. Quinetiam neq; in domo cōmuni tolerentur. Non enim fas est, Christianū per oculos suspensum teneri, sed per occupationem mentis. Idem in alijs quoq; sermonibus suis de imaginū subuersiōe multa dixit, quæ studiosi quærentes facilè inuenient.

Similiter & Gregorius theologus in uersibus suis dicit: Flagitium est, fidem habere in coloribus, & non in corde. Ea enim quæ in coloribus existit, faciliter eluitur: quæ uerò in profundo mentis, illa mihi amica.

Iohannes autem Chrysostomus sic docet: Nos per scripta sanctorum fruimur præsentia, non sanè corporum ipsorum, sed animarum imagines habentes. Nam quæ ab ipsis dicta sunt, animarum illorū imagines sunt. Maxima uerò ad recti inuestigationem, inquit Magnus Basilius, meditatio Scripturarum diuino afflatu nobis datarum. In his enim & rerum argumenta inueniuntur, & uitæ beatorum uirorum perscriptę, ueluti imagines quædam animatæ secundum Deum politica imitatione operum exhibentur.

Et Alexandriæ lumen Athanasius, dixit: Quomodo nō miseratione prosequēdi sunt, qui creaturas adorant: quòd illi qui uident, non uidentibus cultū exhibent: & audientes, non audientes orant, precanturq;? Creatura enim à creatura nunquam seruabitur.

Similiter Amphilochius Iconij episcopus sic inquit: Non enim nobis sanctorum corporales uultus in tabulis coloribus effigiare curæ est, quoniam his opus non habemus: sed politiæ illorum uirtutum memores esse debemus.

Consentanea his etiam Theodotus Ancyræ episcopus sic docet: Sanctorum formas & species ex materialibus coloribus formari, minimè decorū putamus: horum autē uirtutes, quæ per scripta traditæ sunt, ueluti uiuas quasdam imagines reficere subinde oportet. Ex his enim ad similium imitationem & zelum peruenire possumus. Dicant enim nobis, qui illas erigunt statuas, quænā utilitas ex illis ad se redit? an quòd qualiscunq; recordatio eos habet ex tali speciali contemplatione? Sed manifestum est, quòd uana sit eiuscemodi cogitatio, & diabolicæ deceptionis inuentum.

Similiter & Eusebius Pamphili ad Constantiā Augustam, petentem Christi imaginem ad se ab illo mitti, talia dicit: Quoniam autem de Christi imagine ad me scripsisti, ut tibi mitterem: uelim mihi significes, quám nam putes Christi imaginem? Vtrum illam ueram & incommutabilem, naturā illius characteres ferentem: aut hanc quam propter nos assumpsit, seruilem formam pro nobis induens? Sed sanè de diuina forma non arbitror etiā ipse ego te esse sollicitam, cum fueris ab illo edocta, neminem patrem cognouisse præter filium: neq; ipsum filium condignè quempiam cognouisse, nisi qui illum genuit pater. Et post alia: Sed omnino serui requiris imaginem formæ, & carnem quam propter nos induit: sed & hanc gloria deitatis suæ commixtam esse didicimus, & passam, mortuamque. Et post pauca: Quis igitur gloriæ eiuscemodi & dignitatis splendores lucentes & fulgurantes, effigiare mortuis & inanimatis coloribus, & umbratili pictura posset? cum neq; diuini illius discipuli in monte illum contemplari quiuerint: qui cadentes in faciē suam, non posse se eiuscemodi spectaculum inspicere confessi sunt. Igitur si carnis illius figura tantam ab inhabitante in ea diuinitate accepit potentiam, quid oportet dicere tunc, cum mortalitatem exuit, & corruptionem abluens, formam serui in Domini & Dei gloriā transtulit, post mortis scilicet uictoriam, post ascensum in cœlos, post cum patre regio in throno à dextris consessum, post requiem in ineffabilibus & innominandis finibus patris, in quam ascendentem & desidentem cœlestes potestates illi benedictis uocibus acclamabant, dicentes: Principes tollite portas uestras, aperiamini portæ cœlestes, introibit rex gloriæ?

Hæc igitur ex multis pauca Scripturæ patrumque testimonia, in hac definitione nostra, parcentes sanè copiæ, ne in longum res protraheretur, collocauimus. reliquis enim, quæ infinita sunt, uolentes supersedimus: ut qui uelint, ipsi requirāt. Ex his igitur à Deo inspiratis Scripturis, & beatorū patrū sententijs stabiliti, & super petram cultus diuini

diuini in Spiritu pedes confirmantes, in nomine sanctę & supersubstantialis uiuificantis Trinitatis, unanimes, & eiusdem sententiæ nos, qui sacerdotij dignitate succincti sumus, simul existentes, una uoce definimus, omnem imaginem, ex quacunq; materia improba pictorum arte factam, ab Ecclesia Christianorum reijciendam, ueluti alienam & abominabilem.

Tomus sextus.

Nemo hominum, qualiscunq; tandē fuerit, tale institutum & impium & impurum posthac sectetur. Qui uerò ab hoc die imaginem ausus fuerit sibi parare, aut adorare, aut in Ecclesia, aut in priuata domo cōstituere, aut clàm habere, si episcopus fuerit, aut diaconus, deponitor: si uerò solitarius aut laicus, anathemate percellitor, Imperialibusque constitutionibus subijcitor, ut qui diuinis decretis repugnet, & dogmata non obseruet.

Determinamus & hoc, ne quis hominum ex ijs qui præsunt Ecclesiæ, aut sacratis ædibus, sub prætextu exterminationis aut eleuationis, talis imaginum erroris, manus in ea quæ sunt Deo sacrata inijciat, quia possunt transferri in alios usus eiuscemodi idola. Neque etiam in sacras uestes, aut alia uela, aut quicquid consecratum est in sacrum Dei ministerium, ne qua ratione in abusum conuertantur.

Si quis autem à Deo potestatem nactus, hæc ipsa uasa aut uestes in meliores usus conuertere uoluerit, non ausit hoc sine sententia & uoluntate sanctissimi & beatissimi uniuersalis Patriarchæ, & imperatorum nostrorum piorū iussu: ne diabolus sub eo prætextu Ecclesias Dei humiliet. Neq; aliquis ducum, aut magistratus, aut laicorū cohortes sub illis constitutæ, in diuinas ædes manus inijcient, easq; ueluti captiuas prophanent: quemadmodū à quibusdam indecenter antehac factum est.

His ita se probè habentibus, & Dei gratia confirmatis, iustum esse decreuimus hoc nostro catholico & Deo grato scripto, definitiones breues, ueluti in summam edere: quandoquidem & nos uidemur apostolicè dicere. Quinetiā credimus nos Spiritum Christi habere, & quemadmodū qui antea in illum crediderunt, & Synodos congregauerunt, decretaq; & definitiones ediderunt, ita & nos quoq; idipsum credimus. Quamobrem post sacras aliquot præmissas patrū definitiones consequenter & conuenienter nostra determinabimus.

Prima definitio.

Si quis secundum Apostolicas & Patrum traditiones de Patre, Filio, & Spiritu sancto, non confessus fuerit unam & eandem deitatem, naturam & substantiam, uoluntatem & actionem, uirtutem & dominatum, regnum & potestatem, in tribus subsistentijs siue hypostasibus, nempe personis, glorificatam, anathema.

Secunda.

Si quis non confessus fuerit eiusdē sanctę Trinitatis unum, uidelicet filiū & uerbum Dei & patris, Dominum nostrum IESVM Christum, ante secula quidē ex patre secundum deitatem, in extremis autem temporibus ipsum, propter salutem nostram è cœlis descendisse, & incarnatum ex Spiritu sancto & Maria uirgine, & ex eadem natum, supra omnem humani intellectus comprehensionem, anathema.

Tertia.

Si quis non confitetur Deum esse secundum ueritatem Emanuel, & ob id uirginem sacram Deiparam, quæ secundum carnem, carnem factum ex Deo uerbum genuit, anathema.

Quarta.

Si quis uerbum ex Deo patre, carni secundum hypostasin non unitum, & unum esse cum propria carne Christum, eundem uidelicet Deum & hominem, non confessus fuerit, anathema.

Quinta.

Si quis non confessus fuerit, Dei carnem uiuificantem esse, & propriam ipsius ex Deo patre uerbi, sed ueluti alterius præter ipsum unitam secundum dignitatē, uidelicet quasi tantummodo in ea diuinā habitationē habuerit, minimè uerò uiuificantem, ut diximus, quod factum sit in proprietate uerbi omnia uiuificare potentis, anathema.

Sexta.

Si quis non confessus fuerit in uno Christo, uero Deo nostro, duas naturas & duas naturales uoluntates, & duas naturales actiones, communicanter, indistinctum, incommutabiliter, impartibiliter, inconfusè secundum patrum sanctorum traditionem, anathema.

Septima.

Si quis non confessus fuerit Dominum nostrum IESVM Christum, post assumptionem animatæ rationalis & intellectualis carnis, simul sedere cum Deo & patre, atque ita quoque rursus uenturum cum paterna maiestate, iudicaturum uiuos & mortuos, non amplius quidem carnem, neque incorporeum tamen, ut uideatur ab ijs à quibus compunctus est, & maneat Deus extra crassitudinem carnis, anathema.

Octaua.

Si quis diuinā Dei uerbi secundum incarnationem figuram: materialibus coloribus studuerit effigiare, & non ex toto corde

oculis intellectualibus, ipsum sedentem à dextris patris, super solis splendorem lucentem, in throno gloriæ adorare, anathema.

Nona.

Si quis incircumscriptibilem uerbi Dei essentiam, & hypostasin, propterea quòd incarnatus est, naturalibus coloribus in imaginibus ad formam hominis depinxerit, & qui non theologicè sensit eam post carnem non minus incircumscriptibilem remansisse, anathema.

Decima.

Si quis indiuisam Dei uerbi naturæ & carnis secundum hypostasin unitionem, uidelicet ex utrisq; unam inconfusam & impartibilem perfectionem factam, in imagine depingere conatur, uocatque eam Christum (Christus enim nomine uno & Deum & hominem significat) & ex ea re confusionem duarum naturarum monstrose asserit, anathema.

Vndecima.

Si quis carnem hypostasi uerbi Dei unitá diuiserit, & in nuda excogitatione mentis eam habens, ex eo conatus fuerit illam in imagine depingere, anathema.

Duodecima.

Si quis unicũ Christũ in duas hypostases diuiserit, ab una parte Dei filium, & ab altera parte Mariæ filium collocans, neque continuam unitionem factam confitens, & ob id in imagine tanquam per se subsistentem Mariæ filium depinxerit, anathema.

Decimatertia.

Si quis ex unitione ad diuinum uerbum deificatam carnem in imagine pinxerit, ueluti diuidens eam ex assumpta & deificata deitate, & indeificatam ex hoc eam conficiens, anathema.

Decimaquarta.

Si quis in forma Dei existentem Deum uerbum, serui formam in propria hypostasi assumentem, & per omnia nobis similem factum sine peccato, conatus fuerit materialibus coloribus figurare, ueluti si nudus homo fuisset, & hoc modo ab inseparabili & incommutabili deitate seiungere, ueluti quaternitatem inducturus in sanctam & uiuificantem Trinitatem, anathema.

Decimaquinta.

Si quis non confitetur sanctam semper uirginem Mariam propriè & uerè Deiparam, quauis uisibili & inuisibili creatura superiorem, & cum sincera fide eius intercessiones, tanquam quæ libertatem apud eum qui ex se genitus est, Deum habeat non postulauerit, anathema.

Decimasexta.

Si quis sanctorum omnium ideas, in imaginibus inanimatis & mutis materialibus coloribus depingere studeat, cum nullum omnino usum afferant picturæ, anathema. uana enim est excogitatio, & diabolicæ insidiationis inuentio. Non ne enim satius fuerit illorum uirtutes & uirilia facta, quæ nobis per scriptas historias tradita sunt, ueluti uiuas quasdam imagines in seipso depingere, & ad eadem ista seipsum zelo istiusmodi excitare, quemadmodum sancti patres nos docuerunt?

Decimaseptima.

Si quis non confitetur, omnes qui à seculo hucusq;, & ante legé, & in lege, & in gratia à Deo data, fuerunt, sanctos uenerandos esse coram Deo & anima & corpore, & horum intercessiones non petierit, utpote qui libertatem apud Deum habeant pro mundo, secundum Ecclesiasticam traditionem interuenire, anathema.

Decimaoctaua.

Si quis non confitetur resurrectionem mortuorum, iudicium, & pro merito cuiusque secundum iustam Dei libram retributionem, neque finem esse punitionis, neque regni cœlestis, quæ est in Deo uoluptas & delectatio, (non enim est regnũ Dei esca & potus, sed secundum diuinũ Apostolum, iusticia, pax & gaudium in Spiritu sancto) anathema.

Decimanona.

Si quis hanc nostram sacram uniuersalem septimam Synodum non receperit, sed eam quocunque modo calumniatus fuerit, & cum satisfactione omnia quæ in ea definita sunt doctrina à Deo afflata, non amplexus fuerit, anathema illi sit à Patre & Filio & Spiritu sancto, & à septem sanctis uniuersalibus Synodis.

His à nobis cum omni diligentia & industria decretis, definimus, nullam aliam fidem præter hanc asserendam, aut conscribendam, aut componendã, aut docendam. Qui secus facere ausint, docendo scilicet aliã fidem, aut asserendo, aut tradendo illis qui ex quacunque hæresi ad cognitionem ueritatis redeunt, aut quicunque nouã aliquam uanitatem aut uerborum inuentionem, ad destructionem eorum quæ à nobis determinata sunt, adferunt, si episcopi fuerint aut clerici, ab episcopatu aut clericatu deponuntor: si uerò monachi aut laici extiterint, anathemate deuouentor.

Diuinissimi Imperatores Constantinus & Leo dixerunt: Dicat nunc sacra & uniuersalis Synodus, num ea quæ nunc lecta est definitio, ab omnibus sanctissimis episcopis collaudetur.

Sancta Synodus exclamauit: Omnes sic credimus, omnes idem sapimus, omnes appro-

approbando uolentes subscripsimus, omnes orthodoxè credimus, omnes intellectualiter intellectualē diuinitatem colimus, adoramus. Hæc est fides Apostolorū. Hæc est fides Patrū. Hæc est fides orthodoxorum: sic omnes latriā exhibentes adorāt. Multi anni Imperatorum. Illuminatores pacis Domine custodi, piam uitam Domine da eis. Leonti & Constātino perpetua memoria. Vos estis pax orbis terrarum. Custodiat uos fides uestra. Christum honorate, ipse uos seruabit. Orthodoxam fidem uos stabiliuistis. Piam uitam Domine da eis. Absit inuidia à regno ipsorum. Deus custodiat robur eorum. Dominus imperium illorum pacificabit. Vestra uita, uita orthodoxorum. Rex cœlestis, reges terrenos custodi. Per uos uniuersalis Ecclesia pacificabitur. Vos estis faces orthodoxæ fidei: faces orthodoxæ fidei Domine custodi. Perpetua memoria Cōstantino & Leonti. Constātino nouo piissimo Imperatori multi anni. Orthodoxū ab ipsis maiorib. Domine custodi. Vitam piā Domine da illi. Absit ab imperio illius inuidia. Multi anni piissimæ Augustæ: piam orthodoxam Domine custodi. Absit ab imperio uestro inuidia. Vos incōfusam Christi dispēsationem probè dijudicastis. Vos indiuisum duarū Christi naturarum stabilimentū prædicastis: sacrarum sex Synodorum uniuersaliū dogmata confirmastis: omnem idololatriam obscurastis. Doctores eiuscemodi erroris uos triumphastis. Vos eos qui cōtraria statuunt, notastis. Germani, Georgij, & Manzuris sententiam minus rectam uos dispulistis. Germano bilingui & animo duplici adoratori lignorum anathema. Georgio consentienti illi, & falsario paternorum dogmatum, anathema. Manzuri ignominioso & Saracenico, anathema. Iconolatræ & falsigrapho Manzuri anathema. Doctori impietatis & peruerso interpreti diuinæ Scripturæ Manzuri, anathema. Trinitas hos tres abstulit.

Hanc Synodum pro septima uniuersali habere, & sententiæ eius omnes subscribere iussit Imperator: ac episcopos & proceres & monachos id facere recusantes, afflixit. Zonaras tomo 3. Scripsit etiam ad pontificem Romanum, ac mandauit ei ut imagines aboleret. Sed hanc synodum plures aliæ sequentes damnarunt, ut suo loco dicetur.

SYNODVS IN GALLIA SEV *Francia, sub Carolomanno.*

DE Synodo à Carolomanno cōuocata in Gallia, seu in Francorū prouincia, ut epistola Zachariæ habet ad Bonifaciū, hęc in edicto eius referuntur apud Auentinum libro 3 Annalium, pagina 292.

¶ In nomine Domini Dei nostri IESV Christi, Carolomannus dux & princeps Francorum, anno à nato Christo seruatore & autore nostro, septingentesimo quadragesimo secundo, undecimo Calendas Maij, suasu & consilio sacerdotum Dei opt. max. & amicorum meorum, pontifices regni mei, maximos, minores, cum presbyteris; nimirum Bonifacium archimysten, Burckardum, Reginofridum, Vitanum, Vuileualdam, Dadanum & Addanum, cum collegis eorum & sacrificulis, ritu Christiano conuocaui, uti mihi consulant, quo pacto iusticia & Christiana deuotio instauretur, quę negligētia & ignauia superiorum principum labefactata, collapsa, terris depulsa corruit. Qua denique industria populus Christi, à falsis & prauis sacerdotib. hactenus deceptus, & per anfractus confragosos & deuios seductus, ad ueritatis semitam reducatur. Iuxta igitur religiosorū sacerdotum, & procerum meorū cōsilium rogauimus, iussimus, decreuimus, uoluimus, hæcque placita præscripsimus. Episcopi omnes, quos per ciuitates designauimus, Bonifacio archiflamini, nuncio Christi & legato D. Petri, dicto audientes sunto. Quotannis concilia celebrentur: in hisce pietatem Christianam, cādoremq; germanū à malis sacerdotibus pollutum expiato. Decimas, bona Ecclesiastica occupata à prophanis, restituimus. Falsi diaconi, presbyteri, sacrificuli, adulteri, scortatores, sacris opibus nequaquam alantur: quos omnes in ordinem redegimus atq; exaugurauimus, ad pœnasq; pro criminibus luendas compulimus. Nemo sacris initiatus, diuinoq; ministerio mancipatus, arma omnino ferat, aut in bellum, aut in hostem pergat. Vnus, aut ad summum duo episcopi delecti suffragio cum suis sacerdotulis principem comitentur ad bella, sacrificandi, comprecandique causa. Cuique tribuno unus duntaxat à sacris, pœnitentia & confessionibus esto. Initiati, canes, accipitres, & huiusmodi aues ad uenandum nequaquam alunto. Aris & templo destinatus, uenatus si fuerit, diris deuotus esto. Quisquis sacerdos episcopo suo pareat: in Quadragesima rationem suscepti muneris reddat. Ignoti presbyteri, episcopi (nisi in conuentibus solennib. eruditio eorum & mores comprobati fuerint) repulsam ferāt. Quisque pontifex det operam, præfectus (quē Franci Graphionem uocant) summo studio adnitatur, uti incantationes, auguria, sortilegia, & huiusmodi præstigiæ impunè non abeant, quæ etiam auspicio Dei opt. max. diuorumq; eius fiunt, quos huiuscemodi contaminationib. magis ad iracundiā prouocari certum est. Sacerdos scortator, libidiniq; mancipiū, in carcere pane & aqua pastus pœnas luat. Hoc quoq; cōsensu mystarū & populi Christiani sciuimus, ut ꝑpter crebra

crebra bella, & ferocissimarum gētium, quibus undiq; cingimur, assiduas in nos incursationes, pars Ecclesiasticæ pecuniæ, nempe duodeni denarij, quem solidum uocamus, contribuantur mihi; quo militibus nostris præmia condigna laboribus soluātur. Adulteria, incęsta matrimonia seuerius cohibeto. Eadem & paulo plura, sed alijs uerbis, extāt in 2 tomo Conciliorum. Fornicarios sacerdotes depositos, & schismaticos sacerdotes Romanæ reformationi reluctantes, oppressos esse in hac Synodo, gratias agit Deo Zacharias in epistola ad Bonifacium, apud Nauclerum generatione 26. Mutius libro 7. pagina 54.

SYNODVS LIPTINENSIS, *sub Carolomanno.*

In synodali conuentu, qui congregatus est ad Calendas Martias, in loco qui dicitur Liftinas, omnes uenerabiles sacerdotes Dei, & comites, & præfecti, prioris synodi decreta cōsentientes firmauerunt, se implere uelle & obseruare promiserunt: & omnis Ecclesiastici ordinis clerus, episcopi & presbyteri, & diaconi cum clericis suscipientes antiquorum patrum canones, promiserunt se uelle Ecclesiastica iura moribus & doctrinis & ministerio recuperare. Abbates, & monachi receperunt sancti patris Benedicti normam regularis uitæ. Fornicatores & adulteros clericos, qui sancta loca uel monasteria antè tenentes coinquinauerunt, præcipimus inde tollere, & ad pœnitentiam redigere: & si post hanc definitionem in crimen fornicationis uel adulterij ceciderint, prioris synodi iudicium sustineant: similiter & monachi & nonnę. Statuimus quoq; cū consilio seruorum Dei & populi Christiani, propter imminētia bella & persecutiones cæterarū gentium quę in circuitu nostro sunt, ut sub precario & censu aliquā partem Ecclesialis pecunię ad adiutorium exercitus nostri, cū indulgentia Dei aliquanto tempore retineamus, ea cōditione, ut annis singulis de unaquaq; casata solidus, id est duodecim denarij ad ecclesiam uel monasterium reddatur: eo modo, ut si moriatur ille cui pecunia commodata fuit, ecclesia cum propria pecunia reuertatur. Et iterum, si necessitas cogat, ut princeps iubeat precarium, renouetur & rescribatur nouum: & omnino obseruetur, ut ecclesiæ uel monasteria penuriam & paupertatem non patiantur, quorum pecunia in precario præstita sit. Sed si paupertas cogat, ecclesię & domui Dei reddatur integra possessio. Similiter præcipimus, ut iuxta decreta canonum, adulteria & incæsta matrimonia, quæ non sunt legitima, prohibeantur & emendentur episcoporum iudicio. Et ut mancipia Christiana paganis non tradantur. Decreuimus quoque, quod & pater meus antè præcipiebat, ut qui paganas obseruationes in aliqua re fecerit, mulctetur & damnetur quindecim solidis. Pars de hoc edicto Carolomanni extat apud Nauclerum generatione 25.

SYNODVS ASCHAI*mensis.*

Circiter annum Domini 765, cùm Thessalonus mortuo parente Boiariam accepisset, proceres Boiorum, episcopi, & monachorū pręsules Aschaemis, quę est uicus superioris Bauariæ intra Cenum & Isaram, conueniūt, & ueteri consuetudine nouo principi huiusmodi leges administrandi præscribunt. Templa sacrosancta sunto. Vti pontifices res Ecclesiasticas procurent. Monachi rectè uiuant. Omnes decimas tribuant sacerdotibus. Princeps iure suo operam dato, pupillos, uiduas, inopes ab calumnia potentum defendito, pauperum & inopum querimonias ipse audito & cognoscito. Magistratibus, præsidibus, pręfectis, prætoribus, ne ciues, colonos, pauperes seruitute opprimant, demandato: neq; illorū auaricię inopes prædę esse sinito. Nec enim æquum est, ut illi de uisceribus reip. cùm antea pauperes & mendici fuerint, collocupletentur, & fortunis miserorum ditentur. Creditæ sunt illis prouinciæ, ut tanquam parentes cōsulant pauperibus, non ut diuites fiant & luxurientur. Leges Boiorum ubique obseruato: ne qua fraus ipsis fiat, caueto. Incæsta coniugia, adulteria cohibeto. Culpam supplicio recidito. Primum ius legesq; exerceantur, deinde eas clementia lenire fas esto, & temperare. Quemadmodum Imperator cœlestis per Mosen regi præcipit, omnibus cognitionibus, conuiuijs, sacerdotem legis Christianæ peritum adhibeto, quo omnis sententia, omnis sermo principis diuino sale conditus sit. Ne quid temerè Christianæ iusticiæ aduersum fiat aut committatur, quo Deus Opt. Max. ad iracundiam prouocetur. Néue iudices munera accipiant, & noxij (ita mores sunt) insontibus præferantur. Auentinus libro tertio Annalium Boiorum.

SYNODVS DINGV*lofinensis.*

Dingulofini, quod oppidum est in inferiore Bauaria ad Isaram, paulo pòst conueniūt sex episcopi & pontifices, tredecim monasteriorum abbates, atque hi fuère episcopi: Mannus Neoburgensis, (ea prouincia & diœcesis postea diuo Vdalrico condonata, Augustam Rhetiæ translata est) Almus Sabonensis, D. Vergilius Saleburgensis, Bisericus Laureacensis archiflamen, pontifex Bathauēsis, Synebertus Reginoburgēsis, Aribo Fruxinensis. Nomina antistitum qui cœnobijs

bijs ac contubernijs præfuerunt, hæc sunt: Opportinus Menésis, Vuolfprechtus Altaichij inferioris pater, Albertus Tigurinus, Ato Schiratius (qui iam ad Schlechdorf, & in templum ibi diuo Dionysio dedicatum commigrarat, relicto saltu Schiratio) Vto, qui & Ato Ilmensis: Landofridus Burensis, Albunus Sandunensis, Ruthardus Vuessobrunæ præsul, Ariouistus superioris Altaichij, Reginobertus Pfafomonasterij, Volcardus Austrauiæ, Berichtoldus Chimensis, Segido Vueltenburgensis rector. Vice Reginoburgensium, Bathauensium, & monachorũ Iuuauensium, functi sunt eorum pontifices. In isto concilio leges Boiorum ueteres correctę, emendatęq; sunt, sicut in Bibliothecis adhuc extant. Consultum quoque Patrum huiusmodi factum est: Sacerdotes sanctitatem, quam habitu, caluicie & nomine profitentur, morib. exhibeant. Euangelij, patrũq; scita, uita exprimãt. Omnis plebs populusq; pontificibus pareat. Monachorum quisq; in cõclaui suo deliteat, iuxta uocabuli sui rationem, suã solius curam agat. Parochus contra maiorum placita nequaquã administret. Fœminas sacratas nemo ducat. Nobilis tamdiu equestris ordinis censeatur, quãdiu beneficia & prędia principis regniq; possideat, quamdiu fidem principi suo seruarit, & utilis Reipub. fuerit. Festo die Solis, ocio diuino intentus, prophanis negocijs abstineto. qui hoc die uehiculariam, aut huiusmodi operã fecerit, iumenta eius publica sunto. Si contumax perrexerit, Deum ad iracundiam, polluendo festum, irritare, in seruitutem redigatur. Auentinus libro tertio Annalium Boiorum.

SYNODVS IN GENTI-
liaco uilla.

In uilla Gentiliaco apud Parisios celebratur Synodus anno Domini 766, iuxta Sigebertum: aut 767, iuxta Adonem & Reginonem libro 2. & Annales Francorum. Vrspergensis locum uocat Salmoniacum uillam.

Occasionem fortè præbuit Constantinus Imperator, qui legatos suos ad Pipinum misit, cum decretis suæ synodi contra imaginum cultum.

Quot & qui episcopi conuenerint, non indicatur: nisi quòd inter Græcos & Romanos, seu inter Orientalem & Occidentalem ecclesiam illhic disputatum esse, narrat Sigebertus & Vrspergensis. Vnde colligi potest, & Græcos & Latinos, fortè etiam Gallos & Germanos episcopos adfuisse.

Contulerunt autem inter se de Trinitate, & de processione Spiritus sancti, utrum à filio ita procedat sicut à patre: & de imaginibus sanctorum, utrum igne cremandę, an in ecclesijs ferendæ essent. Adon Viennensis ætate sexta. Et Annonius libro 4. capite 67. de Francis.

Quid constitutum tandem sit, non est satis manifestè indicatum: Græcos tamen oratores, iussos esse Cæsarem suum admonere, ut cum alijs pijs sentiat, Aemylius libro 2 de gestis Francorum refert. Et Iohannes Tolosanus dicit, post longam altercationem circa imaginum uenerationem, cõstitutum esse, Christi & sanctorum imagines esse colendas: sed alios non acquieuisse.

SYNODVS ROMANA.

Anno Domini 768, iuxta Sigebertum, (Sabellicus unũ annum addit) Romę celebratur Synodus, cui præsedit Stephanus 3. Occasio autem eius fuit, quòd Romanus clerus & populus Cõstantinũ papam, eo quòd uisus fuisset uero magistratui Imperatori Cõstãtinopolitano fauere, & cultum imaginũ improbare, à pontificatu deiecerat, & Stephanum substituerat. & restabat illud, ut acta eius abolerentur, & cultus imaginum confirmaretur, & seditiosæ defectionis & perfidiæ prætextus & plures occasiones quærerentur.

Conuocati sunt autẽ à Stephano, Illi qui eius parti addictissimi erant, nimirũ Tuscię, Campanię & Italię episcopi. Carolus etiam & Carolomannus per legatos & literas admoniti, miserunt duodecim episcopos ad eã synodum ex Gallijs & Germania.

Cõuentus habetur in Lateranẽsi basilica, in mẽse Aprili, indict. 7. Liber põtif. & Plat.

Primùm autem tractatur de Constantino papa: ac is coràm interrogatur, cur laicus existens, Apostolicã sedem inuasisset. Respondet ille: se à populo, à Paulo papa offenso, ui arreptum, & in Lateranense patriarchiũ ductum, & coactum esse suscipere pontificatũ: ac procidens in terram, petijt à Synodo ueniam. Patres eum erigunt, & deliberationes ea de re instituunt. Altero die iterum accusatur Constantinus, quòd nouum & inauditum facinus perpetrarit: uerùm ille respondet, se nihil noui fecisse. & commemorat exempla Sergij Rauennatis, & Stephani Neapolitani, & aliorum, qui ex laicis ordinati sint episcopi.

Hoc responso, patres illi adeò irritantur, spiritu nimirùm malo pleni, ac in eũ irruũt, & alapis cædunt: & in ecclesia facto igne eum comburunt, ut Marianus Scotus assignat. Liber pontificalis, & Platina, & recentiores historici, non meminerunt eius combustionis: sed libros actionum eius, & acta concilij in quo iudicatum fuerat eum legitimè ad pontificatum uenisse, exustos esse in medio presbyterij eius ecclesię, acclamãte Stephano & alijs *κύριε ἐλέησον*, tradunt.

Secundo loco, pœnitentiã indicũt omnib. qui

qui ab eo cõmunionem suscepissent: ac omnes testãtur fletu & cõfeßione, se ea in re grauißimè peccasse. Nota aũt hypocritas, camelum deglutientes, & muscam colantes.

Tertio, in quęstionem deducunt, quid de ijs sentiendum, qui à pseudopapa, ut eum habent, ordinati, consecrati, & chrismate initiati & baptizati essent? Ac re examinata, baptismum & chrisma ab eo datum non posse improbari, sed ordinationes & consecrationes eius irritas pronunciant: ideoque edicunt, ut laici, qui ab illo diaconi aut presbyteri sint ordinati, prorsus degradentur: presbyteri uerò & diaconi ab eo consecrati, ad priorem statum reuertantur. & si digni reperiantur, denuò consecrentur: sed tamen ita, ne liceat illis ad alium altiorem gradũ ascendere. Episcopi autem ab eo cõsecrati, denuò examinentur, & digni inuenti eligantur & consecrentur. Sigebertus in Chronico.

Quarto, decreta alia constituunt de electione pontificis Romani, quæ extant in 79 distinctione. Oportebat ut hæc sacrosancta domina nostra Romana ecclesia, iuxta quod à beato Petro & eius successoribus institutum est, ritè ordinaretur, & in Apostolatus culmen unus de cardinalibus presbyteris aut diaconibus consecraretur.

Nullus unquã laicorũ neq; ex alio ordine præsumat, nisi p distinctos gradus ascendẽs, diaconus aut p̃sbyter factus fuerit cardinalis, ad sacrũ põtificatus ordinem promoueri.

Si quis ex episcopis, uel monachis, uel laicis, cõtra canonum & sanctorum patrum instituta, prorumpens in gradum filiorum sanctæ Romanę ecclesiæ, id est presbyterorum, cardinalium & diaconorum ire præsumpserit, & hãc Apostolicam sedem inuadere quilibet ex supradictis tentauerit, & ad summũ pontificalem honorem ascendere uoluerit, ipsi & sibi fauentib. fiat perpetuũ anathema. & infrà: Si quis resistere præsumpserit sacerdotibus atq; primatibus Ecclesiæ, uel cũcto clero, ad eligendum sibi Romanum põtificẽ secundum canonicã traditionem, anathema sit. Antoninus titulo 14. capite 1. § 5.

Quinto, examinant acta synodi Constantinopolitanæ, & sententiam eius damnant, & contrariam asserunt: magno honoris affectu ab omnibus Christianis sacras imagines coli debere. Et Græcis edicunt, ut nisi uelint impij declarari, sanctorum statuas templis restituãt: usi hoc Achilleo argumento, Quòd si liceat Imperatorum & aliorum hominum statuas in ciuitatibus ponere, ac Dei & sanctorum non liceat habere, conditionem Dei peiorem hominum fieri. Platina in uita Stephani: & Sabellicus Enneadis 8. libro 8. Liber pontificalis.

Hęc decreta Stephanus põtifex, & reliqua asseclarum eius turba nudis pedibus prodeambulans à Lateranensi basilica cũ hymnis & canticis, in ędem S. Petri deportat, quę ex ambone à Leontio Scriniario clara uoce recitantur. Quibus finitis, tres episcopi, Gregorius de candida sylua, Eutracius Albanus, Theodosius Tyburtinus, ex eodẽ suggestu anathema promulgãt in omnes transgressores & uiolatores decretorum huius synodi. Platina, & Liber pontificalis: & Ranulphus in Polychronico libro 5. capite 26.

Alia Romana synodus.

Stephanus 3. quem Blondus Gregorium tertiũ uocat, cùm ab Aistulpho premeretur, Romanos in concilium adhibet: ac decernit per legatum Germanum, Constantino Copronymo esse indicandũ, quòd nisi afflictis Romæ & Italiæ rebus sua præsentia, & cum Romani imperij uirib. subueniret, aliã uiam unde salus & defensio haberi posset, scilicet apud Francos quærendam fore. Blondus libro 10 decadis primæ.

SYNODI VVORMACIENSES.

Anno Domini 768, in urbe Suessonum, Carolus in Synodo coronatur à Bonifacio Moguntino episcopo. Regino libro 2.

Anno Domini 770, iterum Vuormaciæ Carolus synodum, seu potius conuentum habuit. Idem fecit anno Domini 772. Regino libro 2. Et anno 787, in consessu sacerdotum & optimatum exponit causas, cur Romam abierit: & quomodò coram pontifice Thasilonis uersutia sit deprehensa. Regino libro secundo.

SYNODVS ROMANA A CAROLO *& Adriano celebrata.*

Cùm Carolus ab Adriano pontifice excitatus, in Italiam uenisset, & Desiderium Ticini obsedisset, Romam adijt. Adrianus autem ne uideatur solus agere cum Carolo, conuocat Synodum. Conueniunt episcopi & abbates circiter 153, iuxta Sigebertum: & iudices, & doctores legis, & uniuersus clerus Romanus in patriarchio Laterani, in ecclesia Saluatoris, anno Domini 773. Occasionem autem præbuerunt inter alia hæc. Primùm, quòd pontifex Carolo promiserat pro Lõgobardorum oppreßione, & fictícij patrimonij Petri traditione, summam dignitatem, quam Imperatores solebant habere. Deinde, quòd Romani ipsi non poterant inter sese pontifices eligere sine turbis: ideo opus habebant autoritate alicuius potentioris domini, penes quem esset illa potestas, pontificem & alios episcopos confirmandi. Tertiò, quòd ipse Carolus postulauerat sibi ius suum indicari, & mercedem reddi pro Longobardis expugnatis. Ranulphus libro 5. capite 26. in Polychronico.

Patres

Patres ergo inquirunt diligenter de usu, legibus & moribus ecclesię Romanæ & Imperij: & deliberât, quo pacto seditiones quæ solebât oriri, ob sedem Apostolicâ & dignitatẽ patriciatus, possent præcaueri. Ac tandẽ cõmuni cõsensu hęc decernũt. Primùm, populus Romanus, qui aliàs leges cõdere solebat, omne suũ ius & potestatem in Carolum trãsfert: ut Theodoricus Niemus refert. Deinde, pontifex & synodus dignitatem patriciatus seu principatus ei confert. Tertiò, tradũt ei ius & potestatẽ eligendi põtificem, & ordinandi Apostolicam sedem. Quartò, archiepiscopos & episcopos per singulas prouincias ab eo inuestiturâ accipere definiunt: ut nisi à rege laudetur & inuestiatur episcopus, à nemine cõsecretur. Quintò, refragãtes (cuiuscũq; sint ordinis homines) huic decreto, anathematizant: & nisi resipiscant, exilio irreuocabili & supplicio capitali subijciunt. distinct. 63. cap. Adrianus. & cap. In synodo. & Sigebertus. Antoninus tit. 14. cap. 1.

§ 6. Huius Synodi sententiam Leo postea Othoni repetit, & confirmat: distinct. 63. cap. In synodo. Et factum inde est, ut defuncto præsule quopiam, sacerdotes lituum cum annulo ad aulam Imperatorum Germanorum mitterent: quæ princeps illi tradebat solenni ritu, quem uolebat esse episcopum. Atque id sanè sine controuersia usque ad imperium Henrici quarti obseruatum esse, Auentinus affirmat libro 4 annalium Boiorum. Ac Mutius libro 7 de Germanis narrat, huius Synodi constitutiones peperisse multas contentiones inter Pontifices & Imperatores: donec ea potestas ui Imperatoribus sit extorta.

SYNODI DVRIENSES.

Carolus in uilla Duria conuentum celebrauit, anno 775. & postea anno 779. (Regino libro 2.) qui fuit Caroli undecimus. In hac posteriori synodo, episcopi, abbates, uiri illustres & comites præstò fuerunt in mense Maio, & 24 decreta fecerunt, quorum quædam ad Ecclesiasticam, quædam ad politicam gubernationem pertinent. Nos Ecclesiastica tantùm adscribimus.

1 Vt suffraganei episcopi secundum canones subiecti sint, & ea quæ erga ministerium illorum emendanda cognoscant, libenti animo emendent, atque corrigant.

2 Vbi pręsentes episcopi ordinati nõ sunt, sine tarditate ordinentur.

3 Vt, ubi regulares fuerunt, secundum regulam uiuant. Nec non & monasteria puellarum ordinem sanctum custodiant, & unaquæque abbatissa in suo monasterio sine intermissione resideat.

4 Vt episcopi de presbyteris & clericis infra illorum parochia potestatem habeant secundum canones.

5. Vt episcopi de incæstuosis hominibus emendandi licentiam habeant, seu & de uiduis infra sua parochia potestatem habeant corrigendi.

6 Vt nulli liceat alterius clericum recipere, aut ordinare in aliquo gradu.

7 Vt unusquisq; suâ decimam donet, atq; per iussionem pontificis dispensentur. Item de decimis, ut dentur: & dare nolentes, secundum quod anno præterito denunciatum est, à ministris Reipub. exigantur: id est, eligantur quatuor siue octo optimi homines, uel prout opus fuerit, de singulis plebibus, iuxta qualitatẽ uniuscuiusq; plebis, ut ipsi inter sacerdotem & plebem testes existant, ubi datæ uel non datæ fuerint. Hoc ideo, ne ibi iuramentum aliquod faciendi necessitas contingat. Non tamen ideo tantos testes mittendos dicimus, ut ipsi semper omnes in dandis decimis præsentes esse pariter necesse sit: sed ut, dũ pluribus cõmittitur, minus grauetur. in duobus autem si adfuerint, sufficere credimus.

Negligentes aũt amoueantur à presbyteris ecclesiarũ usq; ad tertiâ uicem, ut ipsam decimam dent: quod si cõtempserint, ab introitu ecclesię prohibeãtur: & si hoc nõ emẽdauerint, à ministris reipub. districti singuli per caput sex solidos Ecclesiæ cõponant, & insuper decimam dare cogantur. Nam si iterum cõtemptores extiterint, tunc per publicâ autoritatem domus uel casę eorũ hiusentur, quò usq; pro ipsa decima, sicut suprà dictum est, satisfaciant. Quòd si denuò rebelles uel contradictores esse uoluerint, & super ipsam hiusam sua autoritate intrare pręsumpserint, tunc à ministris reipub. in custodiâ mittantur, usq; dũ ad iudicium publicũ producantur, & ibi secundũ legem cõtra comitem uel partem publicam cõponant. Reliqua autem, ut suprà dictũ est, de decimis & 6 solidis contra Ecclesiam, satisfaciant.

8 Vt homicidæ, aut cæteri rei, qui legibus mori debent, si ad Ecclesiam confugerint, non excusentur, neq; eis ibidem uictus detur. Constitutiones Caroli Magni.

SYNODVS GENVENSIS.

Carolus Roma reuertens, Genuæ synodũ habet: cætera desiderantur. Regino libro 2.

SYNODVS ANGLICANA.

In generali quadam Synodo Chutbertus & alij sacerdotes, presbyteri & abbates, inter alia decreuerunt: ut natalicius Bonifacij, & eorum qui cũ ipso interfecti sunt, anniuersario die solenniter celebretur, ob eius apud Deum patrocinium & intercessionem. Epistola Chutberti ad Lullum.

Alia synodus Anglicana.

Anno Domini 786, Caroli uerò 18, quo

Britones

Britones scribitur subegisse apud Sigebertum, Adrianus legatos suos in Angliam misit, Gregorium Ostiensem, & Theophylactum Tudertinę ecclesię episcopum, ut eam insulam peragrarent & uisitarent, atque ita ius Romani pōtificis olim per Augustinum illuc missum, acquisitum confirmarent, & ecclesias illas pontificio charactere deformarent. Instruxit autem eos literis ad Offam Merciorum regem, & ad Aelfuuoldum Northanymbrorum regem, & ad archiepiscopos Cantuariensem & Eboracensem. Quid autem illi egerint & effecerint, in hūc modum ipsi exponunt.

¶ Nos, fauentibus sanctis orationibus uestris, hilari uultu uestris iussionibus obtemperantes perreximus: sed impediuit nos is, qui tentat uento contrario. ille uerò qui mitificat fluctus, exaudita uestra deprecatione, mitificauit cærulea freta, & transuexit nos ad portum salutis: ac licet multis periculis afflictos, tamen illæsos Anglorum appulit oris. Igitur suscepti primùm ab archiepiscopo Iaenbarcho sanctę Dorouernensis ecclesiæ, quæ alio uocabulo Cantia uocitatur, ubi sanctus Augustinus in corpore requiescit: inibi residentes, admonuimus ea quæ necessaria erant. Inde peragrantes peruenimus ad aulam Offæ regis Merciorum. At ille cum ingenti gaudio, ob reuerentiam beati Petri, & uestri Apostolatus, honore suscepit tam nos, quàm sacros apices à summa sede delatos. Tunc conuenerunt in unum concilium Offa rex Merciorū, & Chuniulphus rex Vuestsaxonum: cui etiam tradidimus uestra syngrammata sancta. Ac illi continuò promiserunt, se de his uitijs corrigendos. Tunc inito consilio cum prædictis regibus, pontificibus & senioribus terræ, perpendentes quòd angulus ille longè lateq; protenditur: permisimus Theophylactum uenerabilem episcopum, regem Merciorum & Britanniæ partes adire. Ego autem assumpto mecum adiutore, quem filius uester excellentissimus rex Carolus ob reuerentiam uestri Apostolatus nobiscum misit, uirum probatæ fidei Vuighodum abbatem presbyterum, perrexi in regionem Northanymbrorum ad Osualdum regē, & archiepiscopum sanctæ ecclesiæ Eboracæ ciuitatis Eanbaldum. Sed quia præfatus rex longè in Borealibus commorabatur, misit iam dictus archiepiscopus missos suos ad regem, qui continuò omni gaudio statuit diem concilij: ad quem conuenerunt omnes principes regionis, tam Ecclesiastici quàm seculares. Sed audientibus nobis relatum est, quòd reliqua uitia non minima ibi necessaria erant ad corrigendum. Quia, ut scitis, à tempore sancti Augustini pontificis, sacerdos Romanus nullus illuc missus est, nisi nos. Scripsimus namque capitulare de singulis rebus: & per ordinem cuncta disserentes, auribus illorum pertulimus: qui cum omni humilitatis subiectione, & clara uoluntate, tam admonitionem uestram quàm paruitatem nostram amplexantes, spoponderunt se in omnibus obedire. Tunc nos epistolas uestras eis tradidimus perlegendas, contestantes, eos tam in se quàm in subditis, sacrata decreta custodire. Hæc namque sunt capitula, quæ illis pertulimus conseruanda esse.

Primò omnium admonentes, ut sancta & inuiolata fides Niceni concilij ab omnibus qui sacro cultui mancipantur, fideliter ac firmiter teneatur, & omni anno in synodalibus conuentibus ab episcopis singularum ecclesiarum presbyteri qui populum erudire debent, de ipsa fide diligentissimè examinentur, ita ut Apostolicam fidem & uniuersalium sex Synodorum per Spiritum sanctum probatam, sicut tradita est nobis à sancta Romana ecclesia, per omnia confiteantur, teneant & prædicent: & si opportunum uenerit, pro ea mori non pertimescant: & quoscunque sancta uniuersalia Concilia susceperunt, suscipiant: & quos illa damnauerunt, eos & corde reijciant, & condemnent.

Secūdo capitulo docuimus, ut baptismus secundum Canonica statuta exerceatur, & non alio tēpore, nisi pro magna necessitate: & ut omnes generaliter Symbolum & orationem Dominicā sciāt. Et illi qui paruulos de sacro fonte suscipiunt, & pro nō loquentibus respondent, ob renunciationē satanæ, & operum ac pōparum eius, seu fidei credulitatem, sciant se fideiussores ipsorum esse ad Dominum pro ipsa sponsione: ut dum ad perfectionem ætatis peruenerint, doceant eos prædictam orationem Dominicam & Symbolum. quia nisi fecerint, districtè ab eis exigetur, quod pro non loquentibus Deo promittitur. Ideo generaliter omni uulgo præcipimus, hoc memoriæ mandari.

Tertio sermone perstrinximus, omni anno secundum canonicas institutiones, duo Concilia: ut, sicut boni agricultores, surculos, nascentes spinas de cordibus delinquentium radicitùs amputare ualeant: & unusquisque episcopus parochiam suam omni anno semel circumeat, diligenter conuenticula per loca congrua constituendo, quò cuncti conuenire possint ad audiēdum uerbum Dei: ne aliquis per iniuriam pastoris per deuia cuiuslibet ignorantiæ errans, rugientis leonis morsibus inuadatur: & uigilanti cura gregem sibi commissum prædicet, confirmet, incæstuosos separet: augures, aruspices & incantatores, diuinos,

diuinos, ueneficos, sacrilegos coherceat, & cuncta uitia demat. Et ne quis turpis lucri gratia, sed spe mercedis æternæ gregem sibi cõmissum pascere quærat: & quod gratis accepit, omnibus gratis præstare studeat, ut Apostolus protestatur, dicens: Testificor coram Domino & Christo IESV, qui iudicaturus est uiuos & mortuos, & per aduentum ipsius & regnum eius, prædica uerbũ, insta opportunè importunè, arguè, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina, sicut Propheta dicit: Super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Syon: scilicet ut ita præemineat merito, sicut & gradu. & ne fortè debeat à docendi timore restringi, audiat: Exalta in fortitudine uocem tuam, & noli timere. Hieremias quoque dicit: Accinge lumbos tuos, & surge, & loquere ad eos, ne formides à facie eorum, nec enim timere te faciam uultum eorum. Heu proh dolor, & nimis flenda tepiditas, quòd multi æstimantes dicunt, quid uel amore rerum secularium implicemini, uel aliquo facinore territi uerbum ueritatis aperire confundemini. Si præsules Ecclesiarum silent propter timorem, aut amicitiam secularem, & peccantes non arguunt, ut praui pastores non habentes curam de ouibus, & uidentes lupum fugiunt: cur magis non pertimescunt Principem principum, Regem regum, Dominum dominantium? qui per Prophetam pastores increpat, dicens: Non ascendistis ex aduerso, neq; opposuistis murum, ut staretis in prælio in die Domini. Deniq; sicut peruigil pastor contra bestiã oues custodire solet: ita Dei sacerdos super gregem Christi sollicitus esse debet, ne inimicus uastet, ne persecutor infestet, ne potentioris cuiusq; cupiditas uitã pauperũ inquietet, dicente Propheta: Si non annunciaueris iniquo iniquitatem suã, sanguinẽ eius de manu tua requiram: si autem annunciaueris, & non egerit pœnitentiam, tuam animam liberasti, ipse in peccato suo morietur. Pastor namq; bonus, animam suam dat pro ouibus suis. Hæc namq; recolẽtes, patres mei & fratres, operam date, ne de uobis dicatur ut pastoribus Israel, qui pascunt semetipsos, &c. Sed audire mereamini: Euge bone serue, & fidelis, intra in gaudium Domini.

Quartus sermo, ut episcopi diligenti cura prouideant, quo omnes Canonici sui canonicè uiuant, & monachi seu monachæ regulariter cõuersentur, tam in cibis quàm in uestibus, ut discretio sit inter Canonicũ & monachum uel secularẽ: & illo habitu uiuant, quo Orientales monachi degũt: & Canonici exemplo Orientaliũ, & non tinctis Indiæ coloribus, aut ueste preciosa: sed episcopi abbates & abbatissæ, subiectis sibi in omnibus exemplũ bonũ præbeant, ut Petrus ait: Estote forma facti gregis, secundum Dominum, &c. Qua de re suademus, ut synodalia edicta uniuersalium sex Conciliorum cum decretis Pontificum Romanorum sæpius lectitentur, obseruentur, & iuxta eorũ exemplar ecclesiæ status corrigatur, ut ne quid noui ab aliquibus introduci permittatur, ne, sit schisma in Ecclesia Dei.

Quintum caput admonet, ut si (quod sæpe euenire solet) abbas aut abbatissa de hoc iure migrauerint, tunc cum consilio episcopi cuius in parochia ipsum monasterium situm est, probatæ uitę, & religiosi secundum Dominum ex ipsis eligantur pastores, qui sollicitè animarũ sibi commissarum curã gerant. Sin autem in cœnobio illo talis uir minimè reperitur, de alio eis cœnobio talis mittatur, qui eos secundũ Dominũ gubernare queat: ut uotum quod Deo uouerunt, in omni humilitate & obedientia die noctuque implere satagant, parati semper præcinctis lumbis, ardentibusq; lucernis patremfamiliãs expectãtes, ut dum uigilãtes inuenerit, faciat eos æterni conuiuij esse participes.

Sextum decretũ, ut nullus episcoporum presbyterum aut diaconum ordinare præsumat, nisi probatæ uitæ fuerint, & officium suum ritè implere possint: & in illo titulo perseuerent ad quem consecrati sunt, ita ut nullus de alterius titulo presbyterũ aut diaconum suscipere præsumat, absq; causa rationabili & literis commendaticijs.

Septimo capitulo, ut omnes ecclesiæ publicè Canonicis horis cursum suum cum reuerentia habeant.

Octauo statuto, ut priuilegia antiqua à sancta Romana sede delata Ecclesijs, omnimodis conseruentur. Si qua autem propter assensum prauorum hominũ contra Canonica instituta conscripta sunt, auellantur.

Nono capite, ut nullus ex Ecclesiasticis cibũ in secreto sumere audeat, nisi prę nimia infirmitate: quia hypocrisis & Saracenorum est. Ideo hortamur, ut non simus forinsecus sepulchra dealbata, intus autem pleni cadaueribus mortuorum, maximè cum Saluator dicit: Attendite ne iusticiam uestram faciatis coram hominibus, ut uideamini ab eis, alioquin mercedem nõ habetis apud patrem uestrum qui in cœlis est. Vnde intueri libet, si bona opera in absconditis fieri iubentur, ut pro cuius nomine hæc facimus, ab ipso remuneremur: quid pertinet ad rem, ut coram hominibus ieiunantes aut abstinentes simulemur, in secretis uerò nostris bouem aut equum glutiamus?

Decimo capitulo, ut ne quislibet ex ministris altaris, nudis cruribus ad missam celebrandam

brandam accedere audeat, ne turpitudo eius appareat, & offendatur Deus: sciẽtes, quòd si hoc in lege prohibitum est, nunc in sacramento Christi diligentius obseruari debet. Oblationes quoq; fidelium tales fiant, ut panis sit, non crusta. Vetuimus etiam, ne de cornu bouis calix aut patena fieret, ad sacrificandum Deo: quia sanguineæ sunt. Vidimus etiam ibi episcopos in concilijs suis secularia iudicare, prohibuimusque eos uoce Apostolica: Nemo militans Deo implicet se negocijs secularibus, ut ei militet cui se probauit. Obsecrauimus etiam, ut assiduè preces fierẽt pro Ecclesia Dei, ut Deus & Dominus noster IESVS Christus exaltet, corroboret, protegat & defendat, conseruet immaculatam ad laudem & gloriam nominis sui in omnia secula seculorum. Amen.

Vndecimus sermo fuit ad reges & principes, ut regimen suũ cum magna cautela & disciplina peragant, & cum iusticia iudicent, ut scriptum est: Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis &c. Deniq; sicut superius episcopis intimauimus, autoritate diuina fiducialiter ac ueraciter absque ullo timore uel adulatione loqui uerbũ Dei regibus, principibus, omnibusque dignitatibus, nunquam ueritatem subterfugere, nulli parcere, neminem iniustè damnare, neminem sine causa excommunicare, omnibus uiam salutis tam uerbis quàm exemplis demonstrare: ita quoque reges & principes admonuimus, ut obediant ex corde cum magna humilitate suis episcopis: quia illis claues cœli datæ sunt, & habent potestatem ligandi atque soluendi, ut scriptum est: Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: presbyteros tuos, & dicent tibi. Et alibi Apostolus: Obedite prępositis uestris tanquam Domino, ipsi enim uigilant pro uobis, quasi pro animabus uestris rationem reddituri. Dominus ipse doctoribus ait: Qui uos audit, me audit: qui autẽ uos spernit, non spernit uos, sed eum qui misit uos. Item per Prophetam: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est. Igitur si angeli sacerdotes appellantur, à secularibus iudicari non possunt, ut Apostolus ait: Mihi autem pro minimo est, ut à uobis iudicer, aut ab humana die: qui autem iudicat me, Dominus est. Item per Psalmistam: Et corripuit pro eis reges, ita dicens: Nolite tangere Christos meos, & in prophetis meis nolite malignari. Item Apostolus: Nescitis quoniam angelos iudicabimus? Quanto magis secularia: quia sicut reges omnibus dignitatibus præsunt, ità & episcopi in his quæ ad Deum attinent. Ideo omni nisu hortamur, ut ecclesiam Dei, quæ est sponsa Christi, omnes honorent in facto, nec iniustum seruitutis iugum ei imponant, nec superbiant in seculari potentia, nec alios ui opprimant, ut scriptũ est: Et honor regis iudicium diligit. Perpendat unusquisq;, qualiter à suis subiectis spõsam suã honorari uelit: & in hoc terreno exẽplo cõsideret, quantũ cœlestis regis sponsam oporteat uenerari, ne (quod absit) de eis dicatur: Ipsi regnauerunt, sed non ex me: principes extiterũt, & nõ cognoui. Sed audire mereantur: Inueni uirũ secundũ cor meum, qui facit omnes uoluntates meas: ideo posui adiutoriũ super potẽtẽ, & odientes eum in fugam cõuertam, ut longæuitatẽ felicitatemq; regni sibi suisq; nepotibus distribuat, & æternam futuri regni gloriam concedat: habeantq; reges consiliarios prudentes, Dominum timentes, moribus honestos, ut populus bonis exemplis regum & principum eruditus & cõfortatus, proficiat in laudem & gloriam omnipotentis Dei.

Duodecimo sermone sanximus, ut in ordinatione regum nullus permittat prauorum præualere assensum: sed legitimè reges à sacerdotibus & senioribus populi eligantur, & non de adulterio uel incæstu procreati: quia sicut nostris temporibus ad sacerdotium secundum Canones adulter peruenire non potest, sic nec Christus Domini esse ualet, & rex totius regni, & hæres patrię, qui ex legitimo nõ fuerit cõnubio generatus, dicente Propheta: Scitote quia Dominus dominator est in regno hominũ, & ipsius est regnum: & cuicũq; uoluerit dabit illud. Ideo omnes generaliter admonuimus, ut cõsona uoce & corde Dominũ rogent, ut qui eligit eum in regnũ, ipse ei tribuat regimẽ disciplinæ sanctæ suæ, ad regendam plebem suam. Honor quoque eis ab omnibus impendatur, dicente Apostolo: Regem honorificate. & alibi: Siue regi quasi præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis, ad uindictam malefactorum, laudem uerò bonorum. Item Apostolus: Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit, quia non est potestas data nisi à Deo. Quæ autem à Deo sunt, ordinata sunt. Igitur qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nullus regi detrahat, dicente Salomone: In ore tuo ne detraxeris regi, & in corde tuo ne maledixeris principi: quia aues cœli portant illud. & qui habet pennas annunciabit uerbum. In necem regis nemo communicare audeat, quia Christus Domini est: & si quis tali sceleri adhæserit, si episcopus est, aut ullus ex sacerdotali gradu, ex ipso detrudatur, & à sancta hæreditate deijciatur, sicut Iudas ab Apo-

ab Apostolico gradu eiectus est: & omnis quisquis tali sacrilegio assenserit, æterno anathematis uinculo interibit, & Iudæ traditori sociatus, sempiternis cremabitur incendijs, ut scriptum est: Non solum qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus, iudicium Dei non effugiunt. Duo namque eunuchi Asuerum regem interficere cupientes, in patibulum suspensi sunt. Animaduertite quid fecerit Dauid præfecto, cum ei Dominus dixerit, Ego tradam Saul in manus tuas: dum inuenit dormientem, & hortatus à milite ut occideret eum, dixit: Absit à me hoc peccatũ, ut extendam manum meam in Christum Domini. Illum autem militem qui post mortẽ eius uenit ad eum, protestans quòd ipse occiderit Saul, capite truncauit: & reputatum est illi ad iusticiam, & semini eius post eum. Exemplis namque apud uos sæpe probatũ est, quòd quicunq; internecionis dominorũ causa fuēre, in spacio uitā finierunt, & utroq; iure caruerunt.

Decimatertia admonitio fuit, ut potentes & diuites iusta iudicia statuant, nec personam diuitis accipiant, nec pauperes contemnant, neq; à rectitudine iudiciorum deuient, nec munera super innocentes accipiant, sed in ueritate & iusticia, dicente Propheta: Iustè iudicate filij hominum. Item alibi: Non facies quod iniquũ est, nec iniustè iudicabis: non stabis contra sanguinem proximi tui. Item ait Esaias: Quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite uiduam, & uenite & arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata uestra ut coccinum, quasi nix dealbabũtur: & si fuerint rubra quasi uermiculus, ut lana alba erunt. Itẽ alibi: Solue omnem nodũ iniquitatis, solue fasciculos deprimentes: dimitte eos qui cõfracti sunt, liberos, & omne onus dirumpe. Tunc erumpet quasi mane lumen tuũ, & sanitas tua citius orietur, dicente Domino in Euangelio: In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini: mensura qua mensi fueritis, metietur uobis. Nec ui alicui rapietis quod suum est, ut dictũ est: Non cõcupisces rem proximi tui, nec desiderabis uxorem eius, non uillam, non bouem, non ouem, non agrum, nec omnia quæ illius sunt. Propheta namq; comminatur dicens: Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum ad agrum copulatis, usq; ad terminum loci: nunquid soli uos habitabitis in medio terræ? in auribus meis sunt hęc, dicit Dñs exercituũ. Rursum clamat Propheta dicens: Eripite pauperẽ, & egenũ de manu peccatoris liberate. Memẽtote quid mereatur, qui scandalizauerit unũ de pusillis: qui aũt susceperit unũ de his, Christũ suscipit, à quo in iudicio mereamini audire: Venite benedicti, possidere paratũ uobis regnũ ab origine mundi.

Decimumquartum caput. Fraus, uiolentia & rapina uetatur: & ne iniusta uel maiora tributa Ecclesijs Dei imponantur, quam lex Romana & antiqua consuetudo priorũ Imperatorum, regum & principũ habeat. omninoq; qui sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & beato Petro principi Apostorum communicare cupit, ab hoc uitio uiolentiæ immunẽ se seruare studeat. Sic concordia ubiq; & unanimitas inter reges & episcopos, Ecclesiasticos & laicos, omnẽq; populum Christianũ: ut sit unitas ubiq; ecclesiarum Dei, & pax in una Ecclesia, in una fide, spe & charitate permanens, unum caput habens quod est Christus: cuius membra se inuicem adiuuare, mutuaq; charitate diligere debeāt, sicut ipse dixit: In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionẽ habueritis ad inuicẽ.

Decimumquintum caput. Interdicũtur omnibus iniusta connubia, & incæstuosa, tam cum ancillis Dei, uel alijs illicitis personis, quàm cum propinquis & consanguineis, uel alienigenis uxoribus: & omnino anathematis mucrone perfoditur, qui talia egit, nisi correctus resipiscat à tam nefanda præsumptione: & suo episcopo obtemperans, seipsum ad æquitatis normam corrigat & reuocet.

Decimumsextum caput. Decreto abdicitur filijs meretricum legitima hæreditas. Adulterinos namque filios, ac sanctimonialium, autoritate Apostolica spurios & adulteros iudicamus. Virginem namq; quæ se Deo uouerit, & ad instar sanctæ Mariæ uestẽ induerit, sponsam Christi uocitare non dubitamus. Ideo manifestum est, siue in cœlestibus rebus, siue terrestribus: quia qui potẽtiorem se sponsam tulerit, & suo sibi eam matrimonio copulauerit, nunquā impunitus euadet. Vnde & Apostolus ait: Si quis templum Dei uiolauerit, disperdet illum Dominus. Templũ enim Dei sanctũ est, &c. Item Apostolus: Hoc namq; scitote, intelligẽtes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut adulter, aut auarus, nõ habet hereditatẽ in regno Christi & Dei. Perpẽdite namq;, si ab Apostolo hæreditas seculi secluditur, dicẽte Scriptura: Non enim hęres erit filius ancillę cum filio liberæ. Sed dicet aliquis adulterinus: Meretrix mea nõ est serua, sed libera. His autoritate Apostolica respõdemus: Nescitis, quia cui uos seruos exhibuistis ad obediendũ, serui estis eius cui obedistis? Siue peccati ad mortẽ, siue iusticiæ ad sanctificationẽ. Idcirco imperauimus Apostolicis uerbis, ut propter fornicationẽ fugiendā, unusquisq; laicus suā uxorẽ legitimā habeat. & unaquæq; suũ uirũ habeat, ut secundũ Dominũ inde hæredes legitimos habeat, fiātq;

hæredes Dei, cohæredes autem Christi. Cæterùm sicut in Canone, uel in Euangelica doctrina, & decretis Apostolicorũ dogmatum, de legitimis matrimonijs, uel statuto tempore nubendi uel abstinendi scriptũ est: his decretis nihil addere præsumimus, aut demere. Si quis autem uidetur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neq; Ecclesia Dei.

Decimumseptimum caput. De decimis dandis, sicut in lege scriptum est: Decimam partem ex omnibus frugibus tuis seu primitijs deferas in domum Domini Dei tui. Rursum per Prophetam: Adferte, inquit, omnẽ decimã in horreũ meum, ut sit cibus in domo mea: & probate me super hoc, si non aperuero uobis cataractas cœli, & effudero benedictionem usq; ad abundantiam: & increpabo pro uobis deuorantẽ, qui comedit & corrumpit fructũ terræ uestræ. & non erit ultra uinea sterilis in agro, dicit Dominus. Sicut Sapiens ait: Nemo iustã eleemosynam de his quæ possidet facere ualet, nisi prius separauerit Domino, quod a primordio ipse sibi reddere delegauit. Ac per hoc plerunq; contingit, ut qui decimã non tribuit, ad decimam reuertitur. Vnde etiam cum obtestatione præcipimus, ut omnes studeant, de omnibus quæ possident, decimas dare, quia speciale Domini Dei est: & de nouem partibus sibi uiuat, & eleemosynas tribuat, & magis eas in absconditis facere suademus, quia scriptum est: Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te. Vsuras quoque prohibuimus, dicente Domino ad Dauid: Dignum fore habitatorem tabernaculi sui, qui pecuniam suam non dederit ad usuram. Augustinus quoq; ait: Quia habet iniustum lucrum sine iusto damno. Vbi lucrum, ibi damnum: Lucrum in arca, damnum in conscientia. Statuimus etiam, ut mensuras æquas, & pondera æqualia statuant omnibus, dicente Salomone: Pondus & pondus, mensuram & mensuram odit Deus: id est, ne alio quis uendat pondere uel mensura, alia emat: quia ubiq; Deus iusticiam diligit, & æquitatem uidet uultus eius.

Decimumoctauum caput. De uoto Christianorũ, ut impleant illud. Antiqui namq; Patriarchæ & Prophetæ per hoc placuerunt Domino. Abel namq; iustus uotũ fideli animò obtulit de adipibus suis: & grata magis erãt Domino, quàm illius parricidę. Idcirco diuino igne Deus absumpsit holocausta accepta, nõ bono aũt animo oblato cõtẽpsit: & idcirco cũ maledictione damnatus, iram meruit. Iunior aũt felici martyrio coronatus est. Recordamini Enoch, qui uotũ uouit & reddidit, & uiuens in corpore translatus est. Noe namq; iustus uotum uouit & reddidit, & solus omnium hominũ cum septem sibi coniunctis de diluuio mundi liberatus est. Quid loquar de Abraham, qui cætera uota uouit & reddidit, & decimas sacerdoti Melchisedech dedit? De hostibus namq; triumphauit: ideo meruit Dominũ in Trinitate non solum adorare, uerùm etiã in hospitiũ suscipere, & promissionis filiũ de nonagenaria habere: & quẽ promissionis filium suscipere meruit (maximè dicente Domino, In Isaac uocabitur tibi semen: &, In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ) ipsum promissionis filiũ mactare non renuit, quem proculdubiò tamen uicturum nõ diffidebat. Ideo fides cooperabatur operibus illius, & reputatũ est illi ad iusticiã, & amicus Dei appellatus est. Iacob namq; uotũ uouit, & reddidit. Recordamini Manoe de filia sua, & memoria illius in sempiternum erit. Dauid propheta implens uotũ, nobis præcipit, dicẽs: Vouete & reddite Domino Deo uestro, omnes qui in circuitu eius sunt: afferte munera terribili, & ei qui aufert spiritum principum, terribili apud omnes reges terræ. Salomon quoq; ait: Cum feceris uotum, festina reddere illud, ne fortè Dominus irascatur tibi. Item Scriptura: Melius est non uouere, quàm post uotum non reddere. Vnde obsecramus. Vt unusquisq; ad mentem suam reuocet, quicquid in prosperitate & angustia Deo uouit, ne tardet reddere illud: ne fortè iterum in angustijs implicati, audire mereamini: Quod dudum pollicitus est mihi, mentitus est: ad seruandam duriciem tuam, & cor impœnitens thesaurizasti tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei. Ideo in interitu uestro ridebo & subsannabo, cum uobis quod timebatis, aduenerit. Nihil namque damus aut promittimus, nisi quod prius nobis dedit. Vnde Propheta compunctus ait: Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Si quis autem uouerit, & reddere distulerit, ueremur ne unquam illæsus euadat, ut dictum est: Horrendum est incidere in manus Dei uiuentis, &c.

Decimumnonum caput. Annexuimus, ut unusquisque fidelis Christianus à Catholicis uiris exemplum accipiat: & si quid ex ritu paganorum remansit, auellatur, contemnatur, abijciatur. Deus enim formauit hominẽ pulchrũ in decore & specie, pagani uerò diabolico instinctu cicatrices teter rimas superinduxerunt, dicente Prudentio:

Tinxit & innocuum maculis sordentibus humum.

Domino enim uidetur facere iniuriam, qui creaturam suam fœdat & deturpat.

Certè si pro Deo aliquis hanc tincturæ iniuriam sustineret, magnã inde remunerationem acciperet. Sed quisquis ex superstitione gen-

ne gentilium id agit, non ei proficit ad salutem: sicut nec Iudæis circumcisio corporis, sine credulitate cordis. Vestimenta etiam uestra, more gentilium, quos Deo opitulante patres uestri de orbe armis expulerunt induitis: miranda res, & nimis stupenda: ut quorum uitam semper odistis, exempla imitemini. Equos etiam uestros turpi consuetudine detruncatis, nares finditis, aures copulatis, uerùm etiam & surdas redditis, caudas amputatis: & quia illos illæsos habere potestis, hoc nolentes cũctis odibiles redditis. Audiuimus etiã, quòd dum inter uos litigium uersatur, sortes more gentilium mittitis: quod omnino sacrilegum istis temporibus reputatur. Equos etiam pleriq; in uobis comedunt, quod nullus Christianorum in Orientalibus facit: quod etiam euitate: contendite ut omnia uestra honesta & secundum Dominum fiant.

Vigesimum caput. Omnibus generaliter intimauimus, ut iuxta propheticam uocem agere decertent, quæ ait: Nolite tardare conuerti ad Dominum, nec differatis de die in diem. Et alibi: Conuertimini ad me in toto corde uestro, in ieiunio & fletu & planctu. Item: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos. Et iuxta Apostolũ: Confitemini alter alteri peccata uestra, & orate pro inuicé, ut saluemini, ne ullũ (quod absit) subitanea mors imparatũ inueniat. & iuxta iudiciũ sacerdotũ & modũ culpæ Eucharistiam sumite, & fructus dignos pœnitẽtia facite. fructuosa namq; pœnitẽtia est, admissa deflere, & fleta in postmodũ nõ admittere.

Si quis autem (quod absit) sine pœnitentia aut confessione de hac luce discessit, pro eo minimè orãdũ est. Nullus enim nostrûm absq; peccato est, nec infans unius diei, dicente Apostolo: Si dixerimus quia peccatũ non habemus, ipsi nos seducimus, & ueritas in nobis non est. Pœnitemini igitur, & conuertimini, quia mors non tardat, ut deleantur uestra peccata: & illa uita sine fine mansura cum angelis sanctis perfrui mereamini, per eum qui uiuit & regnat in secula seculorum.

Hæc decreta, beatissime papa Hadriane, in concilio publico coram rege Aelfuualdo, & archiepiscopo Eanbaldo, & omnibus episcopis & abbatibus regionis, seu senatoribus, ducibus, & populo terrę proposuimus, & illi, ut superius fati sumus, cum omni deuotione mentis, iuxta possibilitaté uirium suarum, adiuuante superna clementia, se in omnibus custodire deuouerũt: & signo sanctæ crucis in uice uestra, in manu nostra confirmauerunt: & postea stylo diligẽti in charta huius paginæ exarauerunt, signum sanctæ crucis infigentes.

Ego Aelfuualdus Transhumbranę gentis rex, cõsentiẽs signo sanctæ crucis subscripsi.

Ego Dilberchus Augustadensis ecclesiæ pręsul, gaudẽs signo sanctę crucis subscripsi.

Ego Eanbaldus gratia Dei archiepiscopus sanctæ Eboracensis Ecclesiæ, huius chartulæ piæ & catholicæ taxationi, signo sanctæ crucis subscripsi.

Ego Hyguualdus Lindisfarnẽsis ecclesię episcopus obediẽs, signo S. crucis subscripsi.

Ego Aedilberchus Candensis casæ episcopus supplex, signo sanctæ crucis subscripsi.

Ego Aldulfus Myiensis ecclesiæ episcopus, deuota uoluntate subscripsi.

Ego Aethiluuinus episc. per legatos subscripsi.

Gosigha patricius, signo sanctæ crucis placido animo subscripsi.

His quoq; saluberrimis admonitionibus pbyteri, diaconi Ecclesiarũ, & abbates monasteriorũ, iudices optimates & nobiles, unopere, uno ore cõsentim⁹ & subscripsimus.

Ego Alrich dux, signo S. crucis subscripsi.

Ego Siguulfus dux, signo S. crucis subscr.

Ego Aldberich abbas, signo sanctæ crucis subscripsi.

Ego Erhart abbas, signo S. crucis subscr.

His peractis, & data benedictione, perreximus, assumptis nobiscum uiris illustribus legatis Regis & archiepiscopi, Maluinum uidelicet & Pyttel Lectores: qui unà nobiscum pergentes, & ipsa decreta secũ deferentes in Concilium Merciorum, ubi gloriosus rex Offa cum Senatorib. terræ, unà cum archiepiscopo Iaenberthto sanctæ Ecclesiæ Dorouernensis, & cæteris episcopis regionum conuenerat, & in conspectu Concilij clara uoce singula capitula perlecta sunt, & tam Latinè quàm Teutonicè, quò omnes intelligere possent, dilucidè reserata sunt: qui omnes consona uoce, alacri animo gratias referentes, Apostolatus uestri admonitionibus promiserunt, se diuino adminiculante fauore iuxta qualitatem uirium promptissima uoluntate, in omnibus hæc statuta custodire. Quinetiam, ut suprà taxauimus, tam rex quàm principes sui, archiepiscopus cum socijs suis in manu nostra, in uice Dominij uestri, signum sanctæ crucis firmauerunt, & rursum præsentem chartulam sacrato signo roborauerunt.

Ego Ieanbrechtus archiepiscopus sanctæ Dorouernensis Ecclesiæ, supplex signo sanctæ crucis subscripsi.

Ego Offa rex Merciorũ, consentiens his statutis, prõpta uolũtate signo crucis subscripsi.

Hugibrechtus episcopus Lichtenfelsæ ecclesiæ, signo sanctæ crucis subscripsi.

Edeulfus Lindensis, Faronensis episcopus, subscripsi.

Vnuuona Legorẽsiũ episcopus subscripsi.

Alchardus episcopus subscripsi.
Fadberchus episcopus subscripsi.
Chumbrechus episcopus subscripsi.
Harchelus episcopus subscripsi.
Aeine episcopus subscripsi.
Tora episcopus subscripsi.
Vuaremundus episcopus subscripsi.
Adalmundus episcopus subscripsi.
Adoredus episcopus subscripsi.
Edrabordus abbas, Alemundus abbas, Boduuinus abbas, Vrtel abbas:
Brorda dux, signo S. crucis subscripsi.
Facuualdus dux subscripsi.
Bercoaldus dux subscripsi.
Othbaldus comes subscripsi.

SVB LEONE COpronymo.

SYNODVS AD LIPPAM.

Regino libro secundo annotat, Carolū in Saxonia ad fluuium Lippam celebrasse Synodum, anno Domini 780: & postea anno 782. Sed tractatum esse de rebus tantum politicis uidetur.

SYNODI SVB IRENE:

SYNODVS PADERbrunensis.

Padebrunæ Carolus synodū seu conuentū habuit, anno Dñi 785. Regino lib. 2.

SYNODVS INGELheymensis.

Anno Domini 788, iuxta Reginonem, Carolus Ingelheymię cogit Synodum. Conueniunt Pontifices maiores, minores, sacerdotes, reguli, duces, tetrarchæ, præfecti, ciues, oppidani. Carolus accusat Thessalonum perfidiæ, & testibus crimen probat. Pronunciatur sententia iuxta legem Salicam, de capitali supplicio. Sed Thessalonus petit ueniam, & cum filio in monasterium relegatur: & qui cum eo senserant, in exiliū abigūtur, & tota Bauaria Carolo subijcitur. Auentinus libro 3 Annalium. Videntur illæ constitutiones, quæ anno 20. regni Caroli Magni in Aquisgrani palatio factæ sunt, etiā in hac Synodo esse repetitæ & confirmatæ.

SYNODVS CONSTANTInopolitana.

Cum Paulus patriarcha in monasterium se abdidisset, interrogatur ab Irene, cur id fecisset? respondet ille, propter dissidiū quod propter imagines sit ortū, ob quod ea ecclesia esset anathematizata ab alijs. Ac planè asserit, nisi Synodus uniuersalis fiat, & error ille corrigatur, non posse Constantinopolitanos saluari. Mortuo illo, eligitur Tarasius, is negat se consensurum in uocationem, nisi Imperatrix & Imperatores promittant Synodi uniuersalis cōuocationem. Facta promissione res in actū deducitur. Anno sexto imperij Irenes, Domini 787, omnes cōuocātur antistites. Adrianus Roma mittit Petrū Vicedonū, & Petrū Hegumenū. Antiochia uenit Ioānes, & Alexādria Thomas, qui postea Thessalonicę factus est archiepiscopus.

Septima idus Augusti, indictione nona in templo Apostolorū, archiepiscopi & episcopi & sacerdotes cōgrediūtur: adsunt etiam Imperatores, & Catechumeni. Instituitur collatio & disputatio de imaginū cultu, ex Sacris literis: & in utranq; sententiā disceptatur. Summus sacerdos & episcopi, & abbates quidā & monachi, imaginū uenerationē conantur tueri. Magna pars episcoporum (inter quos fuerunt Basilius Ancyræ, Theodorus Myrorum, Theodosius Amorij, & alij, qui in secunda Nicena ad pœnitentiam adiguntur, & populus Scholariorum: & excubituum, atque cæterorum ordinum, qui sub imperatore Constantino fundamenta ex uerbo Dei, & patribus perceperant de impietate & idololatria, quæ esset cum imaginum ueneratione coniuncta) contrariam sententiam defendunt. Pontificij & alij, uidentes se parum posse promouere, alterā partem conātur excludere ex cōgressu & disputatione. Ea res præbet occasionē tumultui: qui tamen statim cōpescitur. Nam populus molestè ferebat, eos qui pro altera sententia pugnabant, excludi ex disputatione. Sed cū iterum admissi essent, turba quiescebat. Redeunt itaq; ad disputationem, & illa pars episcoporum quæ imaginum cultum oppugnat, alteram ita uerbo Dei retundit, ut illa uictoriam desperans, Synodum dissoluat, excogitatis insidijs, quibus ueritatis assertores opprimantur prius, quo postea errori locus esse possit. Paulus Diaconus libro 23 rerum Romanarum. Ignatius monachus in uita Tarasij apud Metaphrasten, tomo 5, paulo aliter rem narrat, pro suo affectu erga illam partem quæ imagines colit: quasi altera illa pars prorsus seditiose turbauerit, asserendo se pati non posse, nec uelle, ut res in disceptationem deducatur. Quod uerum non est. Nam & ipsi, ut in libero cōcilio, uoluerunt episcopos suæ sententiæ admitti & audiri: ut facile est colligere ex Paulo Diacono, qui tamen nec ipse satis uerè & planè rem exponere uidetur.

SYNODVS NICENA SECVNda, quæ Septima uniuersalis à Græcis dicta est.

Cum Irene eos qui εἰκονομάχοι dicebantur, fraude armis priuasset, & in exiliū expulisset, & se muniisset exercitu ad omnia parato & obedienti, iuxta consilia legatorum Romani pontificis, quos apud se retinuerat: mense Maio, anno 7 imperij sui, legatis & literis indicit Niceæ Synodum. Paulus libro uigesimotertio rerum Romanarum.

Ad eam

Ad eam ergo urbem anno octauo Irenes, Domini uerò 788, confluit illa prior multitudo episcoporũ, abbatum & monachorũ, circiter 350, ut Sigebertus annotat.

Synodus ista incipit celebrari octauo Calẽdas Octobris, indictione undecima, in templo Sophiæ, & durat usq; ad Nouembrem: ut patet ex actis. Adeò facile fuit, remotis contradicentibus, consensionem in errore & superstitione institui.

In prima actione, cùm Petrus archipresbyter, & Petrus monachus, monasterij Sabę legati, & uicarij Apostolicæ sedis, & Tarasius archiepiscopus Constantinopolis, & Iohannes legatus Antiocheni archiepiscopi, & Thomas legatus Alexandrini, & Iohannes monachus & presbyter Hierosolymitani, & alij episcopi, quorum nomina extant in actis tomo 2 Conciliorum, consedissent unà cum Petronio glorioso proconsule & patricio, Theophylacto comite Imperialis obsequij, Iohanne Regio ostiario & quæstore ærarij militaris, & Nicephoro qui erat Imperatori à secretis, præsentibus etiam abbatibus & monachis, ac propositi essent pro more sacri codices: patres rogant, ut Tarasius summus rector & præses, uelit præfari & indicare, quæ & quo ordine sint tractanda. Is ergo narrat, quomodo anno superiori Synodus Constantinopoli sit per quosdam turbata: ac Deo & Imperatoribus gratias agit, quòd nunc denuò sit conuocata: & hortatur patres, ut ad ueritatis inquisitionem animos adijciant. ac censet eos qui anno præterito contra imaginum uenerationem disputarint, primo loco esse admittendos & audiendos, ut agnoscatur an adhuc in illa sententia perstent, an uerò ab ea recesserint. Interea autem Senatores offerunt scriptum Constantini & Irenes, in quo occasionem & causam ac finem synodi conuocatæ commemorant, ac potestatem faciunt cuiq; liberè suam sententiam exponendi: & hortantur patres, ut Adriani põtificis, & postea Orientalis diœcesis, nimirum Alexandrinæ & Antiochenę ecclesię scripta synodica à legatis eorum exhibita publicè legant, ac inde sententia ac iudicium catholicæ ecclesiæ cognoscant. Hoc scripto recitato, in medium procedunt Basilius Ancyræ, Theodorus Myrorum, & Theodosius Amorij, qui singuli seorsim suos afferunt libellos, in quibus damnant septimam Synodum sub Constantino celebratam, & approbant imaginum uenerationem & adorationem: & statim à Synodo recipiuntur, & in cathedras suas sedere iubentur.

Deinde Hypatius Nicææ episcopus, & Leo Rhodi, Gregorius Pisidiæ, Gregorius Pessinuntis, Leo Iconij, Nicolaus Hierapoleos, Leo Carpathi, errorem suũ fatentur, & ueniã petunt. Synodus admonita à Iohanne uicario Antiocheni archiepiscopi, codices canonũ legit, & inquirit, quo pacto ex hęresi reuertentes recipi debeant: ac primùm statuit, ab hæresi recedentes, & uerã pœnitentiam agentes, ac cũ execrationẽ sui promittentes perseuerantiam in uera sententia, recipiendos esse. Deinde de ijs qui ab hęreticis ordinati sint, inquirit: & decernit, etiam eos pœnitentiã agentes, & libellos confessionis offerẽtes, recipi debere. Offerũt ergo libelos suos illi episcopi: quos patres recipiunt, ac se lecturos, & in altero consessu de receptione sententiam prolaturos promittunt.

¶ Post biduum secundò coit Synodus: ac Gregorius Neocæsariensis productus asserit, se cum Synodo uelle sentire: ac profitetur se errasse, & ueniam precatur. Patres causæ eius cognitionem reijciunt in alium conuentum.

Deinde literæ Adriani pontificis Romani ad Constantinum & Irenem, leguntur: quarum exemplum subijcimus, ut pius lector uideat, quàm impudenter fabulas fingant de Constantini somnijs, ad imaginum originem indicandam.

Dominis piißimis, & serenißimis uictoribus, triumphatoribus filijs in Deo & Domino nostro IESV Christo dilectis, Constantino & Irenæ Augustis, Adrianus seruus seruorum Dei.

Deus qui iussit è tenebris lucem splendere, quique nos à potestate tenebrarum, per filij sui, ueræ scilicet lucis incarnationem, liberauit, in quo cuncta diuinitatis suæ specimina iussit conuersari, per quem etiam uniuersa renouauit: simul in illo per sanguinem crucis illius, cùm ea quæ in cœlis, tum in terra existentia pacificans, per diuitiarum bonitatis suæ plenitudinem in Ecclesiæ suę faciem respiciens, pietatem uestram & prædestinatam serenitatem Imperatoriæ mansuetudinis, ad perfectionem fidei uocare non dedignatus est, quò omnem mendacij improbitatem per uos contegat, ueritatémque in lucem producat. Posteaquam enim quæ à uestra serenitate & pietate nobis missa sunt cognouimus, dici non potest quantopere cor nostrum gauisum sit. tanto enim gaudio & lætitia repleti sumus, ut ne humana quidem lingua explicare ea sufficiat. Quemadmodum enim à superioribus hæreseos schismatib. eramus conterrefacti, ita nũc rursum per uestrã iussionem exultatione sumus perfusi. Nã in regia uestra ciuitate uenerandarũ imaginũ causa iussistis retractari, quę à retro Imperatorib. turpiter in eas cõmissa sunt. Hi enim nõ solùm eas subuerterunt,

uerterunt, sed & contumelia affecerunt, ridiculas eas existimantes: atque utinam non computet illis peccatum hoc altissimus. Satius enim fuisset, ne iniecisse quidem manus in Ecclesiam. Vnde factum, ut totus Orientalium partium populus in errorem sit inductus, & in propria existimatione & uoluntate rebus Ecclesiæ abusi sint, donec in regni solium uos erexit, quos sciebat in ueritate illius gloriam inquisituros: & quæ à sanctis Apostolis cunctisque doctoribus tradita erant, conseruaturos, honoremque debitum uenerandis imaginibus, quæ per amentiam hæreticorum subuersæ fuerant, redditurum. Nuper uerò per piam uestram iussionem de uoluntate uestra instructi, omnipotentem Deum pro uestro imperio precibus solicitantes, gratiarum actione gloriam illius prædicauimus. Illud autem in stabilimentum & confirmationem regni uestri maximè sit, quòd magnum opus hoc aggressi estis, quod sine mediatione uestra in hoc mundo uix fieri potest. Reddetur enim iam sibi uetus & antiqua orthodoxa fides: restituentur uenerandæ imagines in eam faciem, qua in prima Ecclesia conspectæ sunt. Vos autem partem habebitis cum eo qui nunc in diuina requie quiescit, Constantino Imperatore, & Helena eius matre, qui orthodoxam fidem illustrarunt & confirmarunt, adeoq; sanctam matrem uestram catholicam & spiritualem Romanam ecclesiam exaltarunt, ut planè spes sit, eorum piam appellationem in uestra cognomenta pijssima & à Deo data transituram, ut per omnem terrarum orbem nouus Constantinus, & noua Helena prædicetur, per quos sancta catholica & Apostolica Ecclesia renouabitur. Vos autem maximè in traditione orthodoxæ fidei Ecclesiæ B. Petri & Pauli, principum Apostolorum, acquiescetis, eamq; amplectemini: quemadmodum à superioribus Imperatoribus factum est, qui uicarium eius ex toto corde dilexerunt. Quapropter uestra quoq; à Deo data maiestas, sanctissimam Romanam ecclesiam, principum Apostolorum, quibus à Deo ipso data est potestas soluendi & ligandi peccata, cùm in cœlo, tum in terra, honorabit. Ipsi scilicet regni uestri propugnatores erunt, cunctasq; barbaras nationes pedibus uestris subijcient, ut quocunq; ire perrexeritis, uictores uos declarent. Hi siquidem principes Apostolorum sunt, qui catholicam & orthodoxam fidem auspicati, per scripta quidé ueluti legibus latis fidem suam seruandam præceperunt, omnibus scilicet qui in sedes illorum successuri erant, & in fide eorum usque ad consummationem seculi permansuri: atque ita nostra seruat Ecclesia, & sanctas eorum figuras uenera-tur, unde in hunc usque diem uenerandis horum imaginibus ecclesiæ nostræ ornatæ ac conspicuæ sunt: quemadmodum sanctissimus & beatissimus papa Syluester in principio Christianorum nostrorum orthodoxa fide testatur. Cùm aliquando felicis recordationis Constantinus Imperator per noctem somnum caperet, ecce beati apostoli Petrus & Paulus dormienti adstiterunt, dicentes: Quandoquidem sanguinis infantium effusionem morbi tui gratia fieri iussisti, en à Christo missi sumus, quo sanitatem tibi afferamus. Audi igitur nostrum consilium, & ea quæ tibi præcipimus, fac impleas. Principiò Syluestrum episcopum, qui persecutionis tuæ gratia Roma exulat, & in Soracteno monte clàm in speluncis cum clero latitat, cura ad te uocari. Is tibi lauacrum pietatis, in quo lauaberis, præparabit: dabiturque tibi non modò lepræ, uerùm omnium morborum sanitas. Cumque præclaris istis bonis fueris recreatus, confestim iubeto per omnia loca Romanorum ecclesias restaurari: te uerò ipsum purum, abiecto idolorum cultu, declarabis, cultumq; debitum soli Deo uero adorando exhibeas, iuxta illius uoluntaté omnia tua consilia disponens. Imperator itaque è somno excitatus, omnes suos aulicos, quicunque in palatio erant, conuocauit: quodque per insomnium illi ostensum fuerat, exposuit. nec mora aliqua, sed cõfestim ministros suos ad Soractenum montem, in quo beatus pater Syluester cum clero, uacans lectionibus sacrorũ librorum latitabat, misit. Iam cùm undique uideret milites circumcingentes montem inquirendi causa, existimans quòd ad martyrium raperetur, clerum ita affatus est: Ecce nunc tempus expectatum, ecce nunc dies salutis. Egresso autem de spelunca narrarũt milites, qua de causa quæreretur: cum quibus ad Imperatorem, trahens secum comites tres presbyteros cũ duobus diaconis, profectus, cùm Imperatorem uidisset: Pax tibi, inquit, ô Imperator, sursum de cœlo, & uictoria. Imperator itaq; hilari oculo & tranquillo animo illius uerba exaudiens, quęcunq; sibi per insomnia fuerãt reuelata, beato Syluestro exposuit. Postquam aũt finem narrationis fecisset, quæsiuit Imperator, quales nam arbitraretur esse deos Petrum & Paulum, quos uiderat? Respondit pater: Nequaquã esse deos, sed seruos & discipulos Domini nostri IESV Christi: quos in hoc elegisset, ut omnes gentes conuerterent, ut crederent in eũ. Hęc cùm audiuisset Imperator, pcõtatus est, nũ alicubi essent historię illorũ? mox B. Syluester, p diaconos adferri, quas habebat, apostolorũ imagines iussit. quas cùm Imperator aspexisset, clara uoce exclamauit: Hi sũt quos

per

per uisum conspexeram, neque amplius incredulus sum: paretur lauacrum in meam salutem. Constructo autem lauacro, cum sacro rore tinctus esset, confestim est sanitati pristinæ restitutus. Deinde non immemor accepti beneficij, ecclesias Dei exædificare cœpit, columnas earum passim sacris imaginibus in memoriam incarnationis Domini nostri IESV Christi, omniumque sanctorum reuerentiam exornauit: nec alia de causa, quàm ut Christianismum in lucem & ueritatem, Deique cultum proueheret, & omnes gentes à cultu idolorum & diabolica deceptione conuerteret. Quemadmodum etiam diuus pater Gregorius Apostolorum successor prædicauit, ob id depingi in templis Euangelicas historias, ut homines illiterati, & qui sacros libros legere nequeunt (quorum sanè maxima pars est) conspectis illis redderent Deo gloriam, & reducerent in mentem quæ in carne conuersatio Domini nostri IESV Christi fuisset. Vt taceam interim orthodoxos aliós & Christianissimos Imperatores, cum sacerdotibus omnibus & honestis uiris Deum colentibus, simul etiam cum uniuerso Christiano populo: qui omnes iuxta antiquam sanctorum patrum traditionem, uenerandas imagines & receperunt, & tenent, & in memoriam & compunctionem cordis conseruant, & in hunc usque diem uenerantur. Neque aliter fiebat in partibus & regionibus istis, donec proauus uester ex impiorum quorundam instructione uenerandas imagines abstulit. Ex quo tempore magnus error Græciam istam inuasit, unde non contemnendum scandalum in mundo factum est. Sed uæ illis, per quos scandala in mundum irrepserunt, ut ipsa ueritas mentiri nescia testatur. Qua de causa in magnam tribulationem uterque Gregorius, Romani pontifices per ea tempora sanctissimi, coniecti sunt. Sæpius etiam proauum uestræ serenitatis admonuerunt, ne sineret uenerandas imagines de statu suo deijci. uerùm illorum salutiferæ preces nequicquam fusæ sunt, animumq; illius haud quicquàm commouerunt. Post id & Zacharias, Stephanus, Paulus, & alter Stephanus, qui nobis in episcopatu huius almæ urbis præcesserunt, auum patremque uestræ serenitatis, pro restitutione sanctarum imaginum sæpè interpellarunt. Eadem ratione & nostra exiguitas Imperatoriam uestram maiestatem cum omni humilitate obsecrat, sinat aliquando recordationis causa erigi in ecclesias sacram IESV Christi iuxta incarnationem humanitatis imaginem: ponatur in aula Dei similitudo eius sanctæ matris, sanctorum quoque & beatorum Apostolorum, prophetarum, martyrum & confessorum: & ex animi desiderio eas ueneremur, quemadmodum à sanctissimis patribus, maioribus nostris, probatissimisque pontificibus, nobis à multis seculis traditum est. Reliquum est, ut mansuetudo Imperatoria in partibus illis Græciæ hoc idem imperet, & orthodoxam fidem confirmet, quò iuxta Scripturam unum sit ouile, & pastor unus: cùm uideat in uniuerso terrarum orbe, ubi Christianismus pollet, ab omnibus fidelibus uenerandas imagines honorari, nimirum ut per uisibilem figuram ad inuisibilem magnitudinis eius diuinitatem spirituali dispositione mentes nostræ rapiantur: secundum carnem, quam Dei filius propter salutem nostram suscipere dignatus est, redemptorem nostrum in cœlis existentem adoremus: & in patre glorificantes laudemus, quemadmodum scriptum est, Deus spiritus est: & illud comprobando, secundum spiritum deitatem illius adoramus. Nequaquam autem sic statuamus, quemadmodum quidam nugantur, ut imagines tanquam deos conficiamus. Labor enim, & fatigatio nostra, quem exhibemus, in desiderium Dei sanctorumque eius perficitur. Et quemadmodum sacra Scriptura imagines in memoriam uenerationis habet, sic & nos eas habeamus: seruantes tamen perpetuò fidei nostræ puritatem. Quinetiam factor noster & artifex Dominus Deus, iuxta propriam imaginem & similitudinē, hominem de luto terræ finxit, illuminauitque, in libera potestate sui ipsum constituens. Præterea primus ille homo liberi arbitrij existens, cuncta animantia terræ & uolatilia cœli, annuente Deo, nominibus proprijs uocauit. Abel autem ex primitijs ouilis sui, propria uolūtate dona Domino Deo obtulit, de quo legimus: Respexit Dominus ad Abel, & ad munera illius. Deinde Noe post cataclysmum, hoc est diluuium, altare propria uoluntate Domino construxit, & ex omnibus animalibus & uolatilibus pura dona in altare hoc attulit. Similiter etiam Abraham, quemadmodum testatur Scriptura, propria uoluntate aram extruxit in honorem & gloriam Dei, quemadmodum apparuerat. Iacob etiam, cùm fugisset à facie fratris sui, uidit per uisum angelos Dei per scalam ascendentes & descendentes, & Dominum innixum scalæ, ad se loquentem. Postquam autem surrexisset, ex sua uoluntate lapidem, in quo caput declinârat, sustulit: & ubi erexisset eum, infudissetque oleum super eum, uocauit locum Bethel, dicens: Non est hîc aliud quàm domus Dei. Ob quam sanè causam non legimus illi iratum Deum. non enim

enim illi exprobrauit, quòd sua uoluntate lapidem erexisset. Etenim ô serenissimi filij Principes, & rectè sentientes Imperatores, quæcunque in admonitionem hominum ad gloriam Dei spectantia fiunt, Deo displicere nequeunt. Rursus idem Iacob ille, in summitate uirgæ suæ adorauit, fide dilectionis id agens. De qua beatus Paulus apostolus in epistola ad Hebræos dicit: Non quòd uirgam illam, sed tenentem eam, in signum dilectionis adorauit. Quid hoc sibi uult? nimirum quòd & nos iuxta desiderium & amorem, quo erga Deum sanctosque illius affecti sumus, figuras in imaginibus repræsentemus: non inquam in coloribus & tabulis honorem constituentes, sed eorum prædicantes gloriam, quorum appellationem imagines referunt. accedamus iterum ad Scripturam, uideamusque quid Mosi à Domino mandatum fuerit, cùm illum iuberet propitiatorium de auro mundissimo cōficere, quod duos cubitos & dimidium in lōgitudine, & cubitum & semissem in latitudine conficiebat: duos quoq; Cherubin aureos, & productiles ex utraque parte oraculi. Et paulo pòst: Impones testimonium quod dabo tibi, quo operienda est arca: & loquar ad te supra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim opus textile & diuersicolorium fieri iussit. Ex his animaduertendum est, serenissimi domini & filij principes, Deum omnipotentem Dominum nostrum, de medio Cherubim manu hominum factorum, pro salute populi non dedignatum loqui. Quamobrem non est dubitandum, omnia quæ in ecclesijs Dei ad laudem & decorem domus illius constituuntur, sancta & colenda esse. Sed & hoc, ô serenissimi Imperatores, ad incredulorum certiorem fidem, & errantium castigationem adijciendum est: non frustrà Mosi famulo suo, quemadmodum in libro Numerorum legitur, propter pestem in populum grassantem, præcepisse: Fac serpentem, & pone illum in signum: & qui tactus fuerit, illumque inspexerit, uiuet. Fecit igitur Moses serpentem æneum, & posuit illum, & seruati sunt. O insaniam infrementium aduersus fidem, & cultum sacrum Christianorum: ô stulticiam uetantium uenerandas imagines honorari, in quibus Seruatoris nostri, cuius potentia genus humanum & constat adhuc, & seruatur, & prætereà genitricis eius, omniumque sanctorum historiæ continentur. Nam si Israeliticum populum, per inspectionem ænei serpentis seruatum à sua peste credimus: Christi uerò Dei & seruatoris nostri, omniumque sanctorum figuras contemplantes & uenerantes, dubitamus nos seruari? Absit ut amplius dubitemus. Absit ut à patrum sanctorum traditione diuersa sentiamus: hæreamus in doctrina illorum, nec ab illa declinemus. Et Salomon in eo templo quod Domino ædificauit, Cherubim in gloriam Dei fecit, & diuersis coloribus illud adornauit. Quare ergo non & nos quoque sentientes rectè, confessionem fidei nostræ, & speciositatem domus Dei ex diuersis coloribus & picturis exornabimus? Cùm & Esaias propheta dicat: In diebus illis erit altare Domini in medio terræ Aegypti, & columna continens fines eius, & erit in signum & testimonium Domino in terra Aegypti. Clamabunt enim ad Dominum à facie tribulantium, & mittet eis saluatorem & propugnatorem qui liberet eos. Quinetiam Psalmorum cantor Dauid hymnum canens dicit: Confessio & pulchritudo coram eo. Iterum: Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum tabernaculi gloriæ tuæ. Rursus idem aduentum & incarnationem filij Dei seruatoris nostri prædicans, magnificè faciem illius, iuxta dispensationem incarnationis illius, adorandam censet, dicens: Exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. Iterum: Faciem tuam supplicabunt diuites populi. Rursus: Signatum est super nos lumen uultus tui Domine. Qua de causa diuus Augustinus, magnus ille doctor, in sermonibus adhortatorijs suis inquit: Quid est imago Dei aliud, nisi uultus Dei, in quo signatus est populus Dei? In cuius consensum & diuus Gregorius Nyssæ episcopus, de patriarcha Abraham sermonem faciens, dixit: Vidi non infrequenter passionis figuram, neque sine lachrymis eiuscemodi picturam transij, cùm scilicet opus artificij in personam significatam demonstratum esse uiderem: & reliqua quæ ex interpretatione in Cantica canticorum adfert. nec aliter deinceps subsequens ex eadem doctrina sonat. Nunquid materia diuersorum colorum, animæ imitationem non repræsentat? Nam qui imaginem aspicit, quæ ex arte per diuersos colores in tabula est expressa, non ex pictura & colorum tinctura similitudinem accipit, sed ad contemplationem primi exemplaris animum reducit. Quinetiam in epistola diui Basilij, qua in Iulianum desertorem inuehitur: Quemadmodum à Deo Christianam & inculpabilem nostram fidem, ueluti hæreditario iure accepimus: sic confiteor, & in eo maneo. Credo autem in unum Deum patrem omnipotentem, Deum patrem, Deum filium, Deum spiritum sanctum, unum Deum hæc tria adoro & glorifico. Confiteor etiam filij incarnatam οἰκονομίαν: deinde sanctam Mariam, quæ secundum carnem illum peperit, hanc Deiparam

ram uocans. Suscipio etiam sanctos Apostolos, prophetas & martyres, qui pro me apud Deum supplicant, quo per illorum mediationem propitius mihi sit Deus noster benignissimus, & remissionem peccatorum mihi gratis largiatur. Quam ob caussam & historias imaginum illorum honoro, & palam adoro. Hoc enim nobis traditum à sanctis Apostolis, non est prohibendum, sed in omnibus ecclesiis nostris eorum historias erigimus. Idem in sermone in quadraginta martyres: Quinetiam bellorum tropha͂ea & uictorias, & historici scriptores & pictores demõstrant, hi quidem oratione rem exornantes, hi uerò in tabulis depingentes, multos ad uirtutem & uirilitatem excitarunt. Siquidem quæ historia oratione exprimit, hæc tacens pictura per imitationem ostendit. Iohannes quoque Chrysostomus, episcopus Constantinopolitanus, in sermone in parabolam de semente: Non'ne iniuria afficit regem, qui regiam uestem uiolat? Non nouisti, quòd is qui iniuria afficit Imperatoriam imaginem, in Imperatorem ipsum ueluti exemplar imaginis, eiusque dignitatem iniurius est? Nescis quòd quicunque ex ligno & coloribus imagini conuicia dicit, illum non damnari, ueluti in rem inanimatam, sed contra regem ipsum dixerit? indicatur enim occultè regi iniuriam intulisse. Et rursus ex eodem, in sermone in sanctam quintam diem Paschę: Omnia facta sunt in gloriam Dei, & ad nostram doctrinam. quare ad pluuiæ ministerium dictum est: Impleatur terra fructuum copia, mare natantibus, omnia Deo seruiunt, imò potius imagini Dei. Nam cùm regiæ figurę & imagines in ciuitates inferuntur, populus non ipsam tabulam, aut ex cera factam imaginem honore prosequitur, cumque magistratu illic obuiam procedit: sed potius regiam historiam, & ueluti præsentiam suscipiunt: eodem sanè modo & ipsa creatio non terrenam istam speciem, sed cœlestem historiam admiratur. Similiter beati Cyrilli uerba ex interpretatione eius in sanctum Matthæi Euangelium adferimus. Sic enim inquit: Fides enim depingit uerbum quod in forma Dei existit, quod liberata nostra uita adiunxit se Deo, similitudineque nostra assumpta factum est homo. Idem paulo pòst: Imaginum usum nobis supplent parabolæ, quæ signorum uirtutem nobis subiiciunt: nimirum per oculorum appositionem, manuum tactum, & quæ in nudo intellectu contemplationem obscurè habent. Adducamus etiam & diui Athanasij Alexandrini episcopi uerba, de eo quòd Dominus carnem humanam assumpsit, quorum ex multis commodè pauca sumentes descripsimus: Quandoquidem ea quæ in tabulis picta sunt, cùm figura per sordes & situm deleta fuerit, necessarium est ut denuò pingatur & reficiatur: modò talis sit, ut adhuc renouari in eadem materia & tabulis possit. Nam per eandem formam & materiam, in qua depingitur, non destruitur: uerùm potius in eo quod antè fuit, consensit. Dicamus & aliud ex diui Ambrosij ad Gratianum Imperatorem libro tertio, capite nono: Quid ergo? nunquid cùm diuinitatem & carnem adoramus, Christum diuidimus? num, quando in eo & diuinam imaginem & crucem adoramus, ipsum partimur? Absit. Itidem audiamus, quid nobis beatus Stephanus episcopus Bostrorum prædicet: Quicunque imagines diuorum confitentur, non errant: siquidem omne opus factum in nomine Dei, bonum & sanctum est. Aliud enim imago, aliud ἄγαλμα, hoc est, animalis abiecti statua. Quando namque Deus Adam plasmauit, hoc est creauit, dixit: Faciamus hominem secundum imaginem & similitudinem nostram. & fecit hominem in imagine Dei. Ergo quòd imago Dei sit homo, ob id statua deorum est idololatria & impietas? haudquaquam. Etenim si Adam imago dæmonum fuisset, utique reprobandus fuisset, & receptu indignus: quando uerò Dei imago est, honore prosequendus est, & admitti dignus. Omnis enim imago siue angelorum, siue prophetarum, aut Apostolorum, aut martyrum, aut alioqui iustorum uirorum, in nomine Dei facta, sancta est. Non enim ipsum lignum honoratur, sed ipsum illud quod in ligno datur contemplandum: atque ita per recordationem ueneratio exhibetur. Omnes enim principes, etiamsi pessimi sint peccatores, adoramus, & reuerenter salutamus. Quid uetat igitur, quo minus non liceat & sanctos Dei ministros uenerari, & in memoriam eorum imagines statuere & erigere, ne in obliuionem perpetuam ueniant? Verùm, inquis, Deus ipse manufacta prohibuit adoranda. Dic mihi, ô Iudæe, quid est quod super terram extet, quod non sit manu hominum factum, postquam à Deo fuerat creatum? Quid arca Dei, quæ ex lignis Sethim constructa est, & ædificata, non'ne opus est hominum? Quid altare? quid propitiatorium? quid urceus, in quo manna recondebatur? quid mensa & candelabra? quid interiores & exteriores cortinę? Sunt'ne opera manuum hominum, quæ Solomon fieri mandauit? Quamobrem ea quæ Sancta sanctorum dicuntur, cùm sint manufacta: præterea Cherubim, & sex alata illa quæ circa altare Domini fuerunt, cùm sint animalia, & imagines ange-

angelorum, opera manuum hominum, non fuerunt eiecta, & à Iudæis proculcata? Non aliam sanè ob causam, quàm quòd Dei mandato, imagines fuerunt angelorum sacratæ. Gentium autem idola, quia imagines fuerũt dæmonũ, Deus eiecit & condemnauit. Nos uerò in memoriam sanctorum imagines facimus. quorum ais? Abrahæ, Mosis, Eliæ, Esaiæ, Zachariæ, reliquorũq; Prophetarum, Apostolorum, & sanctorum martyrum, qui propter Christum tribulati sunt, quo omnis qui eos in imagine contemplatur, illorum & meminerit, & glorificet Deum qui illos quoq; magni fecit. Decet siquidem eos honor & ueneratio, propter iusticiã eorum: ut omnis qui uiderit eos, in imitationẽ suorũ operum ducatur. Qualis uerò iste est adorationis honor? profectò non alius, quàm is quo nos peccatores quoq; inuicẽ prosequimur, salutantes nos inter nos per honorationẽ & dilectionẽ. Quid aliud apud Dominũ Deum nostrũ tentamus, quàm adorãtes, glorificãtes & trementes eũ? Imago enim nihil aliud est quàm figura illius, in qua pictura expressus est. Impij uerò, qui ipsi nihil boni faciunt, neq; sanctorum recordantur, caueãt bona operãtes impedire, neq; scandalo sint his qui sanctos Dei seruos honore afficiunt. Boni enim operis bonã mercedẽ adipiscentur. Impij uerò, quemadmodũ animo suo uoluerunt, ita infidelitatis suę mansionẽ inuenient: quando iusticiam negligentes, à Deo desciuerunt. Ex his liquidò constat, ob recordationem sanctorum, imagines tantùm pingi, uenerari & coli: quos clarè constat seruos esse Dei, & pro nobis apud deitatem obsecrantes & intercedentes. Dignum namq; est, ut ducũ nostrorũ memores simus, & Deo gratias agamus. Accedat his, quæ beatus Hieronymus presbyter Hierosolymitanus, in quodã sermone scripta reliquit: Etenim ut concessit omnibus gentibus adorare quæ manu facta sunt, Iudæis quidem crustas illas quas fabricauit Moses, præterea duo Cherubim aurea: ita nobis Christianis crucem largitus est, & bonorum operum imagines pingere & uenerari, atque ita nostrum opus apud eum probare. Hæc sunt, serenissimi & pijssimi Imperatores, & dilectissimi filij, quæ ex sacra Scriptura noui & ueteris Testamenti, item pijs sanctorum patrum sententijs, de sacris imaginibus Dei, sanctorumque uirorum, item de diuina pictura in ecclesijs ad laudem Dei, & memoriam sanctorum suscipienda breuiter descripsimus. Quæ per Apostolicam relationem serenitati uestræ potentiæ, cum omni humilitate & syncero corde studiosè discutienda offerimus. Nos enim perfunctoriè ex diuersis probatissimis patribus, testimonia de uenerandis imaginibus desumpsimus: quæ profectò quòd in libris eorum non adulterinis, sed germanis inuenta sunt, seruanda existimamus, & ob id mitissimis uestris imperijs legenda tradidimus: obsecrantes interim ex animi feruore, uestram mansuetudinem obtestando, & ueluti præsentes genibus aduoluti, & coràm uestigia pedum uolutando, ego cum fratribus meis coram Deo supplico, obtestor, adiuro, quo sacras imagines in ipsa Deum colente & regia urbe, & in utrisque Græcię partibus, in pristinum statum restitui & firmari iubeatis, custodientes traditionem huius sanctissimę & beatissimæ uestræ Ecclesiæ: abijciendo etiam & execrando impiorum hæreticorum improbam uehementiam, quo sacram hanc uestrã catholicã & Apostolicam Romanã ecclesiã, indissolutam complecti possitis, Amen.

Tertiò recitantur literæ Adriani papæ ad Tarasium, in quib. cõmendat Tarasij sententiã de imaginibus: & hortatur eum, ut deinceps etiã uenerãdas imagines (hęc sunt uerba eius) primùm iuxta humanam figurationem Christi Dei nostri, secundum nos & pro nobis & per nos incarnati, deinde inuiolatę & ueræ Deiparæ, postremò omnium sanctorum suorũ colere & adorare pergat. Deinde commendat etiam eius studium in promouenda Synodi cõuocatione: ac omnino præcipit ei, ut efficiat quo synodus illa sub Constantino congregata, sine autoritate, consensu & præsentia pontificis Romani, contra imaginum cultum, damnetur.

Quartò, patres ex ordine testantur singuli, se probare sententiam Adriani, & imaginum picturas recipere, & desiderio suo adorare, ut in nomine Christi, & Marię uirginis, & sanctorum angelorum, & omnium sanctorum factas: licet in unum Deum uerum λατρείαν & fidem suam se referre & reponere simul asserãt. Ac inter eos, Iohannes legatus Orientalis diœcesis, ad istum Tarasij & Adriani & Synodi consensum, detorquet dictum Psalmi 84: Misericordia & ueritas obuiarunt sibi, iusticia & pax sese exosculatę sunt. Quod Carolus Magnus libro 2. capite 4 de Imaginibus egregiè postea refutauit, ut suo loco dicitur.

¶ In tertia actione, quæ sub 6 Calendas Octobris indictione 11 facta scribitur, Gregorius Neocæsariensis libellũ offert, in quo damnat suã priorem sentẽtiam, & approbat alteram de cultu & adoratione imaginum. Patres eũ examinant, an uerè, & non simulatè agat pœnitentiam: inquirunt etiam, an aliquem ex episcopis uerberarit. Verùm ille negat se quenquam uerberasse. Disputant etiam, cùm ipse fuerit antesignanus pseudosynodi, an non satis sit, si saltem ad pœniten-

pœnitentiam admittatur, & non ad gradum suum pristinum. ac proferuntur in utramq; sententiam dicta & exempla: sed tandé consentiunt omnes, ut in sedes suas ascendant Nicœnsis, Neocæsariensis, Rhodi, Hierapoleos & Carpathi episcopi.

Secundo loco recitantur quædam scripta ut Tarasij ad Antiochiæ & Alexādriæ & sanctæ urbis summos sacerdotes: in quibus exponit, quomodo inuitus ad archiepiscopatum sit pertractus: & petit se pro fratre agnosci, & sibi consilia & preces communicari. Deinde edit confessioné de fide sua, in qua inter alia indicat, se probare sex uniuersaliū Synodorum decreta, & maximè illud sextæ de pictura pręcursoris Christi agnum digito monstrantis: & asserit, picturas non alium in usum se admittere, nisi ut perfectius omnium conspectui oculisque exhibeantur res illæ, quæ uerè factæ sunt. Postea ad Synodū eos inuitat, & rogat ut legatos & literas, et si qua alia habeant quæ prosunt ad ueritatis inquisitionem & confirmationem, mittant. Postremò, ad studium pacis & concordiæ omnes hortatur: ac precatur Deum, ut intercedente Maria uirgine, diuturnum ulcus curet, & in syncera fide omnes confirmet, & sanctam Ecclesiam custodiat, & scandala im minentia auertat.

Tertiò leguntur literæ Orientalium pontificum & sacerdotum ad Tarasium, in quibus asserunt se amplecti Tarasij confessioné & sententiam: ac indicant, se Iohannem & Thomam ad Synodum mittere, ut falsam accusationem, qua Ecclesiæ Ægypti & Syrię sint deformatæ, refutent, & suū consensum de sex Synodis uniuersalibus demonstrent, & septimam detestentur. Deinde pro fidei suæ declaratione, Theodori patriarchæ Hierosolymorum symbolum, & suam sententiā de sex Synodis uniuersalibus subijciunt: ac postremò suam sententiam de imaginum adoratione in hunc modum exponunt.

Apostolicas Ecclesiæ traditiones, quibus ueneratio culturaque sanctorum docetur, recipimus & ueneramur: eos autem ut ministros, amicos & filios Dei existentes, honoramus. Honor enim qui à conseruis idem sentientibus inuicem exhibetur, indicium est beneuolentiæ erga Dominum. Sunt enim promptuaria Dei, & pura Christi habitacula, Spiritusq; sancti immaculata specula. Quinetiam animæ eorum in manu Dei existunt, ut scriptum est. Deus enim uita existés, cum sancti in Dei manu sint, in uita & lumine necessum est ut existant. Et ob id preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Hi uiuentes in libertate, Deo adstiterunt. Seruator noster Christus fontes salutares, sanctorum reliquias nobis reliquit, multis modis beneficia in debiles fundentes, unguentū redolentis suauitatis scaturientes. Et, ut inquit magnus doctor, cui ab immortalitate nomen est: Martyrum ossa morbos fugant, infirmis medicātur, cæcis uisum impartiūt, lepras emundant, tentationes & mœrores soluunt: atq; id per Christum, qui in ipsis habitat. Benè etiam Psalmographus cecinit: Mirabilis Deus in sanctis suis. Et iterum: Sanctis in terra illius, mirificas fecit omnes uoluntates eius in ipsis. Cum etiam sanctas imagines reueremur, principiò adorantes Dei uerbi, propter nos incarnati, Domini nostri & seruatoris IESV Christi, qui formam serui assumpsit, imaginem: quanquam sciamus, ipsam imaginem & typū Deitatis, quæ cum carne illius immaculata incōuulsim unita est, minimè posse figuram præstare. Inuisibilis enim est diuina natura, nec depingi nec figurari se permittit. Deum enim, ut ipse inquit, nemo uidit unquam: sed humanitatis illius imaginem coloribus ducentes, adoramus. Visus enim est Deus, & cum hominibus conuersatus est: nostroque more & natura laborauit, esurijt, sitijt. Adoramus quidem Christi imaginem, quemadmodum facies eius uisa est, non tamen à deitate separata: absit ut ita sentiamus, cum ab ipsa prima conceptione cū deitate unita sit. Quamuis enim dicat ad Iudęos, Quia uultis me occidere, hominé qui ueritatem locutus sum uobis: non tamen ob id duntaxat homo fuit, sed & Deus. Et cum inquit, Ego & pater unum sumus: hic non abnegat nostram naturam. Humano enim ore & lingua instrumentaria hæc loquitur. Veneramur etiam & adoramus imaginem Deiparę & dominę nostræ irreprehensibilis, immaculatæ & inexplicitæ castitatis matris, quæ illum peperit. Quinetiam sanctorum Apostolorum, prophetarum & uictorum martyrum, sanctorumq; & beatorum, ueluti amicorū Dei, imagines colimus, non in materia aut coloribus honorem constituentes: sed per hoc officium nostrum, quod ipsis adeò quorum typum imagines gestant, debemus impartientes: cum sciamus, iuxta Basilij Magni sententiam, quod imagini honor exhibitus, ad ipsum prototypum referatur. Ad eos uerò qui contentiosius nobiscum agétes, negant fas esse imagines sanctorum adorare, cū sint manu factæ, ob id etiā idola impij illi eas uocāt: sciant hi, quòd & Cherubim, & propitiatorium, & arca, & mensa, quæ admirandus Moses ex Dei mandato præparauit, manu hominū facta sunt, & adorata. Diuina enim Scriptura reprehendit eos qui sculptilia adorant, & qui dæmonibus immolant. Gentiū enim sacrificia abominanda erant, iustorum uerò probanda. Cum igitur satis crasse Scri-

ptura uenerandas imagines recipit, adorare eas licitum est, sed prototypi causa. Has igitur synodicas literas cum acceperitis, Patres sanctissimi, si quid in illis repertum fuerit correctione dignum, petimus ut sine inuidia, uestra doctrina nos reddatis participes, idque literis rescriptis admonete. Sic enim fiet, ut concordes uos & nos in fide inuenti, glorificetur Pater & Filius & Spiritus sanctus, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Quartò, legatorum Romanorum instinctu isti trecenti & octodecim episcopi, qui aderant, singuli testantur, se in adorationem imaginum consentire: & anathema pronunciant in eos, qui diuersum sentiant & affirment.

¶ In consessu quarto Synodus de confirmanda imaginum adoratione laborat, & primùm ex sacra Scriptura testimonia citat: ut Exodi 25. Dixit Dominus ad Mosen, facies propitiatorium ex auro puro, &c. Et Numerorum septimo: Ipsa est dedicatio altaris, post lotionem manuũ, & unctionem eius, ut ingrediatur Moses ad tabernaculũ testimonij, &c. Ezechielis 41. Introduxit me in templum, &c. Et ex epistola ad Ebræos 9. Igitur habebat, & quidẽ etiam prius tabernaculũ iustificationes cultus, ac sanctum mundanũ. Ex his sic colligunt: Si uetus Scriptura habuit Cherubim obumbrantia propitiatorium: & nos quoq; imagines IESV Christi, & sanctæ Deiparæ, sanctorumque habebimus obumbrantes: & per consequens, imagines sunt adorandæ. Constantinus episcopus Constantiæ in Cypro, mentionem quidem facit, Exodi uigesimo prohibitum esse, ne fiat similitudo aliqua Dei: sed id dictum sicco pede transitur.

Deinde ex Patrib. testimonia allegant, ut ex Chrysostomo, Gregorio Nisseno, Cyrillo Alexandrino, Gregorio Nazianzeno, Antipatro Bostrorum episcopo, Asterio, ex Anastasij Persæ uita, & libello de miraculis eius, ex sermone Athanasij de imagine Christi, & de miraculo in Berytho ciuitate prodito, ex epistola Nili ad Heliodorũ, ex Maximo abbate, ex canone sextæ Synodi, ex Leontij apologia contra Iudæos, ex Anastasij Theopoleos episcopi libro, ex Sophronij libro de Cyro, & de uitis sanctorum, ex libro miraculorum Cosmæ & Damiani, ex Basilij ad Amphilochiũ cap. 17. & 30. & epistola ad Iulianũ Imperatorem, & Theodoreti in uita Simeonis cap. 118. ex libro de uita Mariæ Aegyptiacæ, ex libro de martyrio Procopij martyris, ex uita Theodori archimandritæ, ex epistola Gregorij Magni ad Iohannem Synnadôn episcopũ, & ad Constantinũ Nacoliæ episcopũ, & ex eiusdẽ ad Thomã Claudiopolis.

Postea Synodus sic concludit: Diuiniloquorum patrum doctrinæ nos correxerunt, ex ijs ueritatem haurientes admoniti sumus ipsis adhærentes, mendacium persecuti sumus: ab ijs eruditi, uenerandas imagines salutamus: patribus, annunciantibus bona filijs, obedientes sumus: gloriamur autem in facie matris, sanctæque traditionis Ecclesię, credentes unum Deum in Trinitate laudatum. Venerandas imagines ueneramur. Qui sic non credunt, anathema. Qui aliter sentiunt, longè ab Ecclesia abijciantur. Nos ueteri Ecclesiæ legislationi insistamus: nos statuta Patrũ conseruemus: nos, qui addunt aut auferunt aliquid de Ecclesia, anathematizamus. Nos nuperam Christianorum accusatorũ inuentionẽ anathematizamus. Nos uenerandas imagines salutamus. Nos, qui sic nolunt, anathemati subijcimus. Christianorũ accusatoribus, uidelicet iconoclastis, anathema. Qui ex Scriptura sententias contra idola dictas, in sanctas imagines torquẽt, anathema. Qui sacras imagines idola uocãt, anathema. Qui dicunt Christianos, tanquã deos, imagines amplecti, anathema. Qui cõmunionẽ habent cũ ijs qui sanctas imagines reijciunt, aut contemnunt, anathema. Qui dicũt, prętet Christũ, aliquẽ nos à cultu idolorũ liberasse, anathema. Qui dicere audent, sanctã catholicã Ecclesiã idola unquã accepisse, anathema. Et postea: Credim⁹ in unũ Deũ patrẽ omnipotentẽ, omniũ uisibiliũ & inuisibilium factorem: & in unum Dominũ IESVM Christũ filiũ unigenitũ, uerbũ eius, per quod cuncta creata sunt: in sanctum Spiritum, uiuificantẽ Dominũ, &c. Salutamus etiã sanctas Dominicas, Apostolicas & Propheticas, item sanctorum, præcipuè autẽ Dominæ nostræ Deiparæ imagines, quæ nobis ueluti exemplaria sunt & instructiones bonorũ operum, imitationis & fidei erga Christum: omnem idololatriam execrantes, & latriã solam Christo tribuentes, & Deo patri, & Spiritui sancto: tanquam uni Deo, cui honor & laus in secula. Hanc sententiã omnes subscriptione confirmant.

¶ In quinto cõgressu, qui habitus est quarto nonas Octobris eodem anno, iterum ex Patribus proferuntur dicta, quibus imaginũ cultũ stabilire conantur: ut ex Cyrilli archiepiscopi Hierosolymorũ Catechesi, ubi Nabuchodonosor propter Cherubim ex tẽplo eiectum dicitur punitus: & inde colligitur, omnes esse damnádos, qui aliquod sacrũ ex tẽplo eijciãt. Et ex epistola quinta Simeonis Stelitæ ad Iustinũ iunioré, ubi indicatur, eos qui statuas & imagines Imperatorũ subuertunt, peccare: multo ergo atrocius eos delinquere, qui Christi & matris eius Mariæ statuas euellant. Et ex libro Iohannis episcopi

Thessa-

Thessalonices,unde probant etiam angelos esse pingendos in ea forma, qua hominibus apparuerunt.Item ex libro Leontij.

Deinde,librum falso inscriptum Itinerarium Apostolorum, ex quo adducta fuerant testimonia contra imaginum cultum:ac eũ damnant,sententia Amphilochij adducta,& comburunt, propterea quòd incarnationẽ Christi dicat esse opinionem.

Tertiò, Eusebij Pamphili epistolam ad Euphrationem,unde imaginum oppugnatores citauerant quædam,legunt:& ut Arianam respuunt & damnant.

Quartò,ex Theodori & Iohannis Diacrinomij historijs Ecclesiasticis de Philoxeno hæretico legunt,quòd is imagines abiecerit: & postea ipse & Seuerus eius assecla, in synodo Constantinopolitana damnatus sit.

Quintò,codices quosdam afferunt ex bibliotheca,qui ob imaginum cultum, quem defendebant, ab alijs erant mutilati: cuius rei autores damnant.

Sextò,sacra Biblia proferunt,in quibus extabat Scholiũ super locum Exodi 20.& Deuteronomij 5.Non facies tibi idolum, neque alicuius similitudinem,&c. Etsi facimus hominum piorum similitudines,non tamen eę fiunt ut adorentur ut dij:sed ut eas uidentes ad imitationem facinorum illorum irritemur.Si uerò similitudines Christi facimus, sanè non propter similitudinem adoramus, sed quò mẽs per ea quæ cõspexit, sursum uolet.Non enim imaginem corruptibilem hominis corruptibilis adoramus: sed quia Deus homo incommutatè dignatus est fieri, facimus illius imaginẽ uelut hominis,quamuis sciamus eum natura Deum existentem. Nõ idem igitur Deum & imaginẽ dicimus: sed Deum cognoscẽtes,similitudinẽ in imagine dispẽsationis illius humanę figuramus. Gentiles autem errantes,similitudines deos esse arbitrantur. Ac quia Scholion illud expunctum erat, pronunciatur anathema in Anastasium, Constantinum & Victorem hæreticos,qui putantur eius rei autores.

Septimò,profertur alius codex,& ostenditur mutilatus ab aduersarijs:& ex alio exemplari indicatur, omissam esse historiam, quomodo Hierosolymitani portantes imaginem Christi,machinas Chosrois obsidentis urbem dissoluerint:ac narrat Leo lector Constantinopolis,se uidisse Edessæ imaginẽ adorari à populo.

Octauò,miracula quædam imaginum recitant,ut quòd dæmon dixerit ad quendam monachum,se eum missum facturum,si non amplius adoret imaginẽ Mariæ. Vnde colligunt,illi oportere cultũ imaginis illius prodesse cõtra satanam.O' insignis cõsequẽtia, nimirũ pro diaboli uoto. Item quòd simulachrum Abbæ Theodosij ad puteũ à muliere Apameensi effossum,allatũ effecerit,ut aqua proueniret. Item,quòd eremita quidam imagini Mariæ accenderit candelam:& peregrè abiens ei mandarit,ut eam seruaret inextinctam, donec rediret:& quòd id factũ sit, licet post duos uel plures menses uix sit reuersus.

Nonò,Iohannes monachus hanc recitat siue historiam,siue fabulam,unde impugnatio imaginum originem duxerit. Cum diẽ extremum impiorũ Arabum tyrannus, quẽ Suliman nominabant,clausisset, subsecutus illum est Vmarus: qui posteaquam regnum adijsset,Anascaphon Mulsamã, hostem sanè atrocem,per gratiã Domini nostri IESV Christi seruatoris,eiusq; Deiparæ matris,cũ magna exercitus sui clade & ignominia à terra ista expulit,in Syriamq; fugauit: neq; de redeundo spem illi ullam reliquit. Vmaro autem fato defuncto,Ezidus quispiã,homo leuis & inconstans, regnum accepit. Per ea tempora in Tyberiade dux quispiã erat Hebræorum impiorum,cui nomen Sarantapechys,officina diabolorum,quibus uitiare animas lusus est & iocus,homo præstigiator & ueneficus,& Ecclesiæ Dei hostis implacabilis.Hic animaduersa Ezidi regis leuitate, hominem aggreditur,polliceturq; Hebręorum ingenita malitia se regi quædam prædicturum,& uatem acturum in maximè necessarijs rebus se offert.Ea res cum esset insinuata tyranno:Volo, inquit, ô princeps, modò me audias,rationem quandam indicare tibi, qua poteris facilimè & uitam commodã degere, & triginta annos regnum æquabili in potestate cõseruare.Stultus autem tyrannus spe & desiderio longioris uitæ, animi leuitate elatus (erat enim homo uoluptatibus deditus & præditus)respõdit: Quæcunq; me iusseris facere, modò possim, agam:teq;, si modò consecutus fuero quòd prædixisti, beneficijs infinitis afficiam.Veneficus autẽ Hebræus confestim inquit: Sine ulla dilatione iube uniuersum per regnum epistolam,quæ passim circumferatur,scribi & mitti, qua omnẽ imaginem & picturam,siue ea in tabulis,siue in opere musaico in parietib. siue in uasis sacris,aut indumentis & altaribus sit,& quæcunq; in Christianorum ecclesijs reperitur,deleri,expũgi,auferri,& ex toto subuerti mandes.Neq; illas solũ,uerùm omnes planè similitudines,& earum etiam quæ in foro ornatus & honestatis gratia collocantur. Nulla igitur ratione alia, quàm ut odium & furorẽ aduersum Christianos exerceret,pręstigiator id tentauit.Tyrannus autem nefandus præstigiatori leuitate sua auscultans, missis nuncijs, omnes sanctas imagines & similitudines per uniuersam prouinciam ab

stulit. Hocitaque modo primùm Ecclesiæ ornamenta, procurante id Hebræo uenefico, ablata sunt. Christiani autem cum id suis manibus facere detrectarent, missi sunt Hebræi & Arabes, homines in Deum impij, qui imaginibus exustis, Ecclesiarum quasdam calce, quasdam alijs coloribus dealbarunt & incrustarunt. Hæc autem cum peruenissent ad aures pseudoepiscopi Nacoliæ, & qui eiusdem erant cum illo opinionis impios Hebræos & Arabes imitati, Ecclesias Dei ueluti crucē Christi uerecundantes reddiderunt. Arbitror autem relatu dignum, ut & sanctitas uestra audiat, quem finem ignauus iste & ueneficus Hebræus habuerit. Ezidus enim, qui facinus perpetrauerat, ultra annum cum dimidiato nō uixit, in ignemq; æternum descendit. Postquam autem mortuus fuit, in pristinum ordinē & statum imagines restitutæ sunt. Filius autem illius Vlidus nomine, indignatus Hebræo, tanquam interfectori patris, turpissima morte hominē mori coegit. Ita is falsi sui uaticinij dignum præmium accepit.

Decimò, legati Romani pronunciant, uenerandam imaginē esse sequenti die in consessum adducendam, & ab omnibus salutandam, & quid de ea fieri debeat statuendum. Postremò, Synodus repetit cōfessionem de imaginibus adorandis, & anathemata pronunciat in diuersum sentientes.

¶ In sexto congressu, qui fuit pridie nonas Octobris, leguntur sex tomi Gregorij Neocæsariensis, & decreta Synodi Constantinopoleos sub Cōstantino Copronymo, cū refutatione Epiphanij, quę nō uerbi Dei, sed consuetudinis & Patrum nititur fundamentis. Deinde sub finē subijciunt hanc suæ sententiæ declarationem.

Quantopere in Ecclesia utiles sint imagines, quæ historias Veteris & Noui instrumenti repræsentant, breuis demonstratio.

Sancta Dei catholica Ecclesia, ad pœnitentiam & cognitionem obseruationis mandatorum Dei omnes nostros sensus trahit, & ad gloriam Dei cognoscendam studet nos deducere, non modò per auditum, sed & per uisum, morum correctionē moliri cupiens. quare ea quæ acta sunt, omnium oculis optat etiam esse conspicua. Cum enim ex auaricia & habendi studio aliquem rapit, Matthæum ex telone apostolum illi indicat: qui relicta auariciæ insania, Christū secutus est. Eodem modo Zachæum ascendentem in sycomorum arborem, & Christum desiderantem uidere, & comparantem sese ut dimidietatem bonorum suorum det pauperibus, & si quem defraudarit, ut reddat illi quadruplum. Ita imaginum pictarum iugis cōtemplatio, continuò memoriam exercet, ne iterum recurratur ad proprium uomitū. Si quem autem amore meretricio detentum rapere cupit, casti Ioseph imaginem proponit: qui adulterium execratus, & temperantia illam unicens, atq; hoc ipsum factum in imagine repræsentatum, amatores huius uirtutis multum confirmat. Rursus alibi beatā Susannam continentia exornatam exhibet, extensis manibus auxiliū ex alto inuocantē: Danielemq; præsidentē iudicē, eruentem eā è manibus impiorū sacerdotū. Ipsa aūt pictura ad recordationē tēperantis & continentis uitæ facit. Rapere uult aliquē luxuriosum, mollibusq; uestimentis indutū, & non erogantē in pauperes, quæ posset ab illis precio sis uestibus sumere, & à sua delicata uita: Iohannē huic pilis camelorū indutum, edentē syluestre mel, & digito Christum qui suffert peccata mundi indicantem exhibet. His adiungit Basiliū Magnum, & cum eo solitariorū ieiunātiumq;, corporibus in terrā stratis, multitudinē. Sed satis sit, horū paucorū mentionē fecisse: reliqua auditoribus inuestiganda relinquo. Habemus etenim totā Euangelicam narrationē depictam, & in recordationē diuinorū nos ducentē, gaudioq; nos implentē. Hæc enim cum nobis ob oculos fuerint posita, corda illorū qui timēt Dominū exultant, florent uultus, anima contristata in uoluptatem transformatur, & cum diuino patre Dauid psallit: Recordatus sum Dei, & exultaui. Itaque semper per eam Dei recordari possumus. Nam est cum lectio in sacratis templis non pronuncietur: imaginum autem apparatus & manè & meridiè & uesperè in his fixus, actorum ueritatem nobis narrat & annunciat. Traditionem itaque Ecclesiæ recipiamus, legislationem eiusdem ueneremur, ne floccipendamus piā & diuinam cōsuetudinē, in uetera & prisca iudicia ne simus curiosi. Omne enim quod in recordationē Dei erigitur, acceptū illi esse cōstat. Qui autē se excludunt ab ista traditione quā acceptarunt, quicunq; germani in Ecclesia Catholica filij fuerant, an non sunt nothi, & minimè legitimi? An nondū sentimus probam & laudabilem esse imaginum erectionem? An non sentimus spiritualiter nos per eas referri ad prototyporum recordationē? Sanè sentimus. Quapropter nō indignas habebimus eas honore, salutatione & ueneratione, debitamq; adorationem illis dare debemus. Siue igitur placebit salutationē, siue adorationem appellare, idem profectò erit: modò sciamus excludi latriam. hęc enim est alia à simplici adoratione, ut alibi sæpe est ostensum. Qui autem est adoraturus uenerandam imaginis picturam, si dignus est, accedat: si indignus sit, purgetur, deinde accedat. Non autem in seditione satanica, aut timiditate

miditate suspicionis occasionē malignę habeat, quòd scilicet latriā sit illi exhibiturus. Absit ista suspicio. Dei enim impugnatores & uaniloqui, serpentem imitantes, hæc lingua impudica dicunt. Serpens enim ad mulierem ueniens, stridens mendacia loquebatur. Quid est quod dixit Deus, Ab omni ligno paradisi comedes: à ligno autem quod est in medio paradisi, ne comedatis ab illo? Sic & hi mentes muliebres decipiunt, dicentes: Quod si quis adorauerit imaginem Domini, aut intemeratæ Deiparæ Dominæ nostræ, aut sanctorum angelorum, aut alicuius è sanctis, is in spiritu latriam illi exhibet. Cauete ne decipiamini oratione istorum: cauete ne dolosa labia uos seducant. Admonitio & transgressio diaboli hæc est. Gregorius ille Theologus, eiuscemodi cogitata subuertit, adhortatus nos omnes ad Bethlehē uenerationem, & ad pręsepis adorationem. Cum illo gloriosus Maximus, cuius laus in omnibus Ecclesijs, quando cum quibusdam de Ecclesiasticis negocijs agebat, diuinam figuram uenerabilis crucis, item sacrum Euangelium & uenerandam imaginem iussit in medium adduci, uoluitq; ut in confirmationem actorū oscularentur ab omnibus. Qui uerò ab immortalitate nomē habet Athanasius, clarissimè nobis in epistola ad Marcellinum, quam proposuit libro interpretationū Psalmorum, dissefit, sic dicens: Librum Psalmorum aliquis assumens, prophetias de Saluatore continuò, ut in alijs Scripturis, admiratus & adorās enarrat. Vides quomodo admirandus pater noster ꝓphetias adorandas esse iubet? Quod si autem pium est eas adorare, quanto magis exitus propheticarum declarationum in imagine uidentes, necessariò adorabimus? Habet enim prophetia: Ecce uirgo in utero habebit, & pariet filium. Hanc igitur prophetiam nos in imagine uidentes, nempe uirginem in ulnis habentem quem peperit, quomodo non poterimus adorare & salutare? Quis tam indoctus, qui audebit differre salutationē? Dignos igitur nos faciamus adoratione, ne indignè aggressi, pœnam Ozan incurramus. Hic enim arcā Domini nutantem attingens, eâdem hora interijt, cum indignè ad eam appropinquaret: quanquam & ipsa ex diuersis figuris esset uariata, & ex lignis constructa, quemadmodum imaginū materia est. Qui uerò dicunt sufficere usum imaginum ad memoriam solum, non uerò ad salutationem eas habendas: illud quidem recipientes, hoc uerò recusantes, semiprobi quadantenus & falsoueri, ut ita dicam, deprehenduntur: altera quidem parte ueritatem confitentes, ex altera uerò peruerse agentes. O insignem quoque horum insaniam. Igitur qui accusatores sunt ueritatis & orthodoxæ fidei, nunc consonos nos habituri sunt? & in reprobatione Ecclesiasticarum traditionum accusabimur, ueniamque postulabimus? In omnibus his præcepta seruemus: in mandatis, Propheticam uocem auribus percipientes, ambulemus. Hæc ita dicit: Si annunciatum fuerit tibi, ô homo bonum aliud quàm Dominus à te requirit, aut quàm facere iudicium, & diligere misericordiam, & paratum esse ambulare cum Domino Deo tuo, huic non non aquiescas. His itaque animum applicemus, linguam refrenemus, quo à mendacio, conuicio & turpiloquentia discedat. Oculum contineamus, uentrem disciplinemus, in psalmodijs & precationibus fortes simus. In omnibus quæ à Deo nobis largita sunt, gratias agamus: iuramentis non insistamus, sed uocem Domini audiamus, dicentis, Ego dico uobis, ne iurate: inanem gloriam sub pedibus calcemus. Maximum bonorum omnium, misericordiam & dilectionem, amplectamur, & hanc timori Dei coniunctam. Nam dilectio quæ est fine timore Dei, reproba est. Quia & Iosaphat amabatur ab Achab, sed audiuit: Si cum peccatore amicitiam inieris, si exoso à Deo suppetias tuleris. Igitur cum timore Dei omnia agamus, postulantes intercessiones incontaminatæ Deiparæ & semper uirginis Dominæ nostrę Mariæ, item sanctorum angelorū, omniumque sanctorum. Salutantes & uenerandas illorum reliquias, ut nos sanctitudinis eorū fiamus participes. Sic enim reddemur perfecti in omne opus bonum, in Christo IESV Domino nostro, quem decet gloria, potentia, & superadoratio siue latria, cum patre & sancto Spiritu, nunc & in seculorū secula.

¶ In septimo & ultimo cōsessu, qui fuit 3. idus Octob. patres promulgāt decretū Synodi: idq; corroborant subscriptionib. & acclamatione publica, quæ subijcimus ordine.

SANCTA MAGNA ET VNIVERSALIS *Synodus, quæ gratia Dei, & iuxta pium Christi amantium* Imperatorum *nostrorum* Constantini, *&* Irenes *illius matris decretum, secundò in splendida* Niceæ *metropoli, quæ est in* Bithynia, *in sacra* Dei *ecclesia* Sophia *congregata, traditionem* Catholicæ *ecclesiæ secuta, hæc definiuit subiecta.*

Qui nobis cognitionis suæ lumen gratis dedit, & tenebras caliginemq; idolorum insanię discussit, nosq; ab ea liberauit, Christus IESVS Deus noster, qui suam Ecclesiam nō habentem maculam aut rugas, sibi desponsauit: eam diligenter custodiendam esse præcepit, & discipulis suis sanctis cōfirmauit dicens, Vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Hanc uerò promissionem non solùm illis, sed & nobis fecit, qui per illos credidimus in nomē illius.

Hanc igitur donationem quidam contemnentes, ab impostore & defraudatore inimico elatiores facti, à recta ratione desciscentes, catholicæque Ecclesiæ opponentes sese, circa ueritatis intelligentiam peccarunt, & ut dicit prouerbialis sermo, axes propriæ agricolationis errare fecerunt, & manibus congregauerunt sterilitatem. Quandoquidem sacrarum dedicationum & oblationum Deo decentem ornatum calumniari non dubitarunt, appellantes se sacerdotes, cum reuera non sint. De his Deus per Prophetam clamat: Multi pastores destruxerunt uineam meam, contaminauerunt portionem meam. Minimè enim sanctè uiros qui sibijpsi multa tribuunt secuti, sanctam nostram Ecclesiam, quàm sibi Deus adoptauit, accusarunt, neque inter sacrum & prophanum ullum discrimen posuerunt. nam imagines Dei & sanctorum suorum, similiter cum statuis satanicis idolorum nomine appellarunt. Igitur obedientiam suam ab insania istorum corrumpi amplius non ferens Dominus noster Christus, nos undique sacerdotalis dignitatis præfectos, secundum suum beneplacitum conuocauit, accedente huc diuino zelo & nutu Constantini & Irenes, fidelissimorum nostrorum Imperatorum, quo diuina traditio Ecclesiæ catholicæ communi suffragio autoritatem accipiat. Igitur cum omni diligentia perscrutantes & inuestigantes, iuxta scopum ueritatis nobis propositum, nihil adijcimus, nihil demimus, sed cuncta Ecclesiæ catholicæ dogmata conseruamus: & sex uniuersalibus Concilijs inhærentes, eorum acta comprobamus. Principiò, secundum Synodum in splendida Nicæa congregatam, deinde in Regia urbe, Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ, uisibilium omnium & inuisibilium: & in unum Dominum IESVM Christum, filium Dei unigenitum, lumen de lumine, Deum uerum ex Deo uero, genitum, non factum, consubstantialem patri ante omnia secula, per quem cuncta facta sunt. qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria uirgine, & homo factus: crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus: & resurrexit tertia die, secundum Scripturas: & ascendit in cœlos, sedens ad dexteram Patris: & iterum uenturus est cum gloria, iudicare uiuos & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum uiuificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. In unam sanctam catholicam & Apostolicam Ecclesiam, confitemur unum baptisma in remissionem peccatorũ, & expectamus resurrectionem mortuorum, & uitam uenturi seculi, Amen. Execramur & anathamatizamus Arium & asseclas eius, & qui communicant cum illius improbis opinionibus: Macedoniumque & sodales illius, qui rectè appellantur Pneumatomachi, id est impugnatores spiritus. Confitemur etiam dominã nostram sanctam Mariam propriè & uerè Deiparam, ut quæ peperit unum sanctæ Trinitatis Christum Deum nostrum, quemadmodum prior Ephesina Synodus constituit: & impium Nestorium, sociosque illius, tanquam dualitatem personarum inducentes, ab Ecclesia depulit. Ad hæc duas naturas incarnati propter nos ex immaculata uirgine Maria confitemur, perfectum Deum & perfectum hominem cognoscẽtes, quemadmodũ Synodus in Chalcedone habita declarauit: Eutychemque & Dioscorum, blasphemantes in illius diuinitatem, exterminauit. Adijcientes his Petrum, Seuerum, & catenam istorum blasphemam, non concorditer connexam. Præterea Origenis, Euagrij & Didymi fabulositates anathematizamus: quemadmodum Synodus Constantinopoli conflata, quinta numero, docuit. Deinde duas uoluntates & actus, secundum naturarum proprietatem in Christo, prædicamus: quemadmodum sexta Constantinopolitana Synodus definiuit. detestamurque cum ea Sergium, Honorium, Cyrum, Pyrrhum, Macarium, impios istos pietatis impugnatores, omnesque illis consentientes anathematizamus. Fatemur autem unanimiter, nos Ecclesiasticas traditiones, siue scripto siue consuetudine ualentes & decretas, retinere uelle: quarum de numero est imaginum effiguratio, ut quæ historiæ Euangelicæ promissionis concinat, ad credulitatem ueræ & non phantasticæ incarnationis Dei, & ad utilitatem similitudinis quam nobis exhibet, utiliter inuentam. His sic se habentibus, regiam uiam incedentes, & sanctorum nostrorum & diuinorum Patrum doctrina insistentes, & catholicæ Ecclesiæ, in qua sanctus Spiritus inhabitat, traditionem obseruantes, definimus cum omni diligentia & cura, uenerandas & sanctas imagines, ad modum & formam uenerandæ & uiuificantis crucis è coloribus & tessellis, aut alia quauis materia commodè paratas, dedicandas, & in templis sanctis Dei collocandas, habendasque, tum in sacris uasis & uestibus, tum in parietibus & tabulis, in ædibus priuatis, in uijs publicis: maximè autem imaginem Domini & Dei seruato-

uatoris nostri IESV Christi, deinde intemeratæ dominæ nostræ Deiparæ, uenerandorum angelorum, & omnium deinde sanctorum uirorum: quo scilicet per hanc imaginum pictarum inspectionem, omnes qui contemplantur, ad prototyporum memoriam & recordationem & desiderium ueniant, illisque salutationem & honorariam adorationem exhibeant: non secundum fidem nostram, ueram latriam, quæ solum diuinæ naturæ competit, sed quemadmodum typo uenerandæ & uiuificantis crucis, & sanctis Euangelijs, & reliquis sacris oblationibus suffitorum & luminarium reuerenter accedimus, quemadmodum ueteribus piè in consuetudinem hoc adductum est. Imaginis enim honor in prototypum resultat: & qui adorat imaginem, in ea adorat quoq; descriptum argumentũ. Sic enim sanctorum nostrorum patrum obtinet disciplina, uel traditio catholicæ Ecclesiæ, quæ à finibus usq; ad fines Euangelium suscepit. Paulo ergo sic in Christo loquenti, omniq; Apostolico cœtui, & patribus Sanctis idem sentiẽtibus inhærentes, seruamus traditiones quas suscepimus. Quare & Victoriæ carmina ad Ecclesiam cum Propheta accinimus: Gaude ualde filia Sion, prædica filia Hierusalem, exulta & lætare ex toto corde tuo, à te Deus abstulit iniquitates aduersantium tibi, liberata es de manu inimici tui. Dominus rex tuus in medio tui, & pax tibi in sempiterna secula.

Igitur qui ausi fuerint aliud sentire aut docere, aut more impiorum hæreticorum Ecclesiasticas traditiones contaminare, aut nouam quandam uaniloquentiam inducere, aut quicquam de consecratis in Ecclesia abijcere, Euangelij inquam depictum codicem, aut figuram crucis, aut imaginis alicuius picturam, aut reliquias martyrum quas sciuerint esse germanas & ueras: aut contra ista uafrè & improbè aliquid excogitare, quod sit contra constitutionem Ecclesiasticam: aut uti tanquam communibus, sacratis Deo, repositis preciosis, aut monasterijs reuerendis: si fuerint episcopi aut clerici, deponuntor: si monachi aut laici, communione priuantor.

Petrus miseratione diuina protopresbyter Sanctissimæ ecclesiæ Romanæ beati Petri, & locum retinens Adriani papæ ueteris Romæ, definens subscripsi.

Petrus indignus presbyter & præses sancti patris nostri Sabæ, & uices agens Adriani papæ ueteris Romæ, definiens subscripsi.

Tarasius miseratione diuina episcopus Constantinopolitanus nouæ Romæ, patrum dogmatibus insistens, & catholicæ Ecclesiæ adhærens, definiendo subscripsi.

Iohannes miseratione diuina presbyter, & assessor patriarchicus, & uices agẽs trium Apostolicorum thronorum Orientis, Alexandriæ, Antiochię & Hierosolymorũ, patrũ dogmatib. insistẽs, & catholicæ Ecclesię inhęrens, definiendo subscripsi.

Agapius indignus episcopus Cęsareę Cappadocię, patrum dogmatibus insistens, &c. subscripsi. Sequuntur nomina aliorum episcoporum, quę extant in secundo tomo Conciliorum.

Sancta Synodus exclamauit: Omnes sic credimus, omnes idem sapimus, omnes approbantes subscripsimus. Hæc est fides Apostolorum, hęc est fides patrum, hęc est fides orthodoxorum, hęc fides orbem terrarum confirmauit. Credentes in unum Deum, in Trinitate laudatum, uenerandas imagines amplexamur. Qui secus agunt, anathemate percelluntor: qui sic non sentiunt, ab Ecclesia depelluntor. Nos antiquę Ecclesię legislationi insistimus, nos decreta patrum custodimus, nos adijcientes aliquid aut auferentes Ecclesię anathematizamus. Nos uenerandas imagines suscipimus: nos, qui secus faxint, anathemate percellimus. Quicunq; sententias sacræ Scripturę de idolis, contra uenerandas imagines adducunt, anathema. Qui uenerandas imagines idola appellant, anathema. Qui dicunt, quòd imagines Christiani ut deos adorent, anathema. Qui scientes communicant cum illis, qui contra uenerandas imagines sentiunt, aut eas dehonestant, anathema. Qui pręter Christum Dominum Deum nostrũ, dixerit alium nos à cultu idolorũ liberasse, anathema. Qui audent Ecclesiam catholicam dicere idola aliquando suscepisse, anathema. Multi anni Imperatorum. Constantini, & Irenes eius matris multi anni. Victorum Imperatorum multi anni. Nouo Constantino & nouę Helenę perpetua memoria. Deus imperium Augustorum conseruet. Imperator cœlestis terrenos reges custodi. Cunctis hæreticis anathema. Rugienti conciliabulo contra uenerandas imagines, anathema. Impia hęreseon uerbula ęstimantib. anathema. Theodosio falsi nominis episcopo Ephesi, anathema. Sisinnio cognomẽto Pastillæ, anathema. Basilio maledico Tricacabo, anathema. Trinitas trium horum dogma sustulit. Anastasio, Cõstantino & Victori, qui successiuè thronum Cõstãtinopolitanæ Ecclesię ascenderunt, non aliter ac nouo Ario, Nestorio, Dioscoro, anathema. Sancta Trinitas horum trium dogma sustulit. Iohanni Nicomedię & Constantino Nacolię hęresiarchis, anathema. In nihilum redegerunt imaginem Domini & sanctorum

eius, Dominus eos ad nihilum deduxit. Si quis ex Iconoclastarum hæresi aliquem existentem defenderit, anathema. Si quis Deũ secundum humanitatem non circumscriptibilem confessus fuerit, anathema. Si quis Euangelicas narrationes per picturam repræsentatas non acceptauerit, anathema. Si quis has non salutauerit in nomine Domini & Sanctorum eius, anathema. Si quis traditionem Ecclesiæ, siue scripto, siue consuetudine ualentem, non curauerit, anathema. Germani orthodoxi perpetua memoria. Iohannis & Georgij perpetua memoria. Præconum ueritatis perpetua memoria. Trinitas hos tres approbauit. Horum disputationibus inhærentes, digni reddamur misericordijs & gratia primi & magni supremi sacerdotis IESV Christi Dei nostri, intercedente simul inuiolata Domina nostra sancta Deipara, & omnibus sanctis. Fiat fiat, Amen.

¶ Deinde literas ad Imperatorẽ scribunt, in hunc modum:

PIISSIMIS ET SERENISSIMIS *Imperatoribus nostris, Constantino & Irenæ matri, Tarasius indignus episcopus Dei seruantis & Imperatricis nostræ urbis nouæ Romæ, & uniuersa sancta Synodus, quæ secundum diuinam uoluntatem & iussu Imperatoris in hac splendida Nicæensium metropoli secundò conuenit.*

Christus Deus noster, fortissimi Imperatores, caput Ecclesiæ prædicatur: quoniam cor nostrum in manu eius existens, uerbum bonum scaturijt. Suo enim decreto & mandato uos in nomine suo conuocauit, ut dogmatum Ecclesiasticorum oracula fixa, firmaq; conseruetis. Etenim quemadmodum caput uestrum auro & lapidibus preciosis exornatum est, ita & mentes uestræ Euangelicis & patrum doctrinis sunt excultæ. Nam quorum sonus in uniuersum terrarum orbem est egressus, cum sitis ueluti discipuli & cõsodales, uniuersiq; Christiani populi duces & principes, ad pietatẽ ueritatis sermonẽ contulistis, & orthodoxæ fidei pietatisq; figurã descripsistis. Vnde fidelibus tanquam faces ardentes relucetis, & periclitanti Ecclesiæ manum porrexistis. Nam & sanas doctrinas conseruatis, & dissidentium unanimem concordiam gubernatis. (absit uerbo inuidia) Dei beneplacito, pietatis officia & honestæ actiones per uos sunt stabilitæ. Quamobrem os nostrum impletũ est gaudio, & lingua nostra exultatione. Nã per scriptam nostram uocẽ res ipsas linguæ loquuntur. Quid enim splendidius, magnificentiusque esse possit principi, quàm Ecclesiasticarum constitutionum firmitatem & stabilimentum integrum conseruauisse? Quandoquidẽ aũt quidã imaginẽ quidẽ pietatis cricumferentes, sacerdotij dignitate conspicuos se exhibent, uerùm ipsum robur sacerdotij denegantes consurrexerunt, Babyloniorumq; sacerdotum accusationẽ arripuerunt (quos & propheta triumphat, dicens: Egressa est ex Babylone iniquitas) Caiaphaicumq; conciliabulum coegerũt, facti parentes impiorum dogmatum execrationis & amaritudinis, quorũ os nõ aliò quàm ad maledicendum spectat, & hinc gloriã famamq; uenatur, linguã habẽtes blasphemã, & calamũ benè huic inseruientẽ, pugnantes uerbis Dei, Imperatorũ maiestatẽ monstrosis uerbis corrumpentes, gentẽ sacrã, quæ semel Christũ induit, & ex illius gratia seruata est, quasi in idolorũ errore existentẽ, idololatras uocantes: & improbitatis animo præditi, illis hactenus manus iniecerunt, arbitrãtes se posse obscurare uenerandarũ imaginum picturã, atq; eas partim ueluti cõmuni suffragio exterminarunt; partim uerò quę ex cera fusæ erant, in singularem ornatum, in turpes usus conuerterunt: quæ uerò ex tabulis & asserculis depictæ erant, tum Christi, tum etiam sanctorum illius, igni tradiderunt, & (ut uno uerbo dicam) omnes nostras Ecclesias contaminantes disturbarunt: & hierarchæ, id est sacrarũ rerum præsides antea existentes, hæresiarchę facti sunt: & pro pace rixas ad populum locuti sunt, pro frumento zizaniam Ecclesiasticis agris inseruerunt, uinum cum aqua miscuerunt, & proximo potauerunt subuersionẽ noxiã. Præterea cum essent lupi Arabici, pellem ouinam egregiè simularũt se gestare: defraudantes quoq; ueritatem, mendaciũ uires cupiuerunt aquirere posse. Sed aspidũ oua fregerunt, & secundum Prophetam telum araneæ filarunt. Qui autem de ouis istis edere debebat, postquã confregisset ea, uentũ inanem reperiens, simul & basiliscũ accepit ueneno & lethali afflatu plenum. Quoniã autem hæc ita se habent, & ueritatem ad tempus mendaciũ adedit: ô uos mitissimi & fortissimi Imperatores, non ferentes eiuscemodi pestilentẽ & animis lethalẽ errorẽ diutius in terris hęrere: sed hunc Spiritus diuini, qui in uobis inhabitat, afflatu obscurare contendistis, quo scilicet firma maneat Ecclesiæ constitutio, & totius populi coagmentũ, ac imperium uestrum pacificè secundum nominis appellationem gubernetur. Neq; putastis ferendũ aut tolerabile, quod in reliquis omnibus rebus bene inter nos conueniret: de uitæ autem nostræ summa & præcipuo, nimirum pace Ecclesiæ, inter nos essent dissidia: maximè cum nostrum caput unicum sit Christus, nos autẽ deinceps illius unius corporis membra, propter eã quæ inter nos, communem

communem fidem & sententiam. Quapropter uos sacrum hunc nostrum & copiosum in hac Nicensium metropoli conuenire iussi stis cœtum, quo Ecclesiarum dissensionem auferremus, & malè disiuncta ad unitionem cōmodam reduceremus: & ut eam quæ nuper ex spinosis consuta est sententijs, uallam hoc est falsam doctrinam conuelleremus & disrumperemus, & uestem orthodoxæ fidei conseruaremus illæsam. Quare Apostolicis & Patrum adhærentes traditionibus, ex afflatu Spiritus sancti in unum conuenientib. animis, item Ecclesiæ catholicæ & sacrarum sex uniuersalium dogmata habentes nobis concordantia, audemus anathematizare Arij insaniam, Macedonij rabiem, Apollinarij dementiam, Nestorij idololatriam in homine, Eutychis & Dioscori conspirantem uanitatem: & horum multorum capitum hydram, Origenis, Didymi & Euagrij nugas, fabulasque Sergij, Honorij, Cyri & Pyrrhi, eorumque assectarum unam uoluntatē, imò malam & improbam uoluntatem. Deinde & qui post hos uana & noua excogitarunt nugamenta contra uenerandas imagines, eodem suffragio & conuenienter accepto à sancto Spiritu uerbo, & pura fontis illius aqua, spongia diuinorum dogmatum absterſimus & expunximus, inuentoresque nuperæ uaniloquentiæ longè extra Ecclesiasticos muros eiecimus. Et quemadmodum pedes & manus competenter animæ consilijs mouentur: ita & nos à Spiritu accepta gratia, & robur habentes fortitudinis ueſtrę coadiutans, & pietatē reconciliauimus, & ueritatem deprędicauimus. Quamobrem omnibus modis recipiendæ sunt uenerandæ imagines Domini nostri I E S V Christi, quatenus scilicet perfectus homo fuit: & hæ quoque omnes, quæ historicè è sacra Euangeliorum narratione depinguntur, nempe intemeratæ Dominæ nostræ Deiparæ, sanctorum quoque angelorum (nam hominibus ipsi quoque in forma hominis uisi sunt) item sanctorum omnium, quorum pręlia & certamina tabulis & parietib. sacris item uestibus & uasis insculpta amari debent, quemadmodum catholica Ecclesia multis retrò seculis in hisce est instructa. Sic enim ea accepit: sic à sanctis nostræ disciplinæ ducibus, & eorum successoribus patribus nostris statutum est. Sunt autem hæ adorandæ quoque, hoc est exosculandæ & amandæ: idem enim significant hæc iuxta antiquam Græciæ dialectum. nam προσκυνεῖν, adorare: & ἀσπάζεσθαι, amplecti: & φιλεῖν, amare significat. Præpositio autem πρὸς, intentionem significat desiderij: quemadmodum in προσφορῶ à φορῶ: κυρῶ & προσκυρῶ, κυνῶ & προσκυνῶ, quod significat & amplexum, & uehementem amorem. Nam quod quis φιλεῖ, (hoc est, amat) id etiam προσκυνεῖ (hoc est, amplectitur) & quod adorat siue amplectitur, nempe προσκυνεῖ, hoc etiam omnino φιλεῖ, id est amat. Testatur id sanè humana natura & affectio, qua erga amicos sumus affecti. Sic enim inter duos res agitur, & hoc modo sibi occursantes agunt. Non solùm autem apud Græcos hæc loquendi ratio in usu est, sed in diuina quoque Scriptura idem annotare licet. In libris enim Regum scriptum est: Dauid surrexit, & cecidit in faciem suam, & adorauit ter Ionathan, & osculatus est eum. Rursus: Nonne Dominus de Pharisæis dicit in Euangelio: Amant primos accubitus in conuiuijs, & salutationes in foro? Certum est ἀσπασμὸν, id est salutationem, hoc loco à Domino appellari προσκύνησιν, id est adorationem. Pharisæi enim glorioso animo præditi, & seipsos iustos existimantes, ab omnibus adorari studebant. Non enim ore osculari petebāt: fuisset etenim hoc humilitatis signum, & haudquaquam Pharisaici supercilij. Iterum Paulus apostolus, diuinus sanè, quemadmodum in Actibus scribit Lucas: Nam cum (inquit) essemus nos Hierosolymis, libenter & alacriter exceperunt nos fratres. sequenti autem die Paulus nobiscū ad Iacobum ingreditur, aderant autem omnes presbyteri: salutatis autem illis, singula quæ in gentibus per illum fecisset Dominus, exposuit. Hic enim salutationē, honorificam adorationem mutuò factam, Apostolica sententia significat. Quemadmodū etiam de Iacob legitur: Adorauit in summitate uirgę suę. Cū his conuenit Gregorius cognomento Theologus, dicēs: Bethleē uenerare, præsepe adora. Quis autē, modò rectè & syncerè Scripturas intelligat, ea quæ ita in Scripturis occurrunt non uiderit, inde latriam quæ fit per Spiritum, non dici, nisi omnino expers sit intelligentiæ, & planè in sententijs Scripturæ & Patrum rudis? Non enim in summo uirgæ Iacob latriam fecit: neque etiam Gregorius præsepi latriæ uocabulum addit: nequaquam. Rursus cum crucem uiuificam salutamus, conuenienter canimus: Crucem tuam adoramus Domine: Lanceam, quæ uiuificans latus sanctitatis tuę aperuit, adoramus. Quæ sanè adoratio nihil aliud est, quàm salutatio, siue amplexum malis dicere. Quod indicat hoc, quòd labijs quoque nostris proprijs ea contingimus. Si uerò sæpius in Scriptura & elegantibus nostris patribus adorationem quis dixerit, pro cultu siue latria quę in Spiritu fit, sumi non negamus. Nam cum uox sit multæ significationis, non potest non aliquando pro cultu adorationis in Spiritu, sumi. Adoratio enim est,

cum

cum uenerationem, desiderium & timorem significet. Ita nos uestrū uictoriosum & placidissimum imperium adoramus. Est adoratio, quæ tantummodo timorem significat: quemadmodum Iacob adorauit Esau. Est quæ gratiam notat: quomodo Abraham pro agro, quem accepit à filijs Chet in sepulchrum Saræ uxoris suæ, adorauit illos. Rursus qui sperant beneficium se accepturos à potentioribus, eos adorant: quemadmodū Iacob adorauit Pharaonē. Hinc diuina Scriptura dicens, Deum tuum adorabis, & illi soli cultum exhibebis: Adorabis absolutè ponit, neq; adijcit Soli: ut significetur uox diuersæ notionis, & æquiuoca. Cultum autē exhibebis, siue seruies soli, dixit: quam ob causam latriam uni Deo tribuimus, adq; illum referimus. His ita se habentibus, in confesso, & sine ulla dubitatione credimus, acceptam & placitam coram Deo esse uenerandarum imaginum depictionem, & earū quæ dispensationem Domini nostri IESV Christi exprimunt, & uirginis quoq; Mariæ Deiparæ intemeratæ: quinetiam gloriosorū angelorum, & omnium sanctorum, has quoq; adorandas & salutandas putamus. qui uerò ita non est animatus, sed circa uenerandarū imaginum adorationem laborat & dubitat, eum anathematizat sancta & ueneranda nostra Synodus, quæ efficacia diuini spiritus & Ecclesiasticis patrum traditionibus munita est, & cincta. Anathema autem istud nihil aliud est quàm separatio à Christo. Si uerò aliqui repugnauerint aduersum ea quæ statuta sunt, his non adhibentes fidem, sanè contra stimulum calcitrant, & proprijs animis iniurij sunt. nam & Christo aduersantur, & sycophantijs quæ aduersus Ecclesiam Dei exercentur, gaudēt, ipsamque pietatem subuertere conantur: quare hæreticorum ueterum asseclæ, socij & contribules propter impietatem uerè dicendi sunt. Nos autem fratres & comministros nostros, Dei amantes episcopos, & cum his præsides & clericos misimus, ut omnia quæ inter nos acta sunt, ad diuinas aures uestras renuncient. Ad consignationem autem & maiorem certificationem eorum quæ à nobis decreta sunt, & quo maiestati quoque uestræ pijssimæ satisfiat, autoritates quasdam Patrum ex multis paucas subnexuimus, quarum splendore ueritatis stabilimentum elucidari magis possit. Saluator autem omnium, & qui nobiscum regnat, Ecclesiæ suæ pacem pro præmio tribuat: uestrum autem imperium cum senatu & ducibus, & fidelissimo militum exercitu, in multos annos conseruet, & uictoriam uobis concedat. Ipse enim dixit: Viuo ego, dicit Dominus: Et glorificantes me, glorifico. Ipse est qui accingens uos potentia, omnem hostilem impressionem à uobis auferet, obedientiam autem apud omnes conciliabit. Gaude igitur ciuitas, exulta noua Sion totius terrarum orbis ueluti alta specula: regnauit enim & illic Dauid, & Dauidicè illam allocutus est: Dominus in medio tui, cuius nomen sit benedictum in secula seculorum, Amen.

¶ Tertiò ad Adrianum pontificem, in hunc modum:

IN OMNIBVS SANCTISSIMO ET *beatißimo fratri & comministro, Domino Adriano Papæ ueteris Romæ, Tarasius diuina miseratione episcopus Constantinopoleos, nouæ Romæ, in Domino gaudere.*

Sufficit quidem salutaris dispensatio magni Dei, & seruatoris nostri IESV Christi, ad pacē & concordiam omnibus Christianis. Ipse enim post resurrectionē à mortuis, Apostolis suis inspirando dixit: Pacem meā do uobis, pacem meam relinquo uobis. Qua de causa is qui raptus fuit in cœlum, & in paradisum ingressus, audiuit uerba quæ non oportebat dici. Paulus inquam, apostolus diuinus, omnibus nobis testatus est dicens: Christus est pax nostra, qui omnia facit ex diuersis, & mediū parietem obstaculi dissoluens, inimicitiā scilicet de carnē sua. Et iterū ad Thessalonicenses scribens, admonet: Igitur fratres state, & seruate traditiones, quas edocti estis, siue per uerbū, siue per epistolas nostras. Sed postea inueteratus hostis diabolus, Ecclesiam super fundamentū Apostolorum & Prophetarum per diuersa tempora, iuxta beneplacitum Dei ædificatā, non studuit non conuellere & interturbare, seipsum scilicet ui inferens per quosdā asseclas suos, uiros improbos, per quos etiam Zizania seminauit in hac eleganti terra ab Apostolis exculta. Hi siquidem accepta à supernis potestate, in sulcis diuinæ efficaciæ seminatū frumentum reliquere: quorum diuinam doctrinam arripientes patres nostri admirandi, zizania quidem extirparunt, nimirum hæreses & nuperas uaniloquentias radicitùs usq; euellentes, & dimisere messem purā Ecclesiæ. Vestra igitur Deo decens sanctitas, horum adhærens doctrinis, & ab ipsis ueritatis sermonem accipiens, turbas illas spinosas nunc pullulantes, adiungente se tibi Imperatorum fidelissimorum synceritate, extirpare machæra Spiritus sancti satagit. Misisti enim nobis postulantibus, uiros concordes, & dignos Apostolica sede sancti Petri, quos ad se missos Imperatores nostri syncerissimi humaniter suscipientes, ad nos iusserunt proficisci: à quibus postquam literas sanctitatis tuæ accepissemus, easque legissemus,

adduxi-

adduximus ad sanctos & reuerendos uiros Iohannē & Thomam, uerbo & cognitione nobiscum sentientes, qui eisdem temporibus, unà cum uarijs episcopis, zelo Dei & uoluntate huc se ad sacrum Synodum, iubentibus & uolentibus etiam syncerissimis Imperatoribus, contulerunt. Verùm nos ante annum sedem colligere Synodi statueramus, cum improbi aliquot homines, & quorum mentes insania tumultuabantur, turbam in nobis cientes, cathedram prohibuerunt. Quamobrem coacti sumus integrum annum à proposito nostro desistere, nihilq; quod ad eam rem attinebat tentare. Tempore deinde succedente, iterum uenerabiles isti episcopi in splendida metropoli Nicea prouinciæ Bithyniæ, Imperatorum nostrorum mandato congregati sunt: nos autem accipientes comites itineris, & uenerandos uiros legatos uestros, & uicarios quoq; Orientis, ad ipsam metropolim uenimus: & omnib. nobis sedentibus, eligere caput, nempe ipsum Christum, uisum est. Iacebat autem in sacro throno Euangelium sanctum, quod omnibus nobis qui conuenerant, Iustum iudicium iudicate, iusticiam pro sancta Dei Ecclesia administrate, proclamabat. Itaq; prærogatiua quadam literas sanctitatis tuæ primo loco legi iussimus: & eramus quidem tunc omnes ueluti in regio conuiuio epulis spiritus intenti, quòd tali cōuiuio animi nostri recrearentur: pedesque nostri in uiam rectam ueritatis per te ducebantur. Sic confracta membra in unum corpus cōponebantur, sic uera concordia reualuit, sic catholica Ecclesia in unionem est collecta. Post illas autem literas, legimus quoq; eas quæ ex orientalibus diœcesibus nobis missæ fuerant: atque ita Patrum traditionis lumen acrius exactiusque resplenduit, & uis ueritatis clarior fortiorque euasit. His se ita habentibus, ab omnibus nobis qui diuina uoluntate conueneramus, confessa est uera & calumniæ expers confessio, quæ & à nobis ad uos missa est. Per relationem itaque nostrā, pijs Imperatoribus nostris omnes hæreticæ prauitatis principes, quiq; eos insequuntur, profanatione & execratione condemnati sunt: propterea quòd sanctā catholicam Ecclesiam iniuria affecerint: nec uerò illi tantum, qui in hac uita in eadem opinione manent, sed etiam qui uitam turpiter & peruerse proiecerunt. Sed quidam eorum adhuc præsentes, salutem suam per scriptos libellos confessi sunt. Neque Christus Deus noster, petra scilicet in qua fixi sumus, uestem illam desuper contextam, ipsam nimirum catholicam, à se & super se ædificatam, Ecclesiam suam, diuisam & disruptam diutius pati potuit: neque membra huc illucq; dispersa diutius diffundi sustinuit: sed simul cum ueteribus hæresibus errorem nouæ prauitatis Iconoclastarum, qui contra uenerandas imagines rabiem suam exercuerunt, uerbo gratiæ suæ subuertit, & machæra Spiritus execuit. Abundè autem instructi sumus, & experientia cognouimus, ueritatem super omnia posse & ualere. Quicquid illi repugnat, id tandem semper cedit, & aciem relinquere cogitur. Ipsa est omnium fortissima, ita ut facilè quosuis inimicos superet, & repugnantium phalangas dissipet. Ecce enim & falsiloquorum & mendacium labia compressit, tenebræ absurdarum blasphemiarū cessarunt, pulchritudo ueritatis dogmatum resplenduit. Iam omnis hæretica blasphemia eiecta est, & propulsata: Ecclesia proprium ornatum recepit, requiem ex immensis laboribus inuenit. Veritas est inconcussa & inexpugnabilis, aduersus quam portæ inferorum & infidelitatis non præualebunt, quemadmodum ex ore Dominico audiuimus: & gaudio repletum est os nostrum, & lingua nostra exultatione. Gauisi autem sumus in Ecclesia, cui præsedimus, iuxta Dei uoluntatem. Hæc igitur facta sunt Christo Deo nostro, qui super omnes est, rem procurante: auxiliantibus etiam orthodoxis & fortissimis nostris Imperatoribus. Ipsi enim omnibus in locis uenerandas imagines restituerūt, cùm in sacris templis, tum etiam in portis regiarum: quibus Deus donet præmium, exaltando cornu imperij illorum, ad pacem Ecclesiæ suæ, & salutem omnium Christianorum: cuius nomen sit benedictum in secula seculorum, Amen.

¶ Quartò componunt literas Synodicas, quorum exemplum sic habet:

DEI AMANTISSIMIS SACERDOTIBUS *& clericis, sanctissimæ magnæ Dei Ecclesiæ, & omnium Ecclesiarum Dei colentis & imperialis urbis, sancta Synodus, quæ in Nicea secundò congregata est.*

Christus Deus noster, uera ueritas, patris lumen & splendor, qui è tenebris nos in mirandam suam lucem uocans, ex idololatrica insania nos liberauit, & nomina idolorum de terra deleuit, ut nulla planè eorum sit posthac memoria: placitum sibi existimauit, pios & in omnibus orthodoxos nostros fideles Imperatores excitare, qui nos in splendidā metropolim Niceam conuocarent, ut nouissis, quo dissidentia in unū per nos conuenirent, & medius paries inimicitiæ sustolleretur, & uetusta Ecclesia catholicę legislationis autoritatē obtineret. Igitur S. S. inspiratione in hoc ipsum conuenientes, eiusdē cooperatione omnes in idē cōsensimus: Oriēs inquā, Occidens, Septentrio & Meridies, in unā unionē, ut ita dicā, cōuenimus, sanctarū Ecclesiarum

Ecclesiarum pacificus status propter consentientem fidem & sententias constitutus est. Pedes enim nostri in rectam uiam dirigens Dominus, truncum qui ex zizanijs uetustæ & improbæ hæreseos excreuerat, funditùs eradicauit. Ecce euangelizamus uobis, in monte excelso stâtes, Ecclesiasticę pacis gaudium, & celebrem festiuitatem. Quid enim gratiosius est confidentis illius Esaiæ uerbo: Quàm speciosi sunt pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona? Dignum autem fuisset, & uestram deuotam præsentiam rebus omnibus interfuisse, quo omnem à Deo electam nostram congregationem uno in loco inueniretis, & per Dei gratiã spectatores fieretis omnium quæ acta sunt: ita & dissertationis uim quoq; cognouissetis, quæ in confirmatione legalium Ecclesiæ catholicæ traditionum, & destructione corũ qui insurrexerunt contra ueritatẽ, & Apostolicas & Patrũ traditiones ab Ecclesia catholica alienarunt, facta est. Sed quoniam inter nos & uestram sanctitatem, & humidum iter est, & longa terrestris uia: duabus rebus opus fuit, nauibus scilicet, & iumentis, quib. deferri possetis. At quoniam utrorumq; copiam non habentes, nobis corpore adesse nõ potuistis: certum est, uos mente & animo idem sentiente nobis adfuisse, quod sanè Ecclesiæ catholicæ magnum adiumentum existit. Quandoquidem autem inter nos membra sumus, habentia unum caput Christum Dominum nostrum: necessarium duximus, omnem eorum quæ diuinè apud nos acta sunt seriem narrare. Nam & linguæ res per literas effari possunt, eæq; ita subinde repręsentãt omnia, quasi coràm uisa fuissent. Postquam igitur ex præscripto patrum & doctrina conuenimus, omnes idem sentire cœpimus. Recordatique sumus carminis, quod à Mose factum est, & doctum: Interroga patrem tuum, & renunciabit tibi: quære seniores tuos, & dicent tibi. Ita quoque & nos Ecclesiasticæ ordinationi insistentes, neque quicquam illi adiecimus, neque etiam dempsimus: sed apostolicè instructi, traditiones quas accepimus seruamus, omnia scilicet suscipientes quæ sancta catholica Ecclesia & scripto & consuetudine admisit. Quorum de numero cum & uenerandarum imaginum essent figurationes, de his peculiariter egimus. Rursus omnia quæ diuini nostri patres reijciũt, ea quoque & nobis indigna, & catholicæ Ecclesiæ aduersa & hostica arbitramur: in quibus sanè recensetur & continuata uaniloquentia Iconoclastarum, & eorum qui falsò Christianos accusant gangrena, hactenus Ecclesiam depascens. Sed Deus Dominus noster eam in finem non sustinuit, nam postquam ueritas detecta est, orthodoxa & syncera fides omnibus resplenduit, mendacium cum tenebris sibi congenitis euanuit. Nam si, ut ipsi asserunt, imaginũ pictura idolis comparabilis existit: nostræ liberationis mysterium, quod Dei filius per suam in carne sine peccato pręsentiam operatus est, uanum reputatur. Quinetiam uanæ sunt propheticæ promissiones, quarum quędam iubet nos eum adorare & colere in sanctitate & iusticia, omnibus diebus uitæ nostræ. alia uerò dicit: Surrexit tãquam ex somno Deus, tanquam potens à crapula uini, percussit inimicos suos, & dedit eis in postrum improperium sempiternum. Si improperium sempiternum datum est inimicis nostris, hoc est improbis potentijs, per resurrectionem: quomodo rursus Christiani idolis seruient? Vah eorum impietatem & ruditatem. Vtinam cogitassent illud: Qui scandalizat unum ex pusillis credentium in Christũ, indignationem intolerabilem Dei incurrit. Sed uerbum Domini nihili fecerunt, Ecclesiasticas traditiones cassauerunt: quã ob causam in nihilum rediget eos Dominus, & cũ Ario, Eunomio, Macedonio, Apollinario, Nestorio, Eutyche, Dioscoro, Sergio, Honorio, & reliquis istis improbè sentientibus, conspiratio istorum connumerata est. Nam horum stulticiam abstergentes, ipsi quoque stulta locuti sunt. Iam tamen funda ueræ cõfessionis cum ipsis prostrati sunt, & acies eorum est dispersa. Non enim Deus in seculum dimisit uirgam eorum in sortem iustorum: hoc est, Ecclesiæ. Iudaicè enim uana, & alteras in conciliabulo Iudę tulerunt: quare cõciliabulum eorum Caiaphaicũm inuentum est. Hoc enim contra Dominum conflatum est. Sed Iconoclastarum aduersus eius imaginem illud conciliabulum, liberationem nostram per Christum factam, sibi & alijs inscripsit. Hoc autem consilium profundum non per Christum cœpit: confœderationes inijt, sed non per spiritum illius, quia ornatum uenerandorum templorum sustulit. In hoc conciliabulo nullus inuenietur, qui imaginem ad similitudinem Dei ferat: quia imaginem Domini & sanctorum illius ignominiosè confringentes, igni tradiderunt. Hoc conciliabulum insania & dementia occasionem dedit multarum & satanicarum cædiũ. Hoc conciliabulum falso sibi nomen assumpsit sacerdotale & sacrum concilium: improba enim & profana mente conflatum est. Hoc conciliabulum os habet intemperans, spiritu autem falso Christum & ueritatem simulauit, mendacijs uerò in totum est confisum. Hoc cõciliabulum catholica Ecclesia, tanquam zizania ex area Dominica, hoc est Ecclesia catholica extirpauit, & sputo diuini iudicij eiecit. Itaq; ex Ecclesia catholica ablatum est,

tum est, & uafra eius cōsilia redargutionem incurrêre. Verum enim & rectissimum Ecclesiæ iudicium innouari in se nihil patitur, neq; ullam semel probatę rei ablationem ferre potest. Nos igitur patrum legibus insistentes, ab uno eodemq; Spiritu gratia accepta, sine ulla nouitia machinatione, & incontaminatè cuncta Ecclesiæ dogmata custodiuimus: quemadmodum sacræ sex uniuersales synodi constituerunt. Et quæcunque in Ecclesia honore affici iusserunt, sine omni controuersia recipimus: è quibus est, ut antea diximus, imaginū quoq; apparatus. Quare eas honorabiliter adoramus, & salutamus: idem enim significant hæc duo uerba. Quiq; eadem confitetur, hic catholicæ Ecclesiæ uerus & germanus filius & particeps illius existit. Cuncta itaq; scandala abierunt, cūcta obscurata sunt. Veritas gubernat omnia, mendacium exterminatum est, seminator zizaniorum omnino defecit: frumentū, hoc est deuotus Christi populus, in unum horreum, nempe Christi Ecclesiam, comportatum est. Orthodoxæ fidei lumen resplenduit, erroris tenebræ succubuerunt, mœror in gaudium uersus est, luctus in exultationem commutatus est. Conuersus est dolor noster in lętitiā, omnia in meliorem partem respexerūt. Quapropter & nos Apostolicè uos alloquimur: Gaudete in Christo, gaudete. Terna gaudia trinitas nobis peperit: quā decet omnis gloria, honor & potentia, in secula seculorum, Amen.

¶ Canones uigintiduos esse in hoc Concilio compositos, in actis indicatur. Declaratam etiam & affirmatam esse in hac synodo sententiam de Spiritus sancti processione à patre & filio, Erphordiensis indicat capite sexagesimonono: & Ranulphus lib. quinto, capite uigesimotertio: & Iohānes de Oppido, & Martinus in Chronico, & alij: quod fortè collegerunt ex eo, quòd symbolum Nicenum est in conclusione repetitum, ubi scribitur, Spiritum sanctum à patre filioq; procedere. Nam aliàs in actis, eam rem in disceptationem uenisse, non annotatur.

Omnibus peractis mense Nouembri, tota synodus Nicea discedens, Cōstātinopolim ingreditur. & in Magnaura præsente Imperatore & cunctis episcopis, & clero & populo uniuerso, decreta synodi publicè proponuntur: quæ Constantinus & Irene approbant & subsignant, & Adriano pontifici exemplū mittunt Græco sermone, quod Latinè factū in bibliothecam Romanam est reconditum. Liber pontificalis. Et statim sacræ imagines templis restituuntur, & Ecclesiæ in errore nonnihil coalescūt: uerùm non sine cōtradictione plurimorū. Paulus Diaconus lib. 23. & Zonaras tomo 3. Nam Constantinus ipse decreta huius synodi nō ita multo pòst abrogauit: ut Platina & Bergomensis lib. 10 indicant. Et in synodo Francofordiana, acta huius planè rescissa & damnata sunt. Regino lib. 2. Auentinus lib. 4. Hincmarus cap. 20. contra laudunensem episcopum, Adon Viennensis ætate 6. Eginardus, & Carolus Magnus, & filius eius Ludouicus, disertis & neruosis scriptis ea refutarunt.

DE SYNODIS SVB CONstantino solo regnante.

SYNODVS RATISPONENSIS.

Anno Domini 742, Carolus Magnus Reginoburgij synodū celebrat, iuxta annales Francorum. Occasionem prębuit ei noua opinio Felicis Orgellorum episcopi, qui uoce & stylo asserebat, IESVM CHRISTVM in diuina natura esse uerum Deum, in humana uerò nuncupatiuum. Item, in diuina natura esse eum uerum filium Dei, in humana uerò adoptiuum: unam personā Dei & hominis diuidens in duas personas, scilicet ueri filij, & adoptiui. Sigebertus in Chronico: & Auentinus libro 4. Annalium, pagina 335.

Conueniunt episcopi ex omni Germania, Italia, & Gallia: sed nomina eorum in historijs non sunt assignata. Tractatur de proposita controuersia, & deprehensus error refutatur: ac expressè confirmatur, Christum non rectè dici adoptiuum filium: quia adoptiuus filius fit, qui aliquando non fuerit filius. at Christum semper fuisse filium Dei: ac quia Christus secundum humanitatem, non propter adoptionem, sed ob unitatem personæ in duabus naturis filius Dei dicatur.

Felix autem errorem agnoscens, palinodiam canit, & libri eius exuruntur: Romamq; ipse ad Adrianum cum Engelberto abbate mittitur. Auētinus libro quarto Annalium: Annonius libro quarto, capite octuagesimo tertio de Francorum gestis.

SYNODVS ROMANA.

Cum Felix Romam uenisset, Adrianus collecta Synodo, anno Domini septingentesimo nonagesimotertio, de eius hæresi disceptationem instituit: & acta Synodi Reginoburgensis examinat & approbat, & hæresin Felicianam damnat, Felicemq; ad pœnitentiam & reuocationem adigit. Sigebertus.

SYNODVS FRANCOFORdiana.

Anno Domini septingentesimo nonagesimoquarto, iuxta Reginonem libro secundo, & Lupoldum apud Irenicū libro undecimo, synodus Francofurti à Carolo conuocatur. Occasionem præbuit tum Felix, qui ad hęresin suam fuerat reuersus, ut Adon ætate 6 indicat: tum Adrianus pontifex, qui acta Nicenæ secundæ synodi de imaginum adoratione

ne miserat approbanda. Conuenerunt episcopi, sacerdotes, abbates & monachi ex omnibus prouincijs Caroli, nimirum ex Gallijs, Italia, & Germania. Adrianus misit etiam eò suos legatos, Theophylactum & Stephanum: interest cœtui patrum etiam ipse Carolus.

Ac primùm tractatur de Felicis & Elipandi opinione, num Christus rectè dicatur filius Dei adoptiuus secundum humanam naturam: & cõmuni patrum sententia ea hæresis scripto libro refutatur, & damnatur subscriptione omnium patrum.

Quia autem prolixum foret refutationis scriptum ascribere, ideo argumenta & respõsiones nudè assignamus.

Hypothesis Hispanorum.

Confitemur & credimus, Deum Dei filiũ ante omnia tempora, sine initio ex patre genitum, coæternum & consubstantialem, nõ adoptione, sed genere: & confitemur & credimus, eum factum ex muliere, factum sub lege, nõ genere esse filium Dei, sed adoptione: non natura, sed gratia.

Rationes autem illorum hæ fuerunt.

I.

Pater maior me est. Item: Puer crescebat, & cõfortabatur. Et: Vidimus gloriã eius, tanquã unigeniti à patre. Ergo Christus iuxta carnem est adoptiuus, & nõ uerus Dei filius.

Respondet synodus: Non ualet cõsequentia, quia est ignoratio elenchi. Nam non propter adoptionem, sed propter formã serui, dixit: Pater maior me est. in qua forma serui minor est patre. Simili modo & propter formã serui illud dictũ est: Puer hic crescebat, & confortabatur spiritu. Hoc uerò quod Iohannes dixit, Vidimus gloriam eius, gloriã quasi unigeniti à patre, plenum gratia & ueritate: contra adoptionẽ carnis facit. Si unigenitus, quomodo tũc adoptiuus? uel si nõ est pro prius filius, quomodo tunc est plenus gratia & ueritate?

II.

Hilarius dixit: Adoptiuum filium nõ dicimus natura esse, qui uerus est filius. Ergo.

Respondet synodus: Videtis, quomodo cæca mens cõtra suam testimonia ponit sententiam. Quis est qui audeat dicere, Christum non esse uerè filium Dei: Iohanne Baptista attestante, dum uidit Spiritum Dei descendentem, & manentem super eum? Et ego uidi, & testimoniũ perhibui, quòd hic est filius Dei, de quo & Apostolus testatur: Quorũ Patres, ex quibus Christus secũdum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Et si uerus Deus etiã, & uerus filius. Etsi uerus filius, nequaquam tunc adoptiuus: qui adoptiuus, sicut in testimonio S. Hilarij positum est, non uerè natura est filius.

III.

Hieronymus in tractatu in Apocalypsin dixit: Calculum candidum, id est gemma alba, adoptio carnis in filio Dei. Ergo.

Respondet synodus: Non ualet à textu mẽdoso, & corrupto. Sic enim exẽplaria authentica habent: Calculum candidum, id est adoptionem filiorum Dei.

IIII.

Hieronymus in homilia inquit: Homo adoptatus, cuius gloriam quæsiuit, qui est ab illo unico natus. Ecce quem Augustinus dicit adoptatum, hunc (Iohannes dicit) aduocatum habemus apud Deum.

Respondet synodus: In hoc loco ignoramus an prauitas repellenda, siue imperitia deridẽda. Nam est fallacia compositionis, & diuisionis. De nobis enim dixit, Homo adoptatus: de Christo uerò, unicus natus.

V.

Nostri maiores, Eugenius, Hildefonsus, Iulianus, in suis dogmatibus ita dixerunt, in missa de cœna Domini: Qui per adoptiui hominis passionem, dum suo non indulsit corpori. Item in Missa de ascensione Domini: Hodie saluator noster post adoptionem carnis sedem repetiuit deitatis. Ergo nobis etiã liceat sic docere.

Respondet synodus: Non ualet consequentia ab autoritate hominis contra Dei uerbum. Non uultis illius Christi testimonio credere, de se ipso dicentis: Pater clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te. Dum dixit Tuus, proprietatem ostendit: uelut & pater in baptismo testimonio comprobauit, Hic est filius meus dilectus. Meus dixit: addidit quoq; Dilectus, ut intelligeretur proprius esse filius. sicut Apostolus dixit, Proprio suo filio non pepercit. Et melius est testimonio Dei patris credere de suo filio, quàm Hildefonsi uestri, qui tales uobis composuit preces in Missarũ solennijs, quales uniuersalis & sancta Dei non habet Ecclesia, nec uos in illis exaudiri putamus.

Deinde opponunt Hildefonso Gregoriũ pontificem. qui in Collectis scripserit: Vt qui in tot aduersis ex nostra infirmitate deficimus, intercedente unigeniti filij tui passione respiremus.

VI.

Christus est ex patre unigenitus, sine adoptione: primogenitus uerò in fine temporis uerum hominem assumendo de uirgine, in carnis adoptione, unigenitus in natura, primogenitus in adoptione. Ergo.

Respondet synodus: Scimus Deum, Dei filium, ex utraq; natura & unigenitum & primogenitum esse. Vnigenitus, quia solus sine initio ex Deo patre genitus, & solus ex initio tẽporis ex matre uirgine genitus. Ideoq;

est

est in utraq; natura unigenitus etiam,& primogenitus: quia omnis unigenitus, primogenitus etiam est. Hanc sententiam firmant testimonio Col.1. Primogenitus ex mortuis. & Ecclesiastici: Dominus possedit me initio uiarum suarum. & Sapientiæ: Ex ore altissimi prodij, primogenita ante omnem creaturam. & Hieronymi, in epistolam ad Titum.

VII.

Similes erimus Christo in adoptione carnis, & non in diuinitate. Ergo Christus est filius adoptiuus.

Respondit Synodus: Patres exponũt dictũ Iohannis non de similitudine externi hominis, sed interni, qui renouatur, dũ externus corrumpitur.

VIII.

Dauid inquit: Vnxit te Deus tuus oleo lętitiæ, præ consortibus tuis. Sed cõsortes eius sunt adoptiui filij: Ergo & ipse est talis.

Respondet Synodus: Hieronymus & alij Patres sancti, interpretes Scripturæ, participationem unctionis non de adoptiuis fratribus, sed de regibus, qui Christi uocantur, intellexerunt.

IX.

In Michea dicitur: Nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructũ uentris mei pro peccato animæ meæ? Quòd dixit Primogenitum, secundum humanitatẽ: quod dixit Fructum uentris mei, secundum diuinitatem. Ergo.

Respõdet Synodus: Planè absurda est hęc sententiæ istius expositio. Hieronymus autem longè aliter exponit.

X.

Epistola ad Ebræos, etiam facit pro nostra sententia, Christum esse adoptiuum. Ergo.

Respondet Synodus: Antecedens falsum est. nam possunt proferri testimonia ex illa epistola, in quib. Christus filius Dei uocatur.

XI.

Nostra sententia congruit cum symbolo Niceno, & alijs patrum assertionibus. Ergo.

Respondet Synodus: Antecedens est falsum. nam in symbolo Niceno nõ inuenimus quod uos asseritis: In Christo duas naturas, & tres substãtias, & homo Deificus, & Deus humanatus. Deinde inquiunt: Quid est natura hominis, nisi anima & corpus: uel quid est inter naturam & substantiam, ut tres substantias necesse sit uobis dicere: & non magis simpliciter, sicut & S. Patres dixerũt, confiteri Dominũ nostrum IESVM CHRISTVM Deum uerum, & uerum hominẽ in una persona? Mansit uerò persona filij in sancta Trinitate, cui personæ humana accessit natura, ut esset una persona Deus & homo: non homo Deificus, & humanatus Deus: sed Deus homo, & homo Deus, propter unitatem personæ, unus Dei filius, & idem hominis filius, perfectus Deus, perfectus homo. Perfectus homo non est nisi anima & corpore. Sicut & sanctus papa Leo, in homilia quarta de natali Domini eandem nuncupat naturam, quam & substantiam, ita dicens: Tanto fœdere utramq; naturam conseruit, ut nec inferiorem cõsumeret glorificatio, nec superiorem minueret assumptio. Salua igitur proprietate utriusq; substantiæ, & in unã coeunte personam. Nec negamus & nos Christo hæc tria ueraciter inesse, diuinitatem scilicet, animã & corpus: sed quia uerè Deus, & homo Deus in Dei nomine totum quod Dei est designatur: in hominis uerò totum, quicquid hominis est, intelligitur. Ideo sufficit in eo unã perfectam diuinitatis, & alteram perfectam humanitatis confiteri substantiam.

Deinde ex Cassiodoro, & Augustino, & Isidoro, & Paschasio probant, nõ rectè in Christo duas substantias nominari, neq; duas personas: sed duas naturas, & unam personam: quia persona personam consumere possit, substantia uerò substantiam non possit. Tertiò testimonijs Scripturæ probãt, in Christo esse unam personam, & duas substantias seu naturas.

XII.

Christus dicitur seruus: Ergo est adoptiuus filius iuxta humanam naturam.

Respondet Synodus: Ex humilitate obedientiæ sic appellatur. Et Augustinus inquit: Dominus noster etiam in forma serui, non seruus, sed in forma serui etiã Dominus fuit.

Deinde probant, eum sine conditione seruili formam serui tantum sustinuisse: quia ex Maria, quæ libera fuerit, sit natus nõ seruus, sed ingenuus, & liber. II. Quia primus Adam non fuerit seruili conditione factus, nõ posse id de secũdo Adam IESV CHRISTO asseri. III. Quia peccatores tantum sint serui peccati: at Christum esse sine peccato. IIII. Quia sit Dominus omnium hominum & angelorum. V. Quia Deus pater in baptismo, & in monte Matth. 17, non seruum, sed filium appellarit: & Paulus proprium Dei filium dicat, & non adoptiuum, Rom. 8.

XIII.

Christus appellatur leprosus, item lupus, & uultur, in Sacris literis. Ergo parum obest, si adoptiuus dicatur.

Respondet Synodus: Nõ meminimus ista in sacris legi.

Rationes generales, quibus synodus probat, non rectè Christum dici filium Dei adoptiuum.

I.

Quia neq; Patriarchæ, neq; Prophetæ, neque Apostoli, neq; patres sic docuerunt: sed omnes uno ore fatentur IESVM CHRISTVM hominem, etiam filium Dei esse.

II.

Quia uox ista Adoptiuus, reuera nihil aliud potest denotare, quàm IESVM Christum non esse proprium Dei filium ex uirgine genitum, sed ex seruo adoptatum.

III.

Quia adoptatio est plurium filiorum, sed Dei filius unicus tantum est.

IIII.

Quia ad Nestorij hæresin damnatá res tandem uenit, quòd Deus pater habeat duos filios, alterum proprium, alterum adoptatum.

V.

Quia asserere, uirginem adoptiuum uel seruum genuisse, idem est quòd negare illá Deum genuisse.

VI.

Si Deus generatus est, nequaquam adoptiuus est, sed filius: quia alia persona est proprij filij, alia adoptiui uel serui: contra sententiá Ecclesię, quòd una sit persona in Christo.

VII.

Adoptio nihil aliud est quàm charitatis copulatio: qua pater adoptione sibi copulat filium, quem proprium non habet.

VIII.

Quia Christus ipse de se testatur, quòd sit uerus Dei filius: Pater clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te. Et pater de ipso de cœlo clamat, Hic est filius meus dilectus. Et Céturio inquit: uerè filius Dei fuit iste. Et dæmones eum filium Dei confessi sunt. Et Apostoli interrogati quis esset, responderút: Tu es Christus filius Dei uiui. Et Paulus, eum qui crucifixus est, Dei uirtutem & sapientiá prædicat: 1. Corinth. 1. Esaias inquit: Filius datus est nobis.

IX.

Quia omnia testimonia Patrum, quæ pro ea sententia adduxerunt, corruptè & truncatè, & contra eorum animum citarunt.

X.

Quia ista doctrina affert magnum scandalum gentibus, si asseritur, Deum Christianorum seruum uel adoptiuum esse.

De hac sententia Synodi, Carolus Magnus in hunc modum ad Hispanos rescripsit.

CAROLVS GRATIA DEI REX FRANCORUM *& Longobardorum, ac patricius Romanorum, filius & defensor sanctæ Dei Ecclesiæ, Elepando Toletanæ ciuitatis metropolitano, & cæteris in partibus Hispaniæ consacerdotibus Orthodoxæ fidei, & fraternæ charitatis, in Christo Deo, Dei filio proprio & uero, optamus Salutem.*

¶ Gaudet pietas Christianæ, diuinę scilicet atq; fraternæ per lata terrarum spacia duplices charitatis alas extendere, ut materno foueat affectu, quos sacro genuerat baptismate: & maxima est sanctæ matris Ecclesię exultatio, suorum adunatio filiorum, ut sint consummati in unú, qui redempti sunt ab uno, dicente eodem redemptore Domino nostro IESV Christo: Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut omnes unum sint, sicut & nos unus sumus. Vnde & in Cático canticorú dicitur de sancta Ecclesia: Terribilis ut castrorum acies ordinata. Constipata exercitus ordinatio, & unanimis bellatorum fortitudo, magno solet hostibus esse terrori: sic filiorum sanctæ matris Ecclesię intra murum catholicæ fidei pacifica adunatio, aëreis potestatibus nimium cóstat terribilis, & ignitis malignę perfidię spiculis omnino impenetrabilis extat. sicut & uerissimus gentium prædicator, & fortissimus Ecclesię præliator pręcipit, dicens: In omnib. assumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignita extinguere, & hoc seculú nequam libero ad cœlestia uolatu euadere. Sine fide enim impossibile est placere Deo. Impossibile est, quòd omnino ab homine fieri non potest. Principium est salutis nostræ fides, qua intemerata & integra sanitate confirmata, totius uitæ cursus per bonorum uestigia operum feliciter finetenus currit. Per fidem enim, sicut idem pręfatus Doctor in epistola ad Ebręos testatur, omnes sancti placuerunt Deo. Hanc igitur fidem Orthodoxam, & ab Apostolicis traditam doctoribus, & ab uniuersali seruatam Ecclesia, nos pro uirium nostrarum portione ubiq; in omnibus seruare & prædicare profitemur: quia nó est in aliqua alia salus, nisi in illa, quá pacifica ab initio salutis nostrę unanimitate semp seruabat Ecclesia: pro qua etiam uiri fratres, & uestra bona deuotio, quam uos habere decet in Domino, his partibus fidei uestræ literas dirigere curastis utrumq;, & generales ad sacerdotales sanctissimas aures, ad nos quoq; speciales. In quarum itaq; serie literarum non satis nobis elucebat, an quasi ex autoritate magisterij nos uestra docere disposuistis, an ex humilitatis discipulatu nostra discere desideratis: tamen siue hoc, siue illud uestris inesset animis, petitioné uestram charitate Christianæ religionis cogente, non spernendam esse censuimus: ualde desiderantes, Deumq; ex intimo cordis affectu deprecantes, quatenus in ueræ fidei soliditate firmiter utrumq; permaneamus, & inter fluctiuagos huius seculi æstus Spiritu sancto nauigium nostri cursus regente, ad portum perpetuę tranquillitatis peruenire mereamur. Ad hanc autem tráquillitatem capiendam, oculus cordis fide purificandus est, & assiduis sanctarum orationum precibus mentis acies illustranda, ut purę ueritatis lumen omni errorú nube expulsa contemplari ualeat, ne in opiniones noxiæ falsitatis

tatis temeritas inordinata incautius gradientes præcipitet: nec pigeat Christianum, ubi hæsitet, quærere: nec pudeat, ubi nesciat, discere: quo pia humilitas discendi sapientiç intrat secreta. Et melius est discipulum esse ueritatis, quàm doctorem existere falsitatis. Ille ad altiora semper prouehitur, iste ad inferiora semper delabitur: & inde Magister efficitur erroris, unde auditor contempsit esse ueritatis. Hanc igitur fratres perniciosam deuitantes elationem, sanctorũ Patrum & catholicorum doctorum sacris inhæreamus sensibus, discamus quæ scripserũt, credamus quę docuerunt: & nõ declinemus ad dexteram, neq; ad sinistram: sed per uiam regiam, ad regem & redemptorem Deum, Dominum nostrum IESVM Christum, concordi fidei & ueritatis curramus ꝓfessione. Corde enim creditur ad iusticiam, ore autem fit confessio in salutem, eodem attestante Apostolo. Iustus autẽ ex fide uiuit. Si iustus ex fide uiuit, quomodo qui fidem non habet rectam, se uiuere æstimat? nos nempe non sumus infidelitatis filij, in perditionem: sed fidei, in acquisitionem animæ. Sequamur sanctorum Patrũ uenerabilia in charitate præcepta. Decet enim, ut omnium Christianorum una sit fides, & unus animus: sicut unũ est ouile, & unus pastor. Qui uerò extra Ecclesiastici ouilis septa inuenientur, lupina rabie deuorabũtur: quia boni Pastoris uocem non audiunt, qui ante suas oues ingredietur, & egredietur, ut eas ad pascua uitæ perducat æternę. Nobis itaq; dictum intelligamus, quod egregius prędicator suis charissimis præcipiebat filijs, dicens: Obsecro uos per nomẽ Domini nostri IESV Christi, ut unum dicatis omnes, & non sint in uobis schismata: sitis autẽ perfecti in uno sensu, & in eadem scientia. Hæc habentes Apostolicæ autoritatis præcepta, concordate nobiscum. Diligimus uos: hoc uolumus uobis in Domino, quod & nobis: quia perfecta, quam habemus in Christo, charitas cõgregare gaudet, non spargere: adunare, non scindere: & incõsutilem Saluatoris nostri tunicam integram seruare, non diuidere: pręuidentes hoc idem in pace Christi custodire, quod milites in passione eius obseruabant.

His ita prælibatis, uestris in Domino ualde congaudemus profectibus: ita & in cordibus nostris fraterno uulnerati amore, uestrã quam patimini inter gentes, lachrymabili gemitu condolemus oppressionem. Sed maiore multo tristicia lugemus, si aliquid diabolica fraude interius oppressionis per infidelitatẽ, uel cuiuslibet schismatici erroris patiemini in cordibus. Iste est continuus dolor pectorib. nostris, & penè irremediabile uulnus, nisi per eius misericordiam, qui sanat contritos corde, & uult omnes homines saluos fieri, ad agnitionẽq; ueritatis peruenire, illi nos lætificent, qui cõtristauerũt. Vestra igitur correctio nostra est lætificatio, desiderantes uos socios habere in fide catholica, & cooperatores in prędicatione ueritatis: ut gaudiũ quod Christus suis ꝓmisit discipulis, habitet in nobis: & gaudium nostrum impleatur in uobis. Ad impletionem uerò huius gaudij, fraterna cogente charitate, iussimus sanctorũ Patrum synodale ex omnib. undiq; nostræ ditionis Ecclesijs congregare Concilium. Quatenus sancta omniũ unanimitas firmiter decerneret, quid cernendum sit de adoptione carnis Christi, quam nuper nouis assertionibus & sanctæ Dei uniuersali Ecclesiæ antiquis temporibus inauditis, uos ex scriptis uestris intulisse cognouimus: imò & ad beatissimũ Apostolicæ sedis Pontificem de hac noua inuentione nostræ deuotionis ter, quaterq; direximus missos, scire cupientes quid sancta Romana ecclesia Apostolicis edocta traditionibus, de hac respõdere uoluisset inquisitione: nec non & de Britannię partibus aliquos Ecclesiasticæ disciplinæ uiros conuocauimus; ut ex multorum diligenti consideratione ueritas catholicæ fidei inuestigaretur, & probatissimis sanctorum Patrum hinc inde roborata testimonijs, absq; ulla dubitatione teneatur. Idcirco uobis per singulos libellos dirigere curauimus, quid prædictorum Patrum pia unanimitas & pacifica perscrutatio autoritate Ecclesiastica inueniret, statuisset, cõfirmaret. Primò, quid Dominus Apostolicus cũ sancta Romana ecclesia, & episcopis illis in partibus quaqua uersum cõmorantibus, & catholicis doctorib. sentiret, sub unius libelli tenore statuimus. Deinde secũdo loco, quid Ecclesiastici doctores, & sacerdotes Ecclesiarum Christi de propinquioribus Italiæ partibus cum Petro Mediolanensi archiepiscopo, & Paulino Foroiulianensi, uel Aquileiensi patriarcha, uiris in Domino ualde uenerabilibus, intelligi, uel firmiter credi uoluissent, suis proprijs respõsionibus exaratum posuimus libellũ, qui ipsi quoq; præsentes nostro synodali conuentui adfuerunt. Præterea tertius tenet libellus Orthodoxam sanctorum patrum episcoporum & uirorum uenerabilium fidem, qui in Germaniæ, Galliæ, Aquitaniæ & Britanniæ partibus dignis Deo deseruiunt officijs, uestrisq; obiectionibus sanctarum Scripturarum roboratas obtinet responsiones. Dein quarto loco, meæ proprię unanimitatis cum his sanctissimis prædictorum sanctorũ Patrum decretis & catholicis statutis consensum subnexui, sicut uosmetipsi in uestra epistola, quam meo specialiter assignastis nomini, rogare curastis: id est, ne paucorum subdolis assertionibus consentirem, sed plurimorum testimonijs roboratã

fidem firmiter tenerem, facio certissimè Deo Domino meo IESV Christo donãte: horum me sanctissimæ multitudini & probatissimę autoritati, in ueræ fidei professione firmiter associans, nec uestræ me paucitati in consensione huius nouæ assertionis socium admitto, sed Apostolicæ sedi, & antiquis ab initio nascentis Ecclesiæ, & catholicis traditionibus tota me mentis intentione, tota me cordis alacritate coniungo, quicquid in illorum legitur libris, qui diuino spiritu afflati, toti orbi à Deo Christi dati sunt doctores, indubitanter teneo: hoc ad salutem animæ meæ sufficere credens, quod sacratissimæ Euangelicæ ueritatis pandit historia, quod Apostolica in suis epistolis confirmat autoritas, quod eximij sacræ Scripturæ tractatores, & præcipui Christianæ fidei doctores ad perpetuã posteris scriptum reliquerũt memoriã. Cum his quoque doctoribus & sanctæ Ecclesię pastoribus ueram prædico fidem, quos in præsenti tempore ille nobis dedit luminaria, qui dixit: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad cõsummationem seculi. Hi sunt propugnatores fidei nostræ, hi sunt rectores per diuersas sedes ciuitatis Christi, cuius antemurale est fides catholica, & charitas firmissimus murus, & propugnacula Scripturarum diuinarum testimonia: & diuitiæ salutis in ea sunt sapientia, & scientia, & spes portarum custodia, quę quatuor clauibus, id est prudentia, iusticia, fortitudine & temperantia pijs aperiuntur animis. Huic uerò ciuitati ipse Dei uerus & proprius filius, Deus uerus, homo uerus IESVS Christus Dominus noster, regali pręsidet potẽtia, & cuius gratia totam illius ciuitatis structuram regit, defendit, & exaltat. Quisquis ad hanc ciuitatem recta sibi præuiante fide, manus bonorum operum plenissimas habens peruenire festinat, apertas inueniet portas, & Regem regum cũ millibus sanctorum agminum obuiare sibi gaudebit.

Sed & gratias uobis agimus de instantia orationum uestrarũ, quibus memoriam nostri assiduò uos habere dixistis, optantes ut preces uestrę acceptabiles sint Domino Deo saluatori nostro: & ut ipse per suam misericordiam dignos uos faciat exaudiri, & ad unitatem sanctæ suæ Ecclesiæ reuocare dignetur, & eiusdem pietatis humeris in sanctę matris Ecclesiæ reportet ouile, qui de cœlis ueniens ouem requirere perditam, inuẽtamq; cum triumpho gloriæ ad sedem paternæ maiestatis reuexit.

Illud quoq; quod uobis nostram pietatem flagitare placuit, quatenus in præsentia nostra libelli uestri legeretur textus, & perscrutante plurimorum consilio, quid in eo rectæ fidei sanctionibus consentiens inueniretur: fecimus, sicut petijstis, collectis undiq;, uel ut præfati sumus, ecclesiasticis doctoribus, & populi Christiani rectoribus, nobisq; omnibus in pacifico unanimitatis choro cõsedentibus, eundem libellum à capite calce tenus per distinctiones uniuscuiusq; sententiæ, & per interrogationes, uel responsiones, prout cuique libuit, perlegere iussimus. Quid uerò de eo libello præsules Ecclesiarum Christi, fideiq; catholicæ doctores intellexissent, non est opus mihi in hac mea iterare epistola, dũ illorum libellus proprius hoc nobis euidenter ostendit. Scriptam itaq; in epistola uestra huiusmodi obsecrationem inuenimus: poscentes uos per eum qui pro te in cruce manus innoxias extendit, & pro te sanguinem preciosum effudit, & pro te mortem pertulit, & sepulturam, ad liberandos electos ad infernum descendit, & pro te surgens tibi uiam ad cœlum reuertẽdi, scilicet ad cœlestem patriam, demonstrauit, ut per te ipsum arbiter sedeas. Ecce ego uestris petitionibus satisfaciens, congregationi sacerdotum auditor & arbiter assedi. Discernimus, & Deo donante discreuimus, quid esset de hac inquisitione firmiter tenendum.

Sed modò per eandem obsecrationem uos iterum iterumq; obtestor, ut in pacifica unanimitate, & catholicæ fidei professione nobiscum firmiter maneatis, nec uos doctiores ęstimetis uniuersali sancta Dei Ecclesia. Eam fidem tenete, quã Orthodoxi patres in suis nobis symbolis scriptam reliquerunt: & nolite plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem: nec ratiocinando humano ingenio uos diuina mysteria inuestigare arbitremini, sed magis credendo honorate, quæ humana fragilitas tenere, perscrutando inuenire non potest.

Exemplum mihi Constantini Imperatoris proposuistis, cuius initium beatum Isidorum laudasse dicitis, & finem doluisse: quod ne mihi accidat, per quendã Beatum, quẽ per antiphrasin cognominastis, benignè suadetis. Hoc etiam, diuina miserante gratia, præcauere satago: non ab illo tantummodo, sed etiã ab omnibus qui aliquid rectæ fidei contrarium docere uidentur, assiduaq; deuotione Deum deposco, & quoscunq; ex filijs sanctæ matris Ecclesiæ ualeo, mihi in hac petitione adiutores conuoco, ne me alicuius uerbosi adulatio, uel fraudulenta laudatio decipiens, à uia ueritatis auertat, sæpius cum Propheta decantans: Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me: oleũ autem peccatoris non impinguet caput meum.

Vos uerò uobismetipsis cauete, quòd nos fraterno admonuistis amore, procurantes diligentissimè, omnipotentisq; Dei uobis assiduis precibus clementissimam conuocare gratiam,

gratiam, ne callida antiqui hostis uersutia sensus uestros in aliqua parte corrumpat, & peius fiat interius diaboli seruitium, quàm exterius gentis inimicæ: eumque expectate redemptorem, quem salutis uestræ habuistis autorem: illum glorificate in corde, & portate in corpore, & dignam in uobis illi præparate habitationem, in fide quæ per dilectionem operatur, quatenus uos illius gloriosa potentia & ineffabilis misericordia ab utriusque seruitutis molestia, exteriore scilicet & interiore, liberet & custodiat: & in die magno ante conspectum gloriæ suę, cum multiplicibus laboris uestri diuitijs gloriosos stare concedat, & uocem optabilem cum cooperatoribus Apostolicæ fidei audire faciat: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod uobis paratum est ab origine mundi. Paratum igitur uobis regnum ab origine mundi, indubitata ueritatis promissione speratis, si catholicæ fidei unanimitate uosmetipsos adiungere curetis, exteriores seruitutis molestias interna fidelitatis spe consolamini: oculos mentis uestrę ad Deum erigite, qui uos eripuit de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ.

Hactenus, antequam huius adoptionis in Christo nomen à uobis exortum nostros non offenderet animos, uos germanitatis amore dileximus: etsi nos uestrum corporale seruitium contristaret, rectitudo tamen fidei catholicæ lætificauit in uobis. Nunc uerò duplici pro uobis affligimur mœrore, diabolica fraude deceptis in corde, & inimica seruitute oppressis in corpore. Sed redite obsecro ad unitatem sanctæ matris Ecclesię, ut uos eruat de angustia seruitutis terrenæ, qui uos per baptismi gratiam à uinculo liberauit originalis peccati. Expoliastis ueterem hominem, quomodo iterum fraude decepti maligna, induamini illo? Adoptionis filij Deo patri facti estis per eum qui non est adoptiuus, sed proprius. State per fidei inuiolabilem confessionem in libertate filiorum Dei, & nolite infidelitatis iugum subire: expellite uincula diabolicæ deceptionis de cordibus, quatenus Deus Christus, qui soluit compeditos, excutiat catenam gentis inimicæ de manibus uestris.

Habetis nos diuina auxiliante gratia cooperatores gaudij uestri, si uos nobiscum catholicæ fidei uultis esse prædicatores. Certissimum itaque erit ibi diuinæ miserationis auxilium, ubi una est totius Ecclesiæ charitas, & una ueræ fidei confessio. Ad multitudinem populi Christiani, & ad sacerdotalis Concilij unanimitatem reuertimini. Si enim duorum uel trium sancto pioque consensui, secundum suam promissionem Dominum esse præsentem non dubitamus: quanto magis, ubi tot sanctissimi Patres, tot uenerabiles fratres, tot filij piæ matris Ecclesiæ in nomine illius pacifica conueniunt unanimitate, eum adesse medium non est dubitandum, & illorum regere consilia, qui sui nominis laudem quærere dinoscuntur? Ad confirmanda igitur corda uestra in fide & ueritate, hanc nostri nominis fraterna instigante charitate epistolam scribere curauimus, optantes, ut nostra, quam habemus pro fide catholica, proficiat deuotio, & uos diuina clementia ad fidem reducat catholicam.

Ante igitur quàm huius sæpe dicti scandali à uobis oriretur offensio, duplici charitate, sicut prædiximus, dileximus uos: id est, in orationibus nostris per omnes regni nostri Ecclesias habuimus socios: & uestri memoriam quotidie facientes, itidem quoque & Deo auxiliante uoluntatem habuimus uos liberare à seruitio secularis necessitatis, secundum temporis opportunitatem, & uestri consilij adhortationem. Nunc uerò hac duplici charitate, quòd sine dolore non dicimus, fraudastis uosmetipsos, non intelligentes uos fraude diabolica esse deceptos, ut utroque iuuamine uos denudaret: id est, participatione fidei & orationum nostrarum, & solatio auxilij nostri. Videte uidete quàm grande malum aduersus uosmetipsos habetis factum, quòd nequaquam ausi sumus orare pro uobis, sicut pro fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ filijs: nec uos adiuuare quomodo fratres, in uestris maximis necessitatibus. Quapropter reuertimini ad hanc duplicem consolationem, & abijcite à uobis hanc malignam diabolicæ fraudis uersutiam, ut possitis nobiscum consortium habere in omni charitate, & auxilio opportuno.

Post hanc uerò correptionem, uel admonitionem Apostolicæ autoritatis, & synodalis unanimitatis, si non resipiscitis ab errore uestro, scitote omnino uos pro hæreticis haberi: nec ullam uobiscum communionem pro Deo audemus habere. Currite dum lucem habetis, ne tenebræ uos anathematis comprehendant: unde non potestis uos explicare, sed æterna damnatione irretitos esse lugebitis. Adhuc enim pia est mater Ecclesia catholica, quæ reuocat uos ad gremium suæ misericordię, uolens uos Deo nutrire in filios: tantum ipsi etiam nolite uos abstrahere à pietate, eius qui uos uocauit in regnum filij dilectionis suæ.

¶ De euentu uerò dissimiles autorum

sunt sententiæ. Nam alij existimant, Felicem & Elipandum errorem agnouisse, & abiecisse, & suas dignitates recuperasse. Alij uerò, ut Adon Viennensis, narrant, Felicem in errore persistentem, Lugdunum esse deportatum, ibiq; in errore mortuum. Falsum est, quod Platina & quidam alij somniant, Felicem de imaginibus errorem fouisse.

Deinde offeruntur acta Synodi Nicenæ 2, quam Adrianus per suos uicarios rexerat, & postea etiam approbauerat, ut diximus suprà: ac Pontificij legati postulant suscriptionem, & comprobationem. Patres nõ statim assentiũtur, sed disceptationem de ijs, ut par erat, instituunt, & sententiam illam de imaginibus adorandis examinant, ueritatemq; deprehendunt ex collatione utriusq; Synodi, nimirum illius quæ sub Constantino Copronymo prorsus damnauerat & abiecerat imagines, quasi nec eas liceat pingere aut habere siue in tẽplis, siue in alijs locis: & huius, quæ sub Irene non modò habendas, sed etiam adorandas & colendas uestitu, suffitu, cãdelis, geniculatione, &c. adseuerauerat. Mediã autem sententiam amplectuntur: quòd imagines habere in templis, & alijs locis, impium per se quidem non sit: sed eas adorare & uenerari prorsus sit alienum à fide Christiana, & cum superstitione gentiliũ congruat. Quare contra Adriani pontificis & legatorum eius sententiam decernunt, imaginum cultum & adorationem esse impiam. Synodum porrò Nicenam secundam, quam Septimam uniuersalem appellauerat Pontifex, damnant: & nec Septimam nec uniuersalem dici debere pronunciant: & aliquot libris Græcam illam Synodum refutant, qui Carolo Magno adscribuntur. Eginardus in uita Caroli Magni, apud Erphordiensem capite sexagesimonono. Regino libro secũdo, Adon ætate sexto: Annales Francorum: Annonius libro quarto, capite octuagesimoquinto de gestis Francorum: Blondus decadis secundæ libro primo: Auentinus libro quarto Annalium Boiorum: Mutius libro nono..

De hac Synodo Hincmarus Remorum episcopus capite uigesimo libri sui contra Iandunensem episcopum, hæc refert: Septima autem apud Græcos uocata uniuersalis pseudosynodus, de imaginibus, quas quidam cõfringendas, quidam autem adorandas dicebant, neutra uerò pars intellectu sano diffiniens sine autoritate Apostolicæ sedis: non longè ante nostra tempora Niceæ est à quam plurimis episcopis habita, & Romam missa, quam etiam papa Romanus in Franciam direxit. Vnde tempore Caroli Magni Imperatoris, iussione Apostolicæ sedis, generalis Synodus in Francia, conuocante præfato Imperatore, celebrata, & secundum Scripturarum tramitem, traditionemq; maiorum, ipsa Græcorum Pseudosynodus destructa, & penitùs abdicata. De cuius destructione nõ modicum uolumen, quod in Palatio adolescentulus legi, ab eodem Imperatore Romam est per quosdam episcopos missum. In cuius uoluminis quarto libro, hęc de Vniuersali nomine scripta sunt: VNIVERSITAS ab uno cognominatur, quòd uno multoties uerso propagatur. Nam multitudo unitatum uertendo in unum collecta, uniuersitas efficitur. Sicut enim Ecclesia uniuersalis est, quæ Græco eloquio catholica dicitur: ita nimirum omne, quicquid ab eius unitate non discesit, catholicum nuncupari potest. Omnis enim doctrina Christiana, uel quælibet constitutio siue traditio talis esse debet, ut uniuersali conueniat Ecclesiæ: quod nequaquam hæretici obseruauere, qui per diuersas mundi partes aliquibus regionum partibus coarctati, conuenticula quædam statuẽre, quibus & se & quàm plurimos ab Ecclesiasticæ unitatis consortio segregauerunt. Cum ergo duarum uel trium prouinciarum præsules in unum conueniunt, si antiquorum Canonum institutione muniti, aliquid prædicationis aut dogmatis instituũt, quod tamen ab antiquorum patrum dogmatibus non discrepat, catholicum est quod faciunt, & fortasse dici potest uniuersale: quoniam quamuis non sit ab uniuersi orbis præsulibus actum, tamen ab uniuersorum fide & traditione non discrepat: quod crebrò factum in plerisque mundi partibus, quibusdam necessitatibus incumbentibus, scimus. Multa enim Concilia gesta sunt, quorum institutionibus sancta munitur & roboratur Ecclesia. Si uerò duarum aut trium prouinciarum præsules in unum conuenientes, noua quædam statuere cupientes, conuenticula quædam faciunt, quæ non cum uniuersi orbis Ecclesia sentiunt, sed ab ea quadam ex parte dissentiunt: non est catholicum quod faciunt, & ideo uniuersale nuncupari non potest. Omne quod Ecclesiasticum est, catholicum est. Et omne quod Catholicũ est, uniuersale est. Omne autem quod uniuersale est, prophanis uocum nouitatibus caret. Omne igitur quod Ecclesiasticum est, prophanis uocum nouitatibus caret. Et si hæc Synodus uocum nouitatibus careret, ac antiquorum patrum dogmatibus contenta esset, uniuersalis dici poterat. Non autem antiquorum patrum dogmatibus contenta est, non igitur uniuersalis dici potest. Vniuersalem planè eandem Synodum non cunctaremur profiteri, nisi eam uniuersalis Ecclesiæ dogmatib. sentiremus refragari. Catalogus testium ueritatis.

Autoritate itaq; hui⁹ Synodi nõnihil repssa est

est imaginum ueneratio: sed tamē Adrianus & alij Pontifices in sua opinione perseuerarunt, & mortuo Carolo suarum pupparum cultum uehementius promouerunt, adeò ut Ludouicus Caroli filius libro longè acriori insectatus sit imaginum cultum, quàm Carolus. Catalogus testium ueritatis.

Quia uerò ad ueritatis inquisitionem utile est, neruos utriusq; partis disceptantium considerare: ideo subijciemus rationes, quibus imaginum cultum asseruerunt Iconolatræ, & refutationes patrum Synodi Francofurdiensis.

RATIONES ICONOLATRARVM, ET *refutationes patrum in Synodo Francofordiensi.*

¶ Imagines Christi, Mariæ & aliorum diuorum, sunt sacræ & sanctæ. Ergo sunt adorandæ.

Respondet Synodus: Antecedens falsum est. Nam imagines neq; sunt sanctæ propter materiam, neq; propter colores, neq; per manus impositionem, neq; per Canonicam aliquam consecrationem. Ergo nō sunt sanctæ, multo minus adorandæ. Carolus Magnus libro primo, capite secūdo, contra Synodum de imaginibus.

II.

Deus creauit hominem ad imaginem & similitudinem suam. Ergo imagines sunt adorandæ.

Respondet Synodus: Non ualet cōsequentia, quia est ignoratio Elenchi. Dictum enim illud nihil facit ad imaginum adorationem. Deinde ex Ambrosio & Augustino demonstrant, hominem dici imaginem Dei, nō propter externam formam, quam repræsentare statuæ possunt: sed propter internum hominem, mentem, uolūtatem & memoriam, & propter uirtutes cū norma legis diuinæ congruentes. Tertiò absurdam opinionem inde gigni indicant de Deo corporeo, si asseratur hominem ita ad imaginem Dei factum esse, ut imago & statua ad effigiem hominis à pictore & artifice effingitur. Libro primo, capite septimo Caroli Magni, contra Synodū de imaginibus.

III.

Iacob suscipiens à filijs suis uestem talarem Ioseph, osculatus est eam, & cum lachrymis imposuit oculis suis. Ergo.

Respondet Synodus: Non ualet, quia nec in Hebræis, neq; in Latinis codicibus reperitur, quòd tunica Ioseph à patre osculata, uel oculis imposita sit. Quod quidem etsi factū esse narraretur, nullo modo in hoc facto uel tenuiter imaginum adoratio innueretur: cū aliud sit adorare, aliud osculari. Libro primo, capite duodecimo Caroli Magni, contra Synodum de imaginibus.

IIII.

Iacób summitatem uirgæ Ioseph adorauit: Ergo.

Respondet Synodus: Non ualet. nam neq; in Hebraico, neq; in Latino textu ista uerba leguntur: & Augustinus testatur, eum nō uirgam, sed Deum adorasse. Carolus Magnus libro primo, capite decimotertio, cōtra Synodum de imaginibus.

V.

Iacob Pharaoni benedixit, sed nō ut Deo. Ergo & nos adoramus imaginem, sed non ut Deum.

Respondet Synodus: Benedixit Iacob Pharaonem non ut Deum, neq; ut picturam: sed ut hominem, cui propter sublimitatem concessæ à Deo potestatis, honor est exhibēdus. Non itaq; huiuscemodi benedictio, imaginum adorationi congruit, quæ neq; se adorantibus, neq; adorare spernentibus quandā pro qualitate meritorum possunt inferre retributionem. Carolus Magnus libro primo, capite decimoquarto, contra Synodum de imaginibus.

VI.

Propitiatorium, & duos Cherubim aureos, & arcam Testamenti iussu Dei Moses fecit. Ergo licet facere & adorare imagines.

Respondet Synodus: Non ualet consequentia. Quia plus attexitur in conclusione, quàm fuit in præmissis. Non enim adorare iussisse, nec ea ob præteritarum quarundam rerum memoriam, sed ob futurorum mysteriorum sacratissimam præfigurationem creditur condidisse. Quis tam demēs, ut imaginum adorationem hoc exemplo conetur astruere? Nam istæ nihil aliud innuunt, nisi interdum rerum gestarum ordinem: interdū non gestarum, sed fictarum mentiuntur errorem. Carolus Magnus libro primo, capite decimoquinto, contra Synodum de imaginibus.

VII.

Deus inquit: Ecce uocaui ex nomine Beseel filij Vr, filij Hor de tribu Iuda, & repleui eum spiritu sapientiæ & intelligētiæ, ad perficiendum opus ex auro & argento, & dedi ei Æliab Achisama. Ergo licet adorare imagines.

Respondet Synodus: Non ualet, quia est ignoratio Elenchi. Nam illa quæ allegoricis plena sunt sensibus, & tropicis, per legislatorem prælata figuris, non solum clementissimum, sed etiam insanissimum est, ea imaginibus quas unusquisq; opifex pro captu ingenij sui quales uoluerit, imò quales potuerit, effecit, assimilare conari. Idem libro primo, capite decimosexto, cōtra Synodum de imaginibus.

Sicut

VIII.

Sicut Israeliticus populus serpentis æneí inspectione seruatus est: sic nos sanctorum effigies aspicientes saluabimur.

Respondet Synodus: Spes eorum qui salutem suam in imaginibus ponunt, ab Apostolo reprobatur, qui spem non in his quæ uidẽtur esse differit. Ait enim: Spes quæ uidetur, non est spes. quod enim uidet q̃s, quomodo sperat? Æneus enim serpẽs nõ est à Mose conditus ut adoretur, sed ut ad tempus ignitorũ serpentium uirosis obsisteret morsibus. Ille serpens ut fieret, Mosi à Domino imperatum est: hæ uerò imagines ut fiant, nullius Scripturæ textu est institutum. Idem lib. 1. cap. 18. contra eandem.

IX.

Si secundum Mosis traditionem præcipitur populo purpura hyacinthina in fimbrijs, in extremis uestimentis poni, ad memoriam & custodiam præceptorum: multo magis nobis est per adsimulatam picturam sanctorum uirorum uidere exitum conuersationis eorum, & eorum imitari fidem, secundũ Apostolicam traditionem.

Respodet Synodus: Non ualet consequentia ab exemplo dissimili. Nam nusquam in Scriptura ueteris aut noui Testamẽti, adoratio fimbriarum aut imaginum pręcipitur. Deinde negant, in imaginibus & picturis sanctorum uirtutem conuersationis eorum uideri: quia fides, spes & charitas, & cæteræ uirtutes sint inuisibiles, & res uiuæ: at imagines & statuæ sint res uisibiles & mortuæ. Tertiò demonstrant, quomodo sanctos imitari debeamus. Sic enim inquiunt: Quid debeamus imitari, euidentissimè idem Apostolus demõstrat, cum dicit: Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi. Et in alio loco dicit: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Vnde liquidò patet, hanc esse Apostolicã traditionem, ut non in picturis, sed in uirtutibus uideri possit sanctorum exitus cõuersatipnis: & eorum imitari fides, nõ imaginum fucis, sed in operibus bonis. Idem lib. 1. cap. 18 contra Synodum de imaginibus.

X.

Dilexi decorem domus tuæ. Sed imagines pertinent ad decorem templorum. Ergo imagines sunt adorandæ.

Respondet Synodus: Non ualet consequẽtia, quia est fallacia phrasis. Nam domus Dei nõ est de materiali domo, sed de Ecclesia Dei intelligenda: neq; decor in imaginibus materialibus, sed in uirtutibus spiritualibus refulget. Item: Paulus, Antonius, Hilarion, & alij pij imagines non habuerunt: & tamen decorem domus Domini dilexerunt: Ergo decor domus Dei non sunt imagines. Idem libro primo, capite uigesimonono, contra Synodum de imaginibus.

XI.

Sicut audiuimus, ita uidimus. Ergo imagines sunt adorandæ.

Respõdet Synodus: Est ignoratio elenchi. Nos hoc dictum spiritualiter intelligimus, non de manufactis imaginibus, sed de insignioribus & eminentioribus mysterijs prophetarum fuisse sentimus: Qui uidelicet sicut in lege de Christi aduentu audiuimus, in Euangelio uidimus. Idem libro primo, capite trigesimo, contra Synodum de imaginibus.

XII.

In Psalmo damnantur inimici malignantes in sanctis Dei. Ergo adorationem imaginum contemnentes damnantur.

Respondet Synodus: Loquitur Psalmus de illis, qui templũ Hierosolymis incenderunt, & uastarunt. Sed longè aliud est, tollere de templo mare ęneũ, Cherubim & uasa, quàm manufactas imagines non adorare. Quare nihil ad rem facit illud dictum. Idem libro secundo, cap. primo, contra Synodum de imaginibus.

XIII.

Domine, in ciuitate tua imaginem illorũ ad nihilum rediges. Ergo imagines sunt adorandæ.

Respondet Synodus: Est fallacia phrasis. Ciuitas Dei in sacris Literis interdum anima hominis, quæ à Deo inhabitatur: interdum præsentis tęmporis Ecclesia, plerunq; cœlestis Hierusalem intelligitur. In hac ciuitate, cœlesti scilicet Hierusalem, imagines impiorum ad nihilum redigentur, quia illorum aspectus diuinis non poterit apparere conspectibus: sed sicut polluerunt in se imaginem Domini in præsentis uitæ curriculo, ita in cœlesti Hierusalem non apparebit imago, qui æterno quidem mancipabuntur incendio. Idem lib. 2. cap. 3. cõtra Synodum de imaginibus.

XIIII.

Ecce uirgo concipiet in utero, & pariet filium. Hanc autem prophetiam in imagine nos uidentes, uidelicet uirginem in ulnis ferentem, quem genuit, quomodo sustinebimus non adorare & osculari?

Respondet Synodus: Prophetia quæ uirginem concepturam, & filium parituram intonat, non iam in incertis & ambiguis est quærenda, sed in pectore retinenda: nec eius arcana mysteria sunt in picturis, sed in diuinis literis, earũmque explanatoribus, Apostolis uidelicet, eorumq; successoribus, inuestiganda, & fide potius quàm oculis intuenda. Quomodo præsumemus rem insensatam adorare? quis tale facinus perpetrare audebit? Idem libro quarto, capite uigesimo

simoprimo contra Synodum de imaginibus.

XV.

Osculari & adorare idem est. Sed filius est osculandus. Ergo etiam imago eius adoranda.

Respondet synodus: Hæc duo nomina tanto inter se distant, quanto & hæ res, quarum hæc nomina sunt, inter se discrepant. Nam interdum quod adoratur, non osculatur: & quod osculatur, non adoratur. Adoratur enim Deus, sed nõ osculatur. Osculantur coniuges, liberi, &c. nec tamen adorantur. Manifestum namq; est, osculum & adorationem duarum rerum nomina esse. Idem libro quarto, capite uigesimotertio, contra Synodũ de imaginibus.

XVI.

Qui Deum timet, adorat imagines ut filium Dei. Ergo non adorantes Deum, non timent.

Respondet synodus: Nũquidnam omnes patriarchæ & prophetæ, quia imaginum adorationem spreuêre, ideo Deum credẽdi sunt non timuisse? Deinde affirmant, timorem Domini nõ in adoratione imaginum, sed in uoluntate & instãtia mandatorum Dei esse. Nam si initium timoris Domini, imagines adorare est, ut illi garriunt: constat, omnes sanctos, qui utiq; Deum timuisse creduntur, & imagines nõ adorauere, eos creatoris monitis contraijsse, qui creaturas adorare inhibuit. Non autem creatoris monitis in adorãdo creaturas contraijsse credendi sunt: Non igitur initium timoris Domini imagines adorare est. Idem lib. 3. cap. 28 contra Synodum de imaginibus.

XVII.

Iohannes presbyter inquit: Imago Imperatoris est adoranda. Ergo etiam Christi & sanctorum.

Respondet synodus: Quasi Imperatoris modo Deus localis sit: & dum uno loco est, alio esse nequeat: idcirco eius imaginẽ, sicut imaginem Imperatoris adorandam adstruere affectat, quod penitus omnis ratio uetat. Deus enim nusquam absens est. Idem lib. 3. cap. 29 contra synodum de imaginibus. Item: In tabulis ergo Deũ, qui inlocalis est, & omnipotens, adorare uelle, sicut gentiles suos reges locales siue mortales adorabant, prophanum est, & incredulitati uicinum. Quid necesse est Deum in imagine adorare, qui incircumscriptus est? qui ubiq; totus est? ubique mirabilis? qui loco non continetur, situ non circumscribitur, quem cœlum & cœli cœlorum non capiunt? Cum enim tanta sit eius gloria, tanta potentia, &c. non est quærẽdus in imaginibus, sed in mundis & sanctis pectoribus. Non est adorandus in depicta tabula, sed in aula sancta: qui non inuenitur per picturam statutis locis, sed per opera à mentibus pijs. Idem lib. 3. cap. 15 contra Synodũ de imaginibus.

XVIII.

Qui adorat imaginẽ, & dicit, Hoc est Christus, non peccat. Ergo.

Respondet synodus: Proculdubio mentiri, mendaciumq; sequi, uitium est. Vnde cum dicit quis, picturam Christum esse, Dei filiũ, mentitur: & cum mentitur, perperam agit: & cum perperam agit, peccat. Cum igitur picturam dicit esse Christum Dei filium, peccat. Non solum peccat, sed etiam insaniens sceleste agit. Idem libro 4. capite 1. contra imagines.

XIX.

Per imaginem quæ per colores appatet, adoratur Domini fortitudo. Ergo,

Respondet synodus: Quasi Dominus alicuius rei sit indigus, & per aliquam rem suam fortitudinem, quæ nullam indigentiam habet, faciat adorari. Nunquid nam, cum cœli siue lucis nomine primùm omnium creaturam angelicam condiderit naturam, quæ ab ipso creationis suæ exordio Dei fortitudinem & adorasse creditur, & laudasse, quia necdum homines erant qui de quibusq; materijs, nec quædam materiæ erant in quibus imagines pingi possent. ait enim Scriptura, Quando creata sunt omnia sidera, simul laudauerunt me omnes angeli mei. Ergo non per imaginem, sed per suam ineffabilem potentiam, Dei fortitudinem semper fuisse laudatam & adoratam. Idem libro quarto, capite secundo contra Synodum de imaginibus.

XX.

In templo & basilicis licet luminaria accendere, & thymiamata adolere. Ergo etiam ad imagines & statuas sanctorum.

Respondet synodus: Aliud est luce diuinis cultibus mancipata luminaribus perlustrari, & in eisdem locis & orationum & thymiamatum Deo fumum offerri: & aliud, imagini oculos habenti & nihil cernenti lumen offerre. Idem lib. 4. cap. 3. contra Synodum de imaginibus.

XXI.

Nabuchodonosor ossa regum Iuda proferens è sepulchris, & Iudaici regis oculos occisis filijs eruens, & Cherubim tollens, peccat. Ergo etiam illi qui imagines non adorant.

Respondet synodus: Non ualet, quia est dissimile exemplum.

XXII.

Arca testamenti & imagines æquiparantur. Ergo sunt adorandæ.

Respondet synodus: Arca condita est Dño imperãte, imagines cõduntur artis industria iuuante:

iuuante: illa à sancto uiro Mose, istæ à quolibet opifice. Quare si imagines arcæ Domini testamenti æquiparari debent, inueniant (si queunt) opificem qui Mosis meritis æquiparari queat. Idem lib.2.cap.26 cõtra synodum, de imaginibus.

XXIII.

Sicut corpus Dominicum, & sanguis, à fructibus terræ ad insigne mysterium transit: ita & imagines artificum industria compaginatæ, ad earum personarum, in quarum similitudinem compaginantur, transeunt ueritatem.

Respondet synodus: Non ualet. Cum scilicet corporis & sanguinis Dominici sacramẽtum, ad commemorationem suæ passionis, & nostræ salutis, nobis concessum, ab eodem mediatore Dei & hominum, per manum sacerdotis & inuocationem diuini nominis conficiatur: imagines uerò nullius manus impositionis uel consecrationis mysterio indigentes, non ab alijs nisi ab his qui pictoriæ artis experientia imbuti sunt, formari & compaginari noscantur. Idem libro secundo, capite uigesimoseptimo, cõtra synodum de imaginibus.

XXIIII.

Imagines mysterio crucis Dominicæ æquiparantur. Ergo licet eas adorare.

Respondet synodus: Ingens est differẽtia inter crucem Christi, & imagines. Hoc enim uexillo antiquus hostis uictus est, non imaginibus. His armis, non colorum fucis, expugnatus est diabolus.

Deinde exponit, per crucem non lignum illud significari, sed totum opus Christi, & afflictiones piorum. ac concludit: Non sunt imagines cruci æquiparandæ, non adorandæ, non colendæ: sed huic mundo cum cæteris quæ mundi sunt relinquendæ: & tu solus adorandus, tu solus sequendus, tu solus colendus es, qui in unitate substantiæ cum Patre & Spiritu sancto perpetim regnas. Idem lib.2.cap.28.

XXV.

Tarasius sic arguit: Imagines sacris uasis æquiparantur. Ergo sunt adorandæ.

Respondet synodus: Antecedens non est uerum, quia uasa sacra diuino cultui mancipata excellunt imaginibus. Deinde, non sunt uasa ad adorandum condita & destinata. Idem libro secundo, capite uigesimonono, contra Synodum de imaginibus.

XXVI.

Imagines æquiparantur libris diuinæ Scripturæ. Ergo sunt adorandæ.

Respondet synodus: Antecedens est falsum. Diuinæ scripturæ libri solius Dei altissimo arcanoq; ac præsago iudicio sunt ante secula prædestinatæ, & per momenta seculorum ad humanæ salutis emolumenta clemẽti exhibitione concessæ, &c. Imagines uerò & gentilium autorũ uanitate sunt prolatæ, & nullam salutis exhibitionem adducunt, sed oculis tantummodo fauent: per quos, quasi per quosdam legatos, gestarum rerum memoriam cordibus mandant. Idem libro secũdo, capite uigesimo.

XXVII.

Salomon in templo fecit boues & leones. Ergo imagines sunt adorandæ.

Respondet synodus: Hæc nihil ad rem. Salomon fecit boues & leones, non ut adorari deberent, sed ut quædam mystica significarent: non ut errori fauerent, sed ut mysteriorum arcana monstrarent. Et paulo pòst: Non igitur nos effigies ob memoriam rerũ gestarum, & uenustatem conditas basilicarum, quodammodo abdicamus: cũ per Mosen & Salomonem, quanquam in typicis figuris, eas factas fuisse sciamus. Sed earum insolentissimam, uel potius superstitiosissimã adorationem cohibemus, quam neq; per patriarchas, neq; per Prophetas, neq; per Apostolos, neq; per Apostolicos uiros uspiam institutã esse reperimus. Idem lib.2.cap.9. contra eandem synodum.

XXVIII.

In Cantico canticorum dicitur, Ostende mihi faciem tuam, & auditam fac mihi uocem tuam. Ergo.

Respondet synodus: Facies Ecclesiæ non corporalis, sed spiritualis est: quia & cætera quæ de ea in ijsdem Canticis canticorũ scribuntur, non carnaliter, sed spiritualiter intelligenda sunt. Hortatur ergo Christus Ecclesiam, ut faciem suam ei ostẽdat: id est, ut semper eum contempletur fide & operibus. Hortatur etiã, ut uox eius sonet in auribus illius, quia paratus est ad exaudiendum sanctos suos. Quare hoc nec de imaginum faciei uisione, neque de earum uoce, qua prorsus carent, rectè dici possunt. Idem ibidem.

XXIX.

Esaias inquit: Erit altare in medio Ægypti. Ergo imagines adorandæ.

Respõdet synodus: Hanc prophetiam nos per Christum Dominum, Dei & hominum mediatorem, completam esse scimus, qui fidem in hoc mundo constituit. Idem libro secundo, capite undecimo, cõtra synodum de imaginibus.

XXX.

Nemo accendit lucernã, & ponit eam sub modio. Ergo imagines sunt adorandæ, & colendæ luminibus.

Respondet synodus: Hæc dixit Dominus discipulis, cum eos ad prædicandum mitteret, ut magnam haberent fiduciam prædicandi, & ne persequentium terrore exterriti delitescerent,

litescerent, & similes essent lucernæ sub modio: sed omni metu postposito, totis libertatis insignibus se proderent: & quod audierant in cubiculis, in tectis prædicarent. Idem libro secundo, capite duodecimo, contra Synodum de imaginibus.

XXXI.

Sicut Iudæis Tabulæ, & duo Cherubim: sic nobis Christianis donata est crux, sanctorum imagines, ad scribendum, & adorandum.

Respondet Synodus: Neq; Tabulæ, neq; duo Cherubim, nec cætera huiuscemodi, ad adorandum in ueteri Testamento facta fuisse credantur: quid igitur aliud faciunt, nisi ut imagines exaltent, Christianorum res extenuent? Cum uidelicet Tabulę, & duo Cherubim, exemplaria fuerint futurorum: & cũ Iudæi habuerint carnaliter, resq; typicis opertæ figuris præfigurationes fuerint futurorum, nos habemus in ueritate spiritualiter. Idem libro primo, capite decimonono, contra eandem.

XXXII.

Tarasius dixit: Sicut ueteres habuerũt Cherubim obumbrantem propitiatoriũ: & nos imagines Domini nostri IESV Christi, & sanctæ Dei genitricis, & sanctorum eius habeamus, obumbrantes altare.

Respondet Synodus: Tarasius non rectè sacerdotij culmen conscendit: ideo non mirum est, eum non rectè docere. Deinde allegoricè exponit Cherubim, quòd angelos & duo testamenta designent. Idem libro primo, capite uigesimo, contra eandem.

XXXIII.

Iohannes presbyter & legatus Orientalium dixit: Iesus Naue duodecim lapides statuit in Dei memoriam. Ergo licet adorare statuas.

Respondet Synodus: Non ad adorandas imagines instruendam fore Israelitarum posteritatem edocuit: sed memorem stupendo miraculo arefacti fluminis esse debere præmonuit, qui ad posteros hanc sine uoce legationem proclamantes deferrent. Idem libro primo, capite secundo, contra eandem.

XXXIIII.

Nathan adorauit Dauidem. Ergo.

Respondet Synodus: Est exemplum dissimile. Nam adorauit Nathã propheta Dauid regem, nõ ut colorum fucis compaginatam imaginem, sed ut à Deo in regni apice sublimatam potestatem. Adorauit itaq; propheta regem spiritu sancto repletus, spiritu sancto repletum. Non enim in eo quandam insensatam rem superstitiosæ uanitatis cultu adorauit, sed uirum inuentum secundum cor Domini. Cum igitur tot indicijs, tantisq; Apostolorum prædicationibus reges honorificandi sint: absurdissimum est, adorationem imaginum, adorationi quæ sanctissimo regi per prophetam fiebat, æquiparare uelle. Idẽ libro primo, capite uigesimosecundo, contra eandem Synodum.

XXXV.

Signatum est super nos lumen uultus tui. Item, Vultum tuum requiram. Ergo imagines sunt adorandæ.

Respondet Synodus: Nihil ad manufactarum imaginum uultus pertinet, quod Psalmographus dicit: Signatum est super nos lumen uultus tui. Nec illud: Vultum tuum Domine requiram. Nam si hic uultus, cuius super nos lumen signatum esse propheta decantat, & quem se requisiturum esse denunciat, in manufactarum imaginum uultibus intelligendus est: quærendum est, quale lumen habeant, aut quomodo id lumen super nos signatum sit. Vultus autem Dei, est cognitio Dei: id est, filius. ad huius cognitionẽ per legem, non per imagines peruenire anhelabat, cum aiebat: Reuela oculos meos, &c. Lumen ergo uultus Domini, quod super nos signatum est, non in materialibus imaginibus est accipiendum, quæ utiq; sicut & cæteris dignitatibus, ita etiam lumine carent. Qui uult uitam, & cupit uidere dies bonos, non imagines adorare, nec picturam colere debet, sed declinare à malo. Idem libro primo, capite uigesimotertio contra eandẽ.

XXXVI.

Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis. Ergo imagines sunt adorandæ.

Respondet Synodus: Non de manufacto uultu intelligendum est, præsertim cum manufacti uultus ideo nõ deprecandi sint, quia nec exaudiri queunt. Omne quod deprecatur, ideo deprecatur, ut exaudiat: & omnẽ quod exaudit, irrationale esse non debet. Quod si deprecari non debet, multo minus adorari, cum uidelicet adoratio deprecationi emineat. Idem libro primo, capite uigesimoquarto, contra eandem.

XXXVII.

Abraham filios Heth, Moses Iethro sacerdotem Madian adorauit. Ergo.

Respondet Synodus: Istorum adoratio tantum distat à pictæ imaginis adoratione, quãtum pictus ipse homo à ueri hominis ratione. quantum enim uerus homo à picto, rationalis ab irrationali, tantum proculdubio & huius adoratio ab illius adoratione discernitur. Item: Aliud est hominem salutationis officio, & humanitatis obsequia adorando salutare: aliud, picturam adorare. Item, fraternitatem, dilectionem erga proximos adhibendam, Scripturarum docemur exemplis: imagines uerò adorare, uel salutare, inhibemur.

bemur. Et probat, sanctos uiros imagines nusquam adorasse. Idem lib. 1. cap. 9 contra eandem.

XXXVIII.

Iacob Pharaonem, Daniel Nabuchodonosor adorauit. Ergo.

Respondet Synodus: Ista uerba non haberi in Hebraicis, nec Latinis textibus. Iacob benedixisse: sed inde non posse adorationem imaginum probari. Idem ibidem.

XXXIX.

Iohannes legatus Orientalium dixit: Iacob erexit lapidem in titulum. Ergo licet adorare imagines.

Respondet Synodus: Exemplum dissimile est, nec imaginum adorationem probat. Idem lib. 1. cap. 10. contra eandem.

XL.

Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctus est. Ergo imagines sunt adorandæ.

Respondet Synodus: Non ex usu hominum æstimare debemus scabellū. neq; enim corporalis Deus, aut non immensus, ut tanquam fulcrum pedibus eius scabellum subiectum putemus: neq; adorandum quicquā præter Deum legimus. quia scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis. Vbi idem dicit, quid sit scabellum: Cœlum mihi thronus, terra autem scabellum. Per scabellum, terra intelligitur: per terram autem, caro Christi, quam hodieque in mysterijs adoramus, & quam Apostoli in Domino IESV adorarunt. Idem libro secundo, capite quinto, contra eandem.

XLI.

Adorate in monte sancto eius. Ergo.

Respondet Synodus: Non montem, sed in monte sancto adorandum Dominū, idem sanctus uir decantat. Qui etsi montem adorandum præciperet, non idcirco imaginum adoratio, sed Domini IESV Christi à sanis mentibus intelligetur. Item: Quod ad montem Sion qui est Ecclesia, referri potest, cuius ipse habitator est Christus. Adoramus igitur in monte sancto eius, non imagines, uel quasdam superstitiosas res: sed eundem Dominum, qui illius montis caput est: & ut eūdem montem acquireret, non solùm nasci, sed mori dignatus est. Idem lib. 2. cap. 6 contra eandem.

XLII.

Imagines æquiparantur reliquijs sanctorum. Sed illæ sunt adorandæ. Ergo.

Respondet Synodus: Imagines non sunt coæquandæ reliquijs sanctorum martyrum & confessorum, eo quòd reliquiæ aut de corpore sunt, aut de his quæ circa corpus cuiusdam sancti fuerūt. Imagines uerò nec in corpore, nec circa corpus fuisse uel fore creduntur illis, quibus adscribuntur. Idem libro tertio, capite uigesimoquarto, contra eandem.

XLIII.

IESVS ad Abgarum epistolam & imaginem suam misit, & ab Abgaro responsum recepit. Ergo imagines sunt adorandæ.

Respondet Synodus: Nulla Euangelij lectio tradit, IESVM ad Abgarum imaginem misisse. Quæ duæ epistolæ etiam à sancti Euangelij lectione sunt extraneæ, & à beato Gelasio Romanæ urbis antistite inter Apocryphas scripturas prorsus deputatæ. Non sunt in testimonium quodammodo producendæ: quia ad ea quæ in quæstionem ueniunt, approbanda uel improbanda, sicut & cæteræ Apocryphæ scripturæ, minus sunt idoneæ. Idem libro quarto, capite decimo, contra eandem.

XLIIII.

Imagines ediderunt miracula. Ergo sunt adorandæ: & æquiparantur fimbriæ uestis Domini, quam mulier attingens sanata est.

Respondet Synodus in genere: Antecedēs falsum est. nam id nec ueteris nec noui Testamenti paginā demonstrare: nec omnes res adorandas esse, per quas, uel in quibus miracula appareant. libro tertio, capite uigesimoquinto.

¶ Antecedens probant: quia imago cuiusdam Polemonis, quendam ab adulterij scelere absterruit.

Respondet Synodus: Hoc gestum esse, in nullo uel ueteris, uel noui Testamēti authenticorum codicum est repertum. Quod quidem si, ut illi asseuerant, gestum est, salutaribus Dominicis gestibus nec debet nec potest coæquari. Nam quanta est distantia inter Polemonem & Christum, tanta est inter gesta Polemonis, eiusq; imaginis, & sanctissima miracula Christi. Idem lib. 3. cap. 21. contra eandem.

¶ 2. Quia Theodorus Myrensis archidiaconus somniauit de imagine, &c.

Respondet Synodus: Quis unquam somnio suo rem dubiam ualeat affirmare, cum utrum ita ut se uidisse profatur uiderit, nullius testis testimonia ualeant approbare? Idē libro tertio, capite uigesimosecundo, contra eandem.

¶ 3. Quia Dionysius presbyter ecclesiæ Ascalonitanæ, in eadem Synodo retulisse fertur, quendam monachū coram imagine sanctæ Mariæ lucernam cōcinnasse, & post quartum uel quintum seu etiam sextum mēsem inextinctam reperisse.

Respondet Synodus: Nec de eo, sicut nec de cæteris eadem adoratio imaginum quendam poterit obtinere uigorem: quippe cum & de eius fide qui id retulerit, & de facto utrum factum sit, & de tempore quando factum

ctum sit, & de loco ubi factũ sit, & de modo quemadmodum factum sit, penitùs dubitetur. Quod si factum esset, tamẽ nec ex eo quidem rei cuiusdam irrationalis adoratio poterit inolescere. Idem libro 4. capite 12 contra eandem.

¶ 4. Epiphanius diaconus adorationem imaginum astruit. Quòd mulier à profluuio sanguinis Dominicæ uestis fimbriæ tactu sanata, titulum siue imaginem in eiusdem Domini honorem erexerit, eiusdemq; imaginis fimbrias denuò tetigerit: subter quam imaginem herba quædam orta fuerit, quæ si paulatim succrescens, summitate sua pedem contigisset erectæ imaginis, cunctis ęgritudinibus medeatur.

Respondet Synodus: Hic nulla imaginũ adoratio commendatur. Si ergo illa quadam leuitate imaginẽ erexit, quis tam uecors, perceptis sacræ fidei charismatibus, eumq; ubique esse non nesciens, idcirco imaginem erigit, eamq; adorabit? Quis catholicus, ex eius actibus in hac parte exempla sumet? Miraculo de herba (si factum sit) haudquaquam poterit illorum assertio quodammodo fulciri. Idem libro quarto, capite decimoquinto, cõtra eandem.

XLV.

Patres, & S. doctores imaginum adorationem probant. Ergo sunt adorandæ.

Antecedens probant. 1. Autoritate sextę Synodi. In quibusdam uenerabilium imaginis picturæ agnus digito præcursoris monstratus designatur, quòd in signum relictus est gratiæ, uerum nobis per legem præmonstrans agnum, Christum Dominum nostrũ.

Respondet Synodus: Iste nullum eorũ errori adminiculum præbet, cum penè nullũ habeat Latinæ integritatis uigorem, sensuq; sit tepidus, uerbisq; illepidus, & quadam ex parte ratione nudatus. Idem lib. 2. cap. 18. cõtra eandem.

¶ 2. Augustini. Quid est imago Dei, nisi uultus Dei, in quo signatus est populus Dei?

Respondet Synodus: Paulus docet, imaginem Dei esse Christũ: & opponit ueram Augustini sententiam, & Ambrosij. libro sexto, capite decimosexto.

¶ 3. Gregorij Nysseni dicto.

Respondet Synodus: Istius uita & prædicatio est nobis ignota. ideo testimonia quæ de eius opusculis proferuntur ad res dubias confirmandas, minus cernuntur esse idonea. Idem lib. 2. cap. 17.

¶ 4. Iohannis Cõstãtinopolitani: Nescis, quia si quis imaginem Imperatoris iniuriat, ad eum ipsum Imperatorem principaliter dignitati eius affert iniuriam. Nescis, quia si quis imaginem ex ligno aut ex colore detrahet, non sicut ad elementum sine anima aduersus iudicatur, sed sicut aduersus Imperatorẽ dissegregata imaginem * totidem Imperatoris gestans ei, iniuriam ad Imperatorem deducit.

Respondet Synodus: Non illarum imaginum mentio fit, quæ in basilicis esse consueuerunt: sed illarum, quas gentili & superstitioso ritu Romanorum Imperatores ostentabiliter, ob sui fauoris arrogantiam, adorare censuerunt. Idem libro secundo, capite decimonono, contra eandem.

¶ 5. Sententia Cyrilli, in expositione Euãgelij secundum Matthæum.

Respondet Synodus: Non hic imaginum adoratio innuitur, sed hoc huius Capituli textus significat, quòd dum Christus in forma Dei existens uerbum, nostræ carnis similitudine indutus, & factus est homo, & pro nostræ uitæ redemptione oblatus Deo, in se uera patris imagine eiusdem patris uisionẽ nobis ostendit, iuxta illud: Qui uidet me, uidet & patrem. Idem libro secundo, capite uigesimo, contra eandem.

¶ 6. Iohannis Chrysostomi: Vidi angelum in imagine, persequentem multitudinẽ barbarorum.

Respondet Synodus: Non est uerisimile, Iohannem ista dixisse, cum angeli sint inuisibiles. Idem libro tertio, capite uigesimo, contra eandem.

¶ 7. Epiphanij, qui non pro hæreticis habeat eos qui adorent imagines?

Respondit Synodus per inuersionem: Si idem Epiphanius, eos qui imaginum adorationem spernunt, hæreticos sciret: in sua generali de hæresibus disputatione eos inter hæreticos proculdubiò computaret. Nõ autem inter hæreticos computauit: non igitur eos hæreticos credidisse, credendus est. Quòd autem idem Epiphanius non solùm imaginum adorationem spreuerit, uerumetiam eas in Ecclesijs haberi noluerit, his indicijs declaratur. In epistola namq; quæ ab illo ad Iohannem episcopũ missa est, & à Hieronymo de Græco in Latinum translata, ità habetur: Audiui quosdam murmurare contra me, quando simul pergebamus ad locum sanctum qui uocatur Bethel, ut ibi collectã tecum ex more Ecclesiastico facerem: & uenissem ad uillam quæ dicitur Anablata, uidissemq; ibi pręteriens lucernam ardentem, & interrogassem Qui locus esset? didicissem que esse Ecclesiam, & intrassem ut orarem, inueni ibi uelum pendens in foribus eiusdem Ecclesiæ, tinctum atque depictum, & habẽs imaginem quasi Christi, uel sancti cuiusdã: non enim satis memini, cuius imago fuerit. Cum ergo hoc uidissem in Ecclesia Christi, contra autoritatem Scripturarum, hominis pendere imaginem: scidi illud, & magis dedi

consilium custodibus eiusdem loci, ut pauperem mortuum eo obuoluerent & efferrent. illiq; contrà murmurantes dicerent: Si scindere uoluerat, iustum erat ut aliud daret uelum, atq; mutaret. Quod cum audissem, me daturum esse pollicitus sum, & ilicò esse missurum. Paululum autem morarum fuit in medio, dum quæro optimum uelum pro eo mittere: arbitrabar enim de Cypro mihi esse mittendum. nunc autem misi, quod potui reperire: & precor ut iubeas presbytero illius loci suscipere uelũ à latore, quod à nobis missum est: & deinceps præcipere, in Ecclesia Christi istiusmodi uela, quæ contra religionem nostram ueniunt, non appendi. Decet enim honestatem tuam, hanc magis habere sollicitudinem & scrupulositatem, quæ digna est Ecclesia Christi, & populis qui tibi crediti sunt. Carolus Magnus libro sexto, capite uigesimoquinto, contra Synodum de imaginibus. Postea probat, Augustinum etiam inter hæreticos Simonianos & Carpocratitas numerare imaginum adoratores.

¶ 8. Exemplo cuiusdam abbatis, qui iurauit diabolo, quòd non uelit adorare imaginẽ Domini, aut genitricis eius. & postea iusiurandum irritum fecit, dicens: sibi commodius esse, omnia in ciuitate lupanaria ingredi, quàm abstinere ab imaginum adoratione.

Respondet Synodus: A' rebus noxijs nõ debent sumi exempla. Sed hoc est tale. Ergo, nihil ualet. Deinde confert adorationem imaginum cum scortatione: & indicat, scortari esse uerum peccatum: sed nõ adorare imagines, esse nullum peccatum. Ideo illum non rectè dixisse, commodius sibi esse scortari, quàm non adorare imagines. Idem lib. 3. cap. 31.

¶ 9. Exemplo Syluestri, quem dicunt imagines Apostolorum Constantino obtulisse.

Respondet Synodus: Detulit eas illi ad uidendum, non ad adorandum. Idem libro secundo, capite decimotertio.

¶ 10. Athanasij dicto, cum inquit: Sicut ea quę scribitur in lignis forma abolita exterioribus sordibus, iterum necesse est in idipsum recuperari atq; uniri his cuius est forma, ut innouari possit imago, in eadem materia atque elemento. Per eius enim formam & ipsa materia, ubi & conscribitur, non deijcitur, sed in ea ipsa configuratur.

Respondet Synodus: Non in ea quædam cuiuslibet imaginum adorationis uel tenuiter mentio fit: sed ad comparationem rei, de qua sermo fiebat, fassus sit, imagines in eadem materia atq; elemẽto recuperari posse. Idem lib. secundo, capite decimoquarto, cõtra eandem Synodum.

¶ 11. Ambrosij, cum inquit: Nunquid cum & diuinitatem eius adoramus, & carnẽ, Christum diuidimus? Nunquid cum in eo imaginem Dei, crucemque ueneramur, diuidimus eum?

Respondet Synodus: Hanc sententiam ordine, sensu, uerbisq; turbarunt. Carolus Magnus lib. secũdo, capite decimoquinto, contra Synodum de imaginibus.

REGULAE GENERALES AD *refutandas rationes iconolatrarum.*

¶ 1. Omnes rationes iconolatrarum nihil aliud probant, quàm quòd liceat imagines habere. Sed inde non sequitur, quòd adorandę sint. Nam habere & adorare non sunt idẽ: sed à se inuicem distant & diuersitate rei, & societate prædicamenti: quippe cum unum illorum sit habitus, alterum agere: nec possunt sibi iungi, cum & adorari possint quæ non habeantur, & haberi quæ non adorantur. Synodus in præfatione librorum Caroli Magni, de imaginum adoratione.

2. Non potest probari, ullam uim sanctitatis inesse imaginibus. Ergo non rectè tribuitur illis adoratio. libro primo, capite secundo.

3. Non est contra religionem Christianã, non colere, & non adorare imagines. Quia solum Dominum colere, & ipsum adorare & glorificare, tota Scriptura clamat. Idem libro secundo, capite uigesimoprimo.

4. Aliud est hominem charitatis & salutationis officio adorare, & aliud est manufactas imagines adorare. Nam homines Deus, non imagines diligere iussit. Propter homines filium suum in mundum misit, non propter imagines. Idem libro secundo, capite uigesimoquarto.

5. Non potest demonstrari imaginis honorem in eandem formam posse transire, cuius imago est. Nam Christus non dicit, quæcunque fecistis imaginibus: sed, uni ex minimis. Item non ait, Qui imagines, sed qui uos recipit, &c. Idem libro tertio, capite decimosexto.

6. Imagines sunt insensatæ, & rationis expertes: Ergo non adorandæ. Idem libro secũdo, capite uigesimoquinto.

7. Adoratio imaginum nullo dicto aut exemplo Apostolorum probari potest. Nam omni omnium rerum adoratione inhibita, solius Dei adoratio instituitur ab ipsis. Idem libro secundo, capite uigesimosecundo.

8. Imaginum adorationem patres ignorãt, si rectè eorum libri inspiciantur.

9. Si imaginum adoratio & cultus adeò est necessarius, ut eum negligentes damnandi sint: soli diuites saluabuntur, qui possunt alere artifices, qui imagines faciant: pauperes uerò peribunt omnes. Idem lib. 4. cap. 27.

10. In imaginũ adoratione, ubi nullus profectus, nullum emolumentum, nulla utilitas est, summa uanitas esse credenda est. Ob quã statuendam & muniendam, quicunq; conuentus faciunt, & Concilia aggregant, & eas prorsus adorare instituunt, proculdubio uana loquuntur unusquisq; ad proximum suũ. Nam neq; in eo à uanitate seiungũtur, quod diuinorum apicum testimonia ad suos sensus uiolenter inflectere nituntur. idem libro primo, capite uigesimósexto, contra Synodum de imaginibus.

De Iconomachis.

¶ Refutant etiam argumentum eorum qui planè negabant imagines licere facere, aut habere: quod erat huiusmodi.

Scriptura prohibet facere, aut habere idola. Sed imagines sanctorum sunt idola. Ergo Scriptura prohibet eas facere, aut habere.

Respondet Synodus: Non ualet consequentia à specie ad genus negatiuè. Nam nesciũt imaginem esse genus, idolum uerò speciem: & speciem ad genus, genus ad speciem referri non posse. Nam cum penè omne idolum imago sit, non omnis imago idolum. Alterius, & longè alterius definitionis est idolum, alterius imago: cum uidelicet istæ ad ornamentum, uel ad res gestas monstrandas fiant: illud autem nũquam nisi ad miserorum animas sacrilego ritu & uana superstitione illiciendas, & imago ad aliquid: idolum, ad seipsum dicatur. Carolus Magnus in Præfatione libri primi contra Synodum de imaginibus.

SYNODVS AQVIS-
grana.

Circiter annum Domini 797, Carolus Aquisgrani Concilium habuit, cui interfuerunt 365 episcopi, iuxta Ptolemæum Lucensem in Rudimento. Inter eos autem numerantur, Leo papa, Turpinus achiepiscopus Remensis, Achilleus Alexandrinus, Theophilus Antiochenus, & alij episcopi & abbates. Occasionem præbuit basilica extructa, & reliquiæ siue ab ipso Carolo Hierosolymis allatæ, siue à patriarcha per monachum missæ, siue à Constantino ipsi datæ: nã uariant sententiæ autorum. In eo autem conuentu basilica est dedicata, & reliquiæ sunt exhibitæ populo spectandæ: & decretum factum est, ut quarta feria Ieiuniorum quatuor temporum, in mense Iunio quotannis spectaculum illud celebretur. Erphordiensis capite sexagesimonono. Regino, & alij uetustiores, non meminerunt. Commenticia & superstitiosa sunt, quæ Nouitiorum rudimentum dè indulgentijs à Leone pontifice ad hanc rem concessis, nugatur.

CAPVT X.

DE EPISCOPORVM ET doctorum Ecclesiæ nitis.

DE ASIATICIS DOctoribus.

HIEROSOLYMITANI DOctores *sub Constantino Copronymo.*

THEODORVS.



Theodorus Hierosolymitanus errore de imaginibus uenerandis infectus, Cosmam Epiphaniæ episcopum uasa sacra & imagines tollentem, excommunicare iuuat, uigesimotertio anno Cõstantini Copronymi. Paulus Diaconus rerum Romanarum lib. 22. Et per Constantinum presbyterum Synodicam de cultu imaginum transmisit ad Paulum papam: ut patet ex epistola Pauli ad Pipinum. & ad Synodum Nicenam secundam misit epistolam, in qua uenerationem imaginum & reliquiarum sanctorũ probat, malè detortis Scripturę testimonijs: ut patet ex actis Nicenæ Synodi 2.

SVB CONSTANTINO *& Irene.*

ELIAS.

Elias episcopus Hierosolymitanus, 2. Nicenæ non interfuit: sed legatum suum Ioannem monachum misit, quem Tarasius secum Niceã adduxit. Metaphrastes in uita Tarasij, & acta Synodi.

IOANNES.

Ioannes Hierosolymorum patriarcha, à paganis expulsus, Constantinopolim uenit ad Constantinum, & petebat auxilium. quẽ Imperator cum literis misit ad Carolũ Magnũ, qui collecto exercitu eum Hierosolymam reduxit, ac reliquias loco mercedis reportauit: si uera sunt quæ ex Turpino Erphordiensis refert libro 2. cap. 69. Hoc certum est, à patriarcha Carolo per monachum esse munuscula de reliquijs sanctorum missa, anno Domini 799, & sequẽti. ex Reginonis lib. 2. Sed de expeditione Caroli Hierosolymã uersus, Francici scriptores nihil sciunt, prçter Turpinum: qui ut multa alia, ita etiã hæc finxisse uidetur, aut ab alio corruptore libri eius inserta sunt.

ADEODATVS.

Adeodatus episcopus Beryti, Iudæos territos sanguine ex imagine lacerata & transpuncta profluente, & ad pœnitentiam conuersos baptizauit, & sanguinem ab eis (uidentur illusores Christianorũ fuisse) accepit, & in ampullas distribuit, & ad plurimos episcopos in diuersa loca misit: ac, ut magister supstitionis,

nis, obtestatus est omnes, ut singulis annis quinto Nouembris, in istius rei memoriam diem festũ agant. Anno Dñi 765. Sigebertus.

DIONYSIVS.

Dionysius presbyter Ascalonitanæ Ecclesiæ, interest Synodo Nicenæ 2. Narrat monachũ accẽdisse lucernã imagini Mariæ, eamq́; post tertiũ, uel quintũ, uel sextũ mensem reperisse flagrantẽ. Sed Carolus Magnus eum refutat lib. 4. cap. 12 de Imaginibus.

COSMAS MAIVMENVS.

Cosmas filius cuiusdam opulenti uiri, Hierosolymis pulsus, apud Iohãnis Damasceni parẽtem educatus, & à monacho Cosma institutus in artib. liberalibus, & monasticis traditionib. multũ profecit, ac cum Iohanne Damasceno in cœnobium Sabę cõcessit. Inde euocatus à patriarcha Hierosolymitano, episcopus Maiumenus consecratur. Composuit cantus aliquot ecclesiasticos, ut testatur Ioãnes patriarcha Hierosolymitanus in uita Damasceni. Damascenus dedicauit ei suam Logicen. Extãt inter opera Damasceni hymni quidam Cosmæ Hierosolymitani: sed an huius, an alterius Cosmæ sint, incertum est.

ANTIOCHENI DOCTORES
sub Constantino Copronymo.

STEPHANVS.

ANtiocheni episcopo per annos quadraginta carentes propter Arabum tyrannidem, Euelid Arabũ ducẽ rogant, ut sibi liceat episcopũ constituere. Homo ille barbarus illam Christianorum petitionẽ approbat: & Stephanum monachum, agrestem quidem, sed tamen religiosum, permittit istic consecrari episcopum. Paulus Diaconus lib. 22. rerum Romanarum.

THEOPHYLACTVS.

Stephano defuncto, Christiani iterum supplicant Maruę duci Arabũ, pro episcopo. Etsi aũt ille homo barbarus, & Mahometanæ religionis erat: tamẽ istã piorũ petitionẽ non calumniose seditionẽ interpretabatur, sed ut iustam & piã approbabat: & Theophylactũ, hominem pietate et pudicitia insignẽ, presbyterum Edessenũ, Antiochenis concessit episcopum: & uetuit Arabibus, ne qua contumelia ipsum afficerent. Anno quarto Constantini Copronymi, qui fuit Domini 745. Paulus Diac. lib. 22 rerum Rom. Sigebertus. Præfuit annis sex, teste Paulo Diac. lib. eod.

MOYSES.

Moyses diaconus Antiochenæ ecclesiæ, medicus, Habdallæ consilio parat pharmacum narcoticum Hysebin Muzæ: quo ille accepto uocem amittit, & proceres eius gẽtis Habdallam constituunt regem. Paulus Diac. lib. 22 rerum Romanarum.

THEODORVS.

Theodorus filius Bigatij, succedit Theophylacto, anno Constantini Copronymi undecimo. Accusatus ad Halin Arabẽ, q. Constãtino Imperatori per literas proderet sua cõsilia & machinationes, deportatur in exiliũ in Moabitidẽ regionẽ: ac ei interdicitur, ne nouas Ecclesias cõstruat, neq; crucẽ Christi uideat seu adoret, neq; de fide Christi cũ Arabibus loquatur. Anno 16 Constantini. Errorẽ de imaginũ adoratione adeò propugnauit, ut Cosmã Epiphaniæ episcopũ eas damnantem excommunicauerit: Anno Constantini 23. Paulus Diac. lib. 22 rerum Romanarum.

SVB CONSTANTINO,
& Irene.

THEODORETVS.

THeodoretus patriarcha Antiochenus, imaginũ sacrarũ cultor & patronus, Iohannem monachũ ad Synodũ 2 Nicenã misit. Ignatius in uita Tarasij, apud Metaphrasten tomo 5. de uitis patrum.

IOANNES PRESBYTER
Antiochenus.

IOhannes Antiochenus Syncellus, patriarchę Antiocheni in 2. Nicena uicẽ, seu sedis Orientalis agit, & cultũ imaginũ & adorationẽ ineptis & friuolis rationib. probat: ut, Quia Iacob erexit lapidẽ Deo, & benedixit ei: & qa luctatus est cũ angelo in hominis forma: & quia Iesus Naue duodecim lapides statuit in memoriã Dei. Et planè asserit, eũ q adorat imaginẽ, & dicit: Quoniã hoc est filius Dei, nõ peccat. Itẽ: Per imaginẽ, quæ per colores apparet, adoratur fortitudo eius, & glorificatur, & ad memoriã ueniemus de eius in terra præsentia: ut patet ex actis, & libro Caroli Magni cõtra imagines. Paulus Diac. lib. 23 rerum Roman. uerbo & opere eũ sanctũ, magnũ & celebrem uocat. Et in literis Oriẽtaliũ ad Synodũ, cõmendatur à zelo & amore Orthodoxę fidei. Sed hominẽ uanũ, audacem, loquacẽ, superstitiosum & adulatorem fuisse, res ipsa ostendit: & Carolus Magnus eius erronea dicta grauiter refutat lib. 1, cap. 10. & 21: & lib. 2, cap. 4. & lib. 3, cap. 20, & 23. & lib. 4, cap. 1.

COSMAS APAMEAE.

Cosmas episcopus Epiphaniæ, quæ est ciuitas Apameæ Syrię, accusatus ad suũ archiepiscopũ Theodorũ Antiochenũ, de uasorũ sacrorũ abalienatione: facinus suum defendit, sententia illa Imperatoris Constãtini de imaginum abolitione. Sed Theodorus iubet eum restituere. quod cũ nõ posset, nec uellet, excommunicatur ab Antiocheno, Hierosolymitano & Alexãdrino patriarchis. Paulus Diac. lib. 22 rerum Romanarum.

IOANNES EPISCOPVS LAODICEAE.

Iohannes Damascenus, suam Isagogen de dignitate elemẽtari dedicauit Iohanni Laodiceno episcopo.

GILFRE-

GILFREDVS.

Gilfredus Laodicensium (si non menda in scriptione commissa est) episcopus, Desiderium cum uxore, & filia, & cunctis principibus captũ, & ad Gallias perpetuo exilio dam natum deportauit: ac fortè apud ipsum ut exul, patria sua à Saracenis pulsus, uixit: anno Domini 774. Sigebertus.

ANASTASIVS.

Cum Anastasius metropolitanus episcopus ad aram constitutus, celebraturus cœnã Dominicam, more solito exclamaret dicẽs, Plebs tua & Ecclesia tua supplicat tibi: Salimus Arabũ Mahometanorũ dux, ad seditionem eum cohortari populum opinans, com prehẽdi & in carcerẽ cõcludi iussit. ac crudelitatẽ in plebẽ exercuisset barbarus iste, nisi ab episcopo uerbis placidissimis esset mitigatus: anno 20 Constãtini Copronymi. Paulus Diac. lib. 22 rerum Romanarum.

ARMENI DOCTORES.

GREGORIVS SYNOPENSIS.

Gregorius Synopes episcopus, in Synodo Nicena 2, imaginũ cultũ approbat: sed postea cum Armenis Constantino Imperatori rebellat, & comprehensus ab eodem interficitur. Acta Synodi, & Paulus Diaconus lib. 23 rerum Romanarum.

DOCTORES IN PISIDIA.

GREGORIVS ANTIOCHIAE PISIDIAE.

Gregorius Antiochiæ Pisidiæ episcopus, in Synodo quadã imaginũ cultum damnarat. Sed eam sententiã recantat, & in gratiam recipitur ab Iconolatris, in tertia actione Nicenæ 2.

BASILIVS PISIDIAE.

Basilius Pisidiæ, Tricacabus cognomine, in Synodo Ephesina damnauit imaginũ cultum. Quare in septima actione Nicenæ secũdæ anathematizatur.

GREGORIVS PESSINVNTIS, LEO *Iconij, Nicolaus Hierapolis.*

Gregorius Pesinuntis, Leo Iconij, & Nicolaus Hierapolis, palinodiam canunt in Ni cena synodo, & imaginum cultum approbant, & recipiuntur.

BASILIVS ANCYRAE, THEODO-*dosius Myrôn, Theodosius Amorij.*

Hi tres in Synodo damnauerant cultum imaginum. Sed cum uiderent Romanũ pontificem & alios omnes in Synodo 2 Nicena probare, mutarunt & ipsi sententiam: & oblatis libellis, errorem suum cõfitentur, & pœnitentiam agunt, ac recipi petũt: ac sunt Iconolatræ, ut patet ex Actis.

IOANNES SYNNADON.

Iohannes episcopus Synnadôn metropolites Iconolatra, accusauit ad Germanũ, Constantinum Nacoliæ episcopum, damnãtem imaginum cultũ, quòd literas Germani suppressisset: ut patet ex epistola Germani ad Constantinum, tomo 2 Conciliorum.

THOMAS EPISCOPVS *Claudiopoleos.*

Thomas episcopus Claudiopoleos, Germano familiaris, sæpe cum eo contulit & disputauit. ac cum uisus esset improbare imaginum cultum, Germanus ad eum scripsit epistolam, quæ extat tomo 2 Conciliorum.

THEODORVS MYRENSIS.

Theodorus Myrensis interfuit Synodo Nicenæ 2: ac pueriliter & ridiculosè egit, quòd ut imaginum adorationem adstrueret, somnia archidiaconi sui retulit: Carolus Magnus lib. 3. cap. 26. de Imaginibus.

THEODOSIVS EPHESINVS.

Theodosius filius Absimari Ephesinus episcopus, sensit cum Constãtino Imperatore, non licere in templis statuas & imagines habere, neq; adorare: ac in Synodo Ephesina & Constãtinopolitana eam sententiã defendit cum Pastila, & alijs. Paulus Diac. lib. 22 rerum Romanarum. Acta eius Synodi, in 7. actione 2 Nicenæ referuntur. Damnatur à Synodo Nicena 2, actione 7.

PASTILAS PERGAMENSIS.

Sisinnius Pastilas Pergamensis episcopus, etiam interfuit Synodo Constantinopolitanæ, sub Constantino Copronymo, & damnauit imagines. Paulus Diac. lib. 22 rerum Roman. & Zonaras tom. 3. Quare uicissim damnantur in 7 actione Nicenæ 2.

INGERVS.

Ingerus episcopus Nicenus à Ioannicio p Basilium monachum admonetur paulo ante mortem, ut mendacio & umbra abiecto, ueritati tandem assentiatur. Metaphrastes lib. 5, de uita Ioannicij.

HYPATIVS NICEAE.

Hypatius Niceæ episcopus, sententiã suã de non adorandis imaginibus retractat in 1 actione Nicenæ 2: ac petit se absolui ab errore, & recipi. ac edit confessionem suã, inquiens: Veneror sacras imagines, & easdem adoro & amplector. Et recipitur in 3 actione.

IOANNES NICOMEDIAE.

Ioannes Nicomediæ episcopus uixit tẽpore Germani Constantinopolis episcopi, & imaginum uenerationem damnauit: ideo q; in septima actione 2 Nicenæ anathematizatur ab Iconolatris.

GEORGIVS.

Georgius Nicomediæ archiepiscopus, alienorum deorum cultor, homo uanus & nugigerulus, scripsit orationem de Mariæ præsentatione, seu deductione ad templum: quam ex Protoeuangelio Iacobi & alijs Apocryphis hausit, & Mariam adorari iubet: quem honorem neque Scriptura ipsi asscribit, neque illa unquam sibi arrogauit. Me

taphrastes tom.5. de uitis patrũ, in Nouẽbri.

GREGORIVS NEOCAESA-*riensis.*

Gregorius Neocæsariẽsis episcopus, in Synodo à Cõstãtino Copronymo Cõstantinopoli in Blachernis celebrata, inter præcipuos fuit, ac definitionẽ eius cõscripsit: in qua uenerationẽ & adorationẽ imaginũ damnant, ut apparet ex 7. act. Nicenę 2. Sed postea sub Irene, in Synodo Nicena 2. cũ intelligeret omnes approbare imaginũ cultum, & ipse à sua sentẽtia priori discessit, & palinodiã cecinit: ac petijt à Synodo absolutionem & receptionem. quod etiã impetrauit, ut patet ex actione 2 & 3. Nicenæ 2. Sed Carolus Magnus lib. 4, cap. 14. de Imaginibus, eius confessionem ut perplexam & impiam damnat.

CONSTANTINVS NACOLIAE.

Constãtinus Nacolię episcopus, oppugnauit imaginum uenerationem: ac docuit, Scripturam nihil illis diuini honoris ascribere. acusus est Moysis dicto: Nullam facies similitudinem ad adorandũ, neq; in cœlo desuper, neq; super terram. Item: Non sunt manufacta adoranda. Eam ob causam ad Germanũ patriarcham accusatus, metu ne episcopatu suo deijceretur, consensit in impiam sententiam, nihilominus uenerationem licere imaginib. exhibere. Sed postea domũ reuersus, mutauit sententiam. Quare à Germano grauiter obiurgatur per epistolã, in tomo 2 Conciliorum: ac in 7. actione 2. Nicenæ, anathemate percutitur.

DE APHRICANIS DOctoribus Ecclesiæ Christi.

ALEXANDRINI DOCTORES *sub Constantino Copronymo.*

COSMAS.

Cosmas episcopus Alexandrię, errorem Monothelitarum, quo ipse & Ecclesia illa multos annos à tempore Heraclij fuerat districtus, abijcit, & Orthodoxam sententiam amplectitur, & publicè profitetur, anno 2 Constantini, Domini 743. Errorẽ de imaginum cultu et adoratione sanctorũ mortuorũ defendit: & contra Cosmã Epiphaniæ episcopũ, diuersum sentientem, in Ecclesijs suis excommunicationẽ promulgauit, in die Pentecostes, post lectionem Euangelij: societatem hac in re præstans Theodoro patriarchæ Antiocheno, & Theodoro Hierosolymitano, anno Constantini Copronymi 23, Domini 764. Paulus Diaconus lib. 22 rerum Romanarum: Sigebertus.

POLITIANVS.

Politianus Alexandrinus episcopus, ad Synodum 2 Nicenam, misit Thomam monachum & presbyterum, ut suas uices sustineret. Ignatius monachus in uita Tarasij, apud Metaphrasten tom. 5.

IN INSVLIS MARIS MEDI-*terranei doctores Ecclesiæ.*

GEORGIVS CYPRIVS.

Georgius seu Gregorius, patria Cyprius, ac fortè ibidẽ episcopus. nam quod Zonaras tom. 3. eum patriarcham Constantinopoleos scribit, id ab historia dissonat (tũ enim Germanus erat patriarcha) nisi fingamus duos simul fuisse. Præterea Paulus Diaconus non meminit eius ut patriarchæ, lib. 22 rerum Roman. Is autem nõ modò imagines in templis ferẽdas, sed etiã uenerãdas cẽsuit: & sese Impatori Constãtino & Synodo opposuit. Sed cũ non posset suã sententiã ex uerbo Dei confirmare, dãnatus est à Synodo, unà cum Germano & Iohanne Damasceno, anno Cõstantini 13. Paulus Diac. lib. eod. Ac publicè proclamatur falsarius paternorũ dogmatum, & idololatra, in actis eius Synodi, quæ inserta sunt 6 actioni Nicenæ 2. Sed patres Nicenæ Synodi eum ualde celebrãt à pietate & synceritate, & beatum pronunciãt ob idolorum cultum.

LEO RHODI, & LEO CARPATHI.

Leo episcopus Rhodi, & Leo Carpathi, aduersarij imaginũ sacrarũ mollescũt, & animũ mutãt, ac easdem uenerãtur & adorãt: & recipiuntur à Synodo Nicena, in actione 3.

THEODORVS & EPIPHANIVS.

Theodorus episcopus, & Epiphanius diaconus Catanensis Ecclesiæ, locũ tenent Thomæ archiepiscopi Sardiniæ in 2. actione Nicenæ 2. & Romam ab Imperatoribus sunt ablegati, ut iudicarent de fide eorum.

DE EVROPAEIS ECclesiæ doctoribus.

DOCTORES IN GRAECIA.

LEO.

Leo Phociæ episcopus in Synodo Nicena 2. pœnitentiam agit, quòd imagines sacras spreuerit: ac testatur de sua lætiticia, quòd iam ad earum adorationẽ conuersus sit. quem Carolus Magnus refutat lib. 1. cap. 25. inquiens: Habuit sine damno tristiciam, & sine profectu læticiam.

IN MACEDONIA.

NICEPHORVS DYRRACHII.

Nicephorus Dyrrachij episcopus, in quarta actione Nicenæ secundæ præposterã pœnitentiam agit: & errorem & peccatum esse fingit, quòd imaginum cultum prius damnauerat.

DOCTORES THRACIAE DE *Constantinopolitanis.*

SVB IVSTINIANO.

CYRVS.

Cyrus abbas in Ponto, iuxta Bedam, in insula Amastridis, in monasterio Choras, Paulus Diaconus lib. 20. Iustinianum

num ab Imperio remotum & exulem, hospitio excepit, & fouit: eiq; prædixit, fore ut recuperaret dignitatem amissam. Beda lib. 2 de Ratione temporum: Regino lib. 2, & Adon ætate 6. Quod cum euenisset, Iustinianus eum Constantinopoli patriarcham fecit, Callinico in exiliũ misso. Addictus fuit pontifici Romano, & Imperatorem excitauit, ut cũ Constantino papa in gratiam rediret: quem etiam Constantinopolim aduentantem, honorificè solenni processione excepit. Platina in uita eius. Præfuit Ecclesiæ annos sex: quibus absolutis, cũ Philippicus ad Imperiũ uenit, eo quòd eum Romano pontifice faceret, remouetur, & in suũ monasteriũ reuerti iubetur. Paulus Diac. li. 20. Beda li. 2. Zonaras to. 3.

SVB PHILIPPICO.

IOHANNES.

IOhãnes in monasterio Calistrati egit monachum: errore Monothelitarũ imbutus, sextam uniuersalem Synodum improbauit. Philippico prædicit Imperij dignitatem: eumq; monet, ut sextam Synodũ, quæ malè facta sit, aboleat. Etsi autem aliquot annos ea quę uaticinatus erat, differebantur: tamen tandem eueniũt. Philippicus ergo memor promissi, Ioannem monachum & hæreticum, ut eum nominant pleriq;, designat patriarcham, Cyro relegato: eiusq; consilio Synodum cogit, & Sextã uniuersalem abijcit. Paulus Diac. lib. 20. Et imagines Patrum, qui actis eius interfuerant, & in templo Sophiæ depictæ erãt, deleri iubet. Paulus Diac. lib. 6. cap. 11. de Longobardis.

Scripsit Iohannes libellum de sua fide, quẽ Philippicus ad Cõstantinũ pontificẽ misit, & postulauit approbationẽ & subscriptionẽ. Liber pontificalis, & Platina. Scripsit etiam epistolam Synodicam ad Gregorium 2, ad quam ille respondit. Liber Pontificalis.

Artemius Imperator eum, cũ triennio prę fuisset, ut hæreticum, ab officio remouit. Zonaras tomo tertio.

SVB ARTEMIO ET LEOne Isauro.

GERMANVS.

GErmanus ex Iustiniano patricio natus, à Constãtino Pogonato post annos pubertatis castratur, propterea quod parens eius cum Mizizio per seditionem in Imperatorem electo fecisset. Zonaras tom. 3. A' puero sanctis patrib. adhæsit, Deoq; dicatus fuit, ut Samuel: multũq; in sacris literis profecit, ut testantur Patres in actione 6, Nicenę 2, ac Cizycensium factus est episcopus. Inde uerò anno secundo Artemij, communi cõsilio sacerdotum, Imperatoris & Senatus Constãtinopolim trãsfertur, & archiepiscopus eius Ecclesiæ cõstituitur. Paulus Diac. lib. 20, sub Artemio: & Zonaras tomo 3, anno Domini 716, iuxta Sigebertum.

In eo munere non solum docendo, & administrãdo claues & Sacramenta, operas boni pastoris fecit: sed etiam inspectorem aliarum Ecclesiarum egit, & scholas gubernauit. Constantinum Copronymum baptizauit. Paulus Diaconus lib. 21 rerum Romanarum. Et Anastasij sui successoris præceptor fuit. Vrspergensis. Et in Constantini coronatione orationes pro more facit. Paulus Diaconus libro eodem.

Extat quædam concio eius, quam habuit in festo Præsentationis Mariæ, in laudẽ eiusdem, apud Metaphrasten tom. 5 de uitis Patrum, in Nouembri. Epistola eius ad Iohãnem episcopum Synnadõn. item alia epistola ad Constantinum Nacoliæ episcopum, & alia ad Thomam Claudiopoleos episcopũ, extant in 2. tom. Conciliorum, in actis Synodi 2. Nicenę. Dialogos etiam edidit, ut Patres indicant actione 6.

De Deo rectè quidem sentit, unum esse Deum, & tres in diuinitate personas, patrem, filium, & spiritum: ac nos ita credere debere, sicut baptizati sumus. In epistola ad Iohannem.

IESVM Christum non umbraticè nostram naturam sibi uniuisse, sed reipsa uereq; hominem perfectum absq; peccato factum esse. Epistola eadem.

Sanctorum angelorum præstantes ordines neq; intelligi, neq; inuestigari omnino posse, ait epistola eadem.

De iustificatione & salute dicit: Neq; aliũde nos salutis spem siue in hoc mundo, siue in futuro seculo expectamus, nisi ab unigenito filio Dei, qui simul unà cum patre & spiritu S. diuina dona largitur. Et in epistola ad Thomam inquit: Certò sciamus, non aliunde nobis spem salutis accedere, nisi ex pia fidei confessione, quæ fit erga Deum uerũ & unum, in Trinitate adoratum. Fidei dico cõfessionem, quæ partim in corde consistit, partim per os profertur. Corde enim creditur ad iusticiam, ore autem fit cõfessio ad salutem. tom. 2. Concil. actione quarta, 2 Nicenæ.

Imaginem Christi dicit rectè pingi contra hæreticos, qui eum in phantastico, & non in uero corpore uenisse delirant. Et rectè quidem probat, dicere imagines in Ecclesijs habere: sed uenerationem & cultum earum malè defendit quibusdam sophismatibus, ut postea ostendemus.

De næuis eius.

De Maria uirgine fabulatur, quòd ea ex matre sua Anna sterili nata, post annos tres in templum adducta, & nouo & inaudito exemplo Deo dicata, & à Zacharia propheta in sanctum sanctorum abducta sit, ibiq; manserit usque ad secundam ætatem: ac tum

tum forte à sacerdotib. missa, commédata sit Iosepho. Quæ omnia nusquam in autenticis libris extát. Deinde Mariam inuocat: Exaudi meas precationes, miserere meorũ luctuũ, excipe meos fletus. Te moueat mei misericordia, ut matré benigni Dei: aspice & annue meæ supplicationi. Rogo te præterea, ut in gaudio illo & perpetuis delicijs, & in regno eius quod caret uespera, & nunquam terminatur, colloces eos qui fide & desiderio hoc uenerandum tuum festũ peragunt. Item ab ea petit uitam æternam: ac planè asserit, eam habere cum concurrente uolũtate potentiá, quia sit mater Altissimi. Idem in epistola ad Iohannem, Mariam quauis uisibili aut inuisibili creatura superiorem esse statuit: & eam pro nobis intercedere, & faluté poscere, quá Christus dispenset, fingit.

De sanctis omnino asserit, quòd pro nobis intercedant, & quòd nobis à Deo data beneficia ministrent: nimirũ curationes morborũ, & periculorũ liberationes, quádo per memoriam ipsorũ inuocatio Dei fiat: at iubet ab eis postulari auxiliũ & interpellationem. In epistola ad Iohannem, tom. 2 Concil.

De imaginibus sanctorum etiam sensit, eas & colendas accensione candelarum & suffitu, & adorandas esse: sed tamen non ea ratione ut Deũ & filiũ Dei adoremus, uerùm illa ut Deũ per illas glorificemus. Epistola ad Iohanné, & ad Constantinũ Nacolię episcopũ.

De consuetudine ait, Longi temporis consuetudiné in Ecclesia tenendá esse: & ea quæ non à Patrib. in Synodis uniuersalib. sint dánata, abrogari nõ debere. In epist. ad Thomá.

Certamina.

Cum Theophilo Nacoliæ episcopo cõtentio ei fuit de imaginibus, earũq; adoratione. Nam Iohannes Synnadôn metropolitanus, eum accusauerat ad Germanũ: qui illum ad se uocat, & cũ eo disputat. Theophilus imagines neq; fieri, neq; adorari debere asserebat: propterea quòd scriptum esset, Nullam facies similitudinem ad adorandũ illá, neq; in cœlo desuper, neq; super terrá. Ité manufacta nõ esse adoranda. Sed Germanus respondet per distinctioné, duplicem esse adorationem: aliam quæ Deo præstetur in spiritu & ueritate, cum ea fide, q. Deus nos exaudiat, & beneficia cõferat: aliam uerò esse, quę etiá hominibus & sanctis præstetur, sicut Nathan Dauidé adorasse legatur: & hác definit esse salutationé. atq; ita statuas & imagines non adorari uult, sed salutari, in memoriam eorũ p quos Deus nobis dispenset beneficia, curationes morborũ, & liberationes ex periculis. His cũ nõ acquiesceret Theophilus, minis cõpescitur de episcopatu amittendo: ac eò tandé adigitur, ut promittat se in posterũ nihil amplius contradicturũ, sed tantũ ex Scriptura probaturũ, nihil diuini honoris in creaturis cõsistere, sed licere tamé eis uenerationé exhibere. Remittit ergo eũ Germanus cũ literis ad metropolitanũ suũ. Illas uerò cũ non statim reddidisset, denuò admonetur, & quidé grauissima cũ obtestatione, ut eas reddat, & caueat ne quid amplius offendiculi alijs prębeat: quòd si secus faciat, nihil certius sibi persuadeat quàm depositionem. Patent hæc ex epistola Germani ad Iohannem, & ad Theophilum, in 4. actione Nicenæ 2.

De eadem controuersia etiam in epistola ad Thomam Claudiopolis episcopũ agit, ubi etiam conatur obiectiones soluere aduersariorum suorũ. Nam ad dictum Exod. 20, Non facies tibi idolũ, neq; similitudiné ullam eorũ quę aut in cœlo, &c. respõdet, naturá Dei formam representare prohibitũ esse, sed imaginé Christi & sanctorum humanas formas esse.

Deinde, ad dictũ, Non assumes nomé Dei tui in uanum, hoc est, Non uocabis aut autumabis Deũ, in quo nihil diuinitatis existit: respondet, Ecclesiam non statuis nomé Dei, sed soli Deo id tribuere.

Tertiò, ad dictũ Esaiæ 41. Confutabuntur omnes qui sculptilem Deum faciunt, respondet: Magná differentiam esse inter idola gentium, & imagines in Ecclesia. Illas enim esse paleas, has uerò triticum. Præterea tantum imagines sanctorum in recordationem uirtutis eorum haberi,

Quartò, ad obiectionem, quòd ad imagines lumina, & suaueolentia thymiamata accendantur, respõdet, symbolicôs ista fieri in honorem eorum, quorum cum Christo requies, & quorum honor ad ipsum recurrat. In epistola ad Thomam.

¶ Ac uicissim, cur retinendæ & adorandæ sint imagines, suas rationes opponit.

1. Quia imagines sanctorum nihil aliud sint quàm fortitudinis eorũ delineatio, sanctæq; dispensationis & uirtutis figuratio: & ad glorificandum Deum, cui in hac uita seruierũt, admonitio & instructio.

2. Quia imago Christi prosit ad refutandos hæreticos, de phantastico eius corpore.

3. Quia longa Ecclesiæ consuetudine sint receptæ & habitæ, & adhuc à nulla Synodo uniuersali abrogatæ.

4. Quia ducant nos ad recordationem Dei, & operum diuinorum.

5. Quia honor ipsis exhibitus, in Deum redundet, iuxta Basilium.

6. Quia abrogatio non possit fieri sine scandalo. Nam cõfirmari hostes crucis Christi, ut dicát, Hucusq; Christiani errarũt. Nisi enim institutum suum idololatriam agnouissent, non sanè nunc manufacta abijcerent.

7. Quia imagines sanctorũ fecerunt miracula, qualia quædam recenset epistola eadem.

Fuit

Fuit etiam illi grauis lucta cum Imperatore Leone de imaginibus: quem ut ab earum abrogatione auerteret, fingebat quoddã falsum uaticinium, Antichristi præcursorem, & diuinæ incarnationis euersorem sub imperio Cononis imagines aboliturũ esse: cũ potius ex Daniele debuisset contrariũ nouisse, illũ fore Antichristũ, qui auro & argẽto & gẽmis deos alienos, scilicet Mariã & Sanctos, eorumq; statuas honoraturus esset. Sed Imperator non mouetur isto commenticio uaticinio: uerùm conuocat Synodum, in qua Patres cultum imaginum damnant, easq; abolere iubent. Cum Germanus sese frustra opposuisset, maximè illa innixus ratione, quòd non esset uetus Ecclesiæ consuetudo sine uniuersalis Synodi consensu abroganda, sese sacerdotio abdicat, & pallium deponit, Platanium abit, ac in domo patris sui quietem capit, cũ annos quatuordecim & mẽses quinq; & dies septem illam Ecclesiam gubernasset: anno Leonis 13. Paulus Diac. lib. 21 rerum Romanarum, & lib. 6. cap. 14. de Longobardis: Domini uerò 730. Sigebertus.

Familiaritatem habuit cum Iohãne Synnadõn & Thoma Claudiopolis episcopo, cum quo sæpe de grauiorib. quæstionib. contulit & disputauit: ut in epistola ad ipsum fatetur, in 4. actione Nicenę 2. Gregorio etiam Romano pontifici, siue secundo siue tertio (nam sub utroq; uixit) charus fuit: ut patet ex epistola Gregorij ad ipsum, in qua eum cõmendat ob certamen cõtra eos qui imagines dãnabant, ac gratulatur ei uictoriam. Extat in actione quarta Nicenæ 2, tomo 2 Concil.

Homo placidus & quietus fuit, & nõ nisi uerbis imagines defendit. Obseruabat enim illum Leo per Anastasium & alios, si quid aliud moueret, quo posset illum seditionis arguere: uerùm nihil potuit deprehendi. Paulus Diaconus libro eodem.

Præsagus futurorum uidetur fuisse. Nam Anastasio uestem suam calcanti dixit: Ne festines, Dippium te expectat. Quod dictũ anno 15 pòst euentus comprobauit, ut postea dicemus. Paulus lib. eod.

Vixit sub Constantino Pogonato, Iustiniano, Artemio, Theodosio & Leone, ad annos circiter 70.

De eo diuersa iudicia apud posteros fuerunt. Nam post annos 25 Synodus à Constãtino congregata, ipsum ut idololatram anathemate damnat. Paulus Diaconus lib. 22. Postea uerò in Nicena 2, Patres eũ laudant.

MICHAEL.

Michael presbyter, & apocrisarius Apostolicæ sedis, siue Constantinopolis siue Romanæ, interest deliberationi de Germano ex Cizyco Constantinopolin transferendo, ac in eum consentit. Paulus Diaconus libro uigesimo rerum Romanarum.

ANASTASIVS.

Anastasius discipulus & syncellus, seu presbyter Germani, eo quòd cum Leone sentiebat de imaginibus abrogandis, ab Imperatore & Synodo constituitur episcopus Constãtinopolis, anno Domini 730.

Homo inconstans & arundo fuit, in eam partem sese inclinans, quò fauor hominum. Mortuo Leone, cum Artabaldus cum Constantino conflixisset, & fama in urbẽ esset perlata, illum in acie cecidisse, & mortuum esse: Anastasius persuasus ab amicis Artabaldi, statim populum conuocat, & Constantinũ accusat quòd ad se dixerit: Ne existimes filium Dei esse, quẽ peperit Maria, qui dicitur Christus, sed purum hominem. Maria enim eũ peperit, sicut me peperit mater mea. Hoc audito, populus eum ut aduersarium Dei, & arrogantem damnat: & Artabaldum laudat, ut orthodoxum, & diuinorum dogmatũ propugnatorem. Deinde licet cognouisset Constantinũ adhuc uiuere, tamẽ iussu Artabasdi Nicephorum coronat. Capta urbe, Imperator eum publicè uerberari: & postea asino impositum, facie uersus caudam conuersa circũ Dippium quasi in triumpho agi iussit: atque ita Germani uaticinium completum est. Neque tamẽ à sacerdotio eum remouit, sed per eum filium suum Leonem inaugurari curat. Paulus Diac. lib. 22 rerum Romanarum: Zonaras tom. 3. Bergomensis lib. 10.

Gregorio 2. Romano pontifici scripsit literas Synodicas: eiq; conatus est persuadere, imagines non esse ferendas. uerùm ille coacta Synodo, eum excommunicatum, & ab officio remotum pronunciat, nisi ad catholicam fidem reuertatur. Blondus decadis 1. lib. 10, & Platina.

Gregorius etiam tertius eum de pœnitentia monuit, sed frustra. Liber Pontificalis.

Incidit in morbum, quem cordapsum uocat Paulus Diaconus, quo obstipatis intestinis stercus per os egerit: & simul animam exhalat, cum annos 24 præfuisset. Zonaras to. 3. Constantini 13: Paulus Diaconus libro 22. Domini 754: Sigebertus.

SVB CONSTANTINO COpronymo.

CONSTANTINVS.

Constantinus monachus, ex cœnobio ad episcopatũ Silei uocatus, cum alijs trigintaocto episcopis in palatio Hierię dãnat imagines. Quare Constãtinopolin uocatus ab Imperatore, publicè denunciatur uniuersalis patriarcha. Ac postea in forum cum Imperatore & alijs episcopis progressus, decreta Synodi coram plebe promulgat: & Germanum, & Gregorium Cyprium siue Romanũ pontificẽ, & Iohannẽ Damascenum

num excommunicat, anno 13 Constantini, Domini uerò 754. Sigebertus.

Postea à Constantino interrogatus, si Maria Christipara uocaretur, num quid in eo esset incommodi? complexus eum, inquit: Ne aliàs, neq; apud alios Imperator istud protuleris. est enim Nestorij sententia. Nunquid ignoras, ut ille ab omni Ecclesia fidelium sit proscriptus, & anathemate notatus? Qui respondit: Ego discendi studio interrogaui: sed uide ne cui dixeris. Zonaras tom. 3 & Paulus Diaconus lib. 22 rerum Romanarum.

Deinde cum patriarcha uisus esset cum illis facere qui colebant imagines, Imperator non modò ab alijs suis aulicis iusiurandum accepit: sed etiam ab ipso, quòd non esset ex eorum numero qui iconas adorarent: ac persuasit ei, ut uestem monachi exueret, & carnibus uesceretur, & citharœdos ad regiam mensam admitti probaret.

Non ita multo pòst, siue falsò siue uerè accusatus de coniuratione & maledictis cōtra Imperatorem, in exilium mittitur in Iberiā, anno Constantini 25. & rursus in Principem insulam, ut Paulus Diaconus dicit lib. eod.

Cum autem in exilio etiam cōtumeliosis dictis Imperatorem, & Synodū eius, de imaginibus damnatis incessisset, reducitur in urbem: atq; ita excarnificatur, ut pedib. incedere nō posset: & instar sarcinæ in magnā Ecclesiā deportatur, ac corā episcopis & plebe de scripto crimina eius recitantur, & ad singula alapis cæditur: ac dein in Niceta deponitur, & anathematizatur: ac euulsis capillis, barba & supercilijs, asino imponitur, ludis Circensibus in theatrum introducitur, ignominiosoq; triūpho conspuitur, & puluere conspergitur: deq; asino deiectus, pedib. cōculcatur.

Posthæc patricios ad eum Imperator ablegat, interrogatū quid de fide sua & de Concilio nūc dicat & sentiat. Ille metu fractus, respondet: Illum & rectè credere, & decreta Synodi accurata esse. Ob hāc confessionē sententia cōtra eū fertur, ac ad claustra ferarū deducitur, & capite trūcatur: quod trib. diebus in milio suspēsum spectaculo plebi fuit. corpus uerò eius resti alligatum, per plateas usq; ad pelagus tractū, abijcitur in foueā facinorosorū: anno Constantini 27. Paulus Diac. lib. 22. Zonaras tom. 3. Mortuus, in Nicena 2. damnatur. Zonaras tom. 3, & acta eius Synodi.

SVB LEONE COPRONYMO.

NICETAS.

NIcetas, seu uictor, natione Slauus, ex seruili genere ortus, eunuchus, in muliebrib. ministerijs à puero uersatus: prophanarum & sacrarū literarum adeò rudis, ut uix legere nosset: iussu Cōstantini Copronymi, anno eius 26. Calēdis Decembris, designatus Constantinopoleos episcopus, imaginum strenuū exturbatorem se præbuit. Nā in patriarchio, & Abramio, locis Ecclesię secretis, omnes imagines pictas erasit aut deleuit, in metalla sculptas refudit, & statuas ligneas Vulcano sacrificauit. Paulus Diac. lib. 22 rerum Rom. & Iuo in Chronico. Constantinum suum antecessorem solenni ritu deposuit, & excōmunicauit. Constantini filios Christophorum & Nicephorū Imperatores cōsecrauit. Leonis Copronymi & Irenes nuptijs benedixit. Paulus Diaconus libro eod. Et postea Constantini Leonis filium etiam Cæsarem designauit. lib. 23. Præfuit Ecclesię annos 14, mortuus quinto Leonis Copronymi, circa annū Domini 780. Sigebertus. Et post mortem in Nicena secunda damnatur. Zonaras tom. 3. Paulus Diaconus lib. 23.

SVB IRENE ET CONstantino.

PAVLVS CYPRIVS.

PAulus Cyprius, seu Almificus, ut à Paulo Diacono appellatur, in Salamine natus, à Leone Copronymo anno eius ultimo post longam deliberationem, cum & ipse simulatè professus esset, non esse adorandas imagines, episcopus constituitur in locū Nicetæ. Fuit homo placido ingenio præditus, animo abiecto, & propemodum seruili & desperabundo, iudicio intricato, & superstitionibus fascinato. Cum mortuo Leone Irene imperaret, eaq; imaginibus magis propitia uideretur, cœpit suam sententiā de imaginum adoratione apertius indicare, & cum alijs consilia tractare, quo pacto possint Ecclesiæ eam ob rem dissidentes denuò ad cōcordiam reduci. Interea uerò in morbum incidit, qui animum eius ægrum ita exercet, ut opinionem illam concipiat, se non posse bona conscientia in suo ministerio defungi, propterea quòd non rectè in Synodo Constantinopoli dānatæ essent imagines: & quòd propterea tota illa Ecclesia sit excommunicata à quatuor præcipuis sedibus, nimirum ab Hierosolymitana, Antiochena, Alexandrina & Romana: & quòd ipse quoq; ex metu assensisset in imaginum damnationem. Vitam ergo monasticam eligit ex superstitione, quasi ea suas sordes eluere possit: & deserta sua Ecclesia, clam sese subducit in monasteriū Flori, & amictu mutato in album eorum recipitur.

Irene & Constantinus re cognita, ad eum accedunt, & quærunt cur id fecisset? Ille lamentans respondet: Vtinam nunquam in sacerdotij throno sedissem, Ecclesia Dei tyrannidem patiente, præsertim cum scissa sit à reliquis uniuersalibus sedibus, & anathematizata. Nam si ego in ea mortuus essem, coactus fuissem in extremo die extra Ecclesiam catholicam resurgere. Mulier illa superstitio-

sa alias, hac oratione commota, post aliquot dies ad eum patricios & primores senatus mittit, ut ex eo idem cognoscăt, quo faciliores essent ad ea quæ postea forent agenda. Coram illis uerò ait: Nisi Synodus uniuersalis fiat, & error qui est in medio uestri corrigatur, salutem non habetis. Cum autem illi quęrerent: Cur dānasset adorationem imaginum, cum ordinaretur? respondit: Hæc est res ipsa quę animum meum afficit mœrore, ob quam in monasterium recessi pœnitentiam acturus, & Deum deprecaturus, ne me sicut sacerdotem iudicet & cruciet, quòd hactenus tacuerim, & pro timore furoris uestri non prædicauerim uobis ueritatem. Paulus Diaconus libro 23 rerum Romanarum: & Irene in epistola ad Synodum Nicenā, actione prima. Ac hortatum eum esse Imperatricem & proceres, ut collecta Synodo, imaginum uenerationem comprobarent, & Tarasium secretarium episcopum crearent: Metaphrastes in uita Tarasij, tomo 5 refert.

Hac sua præpostera pœnitentia, occasionem præbuit ad disputationes de imaginū cultu: qui paulo pòst in Synodo Nicena secunda assertus & stabilitus est, contra uerbū Dei, Non habebis deos alienos. Erat enim in magna autoritate apud omnes, & in existimatione pietatis & sanctitatis. Non autem ita multo pòst uitam cum morte commutauit, anno Irenes 4, Domini septingentesimo octuagesimoquinto, cum nondum quinquēniū præfuisset. Zonaras tomo tertio. Orthodoxus & catholicus in Synodo Nicena secunda pronunciatus est, ob pœnitentiam, quam egisset: uerùm in Francofordiana Synodo, ubi acta Nicenæ sunt rescissa, & cultus imaginum damnatus, & ipse declaratus est non secundum scientiam, sed secundum superstitionem pœnitentiam egisse: & sibi peccatum, ubi nullum reuera erat, finxisse ex errore.

TARASIVS.

TArasius ex Georgio & Encratia natus, in aula Constantini & Irenes militem & scribam agebat, homo facundus & audax: sed tamen uitæ non planè illaudatæ. Mortuo Paulo, ab Imperatore & omni populo patriarcha designatur. Verùm ille in uocationem non prius consensit, quàm extorsit ab Imperatore promissionem de conuocanda Synodo uniuersali, & de instaurāda concordia, quæ erat turbata per controuersiam de imaginum adoratione. Epistola Constantini & Irenes ad Synodum Nicenam secundam, actione prima: & ipse in epistola ad episcopos Orientis, in actione tertia. anno Irenes 5: Paulus Diaconus libro 23. Domini, 786. Sigebertus: Zonaras tomo 3. Ignatius.

In eo munere constitutus, sacras literas diligenter legit, ac Patrum scripta euoluit: ut apparet ex epistolis eius, in quibus Gregorium Nazianzenum, & Gregorium Magnum, & alios interdum citat. Ad conciliandam amicitiam & concordiam cum alijs archiepiscopis epistolas Synodicas ad Romanum pontificem, & ad Orientis archiepiscopos dedit: in quibus historiam de sua uocatione, & confessionem de sua fide proposuit, petens admonitionem & emendationem, si minus rectè sentire uideatur. Populum ipse docuit: ac narrat Ignatius, eum Psalmos Dauidis solitum enarrare. Vitia & peccata tam superiorū quàm inferiorū hominū grauiter reprehēdit, & impœnitentes excōmunicauit. A ludis & spectaculis ethnicis pios dehortatus est: ut patet ex eodem.

De Synodo conuocanda apud Imperatores institit, ac impetrata potestate, per literas Constantinopoli Synodum indixit, inuitatis pro more Romano pontifice, & alijs patriarchis Orientis. Cum autem Constantinopoli minus ex sententia res successisset, propter turbas suasor fuit, ut aduersarijs arma per insidias adimerentur, & Niceam Patres irent, & Synodum perficerent: ac die præfinito eò uenit cum legatis Romani pontificis, & iussu patrum proponit quæ in Synodo sint tractanda: ac interest omnibus actionibus, & sua autoritate & subscriptione decreta confirmat, ut patet ex actis Nicenæ secundæ.

Scholarum etiam curam ad se pertinere existimauit. & ipse de bonis paternis in Bosphoro Thraciæ monasterium condidit, in quo curauit multos erudiri in sacris literis, quos ad Ecclesiarum gubernationem, ubi opus fuit, collocauit.

Ordinauit episcopos gratis: ac decreto cauit, ne quis propter ordinationem mercedē cogeretur soluere.

Coronauit Imperatores, Nicephorū: Paulus Diaconus libro 23. & Stauratium, filium eius: libro 24.

Scripta.

Extāt eius epistolæ aliquot inter acta Nicenæ secūdæ: ut sunt, epistola ad Iohannem presbyterum præsidem, & anachoretam. item, alia epistola ad sacerdotes & episcopos Antiochiæ, Alexandriæ & Hierosolymorū. itē alia ad Imperatores, de actis Synodi Nicenæ: & alia, ad Adrianum pontificem.

Doctrina eius.

De Scriptura rectè sentit, eam non negligenter legendam, neque ad propriam uoluntatem trahendam, sed inde ueras sententias hauriēdas. In epistola ad Iohannem anachoretam.

De uerbo Dei & ueritate dicit: Experientia cognouimus, ueritaté super omnia posse & ualere. Quicquid illi repugnat, id tandé semper cedit, & aciem relinquere cogitur. Ipsa est omnium fortissima, ita ut facilè quosuis inimicos superet, & repugnantiũ phalangas dissipet. In epistola ad Adrianũ papã, actione septima Nicenæ secũdæ.

De Deo, & Trinitate, & singulis personis rectè sentit, & hæreticorũ opiniones reijcit in cõfessione suę fidei, in actione 3 Nicenę 2.

De pœnitentia bene dicit: Sanè & ego dico, quòd omnem pœnitentem Deus suscipit, & commissa peccata per pœnitentiam condonat. Nouimus enim & Dauid in adulterio & cæde deprehensum, sed post pœnitentiam receptum. Item Nouatum, & eius impię hęresis asseclas anathematizo, utpote qui iniurius sit aduersus pœnitẽciam, & mãsuetudinem Dei eleuat. In epistola ad Ioannem Anachoretam.

De Ecclesia inquit: Nostrum caput unicum est Christus: nos autem deinceps illius unius corporis membra, propter eam quæ inter nos est communem fidem & sententiam. In epistola ad Cõstantinum, actione 7 Nicenæ secundæ. Et Ecclesiam super Christum, & non super pontificem esse ędificatã, scribit in epistola ad Adrianum.

De Concilio eleganter dicit, quòd omnibus sedentibus uisum sit eligere caput, nempe ipsum IESUM Christum.

De pijs magistratibus bene dicit, quòd debeant sanas doctrinas conseruare, & dissidentium unaminem concordiam gubernare, & tanquam faces ardentes relucere, & periclitanti Ecclesię succurrere. In epistola ad Cõstantinum, in actione 7 Nicenæ secundę.

De næuis.

Doctrinam de uera Dei inuocatione non integram & synceram nouit. Nam præter uerum mediatorem Dominũ nostrum IESUM Christum, etiam Mariæ & angelorum & sanctorum mortuorum intercessionem constituit, eamque poscere iubet. Sic enim inquit in epistola ad Anachoretam: Nihilominus credentes in Deum in Trinitate laudatum, eiq; soli latriã exhibẽtes, poscimus intercessioné temeratę Dominę nostrę Deiparæ, sanctorũ item angelorum, omniumq; diuorũ & patrum nostrorum. tomo 2 Concil.

Doctrinam de iustificatione etiam corrumpit. Asserit enim, Deum homines saluos facere intercessiõe & precib. Dominę nostrę sanctę Deiparę & omniũ Sãctorũ: in epistola ad Iohãné cõtra illud Timoth. 2. Vnus est mediator Dei & hominũ, homo IESUS Christus, Et Act. 4. Nõ est aliud nomé datum hominibus. &c.

Doctrinam de scandalis deprauat. Dicit enim, ea, intercedente Maria & alijs sanctis, auerti. In epistola ad episcopos Orientis.

De imaginibus & picturis sacris rectè quidem dicit in confessione sua ad episcopos Orientis, quòd in nullum alium usum admittendæ sint, nisi ut symbola & notæ oculis propositæ, ad memoriam & recordationem historiarũ. Sed postea in Synodo, & in epistola de decretis Synodi ad Constantinum, in actione septima Nicenæ secundæ, non modò asserit imagines habendas, sed etiam adorandas & salutandas. Et quamuis distinguat inter adorationem quæ fit in spiritu erga Deum, & inter eam quæ fit honoris ergo: tamen illa distinctio malè accommodatur ad imaginum cultum. Nam licet Scriptura ostendat, honoris ergò Dauidem & alios reges esse honoratos: tamen nihil huiusmodi de statuis asserit: imò socij Danielis potius fornacem igneam intrãt, quàm ut statuam adorent. Et Prophetæ gentes damnant, coram ligno in genua procumbentes. Deinde uerbis quidé negat, sanctis λατρείαν exhiberi: cùm tamen re ipsa id præstet, dum ab eis intercessionem postulare iubet. An uerò hæc non est latria, tribuere angelis, Mariæ, & alijs sanctis, quòd sint inspectores cordium, & quòd pro nobis apud Deum intercedant: cum unus tantùm sit mediator inter Deũ & homines, homo IESUS Christus: & non angeli, aut sancti?

Certamina.

Contra eos qui imagines ex ecclesijs tollẽdas esse cõtendebant, tum solus, tum etiã cum alijs acriter dimicauit: & non tantùm asseruit eas habendas (quòd quidem rectè dictum fuisset) sed etiam adorandas & colẽdas esse: ijsdem propemodum rationibus usus, quas ex Germani epistolis annotauimus paulo antè: neq; id tantum uerbis egit, sed etiã reipsa imagines & statuas in ecclesiam suã collocauit & coluit: ut patet ex Ignatij oratione de uita eius apud Metaphrastẽ.

Deinde cum Imperatore Constantino acris ei fuit conflictus, cum Mariam suam coniugem repudiaret, falso crimine obiecto de parato ueneno, & aliam duceret: ac in ea re satis grauiter sese gessit, si credimus Ignatio. Nam unà cũ Iohanne monacho & presbytero, Orientalis diœcesis legato, ad Imperatoré accessit, eumq; monuit, falsò ista in cõiugé de ueneficio dici: neq; uerisimilia esse, cũ nullus sit qué ipsa unquam uisa sit amare, ob cuius nuptias ei potuisset insidias struere. Cũ auté Imperator uitrum, in quo uenenum esse aiebat, proposuisset, eumque iussisset diuortium approbare, respondet: Nos legitima iura uestræ coniugalis unionis nõ audemus dissoluere, Dei legislatoris timentes sententiam: neque uerbis quę spectant

ad

ad accusandam tuam coniugem,credere sustinemus, etiamsi mille mortibus & tormétis subiecti fuerimus,ut quia sciamus diutur na inflammatione teneri tuam affectionem in mulierculam illam fornicationem. Quin etiã hoc quoq; notum facimus coram Deo in primis honorandæ tuæ purpuræ, quod intra cancellos incruentæ mensæ, in quia sacrificium magnę hostiæ Christi uenerabiliter peragitur,non sinemus amplius ingredi uestram potentiam: ne nos quoque audiamus,quod in execrationibus iam olim dicitur ad sacerdotes, Calcare atrium meum non adijcietis. Metaphrastes in uita Tarasij. His dictis, ab Imperatore expellitur cum ignominia & minis. Sed postea iterum cum eo Imperator egit, ut sibi nuptias cum altera celebranti,pro more coronam necteret. Verùm adduci non potuit,ut id faceret:sicut Ignatius narrat. Sed Paulus Diaconus libro uigesimotertio uidetur diuersum ostendere. Nam commemorat,Tarasiũ permisisse Imperatori, ut Mariam in monasterium reconderet: & Iosepho monacho & abbati cœnobij Cancaratæ præcepisse, ut Theodoten coronaret: & ipsum Imperatorem ad communionem admisisse: ideoque Platonem Saccidionis abbatem à cõmunione Tarasij recessisse: ac ea re ad Imperatoré delata,Platoné in carceré coniectum,& monachos eius Thessalonicam deportatos esse.

Reprehensus est à quibusdam, quòd episcopos qui pecunia erant adepti suum munus,remoueret ab officio: quasi eo modo Nouati opinionem confirmaret,quòd lapsis non pateat aditus ad pœnitentiam. Quare ille in epistola ad Iohannem anachoretam sese declarat,quod nõ pœnitétiã neget illis episcopis,sed sacerdotiũ: quo canones interdicãt omnib. qui per pecuniã sunt ordinati.

Plurimorum noticiam & familiaritatem habuit,ut patet ex actis secundę Nicenæ. Adrianus pontifex Romanus eũ magnifecit, ut patet ex epistola ad ipsum. Fratré eius in Italia captum, Carolus ad petitioné Irenes dimisit,anno 798. Annales Francorum,& Auentinus lib.3. de Boijs.

A multis eum uirtutibus cõmendat Ignatius,ut sunt: Misericordia in calamitosos.nã præfectum quendam ad ecclesiam confugientem diu protexit:& ui abstractum, fulmine excommunicationis in aulicos misso, si eum perderent,qui supplex ad Ecclesiam confugisset,liberauit. Beneficentia in pauperes. Fruméta enim & pecunias quotidie distribuit,&pro peregrinãtib. diuersoria extruxit. Et humilitas in uestitu,& sobrietas in uictu. Paucissimis enim cõtentus fuit. Et tolerãtia laborum. Annis uiginti duobus pręfuit, & sub Nicephoro mortuus est. Multa de miraculis ad sepulchrũ eius factis nugatur Ignatius apud Metaphrasten: quæ superstitionum magistris illibata relinquimus.

THEOPHILVS PRESBYTER.

Theophilus presbyter de Blachernis, cũ Michaele patricio literas Irenes Imperatricis ad Carolũ attulit: ac pacé & amicitiã eius,& ut Sisinnium Tarasij fratrem in prelio captum dimittat, petijt. Regino lib.2, & Annales Frãcorum, & Auent.lib. 4 Annalium.

NICEPHORVS.

Nicephorus à secretis Imperatoris, uir sanctus,& facundus, successit Tarasio in episcopatu. Ignatius in uita Tarasij,apud Metaphrasten tomo 5.

HELIAS.

Helias protopresbyter ecclesiæ Mariæ in Blachernis,legit in quarta actione Nicenæ secundæ canonem sextæ uniuersalis: ac apertè fatetur,se eo solo in recta sententia cõseruatum,& à Patriarcha confirmatum esse. Sed uideas uanitatem. Canon iste tantùm imaginis Christi & Ioannis Baptistę usum in templis concedit,ornatus & commonefactionis gratia. Hic uerò & alij Iconolatræ inde probant adorationem. Quasi uerò idé sit imagines habere,& imagines adorare. Illud quidé licitũ est: sed adoratio prohibita est in illo dicto, Dominũ Deũ tuũ adorabis.

MANZON.

Manzõ episcopus Bracanõn, in quarta actione secundæ Nicenæ inquit: Postquam ego è regia urbe profectus in ciuitatem meã peruenissem, subito morbo adeò correptus fui,ut amicorum iussu testamétum cõdere cogerer. Sed iussi ut inferent ad me sanctam seruatoris nostri Christi imaginé: quã cum uidissem,dixissemq;, Domine qui das sanctis gratiam,respice me: imposuissemque loco dolenti, morbus ab ea repulsus est, & sanitatem recuperaui. tomo secundo Conciliorum. Vnde colligi potest, fuisse hominem superstitiosum,qui somniauit in imagine Christi esse uim contra morbos, cum ea res nullo sacræ Scripturæ nitatur fundamento.

DE EPISCOPIS ITALIAE.

ROMANI.

Sub Iustiniano.

LEO.

Cum Sergio Pontifici ex adultera natus esset filius,quidam ex clero de eius depositione spem concipientes, Leonem eligunt Rom. pontificem. Sed sacerdotum cohorte Sergium defendente, Leo reijcitur: & Sergius Babylonicæ meretricis charactere insignis, Pontificiam obtinet dignitatem: Dignum patella operculum. Balæus in Actis pontificum, & Præmonstratensis.

IOHANNES SEXTVS.

Iohannes sextus, natione Græcus, ex Paterno seu Petronio natus, homo rerum inanium amans & studiosus, pontifex factus est anno Domini 702, iuxta Sigebertum. Theophylactum ab Absimaro Imperatore exarchum in Italiam missum, sese contra militum impetum defendere simulabat (nam reuera exercitum Pontifex corruperat largitionib. ut suis magis quàm Imperatoris fauerent partibus) & Rauennam proficiscitur, ad captāda consilia de Exarchatu sibi ascribendo. Gisulphus Beneuentanus dux, fretus dissidio exercitus & Exarchi, in spem uenit occupandi Exarchatus: & armis arreptis Campaniam inuadit, Soram & Arpinum occupat, & prædam facit. Pontifex missis legatis, Gisulpho iram Dei minatur, ni discedat ab armis, & bolum istum suis faucibus relinquat: & simul largitionibus eum mitiorem reddit, & ad aucupandum popularem auram captiuos ab eo redimit. Ille Pontificis fraudem non intelligens, acceptis muneribus discedit ab armis, & occupata restituit.

Beneficus in pauperes fuit de bonis ęrarij, tempore famis. Basilicam Andreæ in Vaticano restituit, & sarcijt tectum Marci, & ornauit altare Petri, ductis columnis dextra læuaque. Creauit presbyteros nouem, diaconos duos, episcopos quindecim. Liber pontificalis: Marianus Scotus. Præfuit annos tres, & menses tres. Alij duos tantùm assignant. Interfectum uolunt, sed autorem cædis non assignant. Iohannes Tolosanus à Beneuentano aut Spoletino ducibus Longobardis putat id factum esse.

IOHANNES SEPTIMVS.

Iohannes septimus, natione Gręcus, patre Platone, iuxta plerosque scriptores: seu Romano, iuxta Tolosanum, patre Gregorio, uir eruditus & eloquens, pontificatum adijt anno Domini 704, iuxta Sigebertum.

In functione sua, ea quæ erant ueri pastoris officia neglexit, & Antichristi opera pleraq; fecit. Nā cū Iustinian⁹ ad imperiū reuersus, legatos & scriptū ad eum misisset, & petijsset ut suā operā quoq; adiungeret ad instituendū cōsensum inter Ecclesias Orientis & Occidētis, quę dissidebāt ꝑpter Canones in repetita 6. uniuersali Synodo factos contra Romanę Ecclesię principatū & superstitiosos ritus, ut libro superiori diximus: Pōtifex existimans istam ecclesiarū diuulsionē sibi profuturā, re infecta legatos dimittit, neque (ut decuerat bonum pastorem) errores illorum demonstrat & refutat, quod liber Pontificalis eum metu fecisse dicit: sed magis ex superbia profectum esse uidetur. molestè enim ferebat Pontifex, sibi præscribi formam compositionis, cum ipse eam potestatē alijs dictandi canones sibi arrogaret.

Deinde nō in id incubuit, ut pura doctrina propagaretur: sed deos alienos, hoc est Sanctos, templorum & cœmeteriorum extructione, renouatione, exornatione, picturis & donarijs honorauit. Nam intra Ecclesiam Petri oratorium Mariæ extruxit, cuius parietes uermiculato opere intecti, dextra læuaq; quorundam sanctorum patrum uultus ostendebant. Basilicam Eugeniæ instaurauit. Cœmeteria martyrum Marci Marcelliani & Damasi exornauit, & plerasque basilicas imaginibus & statuis repleuit: & purpuratas simias creauit nouendecim. Moritur secundo anno sui pontificatus, mense septimo, die decimoseptimo. sepultus ad altare Mariæ in basilica Petri. Liber Pontificalis, Marianus Scotus, Platina, Blondus, Sabellicus, Balæus, & similes.

SISINNIVS PRIMVS.

Sisinnius, uel Sozimus natione Syrus, ex patre Iohanne, iuxta librum Pontificalem, & Platinam: seu Romanus ex Trasimundo, ut Antoninus titulo decimotertio, capite primo, § sexto. & Tolosanus, post magnam cum Dioscoro contentionem, pontificiam dignitatem adipiscitur: ut Nauclerus & Balæus indicant. Episcopum in Corsica ordinauit. Neglecta cura animarum, ad muros urbis instaurandos, & ad defensionem contra Longobardos animum adiecit. Sed chiragra & podagra siue ex Venere, siue ex uino, seu ueneno (ut quidam opinantur) correptus diem obijt, cum tantùm dies uiginti præfuisset. Liber Pontificalis, Platina: Crantzius Metropolis libro 2. capite 1.

CONSTANTINVS PRIMVS.

Constantinus primus natione Syrus, patre Ioāne natus, Latinè & Gręcè eruditus. Bergomēsis lib. 10. uir mitis & benignus, ut Antonin⁹ in Chronico indicat, Pōtifex creatur anno Domini 707, iuxta Sigebertum. In eo uerò munere sese ita, ut decebat, Antichristi mancipium gessit. Nam errorum, de principiatu Romanæ ecclesiæ, & de cultu sanctorum mortuorum, & de imaginibus eorum & statuis, & de uita monastica, & de uisionibus & somnijs phanaticorum hominū plenus fuit, ut ex sequentibus patebit.

A' Iustiniano euocatus, Pōtificali amictu Constantinopolim ingreditur: ac inde Nicomediam ad Imperatorē accedit. qui in terrā coram eo prostratus, ueniam peccatorū suorum postulat, & sacram synaxim ab eo accipit, & Ecclesię priuilegia ei cōdonat: ut Paulus Diaconus libro 6. capite 10 de Longobardis loquitur. seu renouat: ut Beda libro 2 de Tempore, & Ado ætate 6. Platina, Blondus, liber Pontificalis, & alij. De pedum exosculatione

latione garriunt, sed sine ueterum testimonio. Imperatori dissuadet, ne cōtra Philippicum arma capiat: cui consilio cum ille nō obtemperasset, sibi accersiuit malum. Redijt autem Constantinus Romam onustus muneribus, anno Domini 710, iuxta Sigebertum & Reginonem.

Certamen ei erat cum Felice Rauennatiū episcopo, qui certam pecuniæ summam, quam coactus fuerat in ordinatione promittere annuatim soluere Pontifici, recusabat dare. Eum autem ad Imperatorem accusat: qui ut Pontifici gratificetur, absque causæ cognitione, Theodorum patricium classis præfectum in Rauennates mouere iubet. Rauennates sese defendentes, expugnātur: & Felix captiuus Constantinopolim ducitur, & oculis priuatus, in Pontum relegatur. Hoc erat Antichristi opus, ui cōtradicentes & Romanæ sedi subesse recusantes opprimere. Platina.

Alia ratione Ticinensem ecclesiam sibi subiugauit. Eius episcopum contra Mediolanēsem, sub quo hactenus erat illa ecclesia, inflammat. Ille uerò ignarus fraudium pontificiarum, ad Constantinum eum accusat: qui pronunciat sententiam pro sua uoluntate, Ticinensem ecclesiam non sub Mediolanensis, sed sub Romani pōtificis iurisdictione esse debere, quia olim Ticinēses à Romanis essent ordinati. Paulus Diaconus libro sexto, capite 10. de Longobardis: Platina, & Balæus.

Contra Philippicum Imperatorem proteruè, & contumeliose, & seditiose egit, & suis successoribus ad similia & maiora scelera gradus posuit. Nam cum Philippicus picturas, quę erant in urbe regia, deleuisset, & Sanctorum statuas & imagines ex omnibus templis erasisset, & sextam uniuersalem Synodum reprobasset, & Syrum patriarcham cum Romano pontifice sentientem remouisset, & Iohannem monachū substituisset, & Romano pontifici libellum de sua fide misisset, atque imperasset ut subscriberet, & Romanum clerum idem sentire & facere iuberet: bonus ille uir in suorum assaeclarū cœtu non modò improbat ea quæ erant ab Imperatore facta & mandata, sed extra metas sui muneris progresus edicit, Ne quis Imperatoris hæretici nomen publicis scriptis, aut priuatis in ære, argento plumbo' ue recipiat, nec in missarum solennitate usurpet, nec statuam eius in ecclesiā collocet. Ac insuper sancit, ut nō modò imagines in tēplis habeantur, sed etiam summa ueneratione colantur. Paulus Diaconus libro 6. capite 11. & libro 20 rerum Romanarum: Balæus, anno Domini 712. iuxta Sigebertum. Hac proteruia effecit, ut Anastasius ei scriberet, seque fautorem Catholicæ fidei, & sexti concilij prædicatorem fore promitteret: & ut Theodosius hunc secutus, imagines à Philippico ablatas restitueret. Paulus Diaconus libro 20 rerum Romanarum, & Beda libro 2 de Ratione temporum.

Portentosas Eguuini Viccij, hominis fanatici, uisiones, quibus confirmabatur opinio cultum imaginum Deo placere, scriptis diplomatibus cōprobauit: & Brituualdo Anglorum primati præcepit, ut collecta Synodo Londini, anno Domini 710, sua auctoritate eas regibus & populis commendaret. Balæus Cēturia 1. Scriptorum Britannicorū.

Seditionem, missis sacerdotibus cum euangelijs & crucibus Domini, composuit. Liber pontificalis.

Duodecim episcopos in itinere uersus Cōstantinopolin ordinauit, & domi una uice decem presbyteros, diaconos duos, & episcopos 64 creauit. Liber Pontificalis.

Coenredum & Offam, Oriētalium Saxonum reges, Romam religionis seu superstitionis ergò uenisse, & monachos factos esse hortatu Cōstantini, Beda Ecclesiasticæ historiæ libro quinto, capite uigesimo tradit, & Balæus. Paulus uerò Diaconus tantùm eos ibi mortuos dicit, lib. sexto, capite decimo, de Longobardis. Platina putat, eos peste extinctos esse.

Liberalis in pauperes fuit, & in fame, quę trienniū grassabatur, Romæ plurimos aluit.

Obijt septimo anno sui pontificatus, die uigesimo. Sepultus tertio idus Februarij, anno Domini 714. iuxta Sigebertum.

SVB LEONE ISAVRO.

GREGORIVS SECVNDVS.

BLondus Cōstantino subiungit Stephanū: & Petrum Gulielmum bibliothecarium arguit, quòd occasionem errandi alijs præbuerit. Sed Platina & Nauclerus, Sabellicus & alij Pontificum descriptores, nō adstipulantur Blōdo. Et eruditè Nauclerus generatione 24. ex 11. q. 3. cap. Antecessor, colligit, ordine sibi successisse Gregorios duos, & Zachariam, & Stephanum. Hanc sententiam non modò Paulus Diaconus, Beda, Regino, Ado, Sigebertus: sed tota historia Bonifacij, & epistola Adriani ad Constātinum & Irenen, in actione prima Nicenæ secundę comprobant.

Adolescentia.

Gregorius secundus natione Syrus, ex patre Iohanne (iuxta Chronicon Martini, & Erphordiensem) aut à Marcello, iuxta librū Pōtificalem, Platinam, & alios, natus: ab ineunte ætate literis operam dedit, & Græca & Latina didicit, & rebus sacris præcipuè studuit: animo magno, & linguæ uolubilitate excelluit.

Functiones.

Sergius pontifex subdiaconum eum creauit, & curam bibliothecæ ei commisit. In eo munere cum fidem & probitatem suam demonstrasset, diaconus factus est à Constantino papa: ac cũ eo ab Imperatorẽ Iustinianũ profectus, cum Græcis disputauit, & ad quęstiones ab Imperatore propositas scitè respõdit. Liber Pontificalis, Platina, & alij.

Ad Pontificatũ accessit anno Domini 714. iuxta Sigebertum: ac in eo, ut decebat uicariũ Antichristi, sese gessit, ut postea dicemus.

Scripta.

Scripsit Respõsionum librum unum, contra Leonem Augustanum.

Ad Iohannem Constinopolitanum, librũ unum.

Scripsit aliquot epistolas, quarũ octo extãt in secundo tomo Conciliorũ. I. ad Bonifaciũ. II. Ad episcopos & presbyteros, & cunctos Christianos. III. Ad uniuersum clerũ, & populum Thuringiæ. IIII. Itidem ad clerum & plebem Thuringiæ. V. Iterum ad Thuringos. VI. Ad Saxones. VII. ad Bonifacium. VIII. ad Bonifacium.

Scripsit etiam literas ad Carolum Martellum, quarum exemplum apud Auentinum extat libro tertio Annaliũ, cuius meminit & Vuilibaldus in uita Bonifacij.

Reperiuntur & aliæ duæ Gregorij ad Carolum epistolæ, in quibus eum hortatur ad defensionem Romanæ ecclesiæ, contra Hildeprandum & Luitprandum.

Porrò phrasis non usque adeò purè Latina est, sed qualis hoc seculo fuit in usu. Germanismum seu Gallicanismum sapit, quòd in secunda epistola inquit: Hortamur ut in omnibus solatiari nisibus totis debeatis.

Doctrina, & errores eius.

Quantum ex epistolis eius colligi potest, satis commodè sensit de Deo, & de Trinitate, & de creatione. Sed errores non habuit paucos: ut sunt De intercessione sanctorum: quòd propter intercessionem Petri Deus benefaciat obtemperantibus Bonifacio. In epistola secunda.

De pœnitentia. nam canones satisfactionis pręscribit, & parricidas à communione usq; ad finem uitæ submouet. Epistola octaua.

De ecclesia, quòd caput eius sit pontifex Romanus: in epistola prima. Et quòd Romana Ecclesia sit spiritualis mater omnium. In epistola quarta.

Opera eius in gubernatione.

Quia Antichristi sedentis in templo Dei uicem gessit, ideo ea quæ egit, ad eius regni emolumẽtum cesserunt. Nam neglecta cura pastorali, statim in initio sui Pontificatus calcem fecit, & urbis Romanæ muros instaurauit. Liber pontificalis. In tẽplis & monasterijs ædificandis, reparandis & exornandis adeò occupatus fuit, ut potius architectum quàm Pontificem egisse uideatur. Nam basilicam Pauli collapsam, trabibus ex Calabria petitis cooperuit: & altare nouum, & ciborium argenteum fecit. Laurentij etiam templum renouauit, & ecclesiam Hierosolymã dictam repurgauit, & oratorium in patriarchio in honorẽ Petri metallis exornauit, & parietes circum altare argento obduxit, & duodecim Apostolis ex libris 180 statuas fecit. Liber Pontificalis. Oratorium Susannæ in Cælio monte extruxit. Platina. Monasteria ad basilicã Pauli, Ceromium, & Andreę apostoli renouauit: & cœnobium Agathæ ædificauit, & bonis paternis locupletauit. Liber pontificalis. His satis apertè declarauit, se Deum suum Maosin auro & argento colere, iuxta Danielis uaticinium.

Decretis suis nuptias damnauit. Nã presbyteram, diaconam, monacham, & commatrem spiritualem matrimonio iungi uetuit. Balæus in actis Pontificum, & propter infirmitatem uxoris diuortium admisit, & aliam duci iussit. 32. q. 7. c. quòd proposuisti. Antoninus cap. 1. tit. 14.

Missam non nisi in consecrato loco fieri iussit. Balæus in actis Pontificum.

Vt quadragesimali tempore in quintis ferijs, quę hactenus (ut uocant) officia propria non habebant, ieiunium cum missarum celebritate fieret ordinauit, cantus de Dominicis in ęstate colligẽs, & Epistolas & Euangelia adhibens. Sigebertus in Chronico, & Æditus, & Flores temporum Gigantis.

Imaginum & statuarum cultum & adorationem mordicùs defendit, & earum impugnatores ad mortem usque est prosecutus: ut patet ex Paulo Diacono libro 21 rerũ Romanarum, & Zonara tomo 3: & libro Pontificali.

Baalismum instituit monasterijs ad ecclesias ordinatis, in quibus monachos dies & noctes cantare iussit. Liber Pontificalis.

Leoni imaginum uenerationem prohibenti non modò importunè respondit, ac eum & Anastasium patriarcham, causa nondum cognita & legitimè disceptata damnauit & excommunicauit: sed etiam totã Hesperiam, Æmyliam, Liguriam, Italiã, & alias terras in Occidente, ab eius obedientia discedere fecit: & uectigalia quæ Christus solui iussit, interdixit, nullam aliã ob causam, quàm quòd Leo uenerationem imaginum damnasset: ac cum Francis fœdus inijt, quibus Occupãdę urbis Romę & imperij Occidentis occasionem præbuit, ut proditor suæ ipsius patriæ. Paulus Diaconus lib. 21 rerum Romanarum: Zonaras tomo 3.

Ac armis Italorum & Longobardorum sese contra Eutychiũ Imperatoris præfectũ tutatus est: interim simulans se maximè singulos cohortari, ne ab amore uel fide Imperij Romani desciscerent. Liber pontificalis.

Non modò alia politica negocia, sed etiã bella gessit. Nã cum exarcho Romano exercitum & proceres Ecclesię misit aduersus Tiberiũ, imperium in Sicilia seditiosè inuadẽtem. Lib. pont. Castrũ Cumanum à Longobardis occupatum, cùm fulmine excommunicationis non posset recuperare, conduxit Neapolitanum ducem. Eum, cum aperta ui non posset, insidijs & fraude uti iussit: & eã operam redemit 70 libris auri. Paulus Diaconus libro sexto, capite decimotertio de Longobardis, Liber pontificalis, Sabellicus Enneadis octauæ libro 7.

Luitprandũ arma contra Romam ferentẽ adeò dementauit sua oratione, ut fictam Ariperti donationẽ Cocciarũ Alpiũ cõfirmaret, & ab armis discederet. Beda lib. 2. Lib. pont. ¶. Viros doctos sibi adiunxit, eorũq; usus est opera in subijciendis sibi Ecclesijs. Bedam, ut Romã ueniret, solicitauit per literas. Balęus Centuriæ 2. cap. 1. Sebaldum ad Germanos misit, iuxta Schedelij opinionem, ætate sexta. Bonifacium creauit episcopum, & legatum Pontificium: ac eum in Germaniam & Thuringiam misit, ut Ecclesias illas suo charactere signaret, & pontificijs ceremonijs & superstitionibus deformaret: quod ille grauiter præstitit, ut in uita illius indicamus. anno Domini 717. Sigebertus. Vuilibrordum etiam apud Frisios uerbũ Dei prædicantem, sua authoritate & commendatione iuuit. Curio lib. 2 Chronologiæ. Multos Germanos Romam concursantes baptizauit. Platina. Ordinauit presbyteros 25. diaconos 5. & episcopos 150 in diuersis locis: quos omnes iureiurando obligauit, ut Bonifacium, ad Romanę sedis doctrinã & ritus, eiusq; obedientiam & reuerentiam.

De uitæ eius sanctimonia.

Marianus & alij, cõmendant eũ à castitate & sapientia: Bergomensis uirum optimũ & sanctissimum uocat. Sed si specillis ex uerbo Dei adhibitis, notas quibus Antichristi uicariũ refert, obseruassent, diris eũ potius deuouissent quàm laudassent. Commendationes ergo huius & aliorum Pontificũ, quę passim occurrunt in Scriptoribus, æstimandæ sunt ex Antichristi probitate, cuius personã gesserunt. 2. Thess. 2. Apoc. 17. Si qua interdum uidentur bene egisse, prorsus hypocritica sunt, & simulata: & ad pellem ouillam pertinent, qua isti lupi fuerunt induti: aut ad templum Dei, in quo Antichristus sedens, quædam uolens nolens coactus est saltem ad speciem & simulatè laudabiliter agere, ne à quouis aduersarius Christi agnosceretur ante tẽpus reuelatiõis à Deo pręfinitũ. Per antiphrasin ergo uera sunt: Gregori' est seruus seruorũ, nã dominus dominantiũ esse studuit, & Cæsari censum & uectigalia dari prohibuit.

Obijt 3. idus Februarij, indictione 14, Leone & Constantino imperantibus. anno Domini 731. Sigebertus, & Marianus: cum annos 16 præfuisset.

GREGORIVS TERTIVS.

Gregorius natione Syrus, ex patre Iohãne (ut Platina, & pleriq; scriptores annotãt) seu Romanus ex Marcello prognatus, iuxta Marianũ in Chronico, Latinè & Græcè doctus, non modò in sacris, sed etiam magicis studijs (ut Balæus indicat) uersatus, simulando pietatem, & profitendo Sacras literas, & largitionibus, quibus erga pauperes usus à Pontificijs scribitur, peruenit ad presbyterij gradum.

Mortui Gregorij 2 funus cũ sedulò curasset, populus Rom. enthusiasmo correptus in uia eũ cõprehendit, & Pontificẽ designat: Liber pont. anno Domini 731, iuxta Sigebertũ, imperantibus Leone, Isauro & Constantino.

Scripta.

Scripsit ad Leonem & Constantinum Imperatores lib. 3. & Epistolarum librum unũ.

Extant eius epistolæ 5, in 2 tomo Concil. In prima, Bonifacium omnibus episcopis, presbyteris & abbatibus commendat, ut legatum pontificium, eumq; adiuuari & promoueri iubet. In secunda, eundem commendat Germanię populis, ut Thuringis & alijs. In tertia, episcopos Bauarię Iuggum, Luidonem, Ridolfum, Phipzilum sui officij admonet, eosq; Bonifacio parêre iubet. Exemplũ epistolæ ad Viuilonem & alios episcopos Bauariæ, longè aliud apud Auentinum lib. tertio extat, quàm in tomis Conciliorum: unde facilè colligi potest, uel aliam esse, uel corruptã. In quarta respondet Bonifacio, ad quęstiones uarias. In quinta gratulatur Bonifacio, quòd in Põtificijs ritib. propagãdis adeò felici usus sit successu: ac postea ei præcipit, ut presbyteros ordinatos ab alijs, de quibus dubitetur an fuerint episcopi, denuò consecret: & baptizatos ab alijs, per manus impositionem conformes alijs pontificijs reddat: eique potestatem facit conuocandi Synodos ad ripã Danubij. ac postremò hortatur eum, ut non diu in uno loco subsistat, sed subinde ad alias atque alias gentes accedat, easque charactere Pontificio insigniat. Exemplum huius epistolę multo breuius & succinctius extat apud Auentinum libro 3 Annalium, quàm in tomis Conciliorum.

Scripsit etiam epistolam ad Vrsum ducem Venetorum, in qua Exarchum ei commendauit: & auxilium petit contra Longobardos,

gobardos, qui Rauennam occuparant. Exemplum extat apud Sabellicum Enneadis octauæ libro 7. ex Bonifendij scribæ Comment.

Habentur etiã duę epistolæ eius ad Carolum Martellum scriptæ, in quibus eum extimulat ad defensionẽ Romanæ ecclesiæ: quę non sunt impressæ, quas asscribimus.

¶ Domino excellentißimo filio, Carolo subregulo, Gregorius papa. Ob nimiũ dolorem cordis, & lachrymas, iterata uice tuæ excellẽtiæ necessarium duximus scribendũ, confidentes te esse amatorem filium beati Petri Apostolorum principis, & nostrum: & quòd pro eius reuerẽtiã nostris obediás mãdatis, ad defendendam Dei Ecclesiam & peculiarem populum, qui iam persecutionem & oppresionem gentis Longobardorum sufferre non possumus. Omnia enim luminaria ad honorem ipsius principis Apostolorũ, & quæ à uestris parentibus uel à uobis oblata sunt, ipsi abstulerunt: & quoniam ad te post Deum confugium fecimus, propterea uos ipsi Longobardi in opprobrium habent, & opprimunt. Vnde & Ecclesia sancti Petri denudata est, & in nimiam desolationem redacta: tamen omnes nostros dolores subtilius in ore posuimus præsenti portitori, tuo fideli, quos in auribus tuæ excellentiæ suggerere debeat. Tu autem, fili, habeas cum ipso principe Apostolorum, hic & in futura uita, coram omnipotente Deo nostro, sicut pro eius Ecclesia & nostra defensione disposueris & decertaueris sub omni uelocitate, ut cognoscant omnes gentes tuam fidem, & puritatem atq; amorem, quæ habes erga principem Apostolorum B. Petrum & nos, eiusq; peculiarem populum zelando & defendendo. Ex hoc enim tibi poteris immortalem & æternam uitam acquirere.

Alia epistola ad eundem.

¶ Domino excellentißimo filio Carolo subregulo, Gregorius papa. Nimia fluctuamur tribulatione, & lachrymę die noctuque ab oculis nostris non deficiunt, quando conspicimus quotidie & undiq; Ecclesiam sanctam Dei à suis, in quibus spes erat uindicandi, destitui filijs. Propterea coarctati dolore, in gemitu & luctu consistimus: dum cernimus, id quod modicũ remanserat præterito anno, pro subsidio & alimẽto pauperũ Christi, seu luminariũ concinnatione in partibus Rauennatiũ, nunc gladio & igni cuncta cõsumi à Luitprando & Hilprãdo regibus Longobardorũ. Sed in istis partib. Romani mittẽtes plures exercitus, similia nobis fecerũt & faciunt, & omnes salas S. Petri destruxerũt, & peculia quæ remãserant abstulerũt: & nulla nobis abs te excellentißime fili refugiũ faciẽtibus peruenit hactenus cõsolatio. Sed ut cõspicimus, dũ indultũ à uobis eisdẽ regibus est, motiones faciendi, quòd eorũ falsa suggestio plusquã nostra ueritas apud uos recepta est: & timemus ne tibi respiciat ad peccatum. Quando nunc, ubi residẽt ipsi reges, ad exprobrationem nostrã ita proferunt uerba, dicentes: Adueniat Carolus, apud quẽ refugium, & exercitus Frãcorum: et si ualent, adiuuent uos, & eruant de manu nostra. O quàm insanabilis dolor pro his exprobrationib. in nostro retinetur pectore, dũ tales ac tanti filij suam spiritualẽ matrem sanctã Dei Ecclesiam, eiusq; populum peculiarẽ non conantur defendere? Potens est, charißime fili, ipse princeps Apostolorũ, ob à Deo sibi concessam potestatẽ, suam defendere domum & populum peculiarẽ, atque de inimicis dare uindictam. Sed filiorum fideliũ mentes probat. Non credas fili, falsidicis suggestionibus ac suasionib. eorũdem regum. Omnia enim tibi falsò suggerunt, scribentes circũuentiones, quòd quasi ob aliquam culpam cõmissam habeant eis eorum duces, id est Spoletinus & Beneuentanus. Sed omnia mendacia sunt. Non enim pro alio satisfaciat tibi ueritas, fili, eosdẽ duces persequũtur crimine: nisi pro eo quòd noluerunt præterito anno de suis partib. super nos irruere, & sicut illi fecerunt, res sanctorũ Apostolorum destruere, & peculiarem populum deprędare, ita dicẽtes: Ipsi duces qui contra Ecclesiam S. Dei, eiusque populum peculiarem nõ exercitamus, quoniã & pactum cum eis habemus, & ex ipsa Ecclesia fidem accepimus: ideoq; mucro eorum desæuit contra eos. Nã ipsi prædicti duces parati fuerũt, & sunt, secundum antiquam consuetudinem, eis obedire: sed illi retinentes irã pro eo quod superius diximus, per exquisitam occasionem uolẽtes illos & nos destruere & inuadere: ideoq; utrosque persequentes, uestræ bonitati suggerunt falsa, ut & duces illos nobilißimos degradent, & suos ibidẽ prauos ordinent duces: & multo amplius, quotidie & ex omni parte Dei ecclesiam expugnent, & res B. Petri principis Apostolorũ dißipent, atq; populum peculiarẽ captiuẽt. Tamẽ ut rei ueritas uobis declaretur, Christianißime fili, iubeas post ipsorum regum ad propria reuersionem, tuum fidelißimum missum, qui non à præmijs corrũpatur, huc dirigere: ut proprijs oculis persecutionem nostram, & Dei Ecclesiæ humiliationem, & eius rerum desolationem, & peregrinorum lachrymas conspiceetur: & tuæ bonitati omnia pandantur. Sed hortamur tuam bonitatem corã Domino, & eius terribili iudicio, Christianißime fili, ut propter Deum, & animę tuæ salutem, subuenias Ecclesię S. Petri, & eius peculiari populo, eosdemque reges sub nimia celeritate refutes. Non despicias deprecationem meam, neq; claudas au-

dasau-

das aures à postulatione mea: sic non tibi ipse princeps Apostolorum claudat cœlestia regna. Coniuro te in Deum uiuum & uerũ, & ipsas sacratissimas claues confessionis beati Petri, quas uobis ad regnum direximus: ut non præponas amicitiam Regum Longobardorũ, amori principis Apostolorum. Sed uelocius & sub nimia festinatione sentiamus, post Deum, tuam consolationem, ad nostram defensionem: ut in omnibus gentibus declaretur uestra fides, & bonum nomen. Quatenus & nos cum Propheta mereamur dicere, Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Jacob. Harum autem literarum portitor Anthardus, uester fidelis, quod oculis suis uidit, & nos ei iniunximus, omnia tuæ benignæ excellentiæ uiua uoce enarrat: & petimus bonitatem tuam coram Deo teste & iudice, ut nimis festinanter lenias dolores, & lætabunda nobis celeriter mittas nuncia, ut læti effecti animo die noctuque, pro te tuisque fidelibus coram sacris sanctorum principum apostolorum Petri & Pauli confessionibus, Domino fundamus preces.

Doctrina & errores eius.

In quibusdam capitibus doctrinæ, uocem utcunq; imitatus est rectè docentium. Nam bene monet in epistola ad Thuringos, quòd Deus timendus, adorandus & honorandus sit: & quòd pij debeant abstinere ab omni cultu paganorum.

De baptismo bene dicit: Quisquis in nomine Patris & Filij & Spiritus S. baptizatus est, rebaptizari minimè liceat. Non enim in nomine baptizantis, sed in nomine Trinitatis, huius gratiæ donum percepit. Et teneatur quod Apostolus ait: Vnus Deus, una fides, unum baptisma. In epistola ad Bonifacium, tomo 2 Conciliorum.

De cœna inquit: In Missarũ solennijs obseruãdum est, quod IESVS Christus sanctis suis tribuit discipulis. Accepit nãmq; calicẽ, & dedit eis dicens: Hic calix est noui Testamenti, in meo sanguine: hoc facite in mei cõmemorationem. Vnde congruum est duos uel tres calices in altario ponere, cum Missarum solennia celebrantur. Ex his constat, hunc pontificem communionem sub utraque admisisse specie.

Cum impijs conuersari licere, studio eos conuertendi, & lucrifaciendi, in epistola ad Bonifacium docet.

¶ Sed tamen in plerisq; lupum prodidit, notas Antichristi malè occultans.

Nam corrumpit doctrinã de uno mediatore inter Deũ & homines, nimirum de IESV Christo: & sanctos mortuos, eorumq; merita & preces substituit mediatores, ut patet ex eius decreto, quod postea referemus.

Corrũpit doctrinam de Iustificatione per solã fidem. nam operib. adscribit remissionẽ peccatorum, in epistola ad Bonifaciũ, ubi inquit: Quatenus de fructu operis & ipse ualeas præmia percipere, & ueniã peccatorum inuenire. Et in epistola ad Carolũ, promittit ei uitam æternam, pro defensione Romanæ Ecclesiæ. Et in epistola ad Vnilum & Bauaros, apud Auent. lib. 3. dubitare nos de salute iubet, inquiẽs: Nemo se perfectũ, nemo iustulum, nemo sanctulum esse confidat.

Labefactat doctrinã de inuocatione Dei in nomine IESV. nam etiã in sanctorũ nomine Deũ inuocari iussit: statuas & imagines sanctorũ adoratione, Baalismo & cãdelis coli præcepit: & pro mortuis orandum esse, ad Bonifacium rescripsit.

Baptismi dignitatem extenuat, dum præcipit, ut baptizati impositione manuum, & unctione chrismatis inungantur.

Falsauit doctrinam de clauium potestate. nam eis uim illam attribuit, Imperatorem excommunicatum ab imperio deponendi, & subditos ab obedientia absoluendi, & census & uectigalia Cæsari dare prohibendi: ut patet ex historia. Et ad res leuiculas clauiũ seueritate abusus est. nã clericum comã relaxantẽ, anathemati subijcit, in sua Synodo.

Deprauat doctrinam de Adiaphoris, dum omnes obligat ad traditiones Romanæ ecclesiæ: & dum presbyteros ordinatos ab aliquo qui nõ sit à Romana eccl. missus, iubet denuò consecrari in epist. ad Bonifacium.

¶ Doctrinam de magistratu, & de discrimine ecclesiasticæ & politicæ potestatis, planè ignorasse uidetur.

Doctrinã de coniugio deprauat. nam prohibet nuptias ijs qui etiam in puericia à parentibus in monasteria sunt abditi: in epistola ad Bonifacium. Item presbyteris, monachis, & spirituali aliqua propinquitate iunctis. Propter morbum uxoris dissoluit matrimonium, & propter cognationẽ spiritualẽ: in epistola ad Bonifacium. Et in Synodo Romana, uxorem auunculi ducere permisit.

Opera eius in administratione Pontificatus.

Munus legẽdi & docẽdi S. literas eum obiuisse, & ad pietatẽ singulos cohortatũ esse, Platina in uita eius refert. Sed liber Pont. Damaso adiunctus, unde Platina & alij sua hauserunt, uidetur innuere, illum id egisse, cum adhuc nondum esset pontifex, sed tantùm presbyter. Quòd sacrarũ literarum egregius interpres fuerit, & catholicam fidem propagauerit, uulgus historicorum asserit: sed id quàm purè præstiterit, constat ex ijs quæ de erroribus eius sunt annotata.

Bene quidem gentiles consuetudines de Cal. Ianuarij, de augurijs & incãtationibus Romæ abrogasse, scribitur à Zacharia, in epistola

epistola ad Bonifacium. Et rectè quidem in epistolis suis ad Bonifacium & episcopos Bauariæ præcipit, ut idem in alijs locis fiat. Sed hoc econtrà omni uituperio dignum, quod ipse magiam exercuit, & sanctorum mortuorum inuocationem, & statuarum & imaginum & reliquiarum eorum uenerationem & adorationem & cultum asseruit, defendit & auxit: atque ita auro & argento & gemmis deos alienos, hoc est mortuos sanctos honorauit. Quod quid aliud fuit, quàm gentiles superstitiones & idolomanias in nouam formam commutare, & rem ipsam retinere?

Nam in mortuorum honorem, omnium Sanctorum oratorium in basilica Petri fecit: & basilicas plurimas renouauit & exornauit, ut Petri, Andreæ, Calixti, Mariæ, Sergij & Bacchi, Marci & Pauli. Liber pontificalis.

Deinde, statuis eosdem honorauit. Apostolorum enim, & Genitricis, & sanctarum uirginum statuas argento mundissimo uestiuit, in basilica Petri: Liber pontificalis. & simulachrum Mariæ aureum fecit: Sabellicus Enneadis 8. lib. 8.

Tertiò, reliquias omnium Sanctorum collegit, & in basilicam Petri collocauit, easque quotidianis Missis & cantionibus Baaliticis uenerari, & per eorum merita & preces Deum inuocari iussit, canone lapideis tabulis inscripto in hunc modum: Eorum, quorum solennitas hodie in conspectu tuæ maiestatis celebratur, Domine Deus noster, toto orbe terrarum, quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionib. tuo muniamur auxilio. Liber pontificalis, Sigebertus, Marianus: Berno, de concordia officiorum capite 1.

Quartò, ijsdem festa instituit, & in natalibus eorum lumina ad sepulchra eorum accẽdi, & oblationes & Missas fieri iussit: perinde ut gentes ad sepulchra suorum candelas posuerunt, & sacrificia & libationes fecerũt. Liber pontificalis.

Has gentiles superstitiones coacta Synodo approbauit: & Serenum Massiliensem reprehendit, quòd imagines confregisset. Antoninus titulo 14. cap. 1. §. 1. Et Imperatores & Constantinopoleos episcopum Anastasium, eam ob causam damnauit & excommunicauit, & ab Imperatoris fide & obedientia abduxit totam Italiam, & reliquas ad Occidentem regiones, ac uectigalia Cæsari dare ut seditiosissimus Antichristus uetuit. Paulus Diaconus lib. 21 rerum Romanarum. Zonaras: Sigebertus, anno 731. Et tutelam Romanæ Ecclesiæ à Constantinopolitanis ad Francos trãstulit: ut Simoneta libro quarto, capite 57 indicat.

Orationes & missas pro mortuis fieri iussit: ut patet ex epistola eius ad Bonifacium.

Gregorij primi Dialogos, pro confirmando purgatorio publicari mandauit. Balæus Centuriæ secundæ, cap. 5.

Spongias benedictas Eudoni contra Saracenos pugnãti misit: quas uitam seruasse ijs qui usi fuerant, nugati sunt. Liber pont.

Nuptias seu coniugium legitimum damnauit, pro more Antichristi. Etsi enim in epistola ad Viuilum & alios episcopos Bauarię scripsit, Nemo scortum aut cõcubinam alat: quisque aut castè uiuat, aut uxorem ducat, quam repudiare fas non est: tamen Bonifacius mentem eius ita declarauit, ut sacerdotes uxores habentes à ministerio Ecclesię remoueret. Deinde quid aliud egit tot monasteria ædificando, eaque monachis replendo, & regulas de cœlibatu præscribendo, quàm quod nuptias & coniugiũ deformauit? Bergomensis lib. 10. Tertiò, damnauit nuptias suis decretis. nam presbyteram, diaconam, monacham, commatrem spiritualẽ ducere uxorem uetuit in Synodo Romana, tomo 2 Conciliorum. Et in epistola ad Bonifaciũ, nefas esse dicit, filios aut filias à parentibus in monasteria abditos egredi, & matrimonio copulari, eisq; uoluptatis frena relaxari.

Baalismum auxit. nam, ut ferè sine interuallo à presbyteris hebdomadarijs & monachis in ecclesia Petri diuina officia celebrarentur, instituit. Liber pont. & Platina.

Principatum in Ecclesias Christi exercuit. nam se uoluit haberi caput. & suis legatis parêre omnes iussit: ad suos ritus & ceremonias alios reformari uoluit, ut patet ex epistolis eius. Episcopos & archiepiscopos in Germania electos, Romã mitti ad ordinationẽ, in epistola ad Viuilum imperat. Pallia & priuilegia conferẽdi potestatem sibi arrogauit. Dispensandi contra ius Dei & naturæ, sibi facultatẽ attribuit. nam uxorẽ auũculi ducere permisit. ut patet ex epist. Bonifacij ad Zach.

Vt principes gentium, contra edictũ Christi, dominatus est. nam Imperatorem Leonẽ imperio indignum pronunciauit, & ab eius fide & obedientia Italos & Occidẽtis partes abduxit. Paulus Diaconus lib. 21 rerum Romanarum, & Sigebertus. Et bella gessit. nã Græcos per Longobardos expulit Italia, & Longobardos oppressit per Frãcos. Balæus. Vrbem muniuit muris instauratis, & Gallensium castrum emit. Liber pont.

Ad regni sui prorogationem cum multũ agnosceret prodesse uiros superstitiosos & callidos, sedulò id egit, ut magnã talium copiã sibi compararet: quod per monasteria effecit, quę ipse uel extruxit, uel rexit & instituit. Sic Stephanũ in Chrysogoni cœnobio clericum & monachum constituit. Casinense cœnobium à Longobardis destructum instaura

ſtaurauit, ut Zacharias indicat in epiſtola ad Petronacem: quod Sigebertus Gregorio II adſcribit in Chronico. Aut aliunde ad ſe uenientes, ſibi adiunxit: ut Bonifacium & Vuilibaldum, Corbinianũ & ſimiles, quos honore & potentia euexit, quò eſſent paratiores ad præſtanda obſequia.

Virtutes eius.

Poſtremò quæ de animi magnitudine, quæ nec minis nec blandis uerbis frangi potuit, & de manſuetudine, ſapiẽtia & liberalitate Gregorij in pauperes & captiuos, apud pontificios commemorantur, ſimulachra potius quàm ueræ uirtutes cenſeantur.

Mors.

Cum annos 10, & 8 menſes, & dies 24. ſeu (ut alij habẽt) annos 11 præfuiſſet, obijt mortem, & ſepultus eſt in baſilica Petri, cum magno populi luctu. Liber pontificalis, Platina, Sigebertus, anno Domini 742.

SVB CONSTANTINO Copronymo.

ZACHARIAS.

Zacharias natione Græcus, patre Polychronio, Liber pont. aut Polycranio, Platina: aut Politronio, ut Martinus ſcribit, natus, à Gregorio 3. enutritus (ut patet ex epiſtola eius ad Bonifacium) & in diſciplina monaſtica à teneris inſtitutus & uerſatus, homo aſtutus & fraudulẽtus, Græcè & Latinè doctus, facundia & audacia inſignis.

Ad pontificatum qua occaſione uenerit, non indicant ſcriptores, eius rebus geſtis cõſignãdis occupati: de quib. poſtea dicemus.

Scripta eius.

Quatuor libros Dialogorũ Gregorij Græcos fecit: ut in Græcos ſomnia illa de purgatorio, & errorẽ de ui liberi arbitrij propagaret. Sigebert. in Chron. & Bergomenſ. lib. 10. & Balæus in uita eius. Anno Domini 735.

Scripſit epiſtolas plures ad diuerſos. In 2 tomo Concil. extant 6. eius epiſtolæ. Prima, ad Vuittã: in qua confirmat tres ſedes epiſcopales à Bonifacio in Germania conſtitutas. Secunda, ad Bonifaciũ: in qua monet eũ, ne rebaptizet eos, qui errore linguæ Romanæ, nõ animo malo, neq; ex hęreſi aliqua baptizati erãt. Tertia, ad epiſcopos Gallię & Germaniæ: in qua gratulatur ijs de ſpontanea cõuerſione ſua ad B. Petrum principẽ Apoſtolorũ, & de conſenſu & concordia cũ Bonifacio & Romana Eccleſia, ac precatur ut in ea perſeuerẽt. Quarta, ad Bonifaciũ: in qua gratulatur ei de Synodo & ſede metropolitana, Mogũtina nimirũ: ac porrò eũ inſtruit de multis rebus ad Pontificios characteres pertinentib. & aduerſarios eius Albertum & Clementẽ damnat, & Colonienſem metropolim ei adiudicat. Quinta, ad eundẽ Bonifacium: in qua iterum inſtruit eũ de rebus ad gubernationem Eccleſiæ pertinentib. & maximè de lardo, quãdo debeat comedi. Sexta, ad eundem Bonifacium: qua reſpõdet Bonifacio ad ſuam epiſtolã, & ſacerdotes à die ordinationis à proprio coniugio prohibendos dicit. Conſilium etiã ei ſuggerit de ordinando ſucceſsore, eoq; ſub extremam horã mortis cum aſſenſu fratrum conſtituendo.

Scripſit plures epiſtolas ad Pipinum regem Francorum, & ad Carolomannũ, ut apparet ex epiſtolis eius ad Bonifacium: quæ non omnes extant. Vnam ſubijcimus, ex qua conſtat, quomodo Zacharias characterem ſuum Francicis & Germanis Eccleſijs impreſſerit.

¶ Domino excellentiſsimo atque Chriſtianiſsimo Pipino Maiori domus, ſeu dilectiſsimis nobis uniuerſis epiſcopis Eccleſiarum, & religioſis abbatibus, atque cunctis Deum timentibus principib. in regione Frãcorum conſtitutis, Zacharias epiſcopus ſanctæ Dei Eccleſię catholicæ & Apoſtolicę Romanæ, in Domino ſalutem. Gratia uobis & pax à Deo patre omnipotẽte, & Domino IESV Chriſto, unico filio eius, & à Spiritu ſancto miniſtretur. Gaudio magno gaudemus in Domino, addiſcentes per relationem ſublimiſsimi atq; à Deo ſeruati, prædilecti filij noſtri Pipini, ueſtrã omnium bonam cõuerſationem: & quòd ut in bonis & Deo placitis diſpoſitionibus unanimes, atq; cooperatores eſtis: ita & Eccleſiæ Dei uenerabilia loca per uniuerſam ueſtrã prouinciã ſita, atque eorũ præſules, ſacerdotes & religioſos abbates, ut cõdecet, in ſancto habitu & conuerſatione ſacerdotali conſeruẽtis, uacantes orationibus, inſiſtentes precibus ad implorandam diuinã potentiam, & cœlitùs uictoriam tribuendã aduerſus paganas & infideles gentes propugnatoribus ueſtris. Etenim uobis in uera confeſsione & ſimplici corde ad Deum accedentib. ſicut Moſes ille amicus Dei orando pugnabat, & Ionathas cum populo Iſrael bella Domini præliando uincebat: ita & uos agere oportet, charisſimi mihi, ut ſitis adiutores populo ueſtro orando, & bonis actibus inhærendo, declinantes à curis & negocijs ſecularibus. Scriptũ eſt enim: Vacate & uidete quoniã ſuauis eſt Dominus. Et iterũ: Accedite ad eũ, & illuminamini, & uultus ueſtri nõ erubeſcent. Principes & ſeculares homines, atq; bellatores conuenit curã habere, & ſolicitudinem cõtra inimicorum aſtutiam, & prouinciæ defenſionẽ. Pręſulib. uerò, ſacerdotib. atq; Dei ſeruis pertinet ſalutarib. conſilijs atq; orationib. uacare, ut uobis orãtibus & illis bellantib. Deo præſtãte prouincia ſalua perſiſtat, fiatq; uobis in ſalutẽ, laudem & mercedem perpetuam. Ex hoc

quippe præsulatus uester apparebit in sanctitate, & principatus dilecti filij nostri Pipini approbabitur per subiectorum potestatem, & bonum dispositum. Itaque ut flagitauit à nobis cum uestro consultu superius effatus filius noster Pipinus, ut de omnibus capitulis quib. innotuit responsum demus, in quantum, Domino dante, ualemus: de unoquoque capitulo inferius conscriptum, iuxta quod à sanctis Patribus traditum habemus, & sacrorum Canonum sanxit authoritas: etiam nos quod, Deo inspirante, Apostolica authoritate decernere potuimus, mandauimus in responsis. Primum capitulum: Quomodo honorari debeat metropolitanus episcopus coram episcopis & parochialibus presbyteris. In Canone sanctorum Apostolorum, capitulo 35 scriptum est: Episcopos gentium singularum scire cõuenit, quis inter eos primus habeatur, quem uelut caput existiment, & nihil amplius præter eius conscientiam gerant: cum illi soli singula quæ parochiæ propria, & uillis quæ sub ea sunt, competant. Sed nec ille præter omniũ conscientiam faciat aliquid. Sic enim unanimitas erit, & glorificabitur Deus per Christum in Spiritu sancto. Item in canone Concilij Antiocheni, capitulo 9 continetur ita: Per singulas regiones episcopos conuenit nosse, metropolitanũ episcopum totius prouinciæ solicitudinem gerere: propter quod ad metropolim omnes undique, qui negocia uidentur habere, concurrent: unde placuit, eum & honore præcellere, & nihil pręter eum cæteros episcopos agere, secundum antiquam à patribus regulam constitutam, nisi ea tantùm quæ ad suam diœcesim pertinent, possessionesque subiectas. Vnusquisq; enim episcopus habeat suæ parochiæ potestatem, ut regat iuxta reuerentiam singulis competentem: & prouidẽtiam gerat omnis possessionis, quæ sub ea est potestate. Item ut presbyteros & diaconos ordinet, & singula suo iudicio comprehendat. Amplius aũt nihil agere præter antistitem metropolitanũ tẽtet: nec metropolitanus aliquid gerat sine cæterorum sacerdotum consilio. Item ex libro Decretorum beati Leonis papæ, capitulo 32 continetur: Igitur secundum sanctorũ Patrum canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos, metropolitanos singularum prouinciarum episcopos, quibus ex delegatione nostra fraternitatis tuæ cura prætenditur, ius traditæ sibi antiquitùs dignitatis intemeratum habere decernimus, ita ut à regulis præstitutis nulla aut negligentia aut pręsumptione discedãt, aut in habitu aut incessu sanctitatis. Nam & nos ab Apostolica autoritate subiungimus, ut episcopus iuxta dignitatem suã indumentis utatur. Simili modo & presbyteri, cardinales, & qui in monastica uita, uelle habeãt uiuendi, plebi quidem sibi subiectæ, præclariori ueste induti, debitũ prædicationis persoluant: & in secreto propositum seruẽt sui cordis, ut qui uidet in abscondito Deus, reddat illis in palàm. Scriptum quippe est: Quæ dicitis in cordibus uestris, & in cubilibus uestris cõpungimini. Non enim nos honor cõmendat uestium, sed splendor animarum. Monachi uerò lanea indumenta, iuxta normam & regulam monasticæ disciplinæ, atq; traditionem sanctorum probabilium Patrũ, sine intermissione utantur. Si enim abrenunciantes ea quæ seculi sunt, tota se Deo intentione contulerunt, de omnibus illicitis debent abstinere: ut quantum corpori suo sustinuerint laborem, tantum remunerationis pręmium à Deo percipere mereãtur. Apostolis quippe diuinum datum est mandatum, duas tunicas non habendi. Tunicas dixit: itaque laneas, non lineas. Qui ergo obedierit Dominico præcepto, bonis actibus inhęrẽs, habebit uitam æternam. Item ex canone Antiocheni Cõcilij, capitulo decimo, de his qui uocantur Chorepiscopi, decretum est: Qui in uicis uel possessionibus chorepiscopi nominantur, quamuis manus impositionem episcoporum perceperint, & ut episcopi consecrati sint: tamen sanctæ Synodo placuit, ut modum proprium cognoscant, & gubernent subiectas sibi Ecclesias, earumque moderamine curaque contenti sint. Ordinent etiam lectores, & subdiaconos, atque Exorcistas, quibus promotiones istæ sufficiant. Nec presbyterum uerò, nec diaconum audeant ordinare, præter ciuitatis episcopũ, cui ipse cum possessione additus est. Si quis autem transgredi statuta tentauerit, depositus quo utebatur honore priuetur. Chorepiscopũ uerò ciuitatis episcopus ordinet, cui ille subiectus est. Secundo capitulo de episcopis, presbyteris & diaconis dãnatis, quòd pristinum officium usurpare non debeant. Ex libro Canonum sanctorum Apostolorũ, capitulo 29 dictum est: Sique episcopus, aut presbyter, aut diaconus depositus iustè super certis criminibus, ausus fuerit attrectare ministerium dudum sibi commissum, hic ab Ecclesia penitùs abscindatur. Tertium capitulum, de presbyteris superuenientibus, ex concilio Carthaginẽsi, capite undecimo: Si quis presbyter contra episcopum suum inflatus schisma fecerit, anathema sit. ab uniuersis episcopis dictum est, Anathema sit. Sique presbyter à præposito suo correptus fuerit, debet utique apud uicinos episcopos conqueri, ut ab ipsis eius causa possit audiri, ac per ipsos suo episcopo reconciliari. Quod nisi fecerit, sed superbia (quod absit) infla-

inflatus secernendo se ab episcopi sui communione subduxerit, ac separatim cum aliquibus faciens sacrificiũ Deo obtulerit, anathema habeatur, & locum amittat. Si querimoniam iustam aduersus episcopũ non habuerit, inquirendum erit. Quartum capitulum, de presbyteris agrorũ, quã obedientiam debeant exhibere episcopis & presbyteris cardinalibus, ex cõcilio Neocæsariensi, capitulo 13 ita continetur: Presbyteri ruris in Ecclesia ciuitatis episcopo præsente, uel presbyteris urbis ipsius, offerre nõ possunt, nec panẽ sanctificatũ dare, calicemq; porrigere. Si uerò absentes fuerint, & ad dandã orationem uocentur, soli dare debebunt. Chorepiscopi quoq; ad exẽplũ & formã septuaginta uidentur esse, ut quod ministrauerint propter studium quod erga pauperes exhibent, honorentur. Quintum capitulum, de monachis, id est ancillis Dei, de quibus flagitatũ, si liceat eas ad Missarum solennia, aut sabbato sancto publicè lectiones legere, & ad Missas psallere, aut Alleluia, uel respõsorium. De his in Decretorũ libro beati Gelasij papæ, capitulo 32 destinatum est, quòd nefas sit, feminas sacris altaribus ministrare, uel aliquid ex his quæ uirorum sunt officijs deputata præsumere. Nihilominus impatienter audiuimus, tantum sacrarum rerum subijsse despectum, ut feminæ sacris altaribus ministrare firmentur, cunctaq; quæ non nisi uirorum famulatui deputata, sexum cui non competit exhibere: nisi quòd omnium delictorum, quæ singillatim perstrinximus, noxiorum reatus omnis & crimẽ eos respicit sacerdotes, qui uel ista committunt, uel committentes minimè publicando prauis excessibus se fauere significant. Sextum capitulum, de uiduis, si possint in proprijs habitaculis suis saluare animas. Item ex eodẽ libro, capitulo 21 ita continetur: Vt uiduæ non uiolentur à pontificibus: & si professam cõtinentiam proposito mutato calcauerint, ipsæ pro se rationem Deo pro suis sint actionibus redditure. Nam de uiduis sine ulla benedictione uelandis, superius duximus latius differendum: quæ si propria uoluntate professam coniugij castitatem mirabili mente calcauerint, periculi eius intererit, quali Deum debeat satisfactione placare. Sicut enim, si se forsitan continere non poterat, secundum Apostolum nullatenus nubere uetabatur: sic habita secundũ deliberationem, promissam Deo pudicitiæ fidem debuit custodire. Nos autem nullum talibus laqueũ debemus inijcere, sed solum adhortationes præmij sempiterni, pœnasq; proponere diuini iudicij, ut nostra sit absoluta conscientia, & illarum pro se rationem Deo reddat intentio. Septimum capitulum de laico pellente suam cõiugem: ex canone sanctorũ Apostolorum, cap. 48. Siq; laicus uxorem propriam pellens, alteram uel ab alio dimissam duxerit, cõmunione priuetur. Octauum capitulum, de presbyteris & diaconis, qui se à ministerio Ecclesiastico subtrahunt, & seorsim collectas faciunt, ex Canone Antiocheni concilij capite 5. promulgatum est: Siq; presbyter aut diaconus episcopum proprium contemnens, se ab Ecclesia sequestrauerit, & seorsim colligens altare cõstituisset, & commonenti episcopo non acquieuerit, nec consentire uel obedire uoluerit semel & iterum uocanti: hic damnetur omni modo, nec ultrà remedium cõsequatur, quia suam recipere non potest dignitatem. Quòd si Ecclesiam turbare & sollicitare persistit, tanquam seditiosus per potestates exteras opprimatur. Nonum capitulum, de clericis & monachis non manentibus in suo proposito, quod interrogatum est in Canone Chalcedonensi capite 7. Decretum est: Qui semel in clero deputati sunt, aut monachorum uitam expetiuerunt, statuimus neq; ad militiam, nec dignitatem aliquam uenire mundanam: aut hoc tentantes, & non agentes pœnitentiam, quo minus redire ad id quod propter Deum primitùs elegerint, anathematizari. Decimum caput, de clericis, qui sunt in ptochijs, monasterijs atq; martyrijs, ex Canone Chalcedonensis concilij, capite 9 ita decretum est: Clerici qui præficiuntur ptochijs, uel ordinantur in monasterijs & basilicis martyrum, sub episcoporum, qui in unaquaq; ciuitate, secundũ sanctorũ Patrum traditiones potestate permaneant: nec per contumaciã ab episcopo suo desiliant. Qui uerò audẽt euertere huiusmodi formam quocunque modo, nec proprio subijciũtur episcopo, si quidem clerici sunt, canonũ correptionibus subiacebunt: si uero laici uel monachi fuerint, communione priuentur. Vndecimum caput: Qui clerici etiã ab uxoribus abstinere debeant, ex concilio Aphricano, capite 37, ita continetur. Præterea cum de quorundam clericorum quãuis erga uxores proprias incõtinentia referretur, placuit, episcopos & presbyteros seu diaconos, secundum propria statuta etiam ab uxoribus continere. Quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico officio remoueãtur. Cæteros autem clericos ad id non cogi, sed secundum uniuscuiusque Ecclesiæ consuetudinem obseruari debere. Duodecimum caput, de his qui uxores aut uiros dimittũt, ut sic maneant. Ex Concilio suprascripto Aphricano, capite 69 ita cõtinetur: Placuit, ut secundũ Euangelicã & apostolicam disciplinã neq; dimissus ab uxore, neq; dimissa à marito alteri coniungantur: sed ita maneant,

aut sibi inuicem reconcilientur. Quòd si contempserint, ad pœnitentiam redigantur. Decimumtertium caput: Inquisitum est, quòd monachus, si clericus factus fuerit, quid agi debeat. Ex decreto beati Innocentij papæ capite 17 continetur: De monachis, qui diu morantur in monasterijs, & postea ad clericatus ordinem peruenerint, non debere eos à proprio proposito deuiare. Aut enim sicut in monasterio fuit, & quod diu seruauit, in meliori gradu positus amittere non debet: aut si corruptus, postea baptizatus, & in monasterio sedens ad clericatus ordinem accedere uoluerit, uxorem omnino habere non potest, qui nec benedici cum sponsa potest iam antea corruptus. Quæ forma seruatur in clericis, maximè cum uetus regula hoc habeat, ut quisque corruptus baptizatus clericus esse uoluisset, sponderet se uxorem omnino non ducere. Decimumquartũ caput: Quòd presbyteri, subdiaconi, si in aliquo crimine prolapsi fuerint, non possint per manus impositionem pœnitentiæ remedium consequi. In decreto beati Leonis papæ, capite decimosexto decretum est ita: Alienum est à consuetudine Ecclesiastica, ut qui in presbyterali honore aut diaconij gradu fuerint cõsecrati, hi pro crimine aliquo suo per manus impositionem remediũ accipiant pœnitẽdi. Quod sine dubio ex Apostolica traditione descendit, secundum quod scriptum est: Sacerdos si peccauerit, quis orabit pro illo? Vnde huiusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei secreta est expetenda secessio, ubi illi satisfactio fuerit digna, & etiam fructuosa. Decimumquintum caput, pro eo quod interrogatum est de Laicis, qui Ecclesias in suis proprietatibus construunt, quis ipsas debeat regere aut gubernare: à sanctis patribus ita statutum est, & in præceptis Apostolicis sic continetur, iuxta petitoris imploratum, ut si in quolibet fundo cuiuscunque iuris oratorium siue basilica fuerit constructa, pro eius deuotione in honorem cuiuscunque sancti, in cuius episcopi parochia fuerit fundatum oratorium, percepta primitùs donatione legitima, id est, præstantem tot gestisque municipalibus allegatis prædictum oratorium, atque missas publicas solenniter consecratis: ita ut in eodem loco nec futuris temporibus baptisteria construantur, nec presbyter constituatur cardinalis. Sed etsi Missas sibi fortè maluerit, ab episcopo nouerit presbyterum postulandum, quatenus nihil à quolibet alio sacerdote nullatenus resistatur, nisi ab episcopo fuerit ordinatum. Decimumsextum caput: De clericis qui proprias Ecclesias relinquunt, quid de eis agi debeat, ex Canone sanctorum Apostolorum capite 15 ita continetur: Si quis presbyter, aut diaconus, aut quilibet de numero clericorum relinquens propriam parochiam pergat ad alienã, & omnino declinans præter episcopi sui conscientiam in aliena parochia commoretur, hunc ulterius ministrare non patimur; præcipuè si uocatus ab episcopo redire contempserit in sua inquietudine perseuerans, causam tanquã laicus ibi cõmunicet. Decimumseptimum caput, item pro episcopis, qui alterius clericos susceperint, ut excommunicentur, in eodẽ Concilio capite 16 continetur: Episcopus uerò, apud quem memoratus esse constiterit, si contra eos decretam cessationem pro nihilo reputans tanquã clericus fortè susceperit, uelut magister inquietudinis cõmunione priuetur. Decimumoctauum: Qui clerici uxores sortiri debeãt. In 2 & 7 capitibus Canonũ sanctorũ Apostolorum decretũ est: Innuptis aũt, qui ad clerum prouecti sunt, præcipimus, ut si uoluerint, uxores accipiãt, sed lectores cantoresq; tantummodo. Decimumnonum caput: Vt nullus presbyter aut diaconus sine commendaticijs suscipiatur epistolis, in eodẽ Canone sanctorũ Apostolorum cõtinetur: Nullus episcoporum peregrinorũ aut presbyterorũ seu diaconorũ sine cõmendaticijs suscipiatur epistolis: & cũ scripta detulerint, discutiantur attentius: & ita suscipiãtur, si prędicatores pietatis extiterint: sin minus, neque necessaria subministrentur eis, & ad cõmunionem nullatenus admittantur, quia à surreptione multa proueniunt. Vigesimum caput, de uirginibus uelatis, si deuiauerint, quid de illis agendum sit. In libro decretorum beati Innocentij papæ, capite decimonono adsertum est: Quæ Christo spiritualiter nubũt, & à sacerdote uelantur, si postea uel publicè nupserint, uel se clanculo corruperint, non eas admittendas esse ad agendam pœnitentiam, nisi is cui se adiunxerat, de mundo recesserit. Si enim de hominibus hæc ratio custoditur: quæcunque uiuente uiro alteri nupserit, habeatur adultera, nec eis agendi pœnitentiam licentia concedatur, nisi unus ex his fuerit defunctus: quanto magis de illa tenenda est, quæ antè immortali se sponso coniunxerat, & postea humanas ad nuptias transmigrauit? Vigesimumprimum caput. Idem de non uelatis uirginibus, si deuiauerint, in eodem libro, uigesimo capite continetur: Hæ uerò quæ necdum sacro uelamine tectæ, tamen in proposito uirginali semper se simulauerunt permanere, licet uelatæ non fuerint, si fortè nupserint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia est, quis sponsione eiusmodi tenebantur.

Si enim

Si enim inter homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolui: quanto magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigit, solui sine uindicta non poterit? Nam si apostolus Paulus, quæ à proposito uiduitatis discesserant, dixit eas habere damnationem, quæ primam fidem irritam fecerunt: quanto potius uirgines, quæ prioris promissionis fidem frangere conatæ sunt? Hæc itaque, fratres charissimi, si plena uigilantia fuerint ab omnibus Dei sacerdotibus obseruata, cessabit ambitio, iniquitas superata calcabitur, ueritas spirituali feruore flagrabit, pax prædicata labijs cum uoluntate animi concordabit: implebitur edictum Apostoli, ut unanimes unũ sentientes permaneamus in Christo: nihil per contentionẽ nobis, neq; per inanem gloriam uindicantes: non hominibus, sed Deo nostro saluatori placentes.

Vigesimũsecundũ caput, de his qui duobus fratribus nupserunt, uel qui duas sorores uxores acceperint. In Concilio Neocæsariensi, capite 11 continetur: Mulier si duobus fratribus nupserit, abijciatur usque ad mortem. Verumtamen in exitu propter misericordiam, si promiserit, quod facta incolumis huius cõiunctionis uincula dissoluat, fructu pœnitẽtiæ in uita permanenti *. Nos autem gratia diuina suffragante, iuxta prędecessorum & antecessorum Pontificũ decreta multo amplius confirmantes dicimus, ut dum usq; sese generatio cognouerit, iuxta ritum & normam Christianitatis & religionis Romanorum nõ copulentur coniugijs. Sed nec spiritualem, id est commatrẽ aut filiam, quod absit, quis ducat temerario ausu uxorem. est namque nefas, & perniciosum peccatũ coram Deo & angelis eius. In tantum enim graue est, ut nullus sanctorũ patrum, atque sanctarum synodorum assertiones, uel etiam in imperialibus legibus quispiam iudicatus sit, sed terribile iudicium Dei metuentes siluerũt sententiã dare. Vigesimũtertium caput, de his qui homicidium sponte perpetrauerunt. In 21 capitulo Anquirani concilij cõtinetur: Qui uolũtariè homicidiũ fecerunt, pœnitentiæ iugiter se submittant, perfectionem uitæ uerò circa exitum consequantur. Vigesimumquartum caput, de his qui homicidium non sponte perpetrauerunt, in eodem Canone, uigesimoquinto capite continetur: De homicidijs non sponte commissis, prior quidem definitio post septem annorum pœnitentiam, perfectionem consequi præcepit: secunda uerò, quinquennij tempus explere. Vigesimumquintum caput, de his qui adulteras habent uxores, uel si ipsi adulteri comprobantur, in Concilio Anquirano, capite decimonono continetur: Si cuius uxor adulterata fuerit, uel si ipse adulterium commiserit, septem annorum pœnitentia oportet eum perfectionem consequi secundum pristinos gradus. Vigesimumsextum caput, de monachis & uirginibus propositum non seruantibus, in libro decretorũ beati Siricij papæ, cap. 6. continetur: Prȩterea monachorũ quosdam, atq; monacharum, abiecto proposito sanctitatis, in tantam protestaris demersos esse lasciuiã, ut prius clanculo, uel sub monasteriorum prætextu illicita ac sacrilega se contagione miscuerint: postea uerò in abruptã conscientiæ desperationem perducti, de illicitis complexionibus liberè filios procrearent. Quod publicè leges, & Ecclesiastica iura condemnant. Has igitur impudicas detestabilésque personas, monasteriorum cœtu electorumque conuentibus eliminandas esse, quatenus retrusæ in suis ergastulis, tantum facinus continua lamentatione deflentes, purificato possint pœnitudinis igne decoquere, ut eis uel ad mortẽ saltem, solius misericordiæ intuitu, per communionis gratiam possit indulgentia subuenire. Vigesimum septimum caput, de his qui non coactè, sed propria uoluntate uirginitatis propositum susceperunt, quod delinquant cum nupserint, etsi nondum fuerint consecratæ, in libro decretorum beati Leonis papæ, capite uigesimooctauo continetur: Puellæ quæ non coactæ parentum imperio, sed spontaneo iudicio uirginitatis propositum atque habitum susceperunt, si postea nuptias eligunt, præuaricantur, etiamsi nondum eis gratia consecrationis accessit: cuius utique non fraudarentur munere, si in proposito permanerent. Hæc itaque, charissimi nobis & dilectissimi, quæ superius annexa sunt, in quantum miserante Deo ualuimus, inter cætera cap. deflorantes, tam sanctorum Apostolorum, quàm etiam beatorum Patrum sanctiones, seu etiam probabilium & beatissimorum Pontificum decreta, ut uniuscuiusq; Capituli sententia continet, in breui eloquio perstringẽtes, ad uestri præsulatus noticiam & prædicationem, atq; populi uobis à Deo crediti ædificationẽ mandauimus ministranda atq; perficienda: hortantes uestram omniũ prudentissimam sanctitatẽ, & procerũ dilectionẽ, ut omnimoda ratione non declinantes à dextris aut sinistris, sed uiã regiã incedentes fortissimè obseruetis Apostolica mandata. Cæterùm hæc, amantissimi nobis, dedimus uobis in mandatis, ut nec nos corã Deo de taciturnitate iudicemur, nec uos de neglectu corã eo cogamini reddere rationẽ. Sicut scriptũ est in Dominico pręcepto: Si nõ uenissem, & locutus eis fuissem, peccatũ non haberẽt. Itaque nihil excusationis adhibẽtes, omniũ ra-

tionabiliū animarū salutem procuretis, ita currentes in agone ut non uituperetur ministerium uestrū, sed magis de palma uictoriæ brauium accipiatis, iuxta egregij Apostoli dictū: Habentes bonis actibus inhærendo repositam coronā iustitię in siderea mansione, quam uobis reddat in illum diem iustus iudex, Dn̄us Deus & saluator noster IESVS Christus, qui uiuit in unitate cum Deo patre omnipotente, & Spiritu sancto, per omnia secula seculorum, Amen.

Doctrina & errores eius.

De ijs quæ rectè docuit, quid attinet dicere, cum eadē erroneis opinionibus & notis Antichristi obscurarit?

Nam Deum quidem unum & tres personas esse sensit, Patrem, Filiū, & Spiritum sanctum. Sed tamen Dominum nostrum IESVM Christum, suo honore priuat, dum sanctos mediatores & intercessores ad Deū constituit. inquit enim in priuilegio Casinensi: Qui intuitu huius nostri Apostolici instituti obseruator extiterit, benedictionis gratiam à misericordissimo Domino Deo nostro per intercessionē beati patris nostri Benedicti consequatur, & uitæ æternæ præmia adipisci mereatur.

Spiritum etiam sanctum deturbat de suo officio, dum sanctum Petrum cooperatorem bonorum operum facit, in epistola ad Bonifacium. inquit enim: Beatus Apostolorum princeps Petrus cooperetur tibi in omnibus, quæ ei parare desideras.

Deos ergo alienos, nimirū mortuos sanctos statuis, auro & argento, ædificijs, missis, adoratione, cultu reliquiarum colendos docuit, & suo exemplo eam superstitionem confirmauit.

Scripturam ueteratoriè allegat: Christus uetuit duas habere tunicas: Ergo sacerdotes laneis, non lineis uestibus uti debent. In epistola ad Pipinum.

De libero arbitrio Gregorij Magni errorem amplexus est, quòd bonum opus sit in nostra uoluntate, & ex diuino adiutorio proueniat perfectio.

Iustificationem adscribit bonis operibus, in epistola ad Pipinū: Qui obedierit diuino præcepto, bonis actibus inherens, habebit uitam æternam.

Doctrinam de Ecclesia multis modis corrumpit. Nam ad traditiones Romanæ Ecclesiæ omnes obligat, & Gallos in benedictionibus suis ab ea discedentes damnat, malè accommodato dicto: Si quis aliud Euangelium docuerit, anathema sit. Et ad sanctū Petrū benigna uoluntate conuersis gratulatur, & episcopū contemnentē excommunicationem & autoritatem pontificis Romani execratur: in epistola ad Bonifacium.

Opinionē, quasi in ueste monachica plurimum insit sanctitatis, hominum mentibus inseuit. In epistola ad Pipinum.

Nuptias sacerdotum damnauit, contra suā conscientiā. cōtraria enim ponit in eodē subiecto, dicente Domino, Sacerdotes mei semel nubant: & Apostolus, Vnius uxoris uirū, &c. & hoc ante susceptū sacerdotiū uti licitū est. Nam à die suscepti sacerdotij, etiā ab ipso proprio coniugio prohibendi sunt. In epistola ad Bonifaciū. Et commatrē aut filiam ducere uetat, in epistola ad Pipinum.

Purgatoriū esse sensit, quia Gregorij Dialogos uertit.

Opera gubernationis eius.

Ethnicas cōsuetudines de Cal. Ianuarijs, & de augurijs & incantationibus Romæ pullulantes, à Bonifacio admonitus aboleuit. Epistola eius ad Bonifacium, apud Nauclerum generatione uigesimaquinta.

Veneticis mercatoribus, qui ancillas & seruos emebāt Romę, & in Aphricā delatos uendebant Paganis, interdixit ne porrò id facerent: & pro emptis mancipijs preciū ijs restituit, & mancipia libertate donauit. Liber Pontificalis.

Paci studuit: & Luitprandum, Rachim & Aistulphum Longobardorum reges, infestos Romanis, placauit. Liber pontificalis, Sigebertus, Platina, & similes.

Bibliothecam Petri restituit. Platina.

Auunculi mortui uxorem ducere uetuit. In epistola ad Bonifacium.

Ordinauit Stephanū secundū, & fratrem ipsius Paulū, diaconos. Liber Pontificalis.

Presbyteros anno 25. ætatis ordinari permisit. dist. 79. cap. Si triginta.

Rebaptizationē ꝓhibuit, in epist. ad Bonifacium.

Atq; hæc quidem suam laudē merentur: sed quæ sequuntur, Antichristi notæ sunt.

¶ Monasticā uitā, eiusq; superstitiōes promouit. nā Casinense cœnobiū à Gregorio 3 cœptū instaurari, absoluit: & regulā Benedicti monachis tradidit, & nouo priuilegio id cœnobiū omnib. alijs in toto orbe terrarum prætulit: ut cōstat ex Leone Hostiēsi, & Paulo Diacono lib. 6. cap. 13. de gestis Longob.

Et reges etiā eo charactere insignijt. nam Carolomannum in monachum attondit, anno Domini 746. Et postea Rachim cum uxore & liberis suis, anno Dn̄i 749. & Hildericū regem Francorum, anno Domini 750 Sic bestiæ character uenit ad reges, Apocal. decimotertio: Sigebertus, Balæus.

Diuinam quandam potestatem sibi arrogans, ius ponendi & deponendi reges proteruè assumpsit, & à fidelitatis iuramento subditos eorum primus absoluit. Nam cum Bonifacij consilio, Pipinus pusillus, Caroli Martelli spurij filius, Domini sui proditor per le-

tor per legatos Burckhardum & Volradum eum exorasset, ut Franciæ regnum, Childerico deturbato, sibi & heredibus suis firmaret: statim ille Childerico aliàs minus fauens ob denegatum auxilium contra Longobardos, assensit: & Bonifacio suas partes delegauit, ut Pipinum ungeret regem. Regino libro secundo. Annales Francorũ, Blondus ex Albino & Paulo libro 10 decadis primæ: anno Domini 750. Sigebertus.

¶ Deos alienos, hoc est mortuos sanctos coluit, translatione reliquiarũ. Nam Gregorij reliquias à Laterano ad uelum aureum sui nominis templum transtulit. Martinus, Vrspergensis, Honorius in Chronico. Quirini & Hippolyti ossa, Alberto & Occario limitis Auarici seu Pannonici comitibus, ob egregiam nauatam Romanæ sedi contra piratas maritimos operam donauit: anno Domini septingentesimo quadragesimo-quarto. Commentarius de origine gentis & principum Bauariæ: & Lazius libro secundo de rebus Viennensibus, capite 2.

Et collocatione & adoratione imaginum & statuarum. nam Adrianus testatur in epistola ad Constantinum, Zachariam pro restitutione imaginum sæpe ad imperatores Constantinopoleos scripsisse.

Et ædificatione & instauratione basilicarum, oratoriorum, & similiũ domiciliorum, in quibus Deus Maosin colebatur. nam oratoria Georgij, Cæciliæ, & Syri abbatis condidit, & picturis & fabricis eleganter decorauit. Eusebij martyris tectum refecit, & aliorum sanctorum loca in meliorem statum perduxit. Liber pontificalis.

Candelis & lampadibus dies noctesque flagrantibus. nam Ecclesijs uectigalia, quibus oleum pro lampadibus emeretur, assignauit.

Et pompa uestium preciosarum. nam primus sacerdotalem habitum inuenit, & à plebeio distinxit, ut patet ex epistola ad Pipinum: & uestes auro & gemmis distinctas in sacrũ usum dedit. nã uestẽ aureã fecit super altare Petri, & coronã argenteã. Liber pont.

Et defensione & liberatione. nam cum Floriacenses monachi corpus Benedicti abstulissent, ad Pipinũ scripsit, ut curaret id restitui. Epistola extat apud Iuonem.

¶ Bella pro regno huius mundi, & gloria eius acquirenda & cõseruanda gessit. nam cõtra Thrasimundum Spoletinũ ducẽ, cum sibi nõ satisfecisset, fœdus cum Luitprando fecit, eiq; auxilia misit: & Ameriã, Ortam, Polimartiũ, & Bleram, & quædã alia recuperauit. Blondus decadis primæ libro 10: & Bonfinius decadis primæ libro octauo, de Vngaria: & Liber pontificalis.

Suis mancipijs & asseclis, à quibus adiuuabatur in confirmando regno suo & cultu Maosin, terram, hoc est opes & honores distribuit. nam Pipino, ut antea diximus, regnum Francorũ dedit, idq; ei tutũ præstitit, deposito & in monachũ cõsecrato Carolomanno fratre eius, & Childerico rege priori. Deinde suis clericis stipendia duplo maiora attribuit, eisq; securitatẽ ab omnibus præstitit. Liber pontificalis. Bonifacio legato suo Buconiam donauit, ut Muntzerus in Chronographia ętate tertia refert: eumq; Moguntinum archiepiscopũ fecit, & Coloniẽsis ecclesiæ præfecturã ei adiunxit. Mutius lib. 7. & Zacharias in epistola ad Bonifacium, tomo 2 Conciliorum. Eumq; regibus Francorum, & episcopis & ecclesijs commendauit, & tutum ac securũ præstitit contra eius aduersarios Albertum, Clementem, & alios, quos damnauit & oppressit ante causæ legitimam cognitionem.

Ecclesiam Dei turbauit. nam Orientis & Occidentis ecclesias diuulsit. Balæus in uita eius. Et Germanas & Francicas ecclesias per Bonifacium & alios suos legatos characteribus Pontificijs deformauit, ut patet ex epistola ad Bonifacium. Et episcopatus confirmandi potestatem ad sese attraxit, & Bonifacij ordinationes & distributiones diœcesium sua autoritate factas esse uideri uoluit, ut patet ex epistolis.

Cœlibatum in monasterijs & sacerdotio instituit, atq; ita nuptias prohibuit: & Bonifacio mandauit, ut sacerdotes à coniugio legitimo depelleret. In epistola ad eundem.

Quòd lardum non nisi coctum, aut fumo induratum, comedendum sit, consilium Bonifacio dedit in epistola.

De uirtutibus eius.

Commendant eum à suauitate & studio tranquillitatis, & liberalitate in monachos & pauperes, & benignitate in hostes. Liber pontificalis.

Ei Rauennam eunti, nubem per totam diem contra calorem præbuisse umbraculum, ac nocte circa castra eius resedisse, ac altero die iterum unà cum igneis aciebus præcessisse, narrat Liber pontificalis: & Ranulphus libro 5. capite 25.

De morte.

Obijt anno Domini 751, aut sequenti, ut quidã uolunt, cum præfuisset annis decem, mensibus quatuor, & diebus quatuor. Schafnaburgensis, Bergomensis, Hermannus Cõtractus, & similes.

STEPHANVS SECVNDVS.

STephanus secundus, Romæ ex Constantino natus, in Lateranensi cubiculo, parente orbatus, educatus & institutus est. Cum adoleuisset diaconus, & postea presbyter ordinatus per gradus Ecclesiasticos, tan-

tandem ad pontificatum ascendit, à tota Ecclesia in templo Mariæ electus, & humeris in patriarchium portatus. Liber pontificalis, Platina, & alij. anno Domini 752, iuxta Sigebertum.

Scripta.

Epistolarum Stephani ad Bonifacium, & ecōtrà, mentio fit apud Mutiū lib. 7. in Chronico Germaniæ. Sed uidentur eædem esse, quæ Gregorio tertio aliàs asscribuntur.

Inuenimus aliquot manuscriptas eius epistolas, quas ad Pipinum & Carolomannum & Francos scripsit. Eas, quia aliàs nondum sunt editæ, & probè indicant quibus modis Francos excitauit ad ecclesiæ Romanæ exaltationem, & regni Italiæ subiectionem, adscribendas putauimus.

Epistola Stephani secundi ad Pipinum regem, & Carolum, & Carolomannum.

¶ Dominis excellentissimis, Pipino, Carolo & Carolomanno, tribus regibus, & nostris Romanis patricijs, seu omnibus episcopis, abbatibus, presbyteris & monachis, seu gloriosis Ducibus, Comitibus, uel cuncto exercitui regni & prouincię Frācorū, Stephanus papa, & omnes episcopi, presbyteri, diaconi, seu Duces, chartularij, comites tribum tenentes, & uniuersus populus & exercitus Romanorum, omnes in afflictione positi. Quāta luctuosa & amarissima tristicia circūuallati, quātaq; anxietate atq; angustia coarctati, & quātas crebrescentib. cōtinuis malis oculi nostri destillantes profundant lachrymas, credimus quòd & ipsa omniū elementorum segmenta enarrent. Quis enim harū tribulationum conspector non lugeat? Quis auditor harum nobis inhærentium calamitatum non ululet? Quamobrem cuiusdam bonæ mulieris Susannæ, pudicitiæ uerba loquamur: Angustię nobis undiq;, & quid agamus ignoramus. O Christianissimi: ecce uenerunt nobis dies angustię, præstò sunt dies fletus & amaritudinis: quando, quod timebamus à Longobardis, euenit: pro quo angustiati, afflicti, & ex omni circumquaq; parte circūdati ab eorum nequissimo Haistulpho rege & gente, cū propheta Dominum deprecantes dicimus, Adiuua nos Deus salutaris noster, & propter honorem nominis tui libera nos. Et rursum: Apprehende arma & scutum, & exurge in adiutorium nostrum. Ecce enim cognitum habeas, quomodo pacis fœdera à præfato impio Haistulpho rege & eius gēte dissipata sunt: & qualiter nihil, iuxta ut cōstituit, & per uinculum sacramenti confirmatū est, ualuimus impetrare. Etiam, quia nullū augmentum nobis factum est, & in ipsis Ianuarij Calendis cunctus eiusdem Longobardorū exercitus Tusciæ partib. in hanc ciuitatem Romanā cōiunxerunt & resederunt iuxta portam B. Petri, atq; B. Pancratij & Portuense. Ipse uerò Haistulphus cū alijs exercitib. coniunxit ex alia parte, & sua fixit tentoria iuxta portam Salariam, & cæteras portas: & sępius nobis direxit, Aperite mihi portam Salariam, & ego ingrediar ciuitatem: & tradite mihi pōtificem uestrum, & patientiam ago in uobis. Sin minus, uidete ne muros euertens, uno uos gladio interficiam, & uideam quis uos eruere possit de manibus meis. Sed & Beneuentani omnes generaliter se in hanc Romanam urbem coniungentes, resederunt iuxta portam B. Iohannis, & B. Pauli apostoli, & cæteras istius Romanę urbis portas, & omnia extra portam prædia longè lateque ferro & igni consumpserunt: domos omnes comburentes penè ad fundamenta destruxerunt, ecclesias Dei incenderunt: & sacratissimas sanctorum imagines in ignem proijcientes, suis gladijs consumpserunt. Et munera sacra, id est corpus Domini nostri IESV Christi, in suis contaminatis uasibus, quos folles uocant, miserunt. Et cibo carnium copioso saturati, comedebant eadem munera, uelamina altarium, ecclesiarū Dei omnia ornamenta, quod nimis crudele dici est, auferentes in proprijs utilitatibus usi sunt. Seruos Dei monachos, qui pro officio diuino in monasterijs morabantur, plagis maximis tundentes, plures lanianerunt: & sanctimoniales fœminas atque reclusas, quæ ab infantia & pubertatis tempore pro Dei amore sese clausuræ tradiderunt, abstrahentes cum magna crudelitate polluerunt. Qui etiam & in ipsa contaminatione alias interficere uisi sunt, & omnes domos cultas B. Petri igni combusserunt, uel omnium Romanorum (ut dictum est) domos comburentes extra urbem funditùs destruxerunt, & omnia peculia abstulerunt, & uineas ferro ad radices absciderunt, & messes conterentes omnino deuorauerunt: & neq; domui nostræ sanctæ Ecclesiæ, neq; cuiquam in hac Romana urbe commoranti spes remansit uiuendi. Quia, ut dictum est, omnia ferro & igni consumpserunt, & multos homines interfecerūt. Sed & copiosam familiam beati Petri, uel omnium Romanorum, tam uiros quàm mulieres, iugulauerunt, & alios plures captiuos duxerunt. Nā & innocentes infantulos à mammillis matrum suarū separantes, ipsosq; ui polluētes, interemerunt ipsi impij Longobardi: & tanta mala in hac Romana urbe fecerunt, quanta certè nec paganæ gentes aliquando perpetrarunt. Quinetiam si dici potest, & ipsi lapides nostras desolationes uidentes ululant nobiscum. Quinquaginta & quinque dies hanc afflictam Romanam ciuitatem obsidentes,

sidentes, & ex omni parte circumdantes, prælia fortissima die noctuque cum pessimo furore incessanter cum diuersis machinis & adinuentionibus plurimis, contra nos ad muros istius Romanæ urbis commiserunt: ut suæ potestati, quod auertat Diuinitas, subijciens, omnes uno gladio idem inimicus Haistulphus interimeret. Ita enim cum magno furore nos exprobrantes asserebant: Ecce circundati estis à nobis. Veniant nunc Franci, & eruant uos de manibus nostris. Nam & ciuitatem Narniensem, quã beato Petro concessistis, abstulerunt, & aliquas ciuitates nostras comprehenderunt. Quamobrem constricti, uix potuimus marino itinere præsentes nostras literas, & missum ad uestram Christianitatem dirigere, quas & cum magnis lachrymis scripsimus. Vnde &, dilectissimi nobis, peto uos, & tanquam præsentialiter assistens cũ diuinis mysterijs coniuro, coram Deo uiuo & uero, & eius principe Apostolorum B. Petro, ut sub nimia festinatione nobis subueniatis, ne pereamus: cùm post Deum, in manibus uestris nostras omnium Romanorum cõmisimus animas. Non nos derelinquatis: sic non uos derelinquat Dominus in omnibus uestris actibus. Non nos spernatis: sic non uos spernat Dominus, eius inuocantes potentiam. Ne elongetis à nobis auxilium uestrum Christianissimi: sic non elonget Dominus auxilium suum à uobis, dum ingressi fueritis contra inimicos uestros ad dimicãdum. Adiuuate nos sub magna uelocitate, dilectissimi nobis: occurrite occurrite, & subuenite nobis, antequam gladius inimicorum ad cor nostrum pertingat. peto uos, ne pereamus: ne quando dicant gentes, quæ in cuncto orbe terrarũ sunt, Vbi est fiducia Romanorum, quã post Deum in Regib. & in gente Francorum habebant? Ne nos permittatis perire, & ne differatis nobis ad solatia dandum, nec à uestro separetis auxilio: sic non sitis alieni à regno Dei, & ne obduret Dominus aurem suam uestras ad exaudiendum preces: & ne auertat faciem suam à uobis in illo futuro examinis die, quando cum beato Petro & cæteris suis Apostolis ad iudicandum sederit omnem ordinem, omnemq; potestatem humanam, & seculum per ignem: dicaturque uobis (quod auertat diuinitas) Nescio uos, quia non auxiliati estis Dei Ecclesiam defendere, minimè procurastis eius periclitantẽ populum peculiarem. Audite nos dilectissimi, audite nos, & subuenite nobis. ecce adest tempus saluandi nos: saluate nos antequam pereamus, Christianissimi. Omnes etenim gentes, quæ circũquaq; sunt positæ, & ad uestrã per Dei potentiam Francorum fortissimã gentem refugiũ fecerunt, saluæ factę sunt: & si omnib. auxiliũ impartire nõ differetis, multo amplius sanctam Dei Ecclesiã & eius populũ de inimicorũ impugnatione debueratis liberare. Cõsiderate dilectissimi, & omnino percogitate, per Deum uiuũ uos cõiuro: quoniã post Deum, & eius principẽ Apostolorũ, nostræ omniũ Romanorum animę in uobis pendent: & si perire, quod absit, eas cõtigerit, pensate in cuius animam respiciat id peccatũ. Certè enim omnino credite Christianissimi, si nobis aliqua euenerit calamitas (quod absit) periclitandi, uos de omnib. ante tribunal Dei eritis reddituri rationem. Sed magis, dilectissimi nobis, agite, & liberate post Deũ in uobis cõfugientes, ut fructum bonũ afferẽtes in futuri examinis die, mereamini dicere: Domine noster princeps Apostolorũ B. Petre, Ecce nos clientuli tui, cursum cõsummãtes, fidem seruantes tibi, Ecclesiã à superna Dei clementia cõmendatam, de manib. persequẽtiũ defendentes liberauimus, & assistentes immaculati coram te, offerimus tibi pueros, quos nobis cõmisisti de manib. inimicorũ eruendos, sospites atq; incolumes existẽtes. Tũc & in præsenti uita, & in futuro seculo, cœlestium præmiorũ gaudia adipisci mereamini, audientes paternã desiderabileq; uocem illã inquiẽtis: Venite benedicti patris mei, pcipite regnũ quod uobis præparatũ est ab origine mundi. Quare dereximus præsentẽ nostrũ missum, Georgiũ reuerendiss. ac sanctissimũ fratrem & coepiscopum nostrũ, atq; Vuarneharium religiosum abbatẽ missum uestrum, seu Thomaricũ & Comitã magnificos eosdẽ nostros missos, qui omnes nostros dolores & cũctas desolationes, quas à Lõgobardorũ gente, & eorũ proteruo rege passi sumus, & assiduè patimur, uobis subtili enarratione, quę proprijs oculis uiderunt, uiua uoce edicere debeãt. Quibus, & in omnib. tanquã nobismetipsis credere iubeatis, & nostrã liberationẽ nimis festinãter procurare. Et cõiuro uos per Deum uiuum & uerũ, ut nequaquã amplius discredatis nostras afflictiões, & neglectũ ponatis ad liberãdum nos: ne (quod absit) si amplius credere distuleritis, & neglexeritis nos eruendũ, nobis (quod auertat diuinitas) irruat calamitas pereundi, & uobis ptineat ad magnũ detrimẽtũ, & peccatũ atq; cõdemnationem in præsenti & æterna uita, quia uobis animas omniũ nostrũm Romanorũ tradidimus. Sed magis magisq; uos, ut prædictũ est, cõiuramus, per patrem & filiũ & S. spiritũ, Trinitatẽ indiuisam, ut nostras tribulatiões & angustias atq; dolores & desolatiões credere sine qualibet ambiguitate iubeatis, & nobis, ppter Deũ subuenire, & ad liberãdũ nos de manib. Lõgobardorũ inimicorũ nostrorũ nimis festinãter occurrere iubeatis, ut

ut fructum afferentes copiosum, uita æterna, intercedente beato Petro, perfrui mereamur. Præfatus uerò Vuarneharius, pro amore beati Petri lorica se induens, per muros istius afflictę Romanę ciuitatis uigilabat die noctuque, & pro nostra omnium Romanorum defensione atque liberatione ut bonus athleta Christi decertauit totis suis cum uiribus. Bene ualete.

Item alia eius epistola, in persona Petri apostoli scripta, ad Pipinum & Francos omnes.

¶ Petrus uocatus Apostolus à IESV Christo, Dei uiui filio, qui ante omnia secula cum patre regnans in unitate Spiritus sancti, in ultimis temporibus pro nostra omnium salute incarnatus & homo factus, nos suo redemit precioso sanguine, per uoluntatem paternę gloriæ, quemadmodum per sanctos suos destinauit prophetas, in Scripturis sanctis, & per me omnis Dei catholica & apostolica Romana Ecclesia, caput omnium ecclesiarum Dei, ipsius redemptoris nostri sanguine ipsius super firmam fundata petram, atq; eiusdem almæ Ecclesię Stephanus præsul: Gratia, pax & uirtus, ad eruendam eandem sanctam Dei Ecclesiam, & eius Romanum populum mihi commissum, de manib. persequentiũ, plenius de manib. ministretur à Domino Deo nostro, uobis uiris excellentissimis, Pipino, Carolo & Carolomano, tribus regibus: atq; sanctissimis episcopis, abbatibus, presbyteris, uel cũctis religiosis monachis, uerumetiã ducibus, comitibus, & cũctis generalib. exercitibus & populo Fráciæ cõmorantibus. Ego Petrus apostolus, dũ à Christo Dei uiui filio uocatus sum supernæ clemétię arbitrio, illuminator ab eius potentia totius mundi sum pręordinatus, ipso Domino Deo nostro cõfirmante: Ite docete omnes gétes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti. Et iterũ: Accipite Spiritum sanctũ: quorũ remiseritis peccata, remittũtur eis. Et mihi suo exiguo seruo & uocato Apostolo singillatim suas cõmendãs oues, ait: Pasce oues meas, pasce agnos meos. Et rursum: Tu es Petrus, & super hãc petram ædificabo Ecclesiam meã, & portæ inferorũ nõ præualebũt aduersus eã. Et tibi dabo claues regni cœlorũ: quæcunq; ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcunq; solueris super terram, erunt soluta & in cœlis. Quãobrem omnes qui meã audientes impleuerunt prædicationẽ, profectò credãt sua in hoc mundo Dei præceptione relaxari peccata, & mundi atq; sine macula in illam progredientur uitam. Etenim quib. illuminatio Spiritus sancti in uestris refulsit præfulgidis cordibus, uosq; amatores effecti estis sanctę & unicę Trinitatis per susceptũ Euangelicæ prædicationis uerbum: profectò in hac Apostolica Dei Romana Ecclesia nobis cõmissa, uestra futurę retributionis spes tenetur annexa. Ideoq; ego Apostolus Dei Petrus, qui uos adoptiuos habeo filios, ad defendendũ de manib. aduersariorum hanc Romanam ciuitaté, & populũ mihi à Deo cõmissum, seu & domũ, ubi secundũ carnẽ requiesco, de cõtaminatione gétium eruendã, uestrã omniũ prouocans dilectioné adhortor, & ad liberádã Ecclesiã Dei mihi à diuina potentia cõmendatã omnino protestans admoneo, pro eo q; maximas afflictiones & oppressiones à pessima Lõgobardorũ gente patiuntur. Nequaquã aliter teneatis, amantissimi, sed pro certo cõfidite, memetipsum tanquã in carne corã uobis uiuũ assistere, & per hanc adhortationẽ ualidis cõstringere atq; obligare adiurationibus. Quia secundũ promissionẽ, quã ab eodẽ Domino Deo & redemptore nostro accepimus, peculiares inter omnes gentes uos omnes Frãcorũ populos habemus. Itaq; protestor & admoneo tanquã in ænigmate, & firma obligatione coniuro uos Christianiss. reges, Pipinũ, Carolũ & Carolománum, atq; omnes sacerdotes, episcopos, abbates, presbyteros, uel uniuersos religiosos monachos, uel cũctos iudices, itẽ duces, comites, & cunctũ Francorũ regni populũ, & tanquã pręsentialiter in carne uiuus assistens corã uobis ago ego apostolus Dei Petrus: ita firmiter credite uobis per adhortationis alloqui uerbũ: quia etsi carnaliter desum, spiritualiter aũt à uobis nõ desim. Quoniã scriptũ est: Qui suscipit prophetã in nomine prophetæ, mercedẽ suscipit prophetę. Sed & Dña nostra Dei genetrix semp uirgo Maria, nobiscum uos magnis obligationib. adiurãs protestatur, atq; monet & iubet, simul etiã & throni atq; dominationes, uel cũctus cœlestis militię exercitus: nec non & martyres atq; confessores Christi, & omnes omnino Deoplacentes, & hi nobiscũ adhortãtes & cõiurantes protestantur: quatenus doleat uobis pro ciuitate ista Romana, nobis à Dño Deo cõmissa, & ouib. Dñicis in ea cõmorantibus, necnõ & pro sancta Dei Ecclesia mihi à Dño cõmẽdata: defendite atq; liberate eã sub nimia festinatiõe de manib. psequentiũ Lõgobardorũ, ne (quod absit) corpus meũ, quod p Dño Iesu Christo torméta ppessũ est, & domus mea, ubi p Dei pceptioné requiescit, ab eis cõtaminétur, & populus meus peculiaris lanietur amplius, nec trucidentur ab ipsa Lõgobardorũ gente, qui tãto flagitio piurij rei existũt, & trãsgressores diuinarũ Scripturarũ pbãtur. Præstate ergo populo meo Romano, mihi à Deo commisso, in hac uita fratrib. uestris, Dño cooperãte, psidia totis uestris uiribus: ut ego Petrus uocatus Dei Apostolus in hac uita, & in die futuri examinis, uobis alterna impendens patro-

patrocinia,in regno Dei lucidissima ac præclara uobis præparē tabernacula, atq; ꝑmia æternę retributionis,& infinita paradisi gaudia uobis pollicēs ad uicem tribuā: dūmodò meū peculiarē populum & Romanā meā ciuitatē,fratres nostros Romanos de manibus iniquorū Lōgobardorū nimis uelociter defenderitis. Currite per Deum uiuū & uerū, uos adhortor & ꝓtestor. Currite & subuenite, anteq̃ fons uiuus,unde sacrati & renati estis,arescat: anteq̃ ipsa modica fauilla de flagrantissima flāma remanēs,de qua uestrā lucē cognouistis, extinguatur: antequā mater uestra spiritualis, sancta Dei Ecclesia, in qua uitam speratis accipere æternā, humilietur, inuadatur,& ab impijs uioletur atq; cōtaminetur. Protestor uos,dilectissimi filij mei adoptiui, per gratiā Spiritus S. ꝓtestor,& nimis corā Deo terribili creatore omnium adhortor atq; admoneo,ego Apostolus Dei Petrus, & unà mecū sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia,quā mihi Dn̄s cōmisit: nè patiamini perire hāc ciuitatē Romanam, in qua corpus meū constituit Dn̄s,quā & mihi cōmendauit, & fundamentū fidei cōstituit: liberate eā, & eius Romanū populū, fratres uestros, & nequaquam inuadi permittatis à gente Lōgobardorum. Sic enim sint inuasæ prouincię & possessiones uestrę à gentibus, quas ignoratis. Non separemini à populo meo Romano: sic enim sitis alieni aut separati à regno Dei,& uita ęterna. Quicquid enim poscetis à me, subueniam uobis uidelicet,& patrociniū impēdā. Subuenite populo meo Romano,fratrib.uestris,& perfectius decertate,atq; finē imponite ad liberādū eos. Nullus enim accipit coronam, nisi qui legitimè decertauerit.& uos decertate fortiter pro liberatione sanctæ Dei Ecclesiæ,ne in æternū pereatis. Coniuro uos,ut præfatum est,dilectissimi,per Deum uiuū,& omnino ꝓtestor, minimè permittatis hanc ciuitatem meā Romanam,& in ea habitātē populū, amplius à gente Lōgobardorum laniari,ne laniētur & cruciētur corpora & animæ uestrę in æterno atq; inextinguibili igni tartareo cū diabolo, & eius pestiferis angelis: & ne dispergantur amplius oues Dn̄ici gregis mihi à Deo commissi, uidelicet populus Romanus: seu uos dispergat & ꝓijciat Dn̄s, sicut Israeliticus populus dispersus est. Declaratū quippe est, q, super omnes gētes quæ sub cœlo sunt,uestra Francorū gēs Apostolo Dei Petro prima extitit: & ideo Ecclesiam,quā mihi Dn̄s tradidit, uobis per manus uicarij mei cōmēdaui, ad liberandū de manib.inimicorum. Firmissimè enim tenete, q ego seruus Dei uocatus Apostolus,in omnib.uestris necessitatibus, dūmodò precati estis, auxiliatus sum, & uictoriam per Dei uirtutem uobis de inimicis uestris tribui: & in ante attribuā nihilominus credite,si ad liberandum hanc meā ciuitatem Romanam nimis celeriter accurretis. Mementote & hoc, quomodo & inimicos sanctę Dei Ecclesię,dū cōtra uos pręlium incœperūt,à uobis,qui paruo numero cōtra eos fuistis, prosterni feci. Pro quo decertate hāc meā uelociter adimplere admonitionē, ut perfectius meū mereamini auxilium adipisci, per gratiā quæ data est mihi à Christo Dn̄o Deo nostro. Ecce filij charissimi,ꝑdicās admonui uos: si obedieritis uelociter, erit uobis pertingēs ad magnā mercedē, & meis suffragijs adiuuari:& in pręsenti uita omnes uestros inimicos superātes,& lōgęui existētes bona terrę comedetis,& æterna proculdubiò fruemini uita. Sin aūt (quod non credimus) & aliquā posueritis moram,aut adinuentionē,minimè uelociter hanc nostram implendā adhortationē, ad liberādam hanc meam ciuitatem Romanam,& populū in ea cōmorantem,& sanctā Dei Apostolicam Ecclesiam à Domino mihi cōmissam, simul & eius præsulem: sciatis uos ex autoritate sanctæ & unicæ Trinitatis per gratiā Apostolatus,quę data est mihi à Christo Dn̄o,uos alienari pro trāsgressione nostrę adhortationis à regno Dei & uita æterna. Sed Deus & Dn̄s noster IESVS Christus,qui nos suo precioso sanguine redimēs,ad lucem perduxit ueritatis, nos quoq; ꝑdicatores & illuminatores totius mundi cōstituit: det uobis ea sapere, ea intelligere, eaq; disponere nimis uelociter,ut celerius hanc ciuitatem Romanam,& eius populū, seu sanctā Dei Ecclesiam mihi à Deo cōmissam,ad eruendū occurratis,quatenus misericorditer,sicut fidelib.suę potentiæ,meis pro uobis interueniētib.suffragijs, & in p̄senti uita lōgęuos sospites & uictores cōseruare iubeat, & uenturo in seculo dona suæ remunerationis faciat multiplicius ꝓmereri cum sanctis & electis suis. Bene ualete.

Item alia eius epistola ad Pipinum & Francos, cum Aistulphus fœdus fregisset.

¶ Dominis excellentissimis filijs, Pipino regi,& nostro spirituali compatri, seu Carolo & Carolomanno regibus, & utrisque patricijs Romanorum, Stephanus papa. Prouidi & sapientissimi Salomonis prophetica ita fertur assertio: Nomen bonū super misericordiam. Nomen quippe bonū est, fidem, quā quis pollicitus fuerit, immaculato corde & pura cōscientia custodire, & operibus implere. Nomen enim bonum est, totis uiribus ad exaltationem sanctę Dei Ecclesię, per quam & salus Christianorum existit, decertare. Bonum enim inter omnes gentes de uobis exijt nomen, si operib. fuisset impletū. Redemptor nāq; noster misericors & multū miserator Dn̄s, illis propitiator existit, quos

omnino

omnino tota mentis integritate fideles & defensores sanctæ suæ Ecclesiæ cognouerit. Qualis remuneratio aut merces sub cœlo existimanda & coæquanda est ad eam, quæ pro defensione Dei Ecclesiæ & domus B. Petri est rependẽda? Ideo namq; excellentissimã & Deo protectam bonitatem uestram super turbas populorum & multarũ gẽtium idem Rex regũ & Dominus dominantium saluos uos instituit, ut per uos sancta Dei Ecclesia exaltetur. Potuerat namq; alio modo, ut illi placitũ fuisset, sanctam suã uindicare Ecclesiam, & iusticiã sui principis Apostolorũ exigere. sed quia mẽtem & cõscientiam uestrã, à Deo protecte spiritualis cõpater, & dulcissimi filij, probare uoluit: ideo nostrã infelicitatem ad uos peruenire præcepit. Tradidimus enim corpus & animam nostram in magnis laboribus, uiam spaciosam & lõginquã prouinciam, ualdè fisi in uestra fide per Dei nutum, illuc profecti sumus, afflicti in niue & frigore, æstu & aquarum inũdatione atq; ualidis fluminib. & atrocissimis montibus, seu diuersis periculis. Etenim dum uestris mellifluis obtutibus præsentati sumus, omnes causas principis Apostolorum in uestris manibus commendauimus. Quandoquidẽ inspirati à Deo, aurem petitionibus nostris accommodare dignati estis: & uos B. Petro polliciti estis eius iusticiã exigere, & defensionẽ sanctę Dei Ecclesiæ ꝓcurare: & ut uerè fideles Deo, pura mẽte pro defensione Ecclesię Dei ad dimicandũ properastis. Sed omnipotens Dominus, qui cõterit bella ab initio, qui superbos humiliat, & humiles exaltat, ilicò iusticiã B. Petri uestræ bonitati & omnib. Christianis demõstrauit: & tale præfulgidũ miraculum ostendit, quale omnino gloriosum est referẽdũ. Illi enim inimici Dei & sanctæ Ecclesiæ, qui in sua ferocitate cõfidebãt, ueloces pedes habentes ad effundendũ sanguinem, super breuẽ numerum populi uestri irruerunt: & ita per manũ B. Petri omnipotẽs Dominus uictoriam uobis largiri dignatus est, ut illi qui innumerabiles existebãt, à paucis hominib. fuissent interẽpti: & humiliati sunt ipsi inimici B. Petri usq; ad terram, & ita timorem & tremorẽ in illis Dominus immisit per intercessiones B. Petri, ut ad nihilum deuenirent. Non enim gladius hominis, sed gladius Dei est, qui pugnat. Videns namque suã deceptionem iniquus Haistulphus rex, cum suis à Deo destructis iudicibus, per blandos sermones & suasiones atq; sacramẽta illuserunt prudentiam uestrã: & plus illis falsa dicentibus, quàm nobis ueritatem asserentib. credidistis. Magno namq; dolore & tristicia, excellentissimi filij, cor nostrũ repletũ est. Cur minimè bonitas uestra nos audire renuit? Omnia deniq; quę per Dei uisionem uobis locuti sumus, ueraciter ediximus, & iam patefacta sunt, ut facta ipsa demonstrãt. Etenim sicut primitùs Christianitati uestræ ediximus, iniquus Haistulphus rex, ingresso in eius perfido corde diabolo, omnia quę per sacramentum beato Petro per uestros missos restituẽda promisit, irrita fecit, & nec unius palmi terrę spacium B. Petro reddere uoluit. A' die enim illo, à quo melliflua bonitate uestra separati sumus, tantum nos affligere & tribulare nisus est, quantum non potest os hominis enarrare. In magna namq; despectione sanctam Dei Ecclesiam, & nostrã humilitatem, & uestros missos habere uisus est. Quia etiã & ad propriam nostram animam auferendam mala eius imperatio & submissio facta est. Quid multa dicimus? Tantum nos tribulauit, quia etiã si dici potest, & ipsi lapides pro nobis flerent. Tamen omnia uester consiliarius Vuolradus presbyter & abbas, unà cum suis socijs, si Deum præ oculis habent, omnia uobis enarrare possunt. Non enim quia iam reddere, ut cõstituit, propria beati Petri uoluit: sed etiam scamaras atque deprędationes seu deuastationes in ciuitatibus & locis beati Petri facere sua imperatione non cessauit, nec cessat. Oblitus quippe est Domini qui fecit eum, & fidem Christianam trãsgressus est. Quomodo ulterius credendus est aut ipse, siue eius consentanei, cùm in tanta Dei mysteria sacramenta præbuerunt, & noluerunt obseruare? Verè enim omnia uobis prædiximus, de eius impij regis falsitate & mendacio. Et quemadmodũ diximus, manifestata sunt uobis, & periurium eius declaratum est. Pro quo peto uos, excellentissimi & à Deo protecti filij, & nimis obsecro, doleat uobis pro sancta Dei Ecclesia, & beati Petri causa: & quæ per donationem beato Petro offerenda promisistis, ei possidenda contradere debeatis. Mementote, & semper in uestris pręcordijs firmiter tenete, quod promisistis eidem ianitori regni cœlorum. Nulla iam uos seducat suasio, aut acceptilatio. Considerate quàm fortis existit exactor idem princeps Apostolorum beatus Petrus. Videte, omnia quæ ei promisistis, & per donationem offerenda polliciti estis, contradere festinate, ut non lugeatis in æternum, & condemnati maneatis in futura uita. Vita enim huius mundi breuis est, & sicut umbra declinat, & sicut uestimẽtũ inueterascit. Illã uitam æternam, quã uobis B. Petrus pro sua causa & iusticia ꝓmisit, tota mẽte & integro corde quærite. Decertate bonũ opus, quod cœpistis, implere: & quæ per donationẽ manu uestra cõfirmastis, protectori uestro B. Petro reddere festinate. Quoniam scriptum est: Melius non uouere, quàm uouere & uotum non reddere. Sciatis enim, quia

quia ſicut chirographariam ueſtram donationem princeps Apoſtolorum firmiter tenet, & neceſſe eſt ut ipſum chirographum expleatis: ne dum iuſtus iudex ad iudicandum uiuos & mortuos, & ſeculum per ignem, aduenerit in futuro iudicio, idem princeps Apoſtolorum idem chirographum demõſtrans nullam habere firmitatem diſtrictus cum eo faciatis ratiões: ſed magis explere quod promiſiſtis uelociter, ut iterum uitam æternã, quam ab ipſo principe Apoſtolorũ promiſſam habetis, poſsideatis. Coniuro uos, excellẽtiſsimi & à Deo protecti filii, per Deum omnipotentem, qui cõtinet omnia ſua potentia: & per ſanctã eius matrem, glorioſam ſemper uirginẽ Mariam, dominam noſtrã, atque per uirtutes cœlorũ, & per beatos principes Apoſtolorũ Petrum & Paulum, atq; per tremendum iudicij diem, ubi omnes conſtrictè ad reddendã de noſtris factis rationem aſsiſtere habemus, ubi nulla eſt ingenioſa excuſatio. Velociter, & ſine ullo impedimento, quod B. Petro promiſiſtis per donationẽ ueſtram, ciuitates & loca, atq; omnes obſides & captiuos B. Petro reddite, uel omnia quæ ipſa donatio cõtinet. Quia ideo uos Dominus per humilitatẽ meã, mediante B. Petro, unxit in reges, ut per uos ſancta ſua exaltetur Eccleſia, & princeps Apoſtolorũ ſuã ſuſcipiat iuſticiam. Magnũ deſiderium eſt in noſtro corde, ueſtros mellifluos uultus aſpicere, & de ueſtrę iucunditatis læticia gaudere, iuxta quod ſapientiſsimus ait Salomon: Per uicos & plateas quęſiui quem dilexit anima mea. & certè quos dileximus, per Dei iuſsionem inuenimus: & quos deſiderauimus, amplexi ſumus: pro quo diffuſa eſt ſuper uos benedictio & gratia B. Petri, ut Domini fuit prouiſio. Quod nullus de ueſtris parentibus meruit ſuſcipere, uos ſuſcepiſtis: & princeps Apoſtolorum præ cæteris regib. & gentibus uos ſuos peculiares faciens, omnes ſuas cauſas uobis cõmiſit: & uos reddetis rationem Deo, quomodo pro iuſticia ipſius ianitoris regni cœlorum decertaueritis. Cunctus nàq; noſter populus Reipub. Romanorum, magno dolore & amariſsimis lachrymis unà nobiſcũ tribulantur, pro eo cùm ad tam longam & ſpacioſam prouinciã properauimus, & præ fatigio ualidi itineris caro noſtra minuata eſt, ſi uacui & infructuoſi ſine effectu iuſticiæ reuerſi ſumus. Attamen nos infelices iuxta Dominicum præceptum egimus, & omnes cauſas B. Petri uobis cõmendauimus: & uobis pertinet hoc ſiue ad peccatũ, ſiue ad mercedem. Nam & omnes gentes ita firmiter tenebant, quòd B. Petrus nunc per ueſtrum fortiſsimum brachium ſuam percepillet iuſticiam: & factum non eſt, & in magno cordis ſtupore de hoc omnes euenerũt. Sed peto excellentiſsimam bonitatem ueſtram, ut uituperium hoc à gentib. abſtollatis, & omnib. fidem ueſtram operibus oſtendite: eo quòd fides, ut ſcriptum eſt, ſine operib. ocioſa eſt. Cum qua enim fiducia aut fortitudine ad expugnandos inimicos ueſtros pergere poteſtis, ſi iuſticiam B. Petri, ut promiſiſtis, & initiaſtis, nõ perfeceritis. Si enim ut cœpiſtis operibus adimplaueritis, eritis ſemper uictores, & fortiſsimi ſuper ueſtros inimicos, & præſens regnũ per multorũ annorum ſpacia cũ bona poſsidebitis fama, & uitam percipietis æternã. Tanto opere direximus ad uos Vuilhariũ, reuerendiſsimũ & ſanctiſs. fratrem & coepiſcopum noſtrũ, & fidelem, qui uobis omnia de noſtra tribulatione & cauſa beati Petri proprio ore enarret. Cui in omnibus credere iubeatis, & exitum bonum in cauſa beati Petri ponere. Incolumem excellentiam ueſtram gratia ſuperna cuſtodiat. Bene ualete.

Alia epiſtola eiuſdem, poſt mortem Aiſtulphi ſcripta.

¶ Domino excellẽtiſsimo filio, & noſtro ſpirituali compatri, Pipino regi Francorũ, & patricio Romanorũ, Stephanus papa. Explere lingua, excellentiſsime fili, non ualemus, quantũ tuo opere tua uita delectamur: facta quippe diebus noſtris uirtute miracula uidimus. Quòd per excellentiam tuam ſancta omnium Eccleſiarum Dei mater & caput fundamentum fidei Chriſtianę Romana eccleſia, quæ ualde ab hoſtium impugnatione periculorum impugnationib. lamẽtabatur, magna nunc gaudij ſoliditate nimirum eſt tranſlata atq; confirmata, & mœrentes Chriſtianorũ animę tuo fortiſsimo præſidio maximè ſunt reuelatæ læticia. Pro quo ueſtro opere & exultatione noſtra libet cũ angelis exclamare: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax, hominibus bonæ uoluntatis. Et quia elapſo anno iſto in tempore ualde ab hoſtiũ depopuloſa impugnatione ſauciati, & ultra citraq; circumdati affligebamur: nunc autẽ tuo potẽtiſsimo auxilio erepti, ab imminentib. periculis immẽſo exultamus gaudio, & benedicentes nomen Domini cũ Pſalmographo cõſona dicimus uoce, Hæc eſt immutatio dexteræ Altiſsimi: & rurſum, Ad ueſperã demorabitur fletus, & ad matutinũ læticia. Cuius enim uel ſaxeum pectus tam benigno opere à tua præclara bonitate peracto, cognitoq;, non ſtatim in omnipotẽtis Dei laudib. atq; in tuę excellentiæ amorem emolleſcat? Hæc me fateor excellentiſsime fili & ſpiritualis compater, quę per te mirabiliter facta ſunt, ſępe cõuenientib. ex uniuerſo orbe terrarũ nationibus dicere, ſæpe cum eis pariter admirari delectat, extẽſa uoce mellifluæ excellẽtię tuę laudes pſoluere indeficiẽter. Hęc me ple-

me plerunq; etiam in momento horarũ excitant indeflexibili oculo, pro immẽsa bonitatis tuę & uniuersę gentis Francorũ sospitate omnipotenti Deo fundere preces. Deniq; amãtissime, & à Deo inspirate Victor felix, & diuina prudentia fortissime rex, qualiter B. Petrus Apostolorũ princeps tuę deuotionis affectum, quẽ pro eius causa decertans adhibuisti, susceperit, ipsa cunctis liquidò uestra uita testatur. Scriptum quippe est: Vota iustorum placabilia. Libet quippe omnino, excellentissime fili, tuę bonitati magnas gratiarum persoluere laudes, & nomen Domini pro tam maxima benignitate glorificãtes exhilarata uoce canere: Benedictus Dominus Deus Israel, quia uisitauit plebem suam: & redemptionẽ facere cupiens populo suo, suscitauit te nobis Christianissime uictor Rex, dieb. nostris fortissimum liberatorem. Quid enim aliud quàm nouum te dixerim Moysen, & præfulgidũ asseram Dauid regẽ? Quoniã quemadmodũ illi ab oppressionib. Allophylorum populum Dei liberauerunt: ita tu quoq; benedicte à Deo uictor, fortissime Rex, tuo certamine Ecclesiã Dei, & eius afflictum populum, ab hostium impugnatione eruere studuisti. Benedictus es eximie fili, à Deo excelso, qui fecit cœlũ & terrã. Et benedictus Deus, quo protegente, in manib. tuis hostes sunt. Benedicat tibi Dominus, pulchritudo iusticiæ: & tuos amantissimos natos, meosq; spirituales filios, Dominũ Carolum & Carolomannum, à Deo institutos reges Frãcorum, & patricios Romanorũ, cũ Christianissima eorũ matre, excellentissima regina, dulcissimaq; coniuge, fideli Dei, spirituali nostra cõmatre, tueatur, & in omnib. protegat. Dilatet Deus semen uestrum, & benedicat in æternum, atq; solium regni fruendum perenniter concedat, & uniuersam gentem Francorũ sub uestra ditione permanentem illęsam custodiat. Vale in Domino, Rex benignissime: quia per te sanctę Dei Ecclesię inimici humiliati sunt, & magna lętitia ipsa Dei Ecclesia est reuelata, & eius peculiaris populus iucundatur, & per te benedicitur Deus, pro quo & eius benedictio super te plenius est effusa. gaudiũ enim uberrimũ in uniuersum orbẽ terrarũ intulisti. Magna sũt hæc, & omnipotentis Dei laudib. tribuẽda. Sed inter hęc misericordissimi Dei nostri clementiã indesinẽter petimus, ut cœlestis sui regni gaudio uobis tribuat uicissitudinem. Quapropter cũ magna fiducia tanquã pręsentialiter corã tuo mellifluo cõsistens aspectu, flexis genib. petens pectore & animo coram Deo uiuo deprecor, ut iubeas firmiter in hoc bono opere, sicut certè confidimus, usq; in finem permanere, pro sanctæ Dei Ecclesię perfecta exultatione, & eius populi liberatione, & integra securitate: & plenariã iusticiam eidem Dei Ecclesiæ tribuere digneris, atque optimum ac uelocem finem in causa fautoris tui beati Petri adhibere iubeas, ut reliquas ciuitates, quę sub unius dominij ditione erant connexæ, atque constitutos fines & territoria in integro matri tuæ spirituali sanctæ Ecclesiæ restituere præcipiatis, ut populus Dei, quem à manibus inimicorum redemisti, in magna securitate & delectatione tuo auxilio adiutus uiuere ualeat. Quoniã & filius noster Deo amabilis Vuolradus, fidelis uester, omnia conspiciens satis testatus est, quòd nequaquam iste populus uiuere possit extra eorum fines & territoria atque possessiones, absque ciuitatibus illis, quæ semper cum eis sub unius dominij ditione erant connexæ. Peto te fili, peto te coram Deo uiuo, & fortiter coniuro spiritualis compater, ut in hoc bono opere perfectius maneas: & non hominum blanditijs, aut suasionibus uel permissionibus, quod absit, faueas, & in aliam declines partem: sed magis uerè timens Deum, omnia quæ beato Petro sub iureiurando promisisti, adimplere iubeas: & sicut cœpisti, plenariam iusticiam illi impartire. Etenim tyrannus ille sequax diaboli Haistulphus, deuorator sanguinum Christianorum, Ecclesiarum Dei destructor, diuino ictu percussus est, & in inferni uoraginem demersus. In istis quippe diebus, quibus ad hanc Romanam urbem deuastandã profectus est, post annuũ spacij circulum ita diuino mucrone percussus est, ut profectò in eo tempore quo fidem suam tentans diuersa piaculi scelera perpetratus est, in eo & suam impiam finiret uitam. Nunc autem Dei prouidentia per manus sui principis Apostolorum beati Petri, simul & per tuum fortissimum brachium, præcurrente industria Deo amabilis uiri Vuolradi tui fidelis, nostri dilecti filij, ordinatus est Rex super gentem Longobardorum Desiderius, uir mitissimus: & in præsentia ipsius Vuolradi sub iureiurando pollicitus est restituendum beato Petro, ciuitates reliquas, Fauentiam, Insubres & Ferrariam, cum eorum finibus simul, & Saltora, & omnia territoria: nec non & Ausimum, Anconam, & Humana, ciuitates cum eorum territorijs: & postmodum per Garrinodum ducem, & Grimoaldum nobis reddendum spopondit ciuitatem Bonam cum finibus suis, & in pacis quiete cum eadem Dei Ecclesia & nostro populo semper mansurum professus est. Atque fidelem erga à Deo protectum regnum uestrum esse testatus est: & petijt nos, quatenus bonitatem tuã deprecaremur, ut cũ eo & cuncta gente Lõgobardorum magnam pacis concordiam confirmare iubeas.

iubeas. Nam & Spoletini ducatus generalitas per manus beati Petri, & tuũ fortissimũ brachium constituerunt sibi ducem: & tam ipsi Spoletini, quamq; etiã Beneuentani, omnes se cõmendare per nos à Deo excellentiæ tuæ seruatæ cupiunt, & imminent anhelantius in hoc deprecãdum bonitatẽ tuam. Vnde petimus te, excellentissime fili & spiritualis cõpater, ut si prædictus Desiderius, quemadmodũ spopondit iusticiam sanctæ Dei Ecclesiæ, Reipublicæ Romanorũ, beato Petro protectori tuo plenius restituere, & in pacis quiete cum Ecclesia Dei & populo nostro, sicut in partibus à tua bonitate confirmatis continetur, permanserit cum uniuersa sua gente iubeas in id quod petijt, tuas à Deo inspiratas aures inclinare. Hoc interea anhelamus, ut nimis uelociter eidem Desiderio regi obtestando, admonendo etiam & præcipiendo dirigere iubeas, ut reliquas ciuitates, loca, fines atq; territoria & patrimonia & saltora, in integro sanctæ Dei Ecclesiæ reddere debeat: & tale fundamentum, & optimum finem in causa eius imponere iubeas, ut auxiliante Domino ipsa etiam Dei Ecclesia secura maneat, usque in finem seculi, ut plenaria iusticia à iusto iudice Domino Deo nostro, & memoriale nomen tibi in secula maneat, uel etiam cunctæ Christo protectæ genti uestræ Francorum. Inspiratus autẽ à Deo, nimis festinanter causam sanctę Ecclesię perficies. Quia si aliæ canonicæ causæ, quas perficere debeamus, pertinentes ad magnam regni tui laudem, & magnam animæ tuæ uel cunctæ gentis Francorum immensam mercedem: & hoc obnixè postulamus præcelsam bonitatem tuam, ut inspiratus à Deo, & eius principe Apostolorum beato Petro, ita disponere iubeas de patre Græcorum, ut fides sancta Catholica & Apostolica per te integra & inconcussa permaneat in æternũ: & sancta Dei Ecclesia sicut ab alijs, & ab eorum pestifera malicia liberetur, & secura reddatur, atque omnia proprietatis suæ percipiat: unde pro animæ uestræ salute indefessa luminariorum concinnatio Dei Ecclesijs permaneat, & esuries pauperum, egenorum uel peregrinorum nihilominus resecetur, & ad ueram saturitatem perueniant. Qualiter autem cũ Silentiario locuti fueritis, uel quomodo eum tua bonitas absoluerit, unà cum exemplari literarum quas ei dederitis, nos certiores reddite: ut sciamus, qualiter in cõmuni concordia agamus, sicut inter nos & Vuolradum Deo amabilem constitit. Ipse uerò dilectus filius noster Vuolradus in omnibus causis iuxta tuam præceptionem peregit: & maximas gratias illi egimus pro suo certamine, quo uidelicet ad uos reuertens omnia qualiter acta sunt, bonitati uestræ intimabit. Præsentes uerò fidelissimos nostros, id est Georgiũ, reuerendissimũ & sanctissimum fratrem & coepiscopũ nostrum, atq; Iohannem Regionariũ, nostrumq; sacellanũ, petimus ut hilariori suscipiens uultu, in omnib. acceptare iubeas: & quicquid nostra uice bonitati tuæ locuti fuerint, eis in omnibus credere digneris, atq; cum effectu causæ & lętabũdis nuncijs ad nos remeãdos absoluere iubeas. Nam & hoc obsecramus bonitatẽ tuã, ut nimis celeriter ad nos commigrandũ absoluere præcipias reuerendissimũ fratrẽ & coepiscopũ nostrum. Omnipotens autẽ Deus in cunctis actibus, excellentissime uictor Rex, suæ dexteræ extensione te protegat: tibiq; & præsentis uitæ prospera, & post multorũ annorum curricula gaudia æterna concedat: faciatq; cum tua dulcissima coniuge, excellentissima Regina, spirituali nostra commatre, & uestris meisque dulcissimis filijs maximo gaudio iucundari, & regni uestri gubernaculo à Deo uobis concesso perfrui: & qui in præsenti uita regni potestatem tenetis, etiam futuro in seculo cum Christo in æternũm regnetis, promerentes illã Dominicã promissionem audire: Venite benedicti patris mei, pro eo quòd certamen bonum certastis, cursum consummastis, fidem seruastis, sumite repositas uobis coronas, & accipite regnum uobis ab origine mundi præparatum. Nam & ex hoc præcelsæ, & à Deo protectæ & custoditæ excellentiæ uestræ innotescimus: quia petijt nobis optatus religiosus abbas uestri monasterij sancti Benedicti, pro monachis suis, qui cũ tuo germano profecti sunt, ut eos absoluere iubeas: sed qualiter tua fuerit uoluntas, ita de eis exponere iubeas. Incolumem excellentiã tuam gratia superna custodiat.

Doctrina & errores eius.

Ex epistolis eius facile est cuiuis iudicare, Stephanũ remoto Christo mediatore, deos alienos, sanctos mortuos, Mariam, Petrum, & alios substituere, ijsq; ascribere honorem audiendi inuocantes, remittendi peccata, iuuandi afflictos, remunerandi benefacta, donandi uitam æternam. Et quòd non modò ita senserit & docuerit, sed etiam reipsa sanctorũ reliquias coluerit, postea dicemus.

Scripturam monstrosè torquet & allegat, ut facilè appareat eum uix pro Dei uerbo agnouisse.

Bonis operibus ascribit salutẽ, abusus dicto ex epistola Iacobi: & Francis pro defensione Romanæ ecclesię uitã æternã ꝓmittit.

Claues in Petri, & non in Christi nomine administrandas sensit, ac ijs à iuramento magistratui debito Pipinum absoluit.

H Roma-

Romanæ ecclesiæ primatum asscribit, & sibi usurpat potestatem deponendi & constituendi reges.

Regna mundi & gloriam eius per fas & nefas Romanæ sedi acquiri licere iudicauit, ut patet ex actis eius.

Opera eius in gubernatione.

Docendi munere eum functum esse, quidam Scriptores asserunt: ut Bergomensis libro 10, & Platina, & Iohannes de Oppido. In angustijs constitutus ob Aistulphi asperitatē, ad pœnitentiam suos est cohortatus, & Letanias celebrauit. Liber pontificalis.

Sacerdotes in patriarchio congregatos monuit, ut diligenter sacras literas legerent, quo possent rectè docere populum, & aduersarios Ecclesiæ Romanę, scilicet illos qui errores pontificum impugnabant, refellere. Liber pontificalis: Bergomensis libro decimo.

Ordinauit diaconos, presbyteros, & episcopos. Liber pontificalis.

Celebrauit synodos. nam cùm non posset Aistulphum precibus & muneribus sibi reconciliare, synodum Romæ cogit, & de auxilio à Francis petendo constituit. Liber pōtificalis, Nauclerus, & Blondus.

¶ Notis Antichristi plerisque conspicuus fuit. Nā deos alienos, hoc est Sāctos mortuos ueneratus est adoratiōe. Roma enim egrediens ad Pipinum, se Mariæ & Apostolis cōmēdauit, ac Petro principi Apostolorū oues suas cōmisit interea pascendas. Liber pontificalis. Et Parisijs in tēplo Dionysij, in uisione à Petro & Paulo & Dionysio sanitatē pristinam impetrauit. Regino libro 2.

Instauratione & consecratione templorū in honorē illorum. nam Laurentij basilicam instaurauit, & quasdam alias ab Aistulpho euersas. Liber pontificalis. Parisijs altare in honorem Petri & Pauli dedicauit, anno Domini 753. Regino libro 2: & Iuo in Chronico unum annum addit.

Et reliquiarum eorum circumgestatione & ostensione, cum opinione quasi afferant locis prophanis quandam lustrationem seu expiationem. Nam Roma obsessa ab Aistulpho, Apostolorum caluarijs & supplicationibus urbem lustrauit. Liber pontificalis, & Volaterranus. Et postea uictoria parta Letanias per omnes ecclesias instituit, ac Apostolorum caluarias & aliorum sanctorum reliquias circumferri in publica deambulatione, & ostendi iussit. Liber pontificalis. Balæus in uita eius.

Nuptias & amorem mulierum prohibuit, & uitam monasticam & impurum cœlibatum promouit. Dionysio monasterium extruxit, ut Iuo indicat: & in Caturcensi territorio præsente Pipino cœnobium consecrauit. Vuernerus in Fasciculo temporum.

Traditionibus humanis & decretis suis Ecclesiam Dei onerauit. Nam omni die sabbatorum Letanias fieri præcepit. Liber pontificalis. Et in ecclesijs Gallorum Baalismum auxit. Balæus in uita eius.

Suis characteribus imbuit mancipia sua. Crodegangum Metensem pallio archiepiscopali deformauit, ut eum magis sibi deuinciret. Liber de actis Metensium.

Regna huius mundi sibi rapuit, & potestatem Reges deponendi & constituendi, & imperia transferēdi sibi arrogauit. Nam per Pipinum Francorū regē & filios eius, Aistulpho Lōgobardorū regi extorsit è manu sua exarchatū Rauēnatensem, & alias Italiæ terras quę fuerāt Imperatoris usq; ad stagna Venetorū, easq; titulo donationis & patrimonij Petri Romanæ sedi subiecit: & gratitudinis ergò Pipinum, & filios eius Carolum & Carolomannū denuò reges inunxit ad altare Petri & Pauli, ac regnum Francorū illis fecit hæreditarium: & anathematis pœnam in eos statuit, qui id decretum essent uiolaturi. anno Domini 752: Regino & Sigebertus. & eosdē sibi & suis successorib. ita deuinxit, ut amicis eius amici, & hostib. eius hostes essēt: ut patet ex epistola Stephani tertij, quā infrà asscribemus. Et Childericum legitimum Francorum regem ex monasterio egressum, iterum designauit monachum, & à iurisiurandi religione Pipinum & Francos absoluit: quod est maiestatem contemnere, & blasphemare. 2 Pet. 2. Et Desiderium suam opem implorantem cōtra Rachisium & Longobardos tutum præstitit, & regem denunciauit. Antoninus titulo decimoquarto, capite primo, § 3. Blondus decadis secundæ libro primo, & Platina.

De Imperij à Græcis ad Francos translatione, odio Græcorum consilia agitauit. Liber pōtific. Balæus in uita eius: Martinus in Chronico, cap. Venerabilem, de electione.

Et ad Francos sibi magis deuinciēdos, & in obsequio suo retinēdos, nouū aucupium seu artificium inuenit: nimirum effecit ut à Pipino inuitaretur ad baptismū sui filij, atq; ita spiritualis eius compater & filij sui pater fieret, & potestatem utriusq; imperandi quæ uellet acquireret.

Bella gessit. nam fax & tuba fuit belli Francorum & Longobardorum, & Aistulphum cum Pipino Papiæ obsedit. Antoninus, & Blondus.

Affectauit gloriam huius mundi. nam Pipinus, & filius eius Carolus, in terram procumbentes, pedes eius osculari sunt: & stapedes eius apprehenderunt: & frenum equi illius tenentes, stratoris officia ei præstiterunt. Liber pontificalis; Martinus in

Chronico, Blondus libro decimo decadis primæ, & Antoninus. Et postea oppresso Aistulpho, in pompa soléni se cum suis dijs, hoc est, cum sanctorum reliquijs, ad Lateranensem basilicam, quasi triumphum agens, portari curauit: morem religiosum posteris instituens, ut pontifex humeris hominum, ut inutile pondus & onus terræ, circumgestaretur. Balæus.

Virtutes eius.

Commendat eum à sapientia Sabellicus, & à prudentia & amore cleri Platina: & à liberalitate in pauperes & peregrinos, Liber pontificalis. Nam quatuor xenodochia in urbe Romana collapsa instaurauit, & bonis locupletauit, & alia quędam ipse de integro extruxit, & priuilegijs ac sumptib. cumulauit: atque ita Antichristus de thesauris suis, quos fraude & ui à Rom. imperio subtraxit, amicos sibi cōparauit, & erroris sui asseclas.

Mors & curriculum.

Cùm annos quinq; aut sex, aut septē præfuisset (uariant enim autores de tempore) mortuus est, & sepultus in basilica Petri, 6 Calend. Maij: indictione 10. Liber pōtific. & Platina, anno Domini 757, iuxta Sigebertū.

PAVLVS PRIMVS.

PAulus Romæ natus de regione uiæ latæ, (Chronicon Martini) frater Stephani pōtificis, in Lateranense patriarchium à Gregorio secundo susceptus, educatus, & in rebus Ecclesiasticis institutus, à Zacharia diaconus consecratus est cum fratre suo. Liber pontificalis, & Platina.

In eo munere sese bene gessit, ac cùm frater ipsius Stephanus pontifex esset designatus, usus est huius opera in legatione ad Aistulphū, & postea ad Desiderium, reges Longobardorum: & Constantinopolim. Liber pontificalis: & Blondus decadis primę libro 10. & decad. 2. lib. 1. A' potiori parte clericorū & populi electus, dissipata turba eorum qui Theophylactum archidiaconū pōtificē creare moliebantur, Stephano fratri successit.

Scripta.

Pontificij collectores tomorum Conciliorum uidentur consultò epistolas Stephani secundi, & Pauli, Stephani tertij, Costantini & Adriani omisisse: ne pontificum artes & scelera in Francis demētandis, & iniustè occupandis bonis Imperij, patefierent.

Scripsit epistolas plures ad Pipinum, ad Carolum, & Carolomannum, & ad exercitū Francorum, & ad alios quosdam. Vnam & triginta manuscriptas accepimus.

In prima ad Pipinum narrat de obitu fratris sui, & de sui ordinatione: ac indicat se in amicitia à Stephano cum Francis contracta perseueraturum, ac petit ut Pipinus idem faciat.

In secunda, monasterium Syluestri cū trib. alijs uicinis donat Pipino, quæ à Carolomāno monacho fuerant Zachariæ concessa.

In tertia, gratias agit Pipino, pro defensione contra insidiatores: & pollicetur se curaturum, ut monachi Carolomanni psalmodiam discant.

In quarta, Marinum presbyterum iubet episcopum creari, ut à suis consilijs sedi Romanæ contrarijs auocetur.

In quinta, gratulatur Pipino de incolumitate, ac legatos suos nondum Constantinopoli reuersos esse indicat.

In sexta, gratias agit pro exaltatione Romanæ ecclesiæ, ac indicat fiduciam suā post Deum in fortissimi regni Pipini brachio existere: & petit ut ad se legatum suum mittat, per quem possit ei prodere Græcorum consilia & insidias.

In septima, monachū ei à Cosma Alexandrino patriarcha missum commendat.

In octaua, Imperatorem Græcū in armis esse narrat, & Rauennatem exarchatum & Romam recuperare uelle: ac petit ab eo auxilium & defensionem contra Græcos.

In nona, indicat se Rauennę cum Desiderio locuturum, & paraturum quæ ad defensionem contra Græcos necessaria sint.

In decima, purgat se de crimine obiecto: quasi dixisset, Pipinum nō ualere auxilium præbere Romanis in angustia aliqua constitutis: & de Marino facit potestatem, ut statuat quid uelit, & petit auxilium pro Rauennatum defensione.

In undecima, petit sibi indicari quomodo ualeat: nam ab inimicis sinistrum de eius ualetudine rumorem esse sparsum.

In duodecima, narrat de Beneuentanorum iniuria: & petit ut Pipinus literis eos increpet: & si nolint parēre, ut consentiat in expeditionem contra eos institutam.

In decimatertia, gratias agit pro defensione Ecclesiæ, & de pace inter se & Desiderium constituta narrat: ac petit, ut obsides Desiderio restituat, quò & ipse urbem Immolam possit recipere.

In decimaquarta, literas ꝓditorias Sergij Rauennatis episcopi mittit, & petit auxiliū.

Decimamquintam scripsit ad Pipinū per Vulfardum coepiscopum: quem Pipino cōmendat, quod etiam Stephanus papa germanus Pauli fecerat. In hac epistola laudes Pipini, & gratiarumactiones pro defensione sanctæ Dei Ecclesiæ continentur. Adiutorium contra Longobardos papa petit, quòd sanctę Dei Ecclesię, Dei iusticias minimè red derēt. Pro Sabario misso, in quo Pipini filia ex sacratissimo fontis lauacro abluta, suscepta fuerat, gratias agit: quem celebratis Missarū solennib. magna iucūditate, aggregata

populi cohorte infra aulam sacrati corporis auxiliatricis uitæ beatæ Petronillæ, quę pro laude æternaque memoria nominis Pipini consecrata est, suscepisse se scribit. Scribit se indesinenter laborare, ut Sergius episcopus suæ restituatur ecclesiæ.

Decimamsextã ad Pipinũ & omnes Francos scripsit epistolam, per Fardum & socios eius, in qua cõtinentur uberrimæ laudes. Itẽ de missis ad Gręcorũ regẽ in Frãcia morãtib. & de Gregorio episcopo, & Petro pr̃sbytero.

In decimaseptima epistola ad Pipinũ, indicat sex patricios cũ 300 nauib. Constantinopoli Romã uẽturos esse, & postea in Franciã ad Pipinũ. Postea queritur Desideriũ iusticias sanctæ Dei Ecclesiæ, quas corã missis Pipini facere promiserat, non sicut pollicitus fuerat adimpleuisse, sed insuper Romanos iniurijs plurimis affecisse.

In decimaoctaua cõtinentur gratiarũ actiones & uberrimę benedictiones pro uita & incolumitate ipsius, uel Domini Caroli & Carolomãni nobilissimorũ liberorum eius: cũ multis adiurationibus, cõtra Longobardos adiutorium obtinere uolens. In embolo adiuncto continetur præceptum, quod Marino presbytero dedit, de titulo Chrysogoni, & de libris quos Pipino transmisit.

Decimãnonã Pipino epistolã per Georgiũ episcopũ trãsmisit, gratiarũ actiones pro salute sãctę Dei Ecclesię cõtinẽtẽ. In embolo postulat, ut Pipini filiũ, qui ei tunc natus fuerat, ex sacro baptismatis fonte excipere mereatur.

Vicesimam epistolam per Petrum presbyterum transmisit, continentem quasdam laudes eius, quòd Romanã ecclesiam ab hæreticis defenderat. Postea acta Remedij episcopi & Andegarij Comitis narrat, qualiter iusticias B. Petri Apostolorũ principis apud Desideriũ quendam regẽ ex parte receperit: & quod reliquas iusticias facere pollicitus sit, cũ adiuratione, ut si Desiderius ista neglexerit, Pipinus illum, sicut Stephano papæ Pauli germano & sibi promiserat, cogat.

Vigesimamprimã epistolam ad Pipinum per Vuilharium episcopũ, Dodonem & Vulchadum misit, in qua cõtinentur gratiarũ actiones cũ adhortationibus, ut Pipinus pro defensione Ecclesiæ pugnare pergat. Papa de sua constantia erga Pipinũ multa recitat, scilicet quòd nullo fauore aut terrore ab eius charitate separari possit. Indicat se post Deum, eius genitricẽ, & beatos Apostolos, in nullo quam Pipino maiorẽ habere fiduciam.

Vicesimamsecundã epistolam Pipino scripsit, in qua gratias agit Pipino quod missi sui, scilicet Iohãnes subdiaconus, abbas Pãphilus, defensor Regionarius S. Ecclesiæ, cũ Imperialibus missis à Pipino honorificè suscepti sint. Agit Pipino gratias, quod omnia indicauit, quæ cum Imperatore Constantinopolitano acta fuerant: ualde Pipinum laudat, &c.

Vicesimamtertiã per Iohannẽ subdiaconũ & abbatem, atq; Petrum primum defensorẽ Paulus papa Pipino misit, uberrimas gratiarum actiones ac benedictiones cõtinentem de firmo atq; incõmutabili pollicitationis uerbo, & magna perseuerãtia Pipini in causis Apostolicis, cum admonitione ut ita pergat: Pipinum Dauidi comparat.

Vicesimaquarta Paulus ad duas epistolas Pipini respõdet, quarum unam Pipinus per Petrum primum Defensorem miserat, alterã per Vuitmarum & Gerbertum abbates, atq; Hugbaldum uirum illustrem. Est eiusdem argumenti cum proximè præcedenti, nisi quòd quædam adijcit de Longobardis, scilicet quòd quasdam Petri iusticias reddiderint, quasdam non, & nunc priores redditas iterum inuadere conentur: quare Pipini auxilium contra ipsos implorat.

In uicesimaquinta gratias agit pro defensione S. Ecclesię, cũ adhortatione ad Pipinũ, ut pergat plenariã S. Ecclesię exaltationẽ facere. De suo erga Pipinũ amore, & quòd nihil sine eius uolũtate facere uelit, largissimè promittit. Pro monasterio prope montẽ Serapten sito, à Pipino sibi donato gratias agit.

Vicesimamsextam per Georgium coepiscopum, Stephanum presbyterum, unà cum Radberto Pipini misso, misit: in qua prolixè de Longobardorum crudelitate ac malicia queritur. Indicat se suis missis dedisse literas, in quib. peteretur dimissio obsidum Desiderij regis in Francia detẽtorum: idq; ideo factum, ut per Longobardiam proficisci possent: aliàs se idipsum non petijsse. Hortatur Pipinum, & terribiliter coniurat, ut illos detineat: insuper & ipsum Desiderium constringat, & ad restitutionem omnium bonorum beati Petri cogat, ut in aduentu Domini sicut radiantissimus sol lucere mereatur. In embolo adiuncto munuscula quædam Pipino mittit.

Vicesimamseptimã per Andream & Gundricum, Pipini missos, misit: in qua gratiarum actiones continentur, cum petitione & adiuratione de auxilio contra Longobardos mittendo.

Scripsit etiam epistolas tres ad Carolum & Carolomannum: in quibus hortatur eos ut maiorum uestigijs insistant, & fidem Deo & beato Petro præstent, & ecclesiam Romanam defendant & exaltent.

Scripsit etiam epistolam ad cunctum exercitum regni Francorum, in qua gratias & benedictiones eis impertit pro fideli opera sibi & beato Petro præstita: ac hortatur eos, ut porrò in seruitio Romanæ ecclesiæ perseuerent, ac pro ea uiriliter decertent,

De-

Doctrina & errores eius.

Ignarus officij ueri pontificis Domini nostri IESV Christi, Petrum substituit interpellatorem pro uictoria aduersus hostes: in epistola ad Pipinum tertia, & nona. Et pro regno amplificando, in epistola duodecima ad Pipinum: Vt ipse princeps Apostolorum pro uobis intercedat ante Domini Dei nostri maiestatem, ut amplius uestrum dilatet regnum, & uictorias tribuat.

Et ei asscribit, quòd Pipinum & Carolum & Carolomannum elegerit, & reges consecrarit per uicarium suum, ut sint defensores fidei orthodoxæ, & propugnatores gregis sui. In epistola quarta ad Pipinum, & in prima ad Carolum & Carolomannum.

Et per interpellationem beati Petri in hac & futura uita promittit remunerationem Pipino, in sexta ad eum epistola: & Petrũ protectorem Francorum esse, dicit in epistola ad exercitum Francorum.

Pipino & Francis pro Romana sede exaltanda & defendenda laborantibus, promittit animarũ salutem. in epistolis ad eosdem.

Fidem suam non tantum in Deum, sed etiam in Mariam, & Petrum, & Apostolos, & maximè in fortissimum brachium regni Francorum ponit.

Ecclesiam Romanã, matrem spiritualem omnium Ecclesiarum uocat in epistola ad Pipinum, eique adhuc sanctũ Petrum præesse fingit: oblitus Christi, defensoris Ecclesiæ usque ad finem mundi.

Sensit, Romano Pontifici licere sicut principes gentiũ dominari, & regna huius mundi & gloriam eius possidere, & bella gerere, & magistratum legitimum contemnere, & bona imperij Romani sibi asscribere, eaque armis tueri. Talis clauiger Petrus certè non fuit.

Opera in gubernatione.

Nullum in sacro ministerio officium omisit, iuxta Cranzium in Metropoleos libro 2, capite primo: licet nusquam Scriptores indicent, eum docendi & concionandi munere esse functum.

Visitauit ægrotos, pauperes & incarceratos, & maximè sub noctis silentium uirgines & uiduas in cellulis suis: quòd sanè credibile est de tam casto patre. Liber Pontificalis, Platina, & alij.

Captiuos suo ære redemit: & à fæneratoribus ad seruitutẽ adactos liberauit, pro ijs facta solutione. Liber Pontificalis.

Ordinauit duodecim presbyteros, diaconos 2, & episcopos plures per diuersa loca.

Præparauit noua organa ad Pontificatum: Stephanum tertium, & Adrianum: qui ambo postea in eo officio artes illas edocti, Antichristi uicarios egerunt.

¶ Characteres Antichristi gessit. nam deos alienos, scilicet mortuos Sãctos, Mariam, Petrum, & alios Apostolos, patronos, intercessores & protectores, & beneficiorum huius & uitæ futuræ collatores statuit, & fiduciam suam in eos posuit, ut paulo antè diximus. Deinde reliquias eorum ueneratus est translatione. nam Petronellæ corpus cũ magna ueneratione transposuit. Sigebertus in Chronico. Crodegango Metensium episcopo reliquias in Gallias deportandas tradidit. Liber de uita Crodegangi, capite 11. Tertiò, in honorem mortuorum cœmeteria reparauit, & ecclesias ampliauit, & oratoriũ in honorem Mariæ extruxit, & nouis ceremonijs consecrauit. Liber pontificalis. Balæus in uita eius. Quartò, ob imaginum cultum contra Imperatorem & Græcos acerrimè dimicauit literis & legatis hinc inde missis. Liber pontificalis. Antoninus libro 14. capite primo, § 4.

Nuptias improbauit. nam cœnobiũ à Stephano cœptũ intra Modiceam, absoluit. Regino lib. 2. Et in sua domo à fundamentis monasteriũ in honorẽ Stephani martyris & põtificis, & Syluestri extruxit. Liber põtific.

Baalismum promouit. nam diuina officia ante horam sextã in Quadragesima celebrari iussit. Chronicon Martini. Et monachos psalmodiã docere alios iussit, ut propagatio fieret: ut patet ex epistola ad Pipinum.

Regna huius mundi, hoc est exarchatum Rauennatensem, & totã prouinciam Romanam à suo antecessore per Pipinũ acquisita, & pallio patrimonij Petri inuoluta, magna diligentia & labore retinere, tueri & augere studuit: ut patet ex epistolis ad Pipinum, in quib. adeò solicitè toties petit cõtra Græcos & Longobardos auxilium, qui bona ista B. Petro eripere subinde tentabant.

Hostes suos uel largitionibus sibi reconciliauit, uel ui oppressit. nam cùm Marinum presbyterum cũ Georgio quodã Imperatoris Constãtinopoleos secretario animaduertisset tractare cõsilia sedi Romanæ & Pipino contraria, nimirum de exarchatu Rauennatensi põtifici eripiendo: scripsit ad Pipinum, & iussit eum episcopum alicubi creari, si à proposito se discessurum promittat: in epistola quarta ad Pipinum. Cum Beneuentani in Campania quædam occupassent, & patricio Siciliæ subiecissent, ad quem etiam illæ regiones pertinebant propter Imperatorem: monuit eos semel atq; iterum, ut desisterent ab incœpto. Quòd cum nõ facerent, cõstituit cum Dei uirtute & Pipini auxilio exercitũ eò dirigere, & illos ut inimicos beati Petri & Pipini cõstringere & emẽdare, ut patet ex epistola duodecima ad Pipinum.

Regem Francorum Pipinũ, & filios eius,

miris artificijs demētauit, & in obsequio suo retinuit, tū allentando, & magnificè eos esse rendo. nā Moysi & Dauidi eos in epistolis sæpe cōparat, eo quòd Romanā fidem à Lōgobardis liberarint, & in regnum Italiæ pontificios introduxerint & collocarint: tum amplissima præmia per beati Petri protectionem & intercessionem largissimè pollicendo, tum sese in arctiorem necessitudinem eius insinuando, proditis consilijs hostium Pipini, & filijs eius de baptismo susceptis: tum repetēdo promissiones sibi aut suo antecessori factas, ut patet ex Epistolis.

Amici.

Pipinus eius compater fuit: & ad Senatū & populū Romanū scripsit, eosq; hortatus est, ut firmi & fideles permaneant erga B. Petrum principem Apostolorum, & sanctā Dei Ecclesiā, & circa beatissimum & coangelicū spiritualem patrem suum à Deo decretum, Dominum Paulum summum pōtificem & uniuersalem papam: ut patet ex epistola Senatus & populi Romani ad Pipinum, in qua Paulum celebrant optimum pastorem pro salute sua quotidie decertantem.

Virtutes eius.

Commendant eum à mansuetudine & beneficētia in pauperes & calamitosos. Sed de rapinis liberalis fuit, & non de suo: quod nullam ueram laudem apud Deum habet.

Mors & curriculum eius.

In templo Pauli æstu inflammatus, ut pinguis porcus interijt anno Domini 767. Regino lib. 2. & Ado Viennensis: & ad sanctum Petrum sepultus est. Chronicon Martini.

CONSTANTINVS.

Constantinus patria Romanus (ut Martinus in Chronico indicat, & Erphordiēsis cap. 67) frater Desiderij regis Lōgobardorū, iuxta Mutiū lib 7: aut Dodonis, aut Thotonis ducis Nepesini, iuxta Scotum & Blondum decad. 2. lib. 1: & Pasibi, Liber pontific. Homo non ita malus, ut uidetur. Romę inuitus, ut ipse scribit in epist. ad Pipinū, ad pontificatum pertractus est, cùm esset adhuc nullis sacris imbutus. Nam Paulo ægrotāte seu mortuo, Dodo à Constantino imperatore & Desiderio excitatus (ut Bergomēsis libro 10 indicat) collecta manu militū in urbem per portā Pancratij irruit: & factione quorundā ciuiū adiutus, & armis, Philippū cōpetitorē eius reprimit, & Constantinū pontificē cōstituit: ita tamen, ut primùm clericus à Georgio, & sequēti die subdiaconus & diaconus, & die Dominico à trib. episcopis pro modo pontifex consecraretur: anno D. 767. Sigeb.

Scripta.

Scripsit duas epistolas ad Pipinum. In priore narrat, Paulum papā esse mortuū, seq; inuitum & immeritò ei surrogatū esse: & petit, ut Pipinus eo amore & fide se cōplectatur, qua suos antecessores: ac mittit ei gesta sanctorum. In posteriori iterum cōqueritur, se nihil de pōtificatu cogitantē, subitò uiolēta manu multitudinis populorū arreptū, & ad munus illud collocatū esse: & petit, ut Pipinus in posterū quoq; agat Ecclesiæ Dei defensore: & rogat, ne de sua erga se fide à maleuolis sibi aliquid sinistri persuaderi sinat: & indicat Cōstantinū presbyterū à Theodoro Hierosolymitano patriarcha, & alijs patriarchis Synodicam attulisse de cultu imaginū: quam ideo Græcè & Latinè ei mittat, ut cognoscat quantus feruor in Orientalibus pro imaginibus existat. In charta insertitia petit, ut Georgium episcopum, & Martinum & Petrum presbyteros, à Paulo ad se missos, dimittat, ut ad suas ecclesias & amicos reuertantur: ac tandem obsecrat & obtestatur Pipinum, ne desinat Romanam defendere ecclesiam.

Doctrina & errores.

Etsi de Dei misericordia, qua peccatores acceptat, quædam non malè in posteriori epistola dicat: tamen sanctos mortuos mediatores facit. nam Mariam Dominam nostrā dicit: & interuentu beati Petri apostoli, bonis operibus coronam æternam promittit: quæ hæretica & idololatrica sunt, & contumeliosa contra meritum filij Dei Domini nostri IESV Christi, qui solus est mediator inter Deum & homines constitutus.

Ab imaginum cultu non uidetur fuisse alienus. nam Synodicas Orientalium publicè legi curauit.

Romanæ ecclesiæ principatum & ipse somniat, & regna huius mundi, & gloriam eius, contra interdictum Christi affectat, & omnem suam spem in fortissimum brachium regni Francorum ponit: & totam prouinciam Italiæ per Pipinum, ut alterū Moysen & Dauidem, à sancto Petro constitutum expectat liberatam.

Opera gubernationis.

Docendi munere non uidetur esse functus. Ordinauit tamen presbyteros & diaconos, eosque etiam ex laicis delegit: ut Sigebertus & alij annotant.

Marianus Scotus dicit, ipsum rogasse Imperatorem Constantinum, & Leonem, ut Paulum pontificem in Græciam in exilium deportarent. Sed id uerum non est. Adrianus de Paulo Afiorta id petijt, ut constat ex uita eius.

Romanos parū habuit æquos, propterea q uisus fuerat Longobardis & Cōstantino Imperatori fauere, & in eius sententiam nō nihil inclinare, nō esse adorandas imagines. Quare superstitiosi & seditiosi quidam arma arripiunt, & Dodonem fratrem eius interficiunt,

ciunt, eumq; captum in monasterium ignominiosè muliebri sedi impositum deducũt, & Stephanum pontificẽ designant: qui conuocata synodo, eum põtificali habitu exuit, & Apologiam eius & acta comburit, & oculis & uita priuat. Liber pontificalis. Scotus eum combustum esse scribit, cùm annum & unum mensem præsedisset.

PHILIPPVS.

¶ Philippus presbyter, in monasterio Viti Romæ degens, à Vualdiperto & factione eius pontifex eligitur. Sed is à Gratioso & alijs Romanis patriarchio exclusus redit ad suum monasterium. Liber pontificalis, & Sigebertus: anno 767.

STEPHANVS TERTIVS.

STephanus in Sicilia ex Oliuo natus, uenit Romã, & à Gregorio 3 in monasteriũ Chrysogoni missus, characteres Antichristi suscepit, & clericus atq; monach9 factus est. Zacharias postea forma eius captus, cùm opus haberet turpitudinis instrumento, eũ in Lateranensis patriarchij cubiculũ transtulit, & presbyterum postea in titulo Cæcilię cõsecrauit: & nihilominùs prę nimio castitatis ardore eum in priori esse uoluit loco, in quo & Stephano 2. & Paulo suam præstitit beneuolentiam: donec Constantino per seditionem oppresso, ipse ad pontificatum plurimorum cruore accessit: anno Domini 756, iuxta Antonini Chronicon: seu 768, iuxta Sigebertum, Platinam, & alios.

Scripta.

Scripsit epistolas plures ad diuersos. nam statim in initio sui pontificatus ad Pipinum literas misit, & legatos: ac petijt homines doctos Romam ablegari, qui in synodo consilia sua conferrent, ad retractandum ea quę à Constantino antecessore suo malè fuissent acta. Liber pontificalis.

Circumfertur & alia epistola ad Carolomannum, in qua petit, ut sibi liceat esse compatrem & testem baptismi filij eius. Item alia ad Carolum & Carolomannum, in qua gratulatur eis, quòd post lites sibi inuicem sint reconciliati: & petit ut cogant Longobardos ea dare, quę de patrimonio Petri obtineant. Item alia ad Carolum & genitricem eius, in qua gratias agit ipsis pro defensione: & commendat Itherium, quòd diligenter curarit quæ ipsi erant commissa. Item alia ad eosdem, in qua prolixè commemorat de insidijs sibi per Dodonem Francorum præfectum structis: & de Desiderij erga se beneuolentia, cuius armis sese defensum esse indicat. Item alia ad Carolum & Carolomannum, in qua manibus pedibusque obnixè conatur eis dissuadere, ne de gente Longobardorum uxores ducant, aut sororem suam Gislam Desiderij filio elocent in matrimonium. Hanc epistolam, quia plena est artibus Pontificijs, subijcimus.

¶ Dominis excellentissimis filijs Carolo & Carolomãno, regibus Francorũ, & patricijs Romanorũ, Stephanus papa. Dum omniũ electorũ Dei præcipuã uitam & dignæ operũ merita in nostrã memoriam reuoluimus, inuenimus profectò nulla eos potuisse qualitatis diuersitate ab eorũ cordis statu & pristina sponsionis cõstantia amoueri. Unde & uarijs antiqui hostis suasionib. & blandimentis circũuallati, immutabiles in suę mẽtis firmitate cõstat permansisse: & ob hoc cũ triumpho uictorię ad optata pertingere meruerunt gaudia. Et nimirum cõsiderandum est, quia si quis quibusdam suasionib. demulcitus, uictus fuerit, à recto cõfestim tramite, qui ducit ad uitam æternam, per abrupta declinãs deuia recõtendat, ut ex hoc in procliuem delabatur noxam. Nam plerunq; certum est, quia idem antiquus hostis per infirmã naturam fidelium mentes subripere nititur. Hinc est enim quòd olim primo homini in paradiso constituto, per infirmã mulieris naturam pestiferis ualuit suadere blandimentis, diuinum transgredi mandatum, & ob hoc diræ mortis humano generi irrepsit excidiũ. Et ideo præcellentissimi filij magni regis, tanto studiosius eiusdẽ moliminĩ immiti resistẽdũ est, ne quenquã suis irretire ualeat argumẽtis, quanto cernimus suis crebrò insidijs ad decipiendum corda insistere. Itaq; nostræ perlatũ est notioni (quod certè cũ magno cordis dolore dicimus) eo quòd Desiderius Longobardorũ rex uestrã persuadere dinoscitur excellẽtiã, suã filiã uni ex uestra fraternitate in cõiugio copulari. Quod certè si ita est, hæc propriè diabolica est immissio: & nõn tã matrimonij coniunctio, sed cõsortiũ nequissimæ adinuentionis esse uidetur. Quàm plures cõperimus, sicut diuinę Scripturæ historia instruimur, per alienę nationis iniustã copulã à mandatis Dei deuiare, & in magna deuolutos facinora? Quę est enim, præcellẽtissimi filij magni Regis, talis desipiẽtia, ut penitùs uel dici liceat, quòd uestra præclara Francorũ gens, quæ super omnes gentes enitet, & tã splendiflua ac nobilissima regalis uestræ potentiæ proles perfidæ (quod absit) ac fœtẽtissimæ Longobardorũ genti polluatur, quæ in numero gentiũ nequaquam cõputatur, de cuius natione & leprosorum genus oriri certũ est. Nullus enim qui mentem sanam habet, hoc uel suspicari potest, ut tales nominatissimi Reges, tanto detestabili atque abominabili contagio implicẽtur. Quę enim societas luci ad tenebras? aut quę pars fideli cũ infideli? Etenim, mitissimi & à Deo instituti benignissimi Reges, iã Dei uoluntate & cõsilio, coniugio legitimo

ex præceptione genitoris uestri copulati estis, accipiétes sicut præclari & nobilissi. reges de eadé uestra patria, scilicet ex ipsa nobilissima Fráncorú géte, pulcherrimas côiuges: & earú uos oportet amori esse annexos: & certè uobis nô licet, eis dimissis, alias ducere uxores, uel extraneę natiôis côsanguinitate immisceri. Etenim nullus ex uestris parétib. scilicet, neq; auus uester, neq; proauus, sed nec genitor uester, ex alio regno uel extranea natiôe côiugé accepit. Et qs de uestro nobilissimo gñe se côtaminare aut cômiscere cú horrida Lôgobardorú géte dignatus est, ut núc uos suademini (quod auertat Dñs) eidé horribili géti pollui? Itaq; nullus exterę gétis assumpta côiuge, innoxius pleuerauit. Aduertite quęso, quáti qualesq; potétes per alienigena côiugia à pceptis Dei declinátes, & suarú sequétes uxorú alienę gétis uolútaté, ualidis irrepti excelsibus, imméia ptulêre discrimina. Impiú enim est, ut uel penitùs uestris ascédat cordibus, alias accipere uxores, supeas quas primitùs uos certú est accepisse. Nô côuenit uobis tale peragere nefas, q legé Dei tenetis, & alios ne talia agát corripitis. Hæc quippe paganę gétes faciút. Nam absit hoc à uobis, q perfectè estis Christiani, atq; gés sancta, & regale estis sacerdotiú. Recordamini & côsiderate, quia oleo sancto uncti per manus uicarij B. Petri cœlesti benedictione estis sanctificati: & cauendú uobis est, ne tátis reatib. implicemini. Mementote hoc præcellentiss. filij, q. sanctę recordationis prædecessor noster Dñs Stephanus papa, excellétissimæ memoriæ genitorem uestrú obtestatus est, ut nequaquá præsumpsisset dimitti Dominá & genitricem uestrá: & ipse, sicut reuerà Christianiss. Rex, salutiferis eius obtépera uit monitis. Ná & illud excellentiá uestram oportet meminisse, ita uos B. Petro, & præfato uicario eius, uel eius successorib. spopondisse, se amicis nostris amicos esse, & se inimicis inimicos: sicut & nos in eádé spôsione firmiter dinoscimur pmanere. & quomodo nunc côtra animas uestras agere côtenditis, & cú nostris inimicis côiunctioné facere uultis: dú ipsa periura Lôgobardorú gés semper Ecclesiam Dei expugnátes, & hác nostrá Romanorú prouinciam inuadentes, nostri esse côprobantur inimici? Itaq; & hoc peto, ad uestri referre studete memoriá, eo q. dú Constátinus Imperator nitebatur persuadere sanctę memoriç mitissimum uestrú genitorem, ad accipiendú côiugio filij sui germanam uestram nobilissimá Ghisylam: neque uos alij nationi licere copulari. Sed nec côtra uoluntatem Apostolicæ sedis, pôtificú quoq; modo uos audere peragi. Et quá ob causam núc côtra Apostolica mandata, & uolútatem uicarij Apostolorú principis agere conamini, quod núquam uester pater perpetrauit? An nescitis, quòd nô infelicitatem nostram, sed B. Petrum, cuius licet immeriti uicem gerimus, spernitis? Scriptum est enim: Qui uos recipit, me recipit: & qui uos spernit, me spernit. Recordamini peto, excellétissimi filij, quomodo uos fide dicere uisus est prælatus uester Dominus ac genitor, promittés in uestris animab. Deo & B. Petro, atq; eius uicario antefato sanctæ recordatiôis prædecessori nostro Dño Stephano papæ, firmiter uos debere permanere erga sanctæ Ecclesiæ fidelitatem atq; omnium Apostolicæ sedis pontificum obedientiam & illibatam charitatem: & postmodum prædecessori nostro Dño Paulo papæ, eadem uos uná cú eodem uestro genitore certú est plerunq; per missos & scripta promisisse: & post decessum antefati sanctę memoriç patris uestri, & uos ipsi sæpius tam per uestros missos quamq; per literas, simulq; & per Sergium fidelissimum nostrú nomēclatorem, & per alios nostros missos, nobis spopondistis, in eadem uos uestra promissione, sicut genitor uester, circa sanctá Dei Ecclesiam & nostrá fidelitatem esse perseueraturos. Sed & illud quæso ad uestri referte memoriam, qualiter uos prælatus Dñs Stephanus papa, in suo transitu, per sua scripta sub terribili adiuratiôe adhortari studuit, firma stabilitate uos esse permansuros erga dilectionem sanctę Dei Ecclesiæ, & illibatam charitatem Apostolicę sedis pôtificú, & omnia uos adimplere iuxta uestrá eidem Dei Apostolo adhibitam spôsionem: & núc ista est uestra promissio. O quantum laboré sustinuit idem præcipuus ac beatiss. pôtifex, qui ita imbecillis existens, tanto se exhibuit prolixi itineris periculo: & nisi Dominus præstò fuerit, in uacuum eius labor deducetur: fietq; nobis iter illud, quod ibidem idé noster prædecessor Franciam properauit, in magná ruinam, dum nostri inimici plus núc quàm pridem in superbiæ ferocitaté eleuati sunt. Et ecce quod uerebamur, euenire cernimus: conuersaq; est nostra lętitia in luctú, & facta sunt nouissima mala peiora prioribus: & unde expectabamus nobis lumen oriri, eruperunt tenebræ. Quapropter & B. Petrus princeps Apostolorum, cui regni cœlorum claues à Domino Deo traditę sunt, ac in cœlo & in terra ligandi soluendiq; côcessa est potestas, firmiter excellentiam uestrá per nostram infelicitatem obtestatur: simulq; & nos uná cum omnib. episcopis, presbyteris & cæteris sacerdotibus, atq; cunctis procerib. & clero sanctæ nostræ Ecclesiæ, abbatib. etiam, & uniuersis religiosis diuino cultui deditis, seu optimatibus & iudicibus, uel cuncto nostro Romanorum istius prouincię populo, sub diuini iudicij obtestatione uos adora-

adoramus per Deum uiuum & uerum, qui est iudex uiuorum & mortuorum, & per eius ineffabilem diuinæ Maiestatis potentiã, atque per tremendum futuri iudicij diem, ubi omnes principes & potestates & cunctum humanum genus cum tremore asistere habebimus: nec non & per omnia diuina mysteria, & sacratissimum corpus beati Petri, ut nullo modo quisquam de uestra fraternitate præsumat filiam iam dicti Desiderij Longobardorum regis in coniugium accipere. Nec iterum uestra nobilissima germana Deo amabilis Ghysila tribuatur filio sæpe fati Desiderij, nec uestras quoquo modo coniuges audeatis dimittere: sed magis recordantes quę beato Petro Apostolorum principi polliciti estis, uiriliter eisdem nostris inimicis Longobardis resistite, distringẽtes eos firmiter, ut propria sanctæ Dei Ecclesiæ Romanę reipub. reddere debeant, eo quòd omnia quę uobis polliciti sunt trãsgredientes, nos quotidie affligẽdo & opprimẽdo nõ cessant, etiã quia aliquid nobis reddere minimè sunt inclinati, & iã nostros inuadere fines noscuntur, & tantũmodò per argumentũ in præsentia de uestris missis simulãt iusticias nobis faciendum. Nam nihil ad effectum perducitur, & quicquam ab eis de nostris iusticijs nequaquam recipere ualuimus. Vnde ecce ut cuncti nostri dolores subtiliter uestris auribus suggerãtur, direximus nostros missos, uidelicet Petrum dilectum filium nostrum presbyterum, & Pamphilũ defensorem Regionarium sanctæ nostræ Ecclesiæ, quos & de imminente nobis tribulatione, nec nõ & de singulis causis subtiliter informauimus uestro regali intimandũ culmini: & petimus ut solitè benignè eos suscipere, nostræq; petitioni uestras à Deo inspiratas aures accommodare dignemini, & amplissimam liberationem atq; exaltationem sanctę Dei Ecclesiæ spiritualis matris uestrę, & istius à uobis redemptę prouinciæ defensionem perficere iubeatis, ut perfectã remunerationem à iusto iudice Deo nostro, intercedente eius principe Apostolorum B. Petro suscipiatis. Præsentem itaq; exhortationem nostram atque adiurationem in confessione beati Petri ponentes, & sacrificium super eã atque hostias de nostro offerentes uobis cũ lachrymis ex eadem sacra confessione direximus, & si quis (quod non optamus) contra huiusmodi nostrę adiurationis atque exhortationis seriem agere præsumpserit, sciat se autoritate Domini mei beati Petri principis Apostolorum anathematis uinculo esse innodatum, & à regno Dei alienum, atq; cum diabolo & eius atrocissimis pompis & cæteris impijs, æternis incendijs concremandum deputatum. At uerò qui obseruator & custos istius nostræ exhortationis extiterit, cœlestibus benedictionibus à Domino Deo nostro illustratus, æternis præmiorum gaudijs cum omnibus sanctis & electis Dei particeps effici mereatur. Incolumẽ excellentiam uestrã gratia superna custodiat.

Doctrina & errores eius.

Scripturam ita flagitiosè & ueteratoriè citat, ut facilè uideas eum parum reuerenter de ea sensisse.

Dominum nostrum IESVM Christum honore & officio Mediatoris priuauit, & sanctos mortuos substituit. Petrum enim præmia ijs qui pro suo patrimonio fuerint soliciti, daturum promittit: & imagines sanctorum adorari, & suffitu coli iussit.

Doctrinam de iustificatione coram Deo per fidem IESV Christi planè ignorauit.

Vitam monasticam & doctrinam dæmoniorum professus est.

Chrisma æquiparauit baptismo: Sigebertus. & adorandum dicit, in Epistola.

Ex laico ordinari episcopum, summum iudicauit piaculum esse.

Ordinationis uim & dignitatem alligauit ad personam ordinantis, adeò ut à Constantino laico ordinatos iusserit denuò consecrari. Sigebertus.

Locis sanctitatem attribuit. Quare magnum peccatum commisisse iudicat eos, qui in patriarchicum & in basilicam Theodori cum armis & clamore ingressi erant. Liber pontificalis, & Epistola eius.

Esse ministrum Ecclesiæ, & ferre gladium politicum, & more regum gentium dominari, non existimauit esse à Christo interdictum.

Opera in gubernatione.

De eius munere docendi, muti sunt Scriptores.

Synodũ coegit Romæ ad Constantini depositionẽ, & actorũ eius abolitionẽ. Sigeb.

Ordinauit diaconos, presbyteros & episcopos, in Decembri. Liber põtificalis. Reordinauit à Constantino consecratos. Sigebertus. Aliud organum Antichristi præparauit Adrianum, quem diaconum fecit.

Antichristi notas gessit. Nam doctrinam in multis capitibus, ut paulo antè diximus, corrupit: & deos alienos, nimirum Sanctos mortuos coluit adoratione statuarũ, & suffitu (Balæus in uita eius) & ædificijs, quæ in honorem eorum extruxit. Liber pontific.

Nuptias damnauit studio monastices promouendæ: & inter Francos & Longobardos coniugium planè damnat, quia metuebat ne illi sibi inuicem iuncti, Pontificias plumas euellerent.

Baalismum promouit. nã cõstituit, ut singulis dieb. Dominicis Gloria in excelsis Deo can-

can-

cantetur à septem cardinalibus hebdomadarijs. Epitome mundi.

Extulit sese supra Ecclesiam Dei, & in eam principatum exercuit. Nam Mediolanensem ecclesiam, hactenus à iugo pontificio liberam, sibi per uim subiecit. Balæus in uita eius. Rauennatensibus Michaelem episcopum, sibi non admodum ad res suas cōmodum, ui eripuit: & alium sibi addictum surrogauit, non sine sanguine. Liber pontificalis.

Seditiones excitauit, bella gessit: & per Francos Desiderium coegit multa concedere beato Petro, quæ nunquam illius fuerant. Liber pontificalis.

Mors.

Cùm annos circiter quatuor præfuisset, obijt anno Domini 772: iuxta Marianum, Librum pontificalem, Platinam. In Epitome mundi, Stephanus papa à Constantino Imperatore interfectus scribitur, sed id uerum non est: de alio enim Stephano monacho intelligendum.

SVB IRENE, ET CON*stantino.*

ADRIANVS.

Adrianus patria Romanus, ex celebri & opulenta familia, patre Theodoro de regione uiæ latę natus. Martinus in Chronico, & Liber pōtificalis. Mortuo genitore, à propinquo suo Theodoto, olim consule & duce, iā uerò Romanę ecclesię primicerio, educatus est. Paulus papa eum clericū & Regionarium notariū, & postea subdiaconū cōstituit. A' Stephano tertio diaconus ordinatus, Euangeliū uiua & clara uoce prælegere cœpit: & tandē à populo & clero electus, ad pontificatū ascendit. Liber pontificalis. Anno Domini 772, iuxta Sigebertum: in quo non tam sacerdotis, quàm principis & regis animum gessit, ut in sequentibus dicemus.

Scripta.

Scripsit epistolam ad Tarasium, quę extat in secunda actione Nicenæ secundæ, tomo Conciliorū 2. & epistolam ad Constantinū & Irenem, in qua adorationē imaginum asserit, & Patrum dictis probat: quæ in 2 actione Nicenę legitur, & approbatur. Sigebertus in Chron. meminit eius libri, de Imaginū cultu.

Accepimus eius quadragintaquatuor epistolas manuscriptas ad Carolum, quarum argumenta indicare operæpretium duximus.

In prima queritur de Arechiso duce Beneuentano, quòd postquam Carolus rex à Capuana urbe reuertisset, ad Imperatorem Cōstantinopolitanum missos suos direxerit, petēs auxiliū & honorē patriciatus: promittēs tā in uestitu quā in tonsura similitudinē. Hæc Gregorius p̄sbyter Capuanus Hadriano papæ narrauit. Hadrianus Capuanos B. Petro, sibi & Impatori iurare fecit, Carolū Impatorē in auxiliū uocat, p̄ exaltatione S. Ecclesię.

In secunda, pro exaltatione sanctę Dei Ecclesię gratias agit. Ermemberto episcopo, ut Carolus petierat, usū pallij cōcedit. Inuocationē sanctorū, & primatū Rom. ecclesię asserit.

In tertia, gratias agit pro Rosellis Populanio & Beneuentanis ciuitatib. quas Carolus ipsi dederat. Queritur de inobediētia horū, itē de insidijs & malicia Gręcorū. Exercitus, cùm necesse fuerit, ut Carolus paratos habeat, atq; trāsmittat, sicut p̄miserat, petit.

In quarta, multa de suo erga ipsum amore indicat. Itē, quòd pro eo in cōfessione B. Petri totis uirib. preces fundat. Gratulatur Carolo, q. per eius laboriosa certamina, Petro suffragāte, hostiū Ecclesiæ conatus ad nihilū redacti sint. Malè citat dictū: Qui perseuerauerit usq; ad finē, saluus erit. Quòd p̄miserat, se nihil p̄ Ecclesiæ deminoratiōe, sed pro eius exaltatione omnia facturū, gratias agit. Si qui mendacia de se sparserit, ut Romā mittat, ut secūdū sua peruersa merita puniatur, Carolū orat. Postea multa habet de parochijs episcoporū. Totus est p̄ inuocatiōe Sāctorū, & primatu.

In quinta indicat, se iussisse ut Veneti Rauenna seu Pentapoli expellerentur: tum, Geramannum ducem res ac possessiones Rauennatis ecclesiæ inuasisse. Quare Carolum orat, ut pro amore Petri, eū expellat, ut sua territoria intacta permaneant.

In sexta, Paulum ducem suum Carolo commendat: qui ad ipsum missus fuit, ut se & Constantinum ducem de mendacijs falsò apud Carolum sparsis purgaret.

Septima gratiarūactiones seu benedictiones cōtinet: & simul indicat, Sacramentoriū quod Carolus rex petierat, se per Iohānē monachū atq; abbatē ciuitatis Rauēnatū misisse.

In octaua, pro cruce missa gratias agit: & scribit se semper pro Carolo orare, & pro genitore eius sanctæ memoriæ. Orat ut legatos suos dirigat, qui Romanæ ecclesiæ Populoniense ac Rosellense territoria restituant, cum partibus ducatus Beneuentani. Mercedem à beato Petro promittit.

Indicauerat Carolus rex Adriano papæ per Itherium & Monegarium abbates, Saxones quosdam in paganismū relapsos esse, deque ijs quid agendum esset interrogauit. Respondet Adrianus papa, post longā pœnitentiam illos posse recipi. In epistola nona.

In decima, pro abbate uenerabili monasterij sancti Vincentij intercedit, qui falsò apud Carolum accusatus fuerat.

In undecima, de episcopis ac presbyteris agit, ne arma militaria induant, sed spiritualia: id est, ieiunijs & orationibus uacent: & uisionem Iohannis monachi, qua admonitus erat fidem ecclesiæ Romanæ esse mortuam, pronunciat uanam.

Vnde-

Vndecima laudes quasdam Caroli continet, & gratiarum actiones pro exaltatione sanctę Dei Ecclesiæ. Indicat de territorio Sauinensi, quòd Machinarius fidelissimus eiusdem regis ipsum cum partibus sancti Petri contradere uoluerit, sed q. propter iniquos atq; peruersos homines minimè potuerit.

In duodecima, Carolo regi Mosiuum ac marmor palatij Rauennatensis, tā in templis quàm in parietib. & stratis sita, sicut petierat, donat. Pro equo misso gratias agit: orat sibi mitti equos, qui ad suā faciāt sessionem, ossibus atq; plenitudine carnis decoratos.

In decimatertia epistola ad Carolum indicat, Ittherium & Monegariū territorium Sauinense partibus S. Petri reddere uoluisse: sed propter iniquos homines minimè potuisse.

In decimaquarta continentur gratiarum actiones pro exaltatione sanctæ Dei Ecclesiæ: & de territorio Sauinensi petit, ut sicut pollicitus fuerat sancto Petro, in integro contradi iubeat.

In decimaquinta Carolum monet, ut trabes maiores, quas ad ecclesiarū restaurationes pollicitus fuerat, mittat celeriter, & stannum ad ecclesiam beati Petri cooperiēdam. Præterea de dissidijs inter Neopolitanos & Amalfitanos scribit.

In decimasexta, de suis & Romanorum orationibus pro Carolo indicat. Romanos excusat, quòd non uendiderint Sarracenis Christianos: sed in Longobardos ac Græcos culpam istam transfert. Sacerdotes etiā suos excusat, quòd non sint polluti libidinibus, de quib. ad Carolum accusati erant. Inuocationem sanctorum tradit. Gloriatur, quòd Græcorum naues combusserit plurimas, & ipsos Græcos in uinculis diu detinuerit.

In decimaseptima ad Carolum, Neopolitanos ac Græcos accusat, q. consilio Arichis Beneuētanorum ducis ciuitatem suam Terracinensium inuaserint: & à Carolo Petri amore auxilia postulat, ut ipsam & alia in ducatu Neopolitano ad B. Petrum pertinentia recipere possit: quòd uirtus atque gloria papæ unà cum beato Petro Carolus sit.

In decimaoctaua, de suo ac populi amore erga Carolum multa scribit: & orat, ut, quod pollicitus fuerat, reuertens à Saxonia, ad limina Petri apostoli properet: & legatos eius Possessorem episcopum & Rabigandum, à fidelitate in seruitio sancti Petri commendat.

In decimanona orat pro exaltatione sanctæ Dei Ecclesiæ, & simul de orationib. Romanorum pro Carolo & suis indicat.

In uigesima, per Oddonem diaconum missa, trabes seu ligna, ad ecclesiam sancti Petri à Carolo petit. Orat etiā, ut Vuilcharius archiepiscopus Romā mittatur de corpore sancto quòd Oddo diaconus cum Iulrado abbate olim sibi dari petierat: indicat, quomodo absterritùs sit ad ipsum mittere. Promittit se missurum Candidi martyris corpus, si petat Carolus. Quòd Beneuentani ac Neopolitani consultare cum Græcis soleant, indicat: sed quid, Oddonem diaconum indicaturum promittit.

In uigesimaprima, Constantinum Imperatorem obijsse indicat, adiunctis ea de re literis Stephani Neapolitani episcopi. Raginaldum ducem Clusanæ accusat, quòd multa mala in castello Fœlicitatis indesinenter agere non desistat, beati Petri bona auferendo. Petit ut officio amoueatur.

In uigesimasecunda quęritur, Hildebrandum, Arogin, Rodgaum, nec non Raginaldum, duces, consilium inijsse cum Græcis & Adalgiso, terra marique cōtra Romam & Italiam dimicare: quare multis adiurationibus à Carolo auxilium contra eos postulat.

In uigesimatertia indicat, quale cōsilium legatis eius dederit. Item de legatis Græcorum cum dispositore Siciliæ, quòd cum relicta Archisi ducis consiliati sint, qualiter ducatum Beneuentanum Carolo regi subtrahere possent. Orat itaque Carolum, ut sic omnia pertractet, ut suam & Ecclesiæ Romanæ securitatem procuret.

In uigesimaquarta queritur, se despectum à Possessore episcopo & Rabigando abbate, Caroli legatis. indicat ipsos non uenisse Romam, sed Spoletū, ad Hildebrandū ducem: & inde Beneuentum profectos esse. In quanto ob id mœrore constitutus sit, scribit: orat Carolum, ut se cōsoletur exaltando ecclesiā Romanā, Spoletinum ducatum reddendo.

In uigesimaquinta indicat, quod patrimonium sancti Petri apud Rauennatenses non in integro receperit, testificantibus id senioribus Ecclesiæ, testibus eiusdem urbis. Petit patrimonium Sauinense in integro sanctæ Ecclesiæ restitui: indicat se nullorum irrationabiliter finibus indigere.

In uigesimasexta Carolo gratulatur pro uictoria, quam ipsi Auffridus Pisanus abbas narrauerat: quàm diligenter pro ipso preces faciant indicat. Ausfridū Carolo commendat: pro Pisano & Lucano episcopis orat, ut ipsos pro sua pietate ad proprias sedes atque Ecclesias redire sinat.

In uigesimaseptima indicat, quòd in partibus Italię atque Tusciæ alterutrum episcopi diœceses & parochias iuuabant, uestem monachicam contra sanctos Canones relinquant, matrimonia contrahant uestibus secularibus induti. Orat itaq; Carolū, ut ista emendet, ut fidē Catholicę & Apostolicę sanctæ Romanę Ecclesię amplexā in ęuo sine errore astruat, ut cū sanctis omnib. pmaneat.

In ui-

In uigesimaoctaua, propter inobediẽtiam Leonem Rauennatium episcopum accusat.

In uigesimanona uberrimę benedictiões, uel potius adulationes pro exaltatione sanctę Dei Ecclesię continentur. Indicat se mittere epistolã Iohannis Gradensis patriarchę. Hanc à Leone archiepiscopo Rauennatensi prius apertam & lectam fuisse queritur, ideoque Leonem iterum accusat.

In trigesima orat Carolum, ut meminerit, quæ Petro apostolo promiserit: quanta etiã ab ipso beneficia acceperit, scilicet prouinciã Lõgobardorũ: & q; eius circũuallatus suffragijs, cęteras oẽs natiões sibi subijcere possit. De Leone archiepiscopo Rauennatensi indicat, gratũ sibi esse q; ad Carolũ profectus sit.

In trigesimaprima iterũ uehementer Leonẽ Rauennatensem archiepiscopũ accusat, q; inobediẽs & proteruus factus sit, ab illo tempore quo à Carolo redijt: & Carolum orat, ne Petro auferri patiatur, quæ ab ipso & Pipino patre eius ipsi Petro oblata sunt.

In trigesimasecunda, multa admodũ de fide & cõstantia sui amoris Carolo scribit. Admonet illum, ut amicitię & promissionis ad confessionem Petri factæ recordetur. Cum eodem expostulat, quòd legatum suum Anastasium in Francia detineat. Accusat Longobardos: hortaturque Carolum, ut in ipsos uindictam exerceat, & Petri iustitias quas promisit faciat. Indicat se Carolo Paulinum quendam uinctum misisse, quòd malè de eo locutus esset: ipsumque coniurat, ut idem de suis inimicis faciat.

In trigesimatertia gratiarumactiones continentur, cum petitione pro exaltatione sanctæ Dei Ecclesiæ. Item de missis Caroli regis, qui autumni tempore Romam uenire debuerant.

In trigesimaquarta, de præda Persarum in finibus Græcorum, & inter ipsos discordia indicat.

In trigesimaquinta gratiarumactiones cõtinentur, & plurimæ petitiones pro restitutione patrimonij B. Petri. Meminit donationis Cõstantinianæ temporib. Syluestri papę factę, & aliorum qui pro animę suę mercede multa donarint B. Petro, quæ à Lõgobardis erepta sint: ac dicit in Lateranẽsi scrinio eas donationes haberi. Carolum nouum Constantinum nominat: orat ut sibi filiũ eius ex sacro baptismate suscipere liceat.

In trigesimasexta, Petrũ Carolo maximè cõmendat: & orat, ut Samense territoriũ ecclesiæ Romanæ integrũ restitui faciat. Dicit Romanã ecclesiam totũ quartum Chalcedonense concilium amplecti & uenerari.

In trigesimaseptima, ipsum fidei ac dilectionis, quam erga B. Petrum Apostolorum principẽ habere pollicitus est, admonet; utq; illã incõcussam & insolubilẽ, & nulla callida uersutia ab Apostolico amore animũ disiũgi patiatur, orat. Postea Eleutheriũ & Gregorium quendã accusat, & petit ne illos apud se agere permittat, sed Romam mittat.

In trigesimaoctaua cõmendat Carolo legatos monasterij S. Hilarij in Calligata. orat, ne ipsum seu hospitales, qui per colles Alpiũ siti sunt in susceptionem peregrinorum, ab ulla magna paruaq; persona inuadi sinat: ut Gundibrando duci Florentino mandet, ut quæ eidem monasterio abstulit, reddat.

In trigesimanona ipsum mendacij arguit, & obiurgat, quòd Rauennam ad electionem noui pontificis missos suos direxerit.

In quadragesima indicat, quomodo cõtẽtionẽ monachorũ ad se missorũ cõposuerit: & quòd Potho abbas cũ decẽ monachis, ad Carolum regem proficisci uoluerit, ut ibidẽ quoq; de obiectis criminibus se purgaret.

Carolus per Georgium episcopum papæ de suis certaminib. & laboribus pro B. Petro indicauerat. Quare papa ipsi gratias maximas agit, cõmendans ipsi Georgium episcopum, in epistola quadragesimaprima.

In quadragesimasecũda indicat, Adalchisum Desiderij filiũ in Calabriæ partes aduenisse. Orat Carolum, ut cõtra hunc bellũ gerat, & Beneuentanos cũ alijs obedire cogat. Item, ne Grimoaldum ducẽ Beneuentanum cõstituat: ut Beneuentum, Rosellas, Populonium, & alia loca S. Petro reddat.

In quadragesimatertia indicat, Offę regis Anglorũ missos cũ Caroli missis honorabiliter à se susceptos, q; Carolus per suos legatos petierat. Totus est pro primatu: multa Scripturę dicta cõgerit, nihil ad propositũ pertinentia. Scribit se non ab hominibus, nec per hominẽ electum esse: sed per Dominum nostrum IESVM Christum uocatũ in Euangelium eius, & prædestinatũ. Scribit se permittere, diuinum uerbum gentibus prædicari.

Indicauerat Carolus rex, quòd per laboriosa certamina Saxones ad fidem Catholicã ac baptismatis fontem perduxisset. Petierat ob id, ab Adriano una aut duabus ferijs Letanias fieri. Respondet papa, in omnibus suis partibus uigesimatertia, uigesimasexta, & uigesimaoctaua mensis Iunij debere fieri Letanias. Iubet, ut Carolus ijsdem diebus in omnibus suis regionibus Letanias fieri curet. Indicat quòd Romæ indesinenter pro Carolo gratias agant, & Deum orent: epistola quadragesimaquarta.

Scripsit etiam ad alios quosdam, ut ad Egilam in Hispania episcopum: ipsumque hortatur de fide orthodoxa tenenda, pro ieiunio sexta feria ac sabbato celebrando. Abutitur sacræ Scripturæ testimonijs: Ecce ego uobiscũ sum usq; ad consummationẽ seculi,

illam

illam promissionem pro Petro citat.

Idem ad Egilam episcopum, seu Iohannem presbyterum de consecratione uel constantia in Hispaniæ partibus prædicanda epistolam scripsit, & de paschali festiuitate, ut eo tempore celebretur, quando à Romana celebratur ecclesia: item de prædestinatione hominis siue ad bonum siue ad malum: de coinquinatione eorũ tam in escis, quamque in potu: seu & de diuersis erroribus, & de eorum pseudosacerdotibus, qui uiuente uiro sortiuntur uxores, & de libertate arbitrij, ac alia multa capitula in partibus illis contra fidem Catholicam orta. In fine ipsos monet, ut omnes sint concordes, ut Canones sciant, ut omnes non obedientes salubribus præceptis excommunicent.

Idem Adrianus papa epistolam ad omnes Hispaniæ episcopos scripsit, maximè tamen ad Elephandum & Velascarium. In huius epistolæ initio Romanam ecclesiam caput omnium membrorum, seu aliarum ecclesiarum nominat: & quicunque se ab hac abscindit, hunc Christianæ religionis extorrem fieri dicit. Deinde refutat Elephandi seu Ascarici errorem, qua filium Dei adoptiuũ dixerat, opponẽs inter alia dictũ Rom. 8: Proprio filio non pepercit. & citat Athanasium Alexandrinũ episcopum, Gregorium Nazianzenũ, Amphilochium Iconij episcopum, Gregorium Nissenum, Chrysostomũ, Augustinum, Hilarium, Leonem papam.

Doctrina & errores eius.

Sacram Scripturam parui fecit. nam ueteratoriè eam detorquet ad sensum alienũ, & traditiones Patrum ei præfert, in epistola ad Constantinum.

Pro Christo mediatore unico, beatum Petrum & alios sanctos mortuos substituit intercessores, gubernatores Ecclesiæ, inspectores & compensatores bonorum operum, & datores uitæ æternæ: & ad Petrum accommodat dictum, Ecce ego uobiscum sum usq; ad consummationem seculi: & Petri auxilio Francis omnium nationum subiectionem promittit, in epistolis suis ad Carolum.

Doctrinam de uera inuocatione planè deprauat. Nam non uerum Deum, sed imagines & statuas sanctorum adorari & coli docet, in epistola ad Constantinum, in secunda actione Nicenæ secundę. Neque tantùm in nomine IESV, sed etiam in nomine sanctorum mortuorum orandum esse, censet in eadem epistola, & in alijs ad Carolum. Neque tãtùm pro uiuis, sed etiam pro mortuis preces fecit: ut patet ex epistola ad Carolum octaua, in qua pro genitore eius se orare narrat. Ac adorationi imaginum & contemplationi asscribit salutem eam, quam populus Israeliticus cõsecutus est, intuens in æneum serpentem. in epistola ad Constantinum.

Claues sibi commissas esse censuit, ad reges & principes terrendos: & sibi subijciendos, quos uellet, pro suo arbitrio.

Opera iuxta traditiones humanas facta commendat, eisque asseribit meritum uitæ æternæ.

Doctrinam de Ecclesia prorsus deprauat. nam ad traditiones pontificias eam adeò alligat, ut apertè omnes damnet, qui non eas obseruẽt, & pontificem pro capite agnoscãt. in epistola ad Hispanos.

Item doctrinam ueram de discrimine uocationis Apostolicæ, & aliorum ministrorũ. nam sese non ab hominibus, neque per hominem electum esse, sed per Christum uocatum in Euangelium, & prædestinatum: & se permittere, ut gentibus Euangelium prædicetur. In epistola ad Carolum.

Doctrinam de discrimine ministri Ecclesiæ, & magistratus, corrumpit: & existimat uicario Petri licere, regna huius mundi possidere per fas & nefas acquisita, & utrunque gladium gerere & bellare, imperia & regna transferre, reges constituere aut deponere. oblitus illius Christi: Principes gentium dominantur, uos autem non sic.

Opera eius in gubernatione.

In pontificatu eum docendi munere functum esse, non indicant historici. Eliphandum hæreticum refutauit, ut patet ex epistola ad Hispanos. Baptismum administrauit. nam Pipinum Caroli Magni filium baptizauit Romę, anno 781. & simul compatrem, ut uocant, eius egit. Regino libro 2. Liber pontificalis. Et Theodonem Thassiloni ducis Bauariæ filium ab eodem baptizatum esse, Auentinus libro tertio Annalium refert. Et Missam in Paschali festo celebrauit in basilica Mariæ. Liber pontificalis.

Ordinauit presbyteros uigintiquatuor, diaconos septem, episcopos per loca diuersa centum octuagintaquinq;. Liber põtificalis.

Synodos duas celebrauit, iuxta Chronicon Aeditui: & ad alibi indictas legatos suos misit, ut ad Nicenam secundam, & ad Francofordianam, ut constat ex actis.

¶ Antichristi uicarium in plerisque egit. nam deos alienos, nimirum sanctos mortuos ueneratus est, adscribẽdo ijs diuinos honores, quòd ubiq; sint, quòd inspiciant corda inuocantium, quòd gubernent Ecclesiã, quòd beneficia conferant in suos cultores, ut paulo antè indicauimus.

Aedificando ad cultum & honorem illorũ splendida ædificia. nam catalogum propemodum infinitũ Liber põtificalis enumerat, tẽplorum & basilicarũ, & cœmeteriorũ intra & extra muros Romę partim instauratorũ, partim exornatorum, partim à funda-

mento extructorum, in honorem Sanctorū.

Erigendo ijs statuas & imagines, easque auro & argento decorando, & adorando. nam Pauli imaginem ex auro fecit, & altare eius auro exornauit. Liber pontificalis. Et adorari eas iussit: ut patet ex actis Nicenæ secundæ.

Et reliquias eorum transferēdo, & distribuendo ut res sanctas, & ad superstitionem efficacissimas. nam in ecclesia Petri multas reliquias posuit. Liber pōtificalis. Et Candidi martyris corpus Carolo, si petat, se missurum promittit: in epistola uigesima.

Diaboli præceptum de uitandis nuptijs egregiè promouit, nimium efferendo uitam monasticam. Nam in cœnobio Stephani monachos instituit. Martinus. Monasterium Honorij papæ reparauit, & Laurentij, & Victoris, & Adriani. Liber pontificalis.

Traditionibus & decretis suis ritus in Ecclesia peragi solitos ad ædificationem, commutauit in Baalismum. nam Ambrosianam missam ubique abrogauit, excepta ecclesia Mediolanensi, quæ eius tenacissima fuit: & Gregorianā obseruari præcepit. Flores temporum, & Vuernerus in Fasciculo temporū. Et in offertorijs, & uersibus eorum, geminatione instituit. Sigebertus in Chronico. & Carolo cantores misit, qui in Gallicanis ecclesijs diuersitatem cantuum ad Romanam reduxerūt conformitatē: anno Domini 790. Sigebertus. In ecclesia Petri Romæ iussit monachos ad S. Stephanum cum trib. monasterijs, quæ Gregorius 3 instituerat, dies noctesq; boatus suos continuare. Chronicon Martini. Ac quo omnia essent splendidiora, multas uestes & patinas & calices, & altaria, & similia ad pompam spectantia curauit de auro, argento & gemmis, & alijs rebus preciosis fabrefieri: quæ in Libro pontificali prolixè enumerantur.

Principatum exercuit in Ecclesiam Christi, sub prætextu commenticij primatus Petri. Nam omnes sibi subesse uoluit, ut patet ex epistola ad Hispanos: & ad ceremonias Romanas omnes obligauit. Synodos non nisi de suo consensu celebrari uoluit, & secùs factas damnauit: ut patet in epistola eius ad Tarasium, & Constantinum & Irenem, in actis Nicenæ secundæ.

Potestate clauium abusus est ad suam tyrannidem stabiliendam, contra Ecclesiam & uiros politicos. Nam in Thassilonum, nisi pareat Carolo, anathema se pronunciaturum minatus est. Regino libro secundo, & Auentinus libro tertio.

In regnis huius mundi sibi & Romanæ ecclesiæ acquirendis per fas & nefas, ijsque defendendis & amplificandis, dies noctesq; totus fuit. Ac ad eam rem usus est tum suis, tum Francorum armis: quos miris modis fascinauit, ut putarent se S. Petro & Deo cultum præstare, si Longobardis sua eriperent, & pontifici traderent, qui illa bona sibi uendicabat commenticijs & suppositicijs donationum Constantini & aliorum regum instrumentis: ut patet ex epistolis eius ad Carolum. Nam effecit, ut Carolus Magnus sibi donationem patris sui Pipini confirmaret, & iureiurando se astringeret ad rerum donatarum traditionem. Liber pontificalis, & Antoninus. Armis eiusdem Desiderium Longobardorum regem oppressit: & Longobardos, Spoletinos & Reatinos sibi subiecit, & Spoletinis Hildeprandum ducem constituit. Liber pontificalis, & Blondus.

Reges instituendi & deponendi, & regna mutandi & transferendi, ac regibus imperandi potestatem sibi arrogauit. Nam Caroli magni duos filios unxit reges, & patricios Romanos fecit. Sigebertus, anno septingentesimo octuagesimoseptimo. Et in ipsum Carolum ius Imperatoris Constantinopolitani transtulit, pontificem Romanum eligendi, & inuestiendi (ut uocant) episcopos ac metropolitanos, anno Domini 773. Sigebertus. Thassiloni imperauit sub pœna excōmunicationis, ut in fide Caroli permaneret. Regino lib. 2. Bertham uxorem Carolomanni uiduā, cū Desiderio Lōgobardorū rege, regno, uxore atq; liberis in perpetuam seruitutē Carolo tradidit. Balæus, in uita eius. Hinc est q. Adrianū regio animo fuisse præditū, Aemylius lib. 2 de gestis Frāc. dicit.

Socijs suis in cultu Dei alieni Maosin distribuit regna huius mundi, & gloriam eius. Nam Vuillehadum Bremensem episcopum per Carolum cōstituit: ut patet ex lib. 2. cap. 15 Saxoniæ Cranzij. Longobardis suę fidei sese cōmittentibus, sedem in Vaticano concessit: & Saxonibus Romam uenientib. locū dedit. Blondus libro 1 decadis 2. Ad Ecclesiam Vedasti prædia emit. In urbe Roma aquæductus, & muros, & alia ædificauit, captiuos liberauit. Liber pontificalis. Et suos clericos præstitit liberos à iudicio forēsi. Balæus in uita eius. Et ijsdem à Carolo de libidine accusatis patrocinatur, in epistola.

Virtutes eius.

Cōmendant eum pontificij à castitate, fortitudine animi, & liberalitate in pauperes: maximè uerò illa, q. Tyberi exundante, lembis & scaphis uictū aduehi curauit illis qui erant aqua circumfusi. Liber pontificalis.

Mors.

Obijt aūt in natali Domini, anno 796, iuxta Reginonem lib. 2. & Adonem ætate 6. & Sigebertum: imperij Constantini 7. Paulus Diaconus lib. 23 rerum Romanarū: cùm præfuisset annos circiter uigintiquatuor.

LEO

LEO TERTIVS.

Leo tertius, patria Germanus, frater Comitis de Calune in Sueuia, iuxta Gigantem in Floribus temporum: seu Romanus, ex patre Aigulpho, aut Azulpho, aut Arstulpho, aut Azzuppio. uariant enim autores, Martinus, Erphordiensis, Platina, & alij. Ad pontificatum à clero & populo electus peruenit, anno Domini septingentesimo nonagesimosexto, in natali Stephani: homo pontificum artib. probè instructus, & hypocrisi fucatus, astutia & facundia præditus.

Scripta.

Non est dubium quin ad minimum plures epistolas ad Carolum, & ad alios scripserit. Sed malitia pontificiorum suppressæ sunt. 2. q. 4 pauca extant uerba eius, quibus sese Romæ purgauit iureiurando, de criminibus obiectis.

Doctrina & errores eius.

Quãtum colligi potest ex actis eius, eosdẽ errores fouit, quos sui antecessores: de mortuorum sanctorum intercessione, & cultu ijs præstando, adoratione, statuis, imaginibus, templis, & ueneratione reliquiarum.

De iustificatione per opera electicia.

De prohibendis nuptijs.

De principatu Romanę ecclesiæ, & quòd nõ liceat pontificem Romanũ à quoquã iudicari, aut ullo modo cogi ad purgandũ sese de criminibus, nisi spõte sua id faciat. 2.q.4.

De confusione potestatis Ecclesiasticæ & politicæ. Vtramque enim sibi arripuit, & regna mundi, & gloriam eius suis mancipijs distribuit: ut postea dicemus.

Opera eius in gubernatione.

Munere docendi, & uitia reprehendendi, & ægrotos uisitandi eum perfunctum esse, uolunt Liber pontificalis, Platina, & alij.

Synodum ex suis asseclis conuocauit Romæ, in qua sese de crimine purgauit. Et Aquisgrani in synodo fuisse scribitur.

Ordinauit episcopos, presbyteros, & diaconos. Liber pontificalis.

¶ Vicarium Antichristi in plurimis egit. Nam deos alienos Sanctos mortuos honorauit. Padelburnę enim altare in honorẽ Stephani consecrauit, eiusq; reliquias Roma allatas eò collocauit, & diẽ anniuersariũ eius cõsecrationis festiuũ esse iussit. Cranzius in Metropoleos 1 libro, cap. 11. Corpus Alexãdri, filij Felicitatis, Vualberto filio Vuitekindi donauit. Rudimentũ nouitiorũ. Et Mariæ & Sanctis gratias egit, postquam se purgauit de crimine. Liber pontificalis.

Sanguinem adulterinũ (quẽ ex crucifixo quodã ligneo fluxisse impostores dixerant, ut statuarum idololatrias, dũ adhuc in quæstione essent, cõfirmarent) pro uero Christi sanguine (horribile dictu) haberi uoluit. Et Mantuã profectus, ubi hucusq; seruatur, salutatur, adoratur: sic esse, sua autoritate approbauit, ac bullis confirmauit: addito illi quotannis, in maximã Christi derogationẽ, solenni die festo. Ita tunc præualuit potestas tenebrarũ. Balęus, Scriptorũ Britãnię cent. 2.

Clauium potestate abusus, indulgentias seu peccatorum ueniam pollicitus est, diem anniuersarium dedicationis ecclesię Padelburnensis ad octauam Decembris celebrantibus. Crantzius Metropolis libro 1. cap. 11.

Nuptias dãnauit, ꝓfessiõe cœlibatus, exaltatione & nimia ꝑdicatione uitę monasticę.

Auxit & cumulauit ritus Baaliticos, ex superstitione. Nã instituit, ut sexta feria summus pontifex, cũ omni clero & populo, ab ecclesia Mariæ ad Præsepe egrediens, pergat cũ hymnis & canticis ad ecclesiã Saluatoris: & feria tertia ab ecclesia Sabinę fiat initium ethnicę circuitionis, usq; ad sanctũ Paulum: & feria quarta, ab ecclesia Hierusalem, usq; ad Laurentium foris muros existentẽ. Martinus in Chron. & Erphordiẽsis lib. 2. cap. 69. Et thuris usum ethnicorũ more primus altarib. assignauit: & uestes, & uasa, & alia multa ad pompam in ecclesijs fecit. Liber pontific.

Super Ecclesias Dei sese extulit: 2 Thessal. 2. A' nullo enim iudicari uoluit, & de criminib. obiectis iureiurando se purgauit. Adon ætate 6. Regino lib. 2: & 2.q.4. Et archiepiscopatũ de Bathauia & Laureaco Iuuauiam transtulit: anno D. 798. Auent. lib. 4 Annal.

Aquisgranum ut sedes regia esset, & caput Galliæ trans Alpes, ad Caroli petitionem constituit: ut patet ex bulla Caroli, in Rudimento Ptolemæi Lucensis.

Pontificum decreta omnium Doctorum scriptis præponenda esse statuit. Balæus.

Regna huius mundi occupauit, & gloriã eius: ac potestatem ea transferendi & distribuendi cui uelit, sibi sumpsit. Nam cùm pontificatum inijsset, & animaduerteret uaria à Senatu Romano tractari cõsilia de excutiendo iugo Imperatorum Græcorũ, ipse metuens ne ea ratione uel à Senatu in ordinẽ redigeretur, uel Romani à Græcis superarentur, id cõsilij cæpit: consultissimũ fore ut Roma pontificis potestati sit subiecta, ac is fortissimo Francorũ brachio muniatur. Hoc enim modo Francos quasi à pontifice Imperij titulum accepturos: sed Imperij summã potestatem penes pontificem mansuram. Legatos ergo inscio Senatu cum munerib. ad Carolũ mittit, eiq; sacras claues, insigne Pontificiæ dignitatis, & uexillum urbis Romanæ, seu aquilam signum Imperij Romani offert, seq; & urbem Romam eius fidei commendat. Regino libro 2. Sigebertus anno 796. Adon ætate sexta: Auentinus quarto Annalium.

Ac postulat, ut suos Romam ableget, qui

populum Romanum ad suam fidem atque subiectionem sacramento firmarent: iuxta Annales Francorum. Quæ uerba alij intelligũt, quòd iusserit Romanos Francis fidem iurare: sed id non tam facile esset impetratũ. Quare uerisimilius est, quòd petierit Romanos eò adigi, ut pontifici, cui Carolus donauerat prouinciam Italiæ, iusiurandum præstarent. Quare Engelbertus, uel Agilbertus abbas S. Richarij, iussu Caroli cõpulit Romanum populũ fidelitatem iurare põtifici. Balæus in uita eius: Auentinus 4 Annal. Idẽ postea cum ducentis senatoribus suæ factionis elapsus Roma, uenit ad Carolum Badobrunam: eumq; inuitant ut Romam ueniat, ac inter alia inquiunt, Nunquam à malis hominibus quietum fore caput mundi, nisi Carolus urbis æternæ Consul, & tribunus perpetuus, præsens operam det, ne quid ipsa detrimenti capiat, & sua autoritate statum Reipub. componat. In fœmina nullum præsidium fore, quæ rebus humanis incubaret. Imperium capite orbum esse. Auentinus ibidẽ. Carolo deinde Romam aduenienti, coronã Cæsaream ad aram Petri imponit, & uestem Imperatoriam induit: & oleo ita largè perfundit, ut à uertice ad pedes usq; destillaret: populo acclamante, Carolo Augusto à Deo coronato, Magno & pacifico Imperatori Romanorum uita & uictoria. Paulus Diaconus libro 23 rerum Romanarum. Atq; ita imperium Romanum ad Carolum & Francos transtulit, & tamen sibi reseruauit ius Francis imperandi. Atque hinc factum est deinceps, ut qui Imperij sceptrum acciperent, à pontifice inaugurarentur. Estq; hæc translatio præcipuum ex miraculis Antichristi: Apoc. 13 & 17. Balæus in uita eius.

Architectum egit, & bellatorem. Nam porticum Petri, quę dicitur ciuitas Leonina, fecit, & muro eam cinxit propter Saracenorũ incursiones. Martinus, & Erphordiensis. Tectum Petri restituit, & xenodochium amplissimum pro peregrinantibus ob religionem, extruxit. Balæus. & plurima alia, quæ Liber pontificalis enumerat.

Calamitates eius.

Cognati Adriani, inter quos erant Primicerius & Campulus presbyteri, Leonem letanias celebrantem, & extra muros ad Laurentij ædem equo deambulantem, cum suis Baalitis excipiunt, & equo deiectum contumeliosè tractant. Liber põtificalis. Regino, Adon, & alij pontificij scriptores, oculos ei erutos, & linguam præcisam, sed diuinitùs restitutam nugantur. Verùm Paulus Diac. libro 23, & Zonaras, & alij fide digni autores, tantùm læsos, sed non erutos oculos eius esse affirmant: de lingua mentionem nullam faciunt. In monasterium Erasmi deductus, ab Albino cubiculario suo de muro demittitur: & Spoletum ad Vuinigisum ducem, indeque ad Carolum abijt: à quo honorificè exceptus, & Romam reductus est per Hyldpoldũ, Hyldeualdam, & Arnonem: & postea pręsente Carolo, & Synodo sese purgauit de criminibus obiectis. Auentinus lib. 4, Blondus decadis 2 libro 1. Causam aũt ob quã cognati Adriani Leonẽ affixerunt, alij Scriptores nullã, alij uerò hanc annotant: Quòd nimirum uitia eorũ insectatus fuisset. Blondus decadis 2 libro 1. Et quòd Romanis, sibi ea quæ Imperialis erant potestatis uendicantibus, restitisset. Vrspergensis, & Eutropij continuator, Ptolemæus Lucensis. Sed illa potius uera causa fuit, quòd Leo sibi Senatum & urbem Romam & Imperium per Carolum subijcere moliebatur: quod illi putant ad detrimentum reipub. & libertatis amissionem spectare. Videbatur enim eo modo urbs Francis prodi, Imperatores Oriẽtis irritari, & multis bellis ansam præberi.

Virtutes & dona eius.

Honorabilem & uenerandum uirum, Zonaras tomo 3: castum, facundum, constantem, liberalem in pauperes, Antoninus titulo 14. capite 1. § 8: tardum ad irascendum, uelocem ad condonandum, & mitem, Iohannes de Oppido: doctum & sapientem, Bonfinius decadis primæ libro nono: amantem uirorum doctorum, Liber pontificalis, celebrant. Sed notæ Antichristi, has uirtutes omnes in eo obscurant & delent.

De morte eius.

Cùm præfuisset annis uiginti, & mensib. quinque, & diebus sedecim, ex hac uita migrauit. Liber pontificalis. Sepultus in ecclesia Petri, anno Domini 816. Sigebertus.

DE ROMANIS PRESBYteris & diaconis.

GEORGIVS.

GEorgius presbyter Constantinum primũ pontificẽ, Constantinopolim euntem, deducit usq; Neapolim: postea à Gregorio 3 papa cũ literis ad Imperatorem ablegatus, re infecta redit, & literas secũ refert, ac fatetur se ob metũ periculorũ nõ ausum fuisse eas exhibere. Põtifex iratus eũ sacerdotij iure priuare conatur: sed Synodus sententiam eius refutat, & pœnitentiæ eũ subijciendum potius esse censet. Quare ille eum cũ literis ad regiam urbem remittit. Liber pontific.

THEOPHYLACTVS.

Theophylactus archidiaconus Romanus, cum Stephano secundo ad Pipinum expaciatur. Deliberatio postea de eo fuit, & suffragia quædam habuit: sed Paulus competitor ei prælatus est. Liber pontificalis.

GELMVLVS.

Gelmulus subdiaconus à Stephano tertio ad

ad Desiderium ablegatur, cum Anastasio defensore, ut illum de præstandis promissis commonefaciat. Liber pontificalis.

PETRVS.

Petrus protopresbyter cum Petro Hegumeno monacho in cœnobio Sabę, ab Adriano pontifice ad Nicenam secundam synodũ missi, uicem eius gerunt, & adorationem & cultum imaginum approbãt. Paulus Diaconus libro 23 rerum Romanarũ, Acta eius synodi, & Liber pontificalis. Missus est etiam Petrus iste ab Adriano ad Carolum, ut peteret auxilium contra Desiderium. Regino libro 2, & Annales Francorum.

THEODONVS.

Theodonus subdiaconus Romanus sub Gregorio 2. cum Iohanne Neapolitano duce Cumanum castrum à Longobardis occupatũ recuperat. Liber põtificalis, & Platina.

PASCHALIS, ET CAMPVLVS.

Paschalis primicerius, & Campulus presbyter, cognati Adriani, cõtra Leonem seditionẽ cõmouent, eumq; extra portã egressũ intercipiũt, & malè tractant, domum patris eius demoliuntur: & ad Carolum ueniunt, ac Leonem accusant. Scribuntur hæc fecisse ob uindictę cupiditatem, eo quòd fuissent asperius à Leone ob uitæ sordes obiurgati. Verùm aliam necesse est fuisse causam, quam reticendam Romani censuerunt. Carolus pontifici addictus, sententiam capitis in eos pronunciat. Sed Leone pro ijs intercedente uita donantur, & cum alijs coniuratis in Gallias relegantur. Liber pontificalis: Blondus decadis secundæ libro primo: Bonfinius decadis primæ libro nono, de Vngaris.

STEPHANVS.

Stephanus sacellanus Adriani, ad Hildebrandum ducem Spoletinum missus, hortatur eum ut Romam ueniat, & cum Adriano pacem ineat. Sed re infecta redit. Quare ad Carolum ablegatur. In epistola Adriani ad Carolum.

PHILIPPVS ET MEGISTVS.

Philippus episcopus, & Megistus archidiaconus, ab Adriano ad Carolum missi, reuertuntur, ac nunciãt Carolum cum regina & filio Romam uenturum, & pontificem ad baptismum filij inuitaturum. Epistola Adriani ad Carolum.

DE ALIIS EPISCOPIS Italiæ.

GEORGIVS.

GEorgius episcopus Portuensis, cũ Constantino papa Constantinopolim ad Iustinianum profectus est. Liber pontificalis.

GEORGIVS.

Georgius Hostiensis episcopus, cum Stephano 2 ad Pipinum Francorum regem proficiscitur. Liber pontificalis. Et mansit apud Pipinum: qui à pontifice Paulo impetrauit, ut liceret sibi eum retinere. ac fuit is postea internuncius Stephani & Adriani & regum Francorum, ut patet ex epistolis eorum.

NICETAS.

Nicetas episcopus de sylua candida, cùm esset in itinere cum Constantino papa uersus Constantinopolim, moritur Galliopoli. Liber pontificalis.

GREGORIVS DE SYLua candida.

Gregorius iste in concilio Romano à Stephano tertio congregato interfuit, & Constantinum inuasorem sedis Apostolicæ damnauit: & ex ambone hortatus est populũ sub anathematis pœna, ad statutorum obseruationem. Liber pontificalis.

BENEDICTVS THVSCVLANVS.

Benedictus Thusculanus episcopus, à Zacharia papa ad Aistulphum Rauennam obsidentem mittitur: eumq; monet, ut discedat ab armis, nisi uelit Dei omnipotentis iram sibi conuasare. Liber põtificalis, & Blondus decadis primæ libro decimo.

THEODOSIVS TIBVRTINVS.

Theodosius interest synodo sub Stephano, & postea ab Adriano cum alijs duobus episcopis ad Desiderium ablegatur. Liber pontificalis, & Blondus.

GEORGIVS PRAENESTINVS.

Eustadius Albanensis.

Citonatus Portuensis.

Hi tres episcopi Constantinum laicum, ui coacti clericum, diaconum, presbyterum, & tandem pontificem consecrarunt. Georgium, seu, ut alij uocant, Sergium postea aduersa ualetudo & paralysis afflixit: quod loco pœnæ ei accidisse, rati sunt pontificij. Liber pontificalis: Antoninus lib. 14. cap. 1. § 4. Cranzius libro 2. capite 1 Metropoleos.

CAMPVLVS.

Campulus Caietanus episcopus, Adriani papæ mancipium, & explorator: ut patet ex epistola Adriani ad Carolum.

STEPHANVS NEAPOLITANVS.

Stephanus Neapolitanus, ex laico factus est episcopus: ut constat ex apologia Constantini papæ, in Libro pontificali, in uita Stephani tertij. Interfuit synodo Romanæ, in qua damnatus est Constantinus, quòd passus esset ex laico se papam creari. Exploratorem & proditorem egit. Nam cùm Adalgisus Desiderij filius Græcorum præsidio munitus, rediret ad recuperanda bona patris sui, Stephanus quamprimùm eam rem Adriano pontifici prodidit: ut patet ex epistola ad Carolum. Postea cùm rumor de morte Constantini esset allatus, statim de eo ad eundem scripsit: ut constat ex alia epistola Adriani ad Carolum.

THEODORVS.

Theodorus episcopus Romæ, cum Stephanus pontifex electus esset, oculis & lingua priuatur, & fame necatur. Liber pontificalis.

RAVENNATES EPI-
scopi.

IOANNES.

IOannes archiepiscopus Rauennas, cum cognouisset Luitprãdum arma parare in Rauennates, statim ea de re ad Zachariam pontificem scripsit: eumque ut curam istius urbis susciperet rogauit, & hostium tela auerteret. Liber pontificalis in uita Zachariæ.

SERGIVS.

Sergius ex laico factus est episcopus Rauennatum. Exemplum eius Constantinus Papa pro se allegat in Synodo Romana sub Stephano tertio, cui uidetur interfuisse Sergius. Deposuit eum Stephanus propter inobedientiam, ut patet ex literis Adriani ad Carolum. Sed is non ita multo pòst ex hac uita emigrauit. Liber pontificalis, & Platina in Stephano tertio.

PHILIPPVS.

Stephanus Philippum presbyterum episcopum Rauennatem fecit, eiq; unà cùm Eustachio duce Exarchatum administrandum suo nomine commisit: ut patet ex Adriani epistola ad Carolum.

MICHAEL.

Michael scriniarius Ecclesiæ Rauennatis, mortuo Sergio per Mauricij Ariminẽsis ducis exercitũ, cum consilio Desiderij Longobardorum regis, cõstituitur archiepiscopus, Leone archidiacono, q electus erat à clero, deportato Ariminũ, & incarcerato. Eius ordinatio & cõfirmatio petitur à Stephano tertio, ac promittũtur & offeruntur ei satis ampla munera. Verùm ille existimans suis reb. cõmodum non esse, planè id facere recusat, eumq; fulmine excõmunicationis ab episcopatu deterrere occipit. Verùm ille Põtificias minas paruifaciens, Desiderij patrociniũ sibi parat, muneribus de bonis Ecclesiæ ei exhibitis. Stephanus pontifex regis Francorũ legatos, inter quos erat Hucbertus, & suos Rauennam mittit, & suis artibus & muneribus quosdam corrumpit: qui ex improuiso seditionẽ mouent, ac Michaelẽ de episcopio cũ ignominia deijciunt, & uinctum Romã mittunt, electo Leone archidiacono. Liber pontificalis de Stephano tertio. Sabellicus Enneadis octauæ lib. octauo: Nauclerus generatione 26: Adrianus in epistola ad Carolum.

LEO.

Leo archidiaconns Rauennas, oppresso Michaele electus cum consensu legatorũ Caroli, licet id Adrianus in epistola ad Carolũ negare uelit: Romã abijt, & à Stephano tertio ordinatus est, eiq; obedientiã & reuerentiã promisit, & ritus Romanę Ecclesiæ in sua renouauit: & cum Desiderius Rauennã infestaret, Romam Adrianum tribunos misit, petitum auxilium. Liber pontificalis. Et Paulum Afiartam cõtra Adriani pontificis uolũtatẽ iussit interfici: & postea facti istius pœnitens, à pontifice consolatorias literas expetijt, quòd omni culpa careat, cum innocentẽ sanguinẽ ultus esset. Sed pontifex tale testimonium ei dare recusauit. Liber pontificalis in uita Adriani: & Nauclerus generatione 26. Id molestè ferens Leo, pontificem ad Carolũ accusat, & bona illa quæ ad exarchatum pertinebant, conatur ad Carolũ potius quàm ad pontificẽ transferre. nouerat enim, à pontifice nullo iure sibi rapi. Quare Adrianus in literis ad Carolũ, eũ multis criminib. traducit: ut q, sub Caroli nomine bona Ecclesiæ abstulerit, & cõtra fidẽ datam se accusarit, & literas à Gradẽsi patriarcha missas interceperit, & resignatas postea miserit. Quo cognito, ipse Leo ad Carolum profectus est. Quod ubi Adrianus intellexit, ilico suos etiam legatos misit, ut patet ex Epistolis eius ad Carolum.

TICINENSES DOCTORES.

THEODORVS TICI-
nensis.

THeodorus Ticinensis episcopus, homo doctus fuit, & familiaris Zachariæ. Ignorauit cognationem spiritualẽ impedire matrimonium: ideoque nuptias probauit, quæ contractæ erant à quodam cum uirgine, quam pater suus ex baptismo susceperat. Zacharias ergo eum per literas instruit: & matrimonium dissolui, & pœnitentiam marito indici iubet. 30. q. 3. cap. Pitatium. Scripta quædam eum edidisse, Bergomensis lib. 10, & Schedelius ætate 6 affirmant.

PETRVS TICINEN-
sis episcopus.

PEtrus Luitprandi consanguineus, ab Ariberto rege Spoletũ relegatus, ibidẽ exulauit. Idololatra fuit, & Sabinum martyrem inuocauit: qui ei respondit, quòd Ticinensis episcopus aliquando sit futurus. Quòd tandem accidit, tempore Adriani & Caroli Magni. Nam Carolus eum Romam misit, & ordinari petijt: ut patet ex epistola Adriani ad Carolum. Flore castitatis & miraculis eum enituisse, Paulus Diaconus libro sexto, capite 18 de Longobardis refert.

De erroribus eius.

Sanctos mortuos inuocandos docuit.

Propter uirginitatis laudem, coniugium parui fecit.

Opera gubernationis.

Ab Adriano pontifice iussu Caroli regis postulauit, ut literas ad Egilam Hispaniæ episco-

episcopum scriptas mitteret: ut constat ex epistola Adriani ad Egilam.

Idolo suo Sabino martyr. in proprio solo basilicam extruxit, pro eo quòd eius oraculo & beneficio sese episcopatum adeptum somniabat.

De miraculis eius, Paulus Diaconus se in Vitis episcoporum scripturum dicit libro 12, capite eodem.

Adrianus eum ordinatum cōmendat Carolo: ac maiorem honorem ei præ alijs tribuendū dicit, eo quòd ab Apostolica sede consecratus esset. In epistola ad Carolum.

MEDIOLANENSES.

BENEDICTVS.

Benedictus archiepiscopus Mediolanensis, Ticinensem episcopum à sua diœcesi discedentem accusat ad Romanum pontificem. Verùm accidit ei, quod oui apud lupum, ius suum quærenti. Nam pontifex Ticinensem Ecclesiam suæ adscribit iurisdictioni: & interdicit Benedicto, ne amplius ea de re litem moueat. Nam olim Ticinenses à Romanis accepisse episcopos: ideo ad eius ius Ecclesiam illam pertinere. Tulit id quidem molestè Benedictus: sed potentiori reluctari, in rem suam non esse existimauit. Scripta quædam laude digna composuit, & per totam Italiam celebris fuit, circa annum Domini 714. Paulus Diaconus libro sexto, capite decimo, de Longobardis: Bergomensis libro decimo.

THOMAS.

Thomas sexagesimusnonus archiepiscopus Mediolanensis, Gislam Caroli Magni filiam baptizauit Mediolani, & de sacro fonte leuauit, anno Domini 781. Regino lib. secundo, & Annales Francorum.

AQVILEIENSES EPIscopi.

PETRVS AQVILEIENSIS.

Petrus Aquileiensis, uir pius & bonus, floruit sub Philippico: ut Iuo indicat in Chronico.

SERENVS.

Serenus uir simplex, & ad Christi seruitium promptus, Petro successit. Paulus Diaconus lib. 6 cap. 10. de Longobardis.

CALISTVS.

Calistus ex nobili familia ortus, Sacris literis operā nauauit, & in Taruisiana Ecclesia factus est archidiaconus: postea iussu Luitprādi Aquileiensem Ecclesiā suscepit regendā, post Sereni mortē. Paulus Diaconus lib. 6. capite 13. Amatorē episcopū Foroiulio expulit, atq; illius domum occupauit. Quáobrē Pemmo dux Longobardorū eū capit: & in castellum Potium, quod ad mare situm est, duxit, ibique in carcere detinuit. Paulus Diaconus cap. 14. Venetis duas Gradensis Ecclesiæ insulas Centinariam & Mussoniū, eripuit: quas minis Gregorij pontificis perterrefactus restituit. Sabellicus libro octauo Enneadis septimæ, ad finem: & Bonfinius libro octauo decadis primæ.

GREGORIVS.

Gregorius patriarcha Aquileiensis, auxilio fuit Herdab, qui Carniam, Stiriam & Carinthiam oppugnabat: & uix fuga sibi consuluit, circa annū Domini 750: Volaterranus, & Nauclerus generatione 25.

PAVLINVS.

Paulinus Aquileiensis præsul tempore Caroli Magni claruit, & non inter postremos habitus est. Scripsit libellum aduersus Felicem Vrgelitanum & Eliphandum Toletanum episcopos in Synodo sua: qui cum Caroli Magni libris contra Imaginum cultum excusus est.

Doctrina eius.

Sacras literas magni facit: & opiniones quæ ex ea probari non possunt, damnandas censet.

Rectè docet, unum esse Deum, & tres personas in Trinitate, ex dicto Lucæ secundo: Spiritus sanctus ueniet in tē, & uirtus Altissimi obumbrabit tibi. Et eleganter inquit: Alia est persona patris, alia filij, alia spiritus sancti: sed una, & æqualis, & consubstantialis, & coæterna est patris filijque & spiritus sancti inenarrabilis diuinitatis maiestas, quia unus est Deus. Vnionē namque in essentia confitemur, trinitatem uerò in personarum discretione prædicamus. In libello contra Felicem Vrgelitanum & Eliphandum Toletanum episcopos.

Doctrinam de IESV Christo, quòd uerus Deus, & uerus homo, & uerus Dei filius, & nō adoptiuus sit, illustrat & defendit contra Eliphandū & Felicē: Adstruūt igitur, sed falsis assertionib. Dominū nostrū IESVM Christū adoptiuū Dei filiū de uirgine natū: quod diuinis nequeūt approbare documētis. Hęc igitur dicētes, aut in utero uirginis eū suspicātur adoptatū, quod dici nefas est (quia de beata uirgine inenarrabiliter sumpsit, non adoptauit, carnē) aut certè purū eū hominē, sine Deo natū (quod cogitare impiū est) necesse est fateantur: ac per hoc, quasi eguerit adoptione, à patre in filium sit adoptatus: cū nihil Deus eguerit, qui erat in eo non per gratiam, quemadmodum in cæteris sanctis, purisq; hominibus, sed essentialiter per naturam. Deus, inquit Apostolus, erat in Christo, mundum reconcilians sibi. Quo igitur pacto nobis adoptionem tribuit filiorum, si ipse necessariò eguit ut sibi haberet? Nam quia peccatum non habuit, ideo nobis peccata donauit: quia non accepit ut uita esset, sed ipse essentialiter uita est, ideo eo nobis

æternam uitam indulsit. Et postea inquit: Quis eum adoptasse in filium credatur, cùm tota sancta Trinitas hominem Christum in utero uirginis operata sit? Idque probat ex dicto Lucæ secundo: Spiritus sanctus obumbrabit tibi.

De unione duarum naturarum in Christo inquit: Assumpsit quod non erat. Permãsit in id essentialiter quod erat, non commixtionem passus, neque diuisionem, sed in una persona Christi Deus uerus & homo permanet uerus. Non duo filij Deus & homo, sed unus filius Deus & homo: non alius filius hominis, & alius Dei, sed unus idemque Dei hominisque filius. Vnde & eos ualde execramur, qui eum adoptiuum impio grunniunt ore. Quia, sicut præfati sumus, adoptiuus dici non potest, nisi is qui prius alienus est ab eo à quo adoptari desiderat. Dei ergo filius qua ratione credi potest adoptiuus, qui inseparabiliter assumpto homine in una persona, coeunte utraque natura, non duo filij, alius Dei, & alius hominis, ut (sicut illi enarrando æstimant) adoptiuus sit hominis filius, & sine adoptione Dei filius: sed in una persona unus idemque Dei & hominis filius, qui nunquam hominem quem assumpsit deseruit, etiam nec in cruce, quando inclinato capite tradidit spiritum. Paulo attestante, qui ait: Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Dominus gloriæ dicitur crucifixus, cùm sola caro sit crucifixa. Sed quia Dominus gloriæ idem ipse erat, qui & hominis filius qui crucifigebatur, & nunquam hominem deseruit, sicut dictum est, quem assumpsit, ideo dicitur Dominus gloriæ crucifixus.

De officio Christi benè dicit: Qui propria non habuit, aliena tulit.

Christum etiam iuxta humanam naturã sedere ad dexteram Dei, & pro nobis interpellare, sentit: Cùm naturam nostram, quam in se assumptam in dextera patris collocatam ostendendo patri incessabiliter manifestat, propitium eum nobis aduocatus noster quasi interpellando efficit, & benignum.

De creatione hominis inquit: Ex flatu animata est terra, tam incõprehensibili arte, mirabiliq; modo summi artificis manu configulata, ut inuestigari plenius nequeat, qualiter & unum sit anima & caro, quæ perfectum efficiunt hominem, & tamen diuersa sit substantia carnis & spiritus.

De anima in corpore hominis ait: Vis animæ cùm sit incorporea & inuisibilis, nec diuidi potest, nec recipit sectionũ scissuras: totã tamen corporis molem, quæ diuidi uel segregari potest, in se cõtinentẽ mirabiliter regit, & per totũ diffusa animãdo uiuificat, & quasi pũctus in medio suã indiuiduè retinet dignitatem, & in alienã non resoluitur qualitatem. Nam, sicut dictũ est, cùm sit incorporea, corporaliter cuncta per corpus disponit: & cùm sit substãtia carnis corporea, p incorporeã creaturã, id est animam, corporeas perficit actiones. Tanta etenim societatis conuenientia sibimet sunt unitæ, ut unũ sine altero nihil possit, humanam constare naturam.

De hæreticis scitè dicit, quòd mos eis sit, tristia lætis, & dulcia permiscere amaris, & ueneni poculum mellis sapore temperare: & quòd habeant frontem meretricis, & uerbum Dei adulterent.

Ecclesiam fundatam esse super petram, nimirum Christum: & quassari quidẽ posse ab hæreticis, sed non mergi, firmatam dextera Christi: item in toto orbe terrarum diffusam, sed tamen unam esse sponsam Christi.

De ministerio uerbi rectè sentit, Doctores & singulos Christianos debere cõtra hæreticas opiniones pugnare, easq; refutare. Non enim Christi miles, inquit, impetũ irruentis belli debet eneruiter expauescere, nec effugij latibula inermis palando appetere: sed armis militiæ suæ præcinctus, irrumpentiũ hostium pectora Spiritualib. iaculis ex arcu intorquẽs Scripturarum, intrepidè perforare.

DE NAEVIS.

Sanctorum tamen intercessionem immiscẽdo orationi, Christi mediatoris officium labefactat. Sic enim inquit: Christus conseruet Carolum regẽ per intercessiones B. Mariæ, & beati Petri primi pastoris Ecclesiæ, omniumque sanctorum.

Doctrinam de animali & spirituali homine, non rectè intellexit. nã opinatur animalem tantùm dici, appetentem potentiam & sensitiuam, & spiritualem intellectiuam.

Adriano pontifici priuilegium saluum reseruat acta Synodorum approbandi, uel rescindendi.

Opera in gubernatione.

Pugnauit contra errores Eliphandi & Fœlicis, ut constat ex libello eius: in quo demonstrat, IESVM Christum non rectè adoptiuum filium Dei dici, quia id ex sacris literis non possit probari: & opponit Scripturæ testimonia, in quibus IESVS Christus etiam iuxta humanam naturam uerè filius Dei dicitur. ut Lucæ 2: Quod nascetur ex te sanctum, filius Dei uocabitur. Rom. 5: Proprio filio suo non pepercit. & Galat. 4: Misit Deus filium suum. & Matthæi tertio: Hic est filius meus dilectus. & Matth. 16: Tu es filius Dei uiui. Et rationes interspergit. Prima: Quòd cùm homo Christus à tota Trinitate sit in utero Mariæ cõditus, non possit explicari, q̃ psona ex illis Christũ adoptarit. Secũda: q, omnis adoptiu⁹ filius alien⁹ sit ab

eo

eo à quo dicatur adoptatus: & quòd adoptatio fiat ex gratia, & non ex debito. At Christum non esse à patre alienum, nec indiguisse adoptione. Ergo. Tertia: Quòd oporteat inter nos & Christum esse discrimen, ut ipse sit uerus & proprius Dei filius: nos uerò adoptiui per illū. Quarta: Quòd oporteat Christum habere nomen super omne nomē. Sed adoptiuū nomen esse cōmune, & infra nominum mensuram teneri. Quinta: Quòd nō cadat nomen adoptionis in Christum, quia semper uerus filius, sēper Dominus, & post assumptum hominem ueri filij uocabulum non amiserit, qui nunquam uerus desierit esse Deus.

Rationem etiam, qua hæretici probare nitebantur, Christum esse filium Dei adoptiuum, refutat. qualis erat: Si quis peccat, habemus aduocatum apud Deum: hoc est, adoptatum. Sed ille respondet, aliud esse aduocatum, & aliud adoptatum. & infert: cùm Spiritus sanctus etiam dicatur aduocatus, necessariò eos affirmare duos adoptiuos filios, scilicet Christum, & Spiritum sanctum.

Oppugnat etiam illorum opinionem, qui in persona Christi tres substantias ponebāt, uerbi, carnis, & animæ: ac ostendit, carnem & animam unam tantùm naturam constituere, ideoque non opus esse ista diuisione sophistica.

A' Carolo Magno cum alijs episcopis Romam missus, propter Leonem pōtificem, qui ab aduersarijs suis malè tractatus erat, controuersias cognouit, supplices audiuit, causas absoluit, lites diremit, & ius dixit: ut Auentinus libro quarto de Boijs narrat, factum circiter annum Domini septingentesimum nonagesimumnonum.

AMATOR.

¶ Amator Foroiuliensis episcopus, successit Fidentio, & à Calisto est domo sua eiectus. Paulus Diaconus libro 6, capite 14 de Longobardis.

MAVRICIVS.

Mauricius Histriensis episcopus, gratificaturus pontifici Romano, à suis ciuibus exigit pensiones Petri. Sed Græci respondent, regionem illam non pontificis, sed Caroli esse: ideoque nihil ei deberi. Cùm autem ille instaret, Græci eum episcopatu deijciunt, & oculis priuant. Adrianus itaque ad Carolum pro eo scribit, ac restitui petit. in epistola ad Carolum.

IOANNES.

Ioannes Gradensis patriarcha, scripsit ad Adrianū, & ad Carolum proditorias literas: quas Leo Rauēnas intercepit, & legit, & hostibus aperuit istorum consilia: ut patet ex epistola Adriani ad Carolum.

EPISCOPI ITALIAE, QVOrum loca non indicantur.

FORMOSVS, ET DAMASVS.

Formosus & Damasus episcopi ab Adriano pontifice ad Carolū missi, ut eū contra Desideriū in Italiam cū exercitu adducerent: cum Caroli Magni legatis Siculpho & Eunardo ad Thassilonem Bauariæ ducē ablegantur, & autoritate Apostolica obtestantur illum, ut fidem & iusiurandum Pipino & filijs eius datum seruet, ni uelit excōmunicari, & arma Caroli experiri: & efficiunt ut ille acceptis duodecim obsidibus Vuormaciam ad regem ueniat, & sacramentum renouet. Regino libro secūdo: Annales Francorum: Erphordiensis 69 cap. Pontificijs erroribus fascinati, Adrianum uocāt uiuum supremæ maiestatis oraculum: cui refragari etiam in politicis rebus sit inexpiabile scelus. Auentinus libro 3 Annalium.

THEOPHILVS, ET STEPHANVS.

Theophilus, seu Cleophylacius, seu Theophylactus (uariant enim scriptiones) unà cum Stephano missus est ab Adriano, ad synodum Francofordianā: in qua rescissa sunt acta synodi Nicenæ secūdę, & damnata imaginum ueneratio. Mirum quo pacto potuerint isti legati ferre, sui pontificis sententiam tam apertè damnari & reijci. Regino libro 2. Adon ætate 6. Annales Francorum: Blondus decadis 2 libro 1.

VVOLFRIDVS.

Vuolfridum in Italia, anno Domini 752, quo Bonifacius in Frisia extinctus fuit, celebriorem factum esse, Regino libro 2 narrat. Sed quis fuerit, non indicat.

DE GALLICANIS EPISCOpis & Doctoribus.

Episcopi Viennenses.

DEODATVS.

Deodatus, uir magnæ parsimoniæ, Viennensem ecclesiam rexit, sub imperio Philippici. Adon Viennensis ætate 6.

BLIDRANNVS.

Blidrannus præcedenti successit, sub Anastasio. Adon ibidem.

ANEPOS.

Anepos episcopus, secularis cōuersationis uir, duxit exercitū Francorū contra Vuilianū in Sueuos, anno D. 712. Adon ętate 6.

BOLDVS.

Eoldus, sub Theodosio Viennę episcopus est factus, & eam Ecclesiā bonis auxit. Erat enim affinis Francorum regibus, & intra ciuitatem domunculam construxit in honorem martyrum Thebæorum, Mauricij & sociorum eius. Fuit idololatra, & reliquiarum prædicator. Adon ætate sexta.

BOBOLINVS ET OSTROBERTVS.

Eoldo successit Bobolin': & huic uicissim Ostro-

Ostrobertus, qui fuit uir strenuus & nobilis. Et sepultus est in uilla sua, non procul à Sequana fluuio. Adon ætate sexta.

VVILICARIVS.

Vuilicarius Ostroberto successit: & Romam ad Gregorium profectus, pallium accepit, & primus archiepiscopus in ea ecclesia dici meruit. Liber pontificalis, & Adon Viennensis. Reliquiarum fuit cultor, & prædicator. Quare ossa Ferreoli, & caput Iuliani, martyrum, Viennam transtulit, & in honorem deorum alienorum templum extruxit. Sed ista eius magnificentia non fuit durabilis. nam Franci ecclesiæ eius bona in usus belli contrà Saracenos conuerterunt. Quod is tam molestè tulit, ut relicto episcopatu Romam ad Stephanum iret, & ab eo Agaunense cœnobium impetraret. Ecclesiam tamen Viennensem per Bertericum curauit, ut colligitur ex Adone ætate sexta. Romanis pontificibus charus fuit: ac sunt eius opera in multis usi. nam Stephanus eum cum literis ad Carolum & Carolomannum misit, ut eis miserias Romanæ ecclesiæ exponeret, & auxilium peteret. Et Paulus in epistola ad Pipinum suadet, ut Marinum turbulentum hominem, per Vuilicharium curet consecrari episcopum: & Adrianus pontifex illum in Hispaniam ablegauit ad Egilam, ut ei responsa ad suas quęstiones afferret, & Romanos ritus traderet, & illum episcopum consecraret, & Ioannem presbyterum: ut constat ex epistolis eorum.

PROCLVS.

Proclus, homo innocens & simplex, uidetur episcopus factus esse, postquam Vuilicarius mortuus est. Ibidem.

BERTERICVS.

Bertericus Viennensem ecclesiam suscepit regendam, postquam Vuilicarius secessit. Sed postea succedente Proclo, ab ea cura est remotus. Hoc uerò mortuo aut remoto, Pipinus Bertericum constituit episcopum.

VRSVS, ET VVVLFRETVS.

Vrsus Berterico successit, anno Domini septingentesimo nonagesimooctauo. Sed post eum Vuulphretus Bauarus undecim annis præsedit: qui per Leichradum ciuem Lugdunēsem ecclesiā gubernari curauit, ut ipse ferias & ocia agere posset. Adon ętate 6.

LVGDVNENSES.

EVCHERIVS.

EVcherius ex senatore natus, in spelunca non procul à Lugduno eremiticā exegit uitam, orationibus & ieiunijs deditus. Sed angeli reuelatione, si credendum est nugis, pontifex Lugdunensis cōstitutus, miraculis claruit. Bergomēsis lib. 10. & Schedel. ætat. 6.

ADDO.

Addo fuit episcopus Lugdunensis, circa annū Domini 798. Adon Viennensis ætate 6. Post eum Hilduinus, nepos eius, Ecclesiam rexit, licet non esset ordinatus episcopus: ac tādem pertæsus laborum, deserto episcopatu, in monasterium aufugit. Adon ætate 6.

SERENVS MASSILIENSIS.

Serenus Massiliensis episcopus, imagines sanctorum, ad idololatricam adorationem tollendam, cùm ea de re plebem suam instituisset ex sacra Scriptura, confregit, & ex templis deiecit. Sed eam ob rem à Gregorio papa reprehenditur, quasi inconsiderato zelo id fecisset. Antoninus titulo decimoquarto, capite primo. § 1.

ROTHOMAGENSES.

RAGINFREDVS.

RAginfredus episcopus Rothomagensis, interfuit synodo Franciçæ sub Carolomanno. Auentinus libro 3. Tomus secundus Conciliorum. Zacharias eum inter alios Francorum episcopos primo loco ponit, in epistola sua: in qua laudat Francos, quòd benignissima uoluntate ad beatum Petrum magistrum suum sese conuerterint.

REGISLAVDVS.

Regislaudus episcopus Rothomagensis, baptizauit & ordinauit Ouonem. Vincentius libro 23. capite 145.

REMIGIVS.

Remigius, seu Egidius, Caroli Martelli filius, & frater Pipini, Rothomagensis archiepiscopus factus est. Aemylius libro secundo de gestis Frācorum, sub Chylderico tertio, anno Domini 751. Sigebertus. Erroribus pontificijs, de reliquijs sanctorum, & de Baalismo, & alijs fuit irretitus. Nam cùm Floriacenses monachi furati essent Benedicti reliquias, & res ad Pipinum delata, misit eum cum tribus episcopis: ac in mandatis illi dedit, ut eas uel integras reddi curaret: aut si id obtineri non posset, parte aliqua Floriacensibus concessa, reliquum tamen Casinensibus restituerent. Iuo in Chronico, sub Constantino. Idem Pipini iussu cantum ecclesiasticum, hactenus rudem & simplicem, ad Romani Baalismi characterem reformauit. Ganguinus libro 3 de Francis. A' Pipino missus in Italiam, interfuit actioni de pace, inter Paulum papam & Desiderium: ac testis fuit, Desiderium promisisse omnia Petro restituere ablata. Epistola Pauli ad Pipinum.

SENONENSES.

GVERICVS.

GVericus monachus, doctrina & hypocrisi celebris, Vulfranno in episcopatu Senonensi successit: miraculis claruit. Vincentius 23, cap. 148. & Anton. tit. 14. cap. 2. § 3.

EBBO.

Ebbo Guerici nepos, parentibus orbus, castrum Tornodorum iure hæreditario ad se spe-

se spectans reliquit, & in monasterium Petri ad Senonenses clàm se abdidit: ac ex abbate tandem episcopus factus est, & mendaciorũ signorum architectus. Vincétius lib. 23. cap. 148. Vandalos urbem obsidétes nocturno clamore fugauit, & insecutus finib. eos expulit. Annonius lib. 4. capite 55, de Francis.

SALVIVS, ET VALENTINIANUS.

Saluius Albiniensis episcopus, iuxta Schédelium ætate sexta, Chilperico Francorum regi in errorem Arij prolapso sese opposuit: & chartam, in qua rex scripserat, Trinitatem non in personarum distinctione, sed Deum nominandam esse, cùm sibi prælegeretur, discerpere conatus est. Interfectus tandem est cum discipulo suo Valentiniano, in carcere. Claruit tempore Leonis Isauri, iuxta Erphordiensem, ex actis eius, capite sexagesimosexto.

EVCHERIVS AVRELIANENSIS.

Eucherius Aurelianensis (quem Antherum Martinus in Chronico, & Euterium Arelatensem Ganguinus libro tertio de Francis uocat) orto intestino bello inter Carolum Martellum & Raginfredum, cum hoc contra illum sensit, & fecit. Quare Carolus potitus uictoria, ab episcopatu eum reiecit, & ad uicum Sarcinium in Hispaniam relegauit, anno Domini septingentesimo uigesimotertio. Sigebertus. Fuit homo superstitiosus, & uanus. Somniauit, Caroli Martelli animam in inferno esse, eo quòd decimas de ecclesiarum bonis contulisset in sumptus bellicos: ut Martinus in Chronico scribit. Aut (ut solent uariare médacia) iussus à pontifice, aperuit monumétum eius, & inuenit serpenté miræ magnitudinis, ut Chronicon de Bauariæ ducib. asserit. Sed Auétinus hæc omnia pro cõmentis habet, quia ab eo sint profecta qui odit Carolum: & aliàs historia Egidij testetur, id peccatum Carolo uiuenti esse remissum, libro 3 Annalium. In Tuidonis cœnobio uitam finijt. Sigebertus.

REMENSES.

RIGOBERTVS.

Rigobertus Remorum episcopus, de Baptismo suscepit Carolum Martellum: & orto inter Carolum & Raginfredum bello, sectatus est factionem Raginfredi, & Martellum Remos uenientem noluit in urbem intromittere. Id Carolus molestè tulit: & parta uictoria, eum episcopatu deiecit, anno Domini 723. Sigebertus, & Auent. lib. 3 Annal.

MILO.

Milo filius S. Lutuuini, Caroli Martelli partes contra Raginfredum adiuuit: quare beneficij loco Remensem episcopatum accepit, & ecclesias sanctorũ Medardi, Symphoriani, Crucis in Tauonna, Stephani extra Adarnatũ, & alias parũ religiosè tractauit, fortè improbans cultũ imaginum, & similes superstitiones. Quare ei cũ Bonifacio uidetur fuisse certamé, qué Zacharias in epist. ad Bonifaciũ dicit plurimũ nocere Ecclesię. Venationi operá dedit, & ab apro est interfectus, cùm annis 40 ecclesiam illá rexisset. Auent. lib. 3 Annal. & acta episcoporũ Treuerensiũ.

PARISIENSES.

GVNDREMARVS.

Hunfrido succesit Gundremarus, in episcopatu ecclesiæ Germani. Annonius libro 4. capite 48. Ei defuncto Tedelmarus abbas surrogatur. libro & capite eodem.

LANFREDVS.

Lanfredus Tedelmari successor, à Carolo in Aquitaniam ad Hunoldum missus, pro exploratore capitur: & ad annos tres cũ semisse detentus, tandé dimittitur, pace inter Pipinum & Hunoldum cõstituta. Annonius libro 4. capite 52, 57 & 59 de Francis. Coluit deos alienos, id est mortuos sanctos: ac finxit sibi Germanum in somnis apparuisse, & præcepisse reliquiarum suarũ ex oratorio Symphoriani translationem in ecclesiá maiorem, quæ erat intra muros. Annonius libro 4. capite 62 de Francis.

GIRICHARDVS, ET ROBERTVS.

Lanfredo succesit Girichardus, ex abbate episcopus factus. Annonius libro 4. capite 64. Cui deinceps Robertus surrogatur, libro eodem, capite 73.

METENSES.

PIRMINIVS.

Pirminius, seu Priminius, seu Prima (uariè enim scribitur nomen eius apud autores) monachum egit in cœnobio Mauri, uir doctrina & sanctitate hypocrita, & superstitiosus in Gallicana Frácia: episcopus Meldensis, iuxta Trithemium: seu Metensis, iuxta Chronicon de ducibus Bauariæ, & alios, cõstitutus est. Venit ad Augiam insulá, anno imperij Leonis 7. Domini 724. & ex ea serpétes expulit. Ac ibidé monachos collegit, & põtificiá religionem propagauit. Fauebat aũt Carolo Martello magis quàm Theodouualdo Sueuorum duci: quare à Sueuo loco cedere iubetur. Ille ergo Etone abbate isthic designato, in Alsatiam prope Constantiam abit, anno Domini 730. Vrspergensis, & Hedio. Inde in Boiariam uenit, ad Vtilonem: apud quem anno Do. 739 eũ fuisse, Auétinus indicat lib. 3 Annal. Carolus uicto Theodouualdo Sueuo, Pirminiũ reuocat, & Mediomatricum ecclesiæ præficit. Auent. ibidé.

Multorũ monasteriorũ extitit pater. Ottho Phrising. l. 5. c. 18. quę Trithemius enumerat: ut Mauricij martyris in Dolegia Treuirensis diœcesis: Schutréte, Suuarzach in diœcesi Argentinési: Gegébach, Mauri seu Mormũster, Neu-

Neuuuilerense, Althense in Bauaria, Murbachense in Basiliensi diœcesi, Augiense, monasterium in Amerbach, cui Amorem præfecit abbatem. In epitome regum Francicorū. Austrauiam Osterhofen, & Paphomonasterium Pfaffenmunster, & Adelchium superius, & inferius Pirminium dedicasse, Auentinus libro tertio refert.

Posteritas ex superstitione, eum contra uenena inuocauit hac formula precum:

Sanctificet nostram sanctus Pirminius escam,
Dextera Pirminij benedicat pocula nostra.

Chronicon Aeditui.

SIGEBALDVS.

Sigebaldus presbyter, fuit familiaris Bonifacij: & postea, si idē est, Metensium factus est episcopus, tempore Pipini. Manuscripta quædā epistola eius, satis barbara nobis uisa est, in qua indicat, se nomē Bonifacij in Missarum catalogo asscripsisse, ac pro eo mortuo oraturum. Vnde colligitur fuisse pontificijs erroribus imbutus. Operibus charitatis eū quasi alis ad cœlum subuolare uoluisse, in libro de uiris Metensium indicatur.

In episcopatu Metensi duo cœnobia ædificauit, quorum unum Hilariacum, alterum Nouū uillare appellatur: & alterum Paulo, alterum Petro dedicauit. Deos enim illos alienos Antichristi, etiam ipse colebat.

Pipinus eum magni fecit, ac in multis consilio illius usus est. Libro de Crodogangi uita, capite quinto: & actis Metensium.

CRODOGANGVS.

Crodogangus, seu Chrodogandus, ut Sigebertus: seu Rodegangus, ut Marianus: seu Ruggandus, ut Trithemius: seu Rothingrandus, ut Blondus: seu Trottingandus, ut Liber pōtificalis scribunt: in Asponio Galliç regiōe ex patre illustri & nobili Sigiramno, & Landrada filia Caroli Martelli & sorore Pipini regis nascitur. Liber de uita eius, cap. 2.

Puer in monasterio Trudonis educatus, postea in schola Metensi literis operā nauat: & in artib. dicendi, & in scientia legū ciuiliū & sacrarum mediocriter proficit. capite 3.

Functiones.

Aetate maturiorem Carolus in aulam uocat, eumq; à consilijs suis esse iubet: & partes ei delegat, cognoscendi causas, & ad sese referendi negocia, & ius dicendi. In eo munere prudentem, iustū & solertem se præstitit. Ac cùm clericorū causç ad eum deferrentur, suā erga illos pietatem demōstrauit: & nunquā permisit, ut synodis clericorum laici interessent. Monachorum etiam patronum ita egit in aula, ut eum patronum & aduocatū rasorum uulgò uocarent. Libro eodē, cap. 4.

A clero Metensium electum Carolus constituit episcopum: & nihilominus eum principem palatij, & totius Galliæ ducē, & Reip. consiliariū manere & agere iubet. Libro eodē, cap. 9. Pallium archiepiscopi insigne, & potestatem per totā Galliam episcopos ordinandi, & stolam ubique gestandi, & crucem præ se ferendi à Stephano pontifice accepit, anno Domini 754. Libro eodem, capite 11.

Scripta.

Regulam canonicorum Metensis ecclesiç scripsit, librum unum: & Epistolarum ad diuersos, librum unum. Trithemius de uiris illustribus Germaniæ.

Doctrina & errores eius.

Ex eius historia & operibus colligi potest, eum doctrinç de Euangelio fuisse ignarum, neque de lege ueram tenuisse sententiam. Nam potius sanctos quàm Christum inuocauit & adorauit, & coluit ædificatione ecclesiarum & monasteriorum, & peregrinatione ad reliquias eorum.

Nuptias damnauit, nimia cōmendatione cœlibatus. Spontaneam paupertatem, & uitam monasticam, ieiunia, festa, missas, & alias traditiones humanas pluris fecit, quàm bona opera diuinitùs præcepta.

Episcopis interdictum esse, ne dominarentur ut principes gentium, ignorauit: ideoque utriusque gladij administrationem suscepit.

Opera eius in gubernatione.

Munus docendi obijt: sed stipulas & traditiones humanas, potius quàm Christum & puram doctrinam prædicauit. Autor uitæ eius hæc refert illum docuisse: Illos qui altiora quidem aggredi non poterant, monebat honorare patrem & matrem: Dominū tota mente, toto corde, totisq; interiorib. diligere: fornicationē fugere, homicidia declinare: aliena non solùm non rapere, sed & sua deuotè pauperibus largiri: & omnino quæ sibi quis fieri non uult, alteri non irrogare: coniugij fidem seruare, & uitam æternam omni cōcupiscentia desiderare. His uerò quibus amor incumbebat, cœlestem uitam in terris agere, terrena ut stercora deputare, uolūtaria paupertatę Christum pauperem pro se factum uelle pro uiribus imitari, cœlibatum uirginitatis coniugio præponere, iniurias libenter sufferre, diuitias omnino contemnere, Deo diebus ac noctibus adhærere, in domo Dei conseruis suis salutis ad medicinam aliquid supererogare festinās. capite 11.

Celebrauit Missas Romæ coram Stephano papa, seque suamque plebem sancto Petro commendauit. capite eodem.

Ecclesias & monasteria uisitauit: & quæ minus rectè fiebant, correxit. Libro eodem, capite eodem.

Ordinauit episcopos authoritate Pontificia.

Archi-

Architectum potius egit, quàm Doctorē. nam Stephani ecclesiam extruxit, & in æde Petri ambonem auro argentoq; exornauit. capite eodem. Tria nobilia monachorū cœnobia extruxit, inter quæ nominantur Gurgitense & Moslinse Gorziæ cœnobium, anno Domini 758.

Baalismi fuit promotor. nā in ecclesia Stephani clerum instar monachorum intra sua septa conclusit, & formam psallendi & boandi in templo eis præscripsit: & sumptus annuos, seu præbendas suas, ut uocant, cuiq; distribuit. capite eodem.

Idololatra fuit. nam sanctos inuocauit, seque ijs commendauit: & propter Agnæ, Anastasiæ, Cosmæ & Damiani, Ioannis & Pauli, & reliquorum adorationes Romam adijt. Reliquias Nabotis & Nazarij à Paulo pontifice multis muneribus redemit: Gorgonij uerò corruptis pecunia custodib. furatus est, & in Gallias transtulit, anno Domini 764. Sigebertus. Et deos Antichristi ueneratus est, imò pro ijs non piguit eum grauia suscipere certamina. Nam cum Agaunenses ei uicissim furati essent Gorgonium, accusauit eos ad Pipinum: & impetrato præsidio, in Burgundiam Agaunum irruit: & cum detrectarent restitutionem, Mauricij sepulchrum effringere cœpit. Illi uerò ut suum idolum Mauricium saluum retinerent, Crodogango Gorgonium reddunt. Cap. eodem.

Vtrumque gladium gessit. nam principem palatij, & consiliarium Reipublicæ, & ducem Galliæ, & episcopum simul egit. Capite nono.

Legationibus functus est. Pipinus enim eum ad Stephanum pontificem misit, ut ei referret, quòd à Sicambris seu Francis in regem esset electus. Capite undecimo. Stephanum papam secum in Gallias ad Pipinum adduxit. Blondus decadis primæ libro decimo, & Sabellicus Enneadis octauæ lib. octauo. Ac cum is Pipino de Aistulphi iniuria questus esset, Crodogangus remissus est ad Aistulphum, ut iuberet eum pontifici restituere sua. Liber pontificalis in uita Stephani.

Vitæ sanctimonia.

Facie decora, mitior columba, uelocior aquila, clementior agno, innocentior uitulo fuit. habitu uilissimo usus est, adeò ut uix agnosceretur episcopus à peregrinis. Cilicio, ieiunio, uigilijs corpus suum castigauit: in peccantes rigidus, in pauperes liberalis fuit. Liber de uita eius.

De morte eius.

Obijt anno Domini 765, iuxta Sigebertum. Trithemius errat, qui eū floruisse scribit anno Domini septingentesimo septuagesimo, de uiris illustribus Germaniæ.

TREVIRENSES.

CLEDOLPHVS.

Cledolphus Arnolphi filius, 58 Treuirensium episcopus fuit.

ERHARDVS ET HYLDOLphus.

Erhardus, seu Ariouardus, & Hyldolphus, fratres, ex nobilissima Boiorum familia, ut Auentinus libro tertio indicat, orti. Chronica quædam Scotos genere fuisse annotant. In actis episcoporum Treuirensium, ex Neruiorum genere procreati dicuntur. Reginoburgij educati, & bonis literis instituti à Carolo Martello, Treuirensi templo donantur. Episcopos ambo ibi egisse scribuntur. Sed uter prior aut posterior fuerit, non potest discerni. Erhardus Otiliam Vdalrici filiam cæcam curauit. Hyldolphus Maximi templum extra muros Treuirenses instaurauit, & templum Euangelistæ extruxit, ut Christophorus prior Treuirensis in epistola ad Berengasij opera adiecta indicat. Extruxit etiam monasteria, & cellulas: unde colligitur, eum mancipium pontificiorum & Antichristi fuisse. Liber de Episcopis Treuirensibus.

VVIOMADVS.

Vuiomadus abbas Maximini, archiepiscopus sexagesimus, factus successor Hyldolphi, cellas Maximini, Paulini, Martini, & ius fisci, & alia iura à Pipino precibus obtinuit: quorum donationem Carolus Magnus anno Domini 775 ratam habuit, & confirmauit. Acta Treuirensium episcoporum.

RATBODVS.

Ratbodus abbas Mediolanensis eligitur in archiepiscopum Treuirensem, ordine sexagesimumprimum, eo tempore cum Saxones monasterium Frideslariense frustra conarentur inflammare, circa annum Domini 776. Acta Treuirensium episcoporum.

NODOALDVS.

Nodoaldus uir nobilis, ex palatio ad Ecclesiam Treuirensem gubernandam inuitus rapitur. Doctrinam dæmoniorum de nuptiarum interdicto magni fecit, & sororem suam Seueram nomine monialem fecit, alteram uerò Ittam Pipino uxorem dedit. Saxonia Crantzij lib. 2. cap. 1.

VANO.

Vano abbas Mediolanensis, post Ratbodum episcopus sexagesimussecundus factus est Treuiri, eo tempore quo Carolus decies mille Saxones cum uxoribus & paruulis in Galliam transferret, & Gallos econtrà in Saxoniam collocaret. Acta Treuirensium.

HADVLARIVS.

Hadularius, sexagesimustertius episcopus Treuirensis, eo tempore fuit, quo

Saxonum bellum est finitum. Acta Treuirensium.

FORTVNATVS.

Fortunatus secundus, apud Treuiros episcopus sexagesimusquartus. Scripsit librum de diuinis officijs: & à Carolo ad Michaelē Imperatorem ablegatus, pacem confirmauit. Acta Treuirensium.

SVB IUSTINIANO.

AVTBERTVS.

Autbertus Abrincatensis, ut Sigebertus scribit, seu Ambertus Abricensis, ut Robertus Gāguinus libro tertio: admonitus à Michaele, seu malo spiritu, in pelago, in colle altissimo Ecclesiam seu monasterium extruxit, anno Domini septingentesimo nono. Inter sermones Bedæ quidam extat de reuelatione Michaelis: in quo indicatur, Michaelem in spelunca, ad quam taurus stabat, altare suum monstrasse, ac isthic se adorari iussisse. Sed quis non intelligit, à superstitiosis hominibus ista conficta esse, ad confirmandam opinionem de angelorum adoratione? Porrò Autbertus iste uidetur idem esse cum illo Ausberto Rothamagensi episcopo, de quo superiori libro diximus: quòd in exilium missus circa Altimontē errauerit, ubi ut aliquam existimationem sibi compararet, de Michaele somnia finxit, & idololatriæ occasionem præbuit.

VVILHARIVS.

Vuilharius episcopus Sedunensis, apud Carolomannum fuit in authoritate: & eo mortuo ad Carolum Magnum uenit, in uillam Carbonianam, cum alijs aulæ procerib. Annales Francorum, Auentinus libro 4 Annalium, & Vrspergensis in Chronico. Regino lib. 2 eum uocat Volcarium Capellanū.

DANIEL.

Daniel ex Francorum regia stirpe natus, in clericorum numerum cooptatus est. Sed is post obitum Dagoberti, consilio Raginfredi Francorum marescalci, abijcit habitum sacerdotalem, & cæsariem & barbam alit, & rex eligitur, mutato nomine Danielis in Chilperici, & arma contra Carolum Martellum capit. Ado in ætate 6: Trithemius de origine Francorum: Blondus decadis primæ libro decimo: Ganguinus libro tertio de Francis: anno Domini 715. Sigebertus.

LEODIENSES EPIscopi.

HVBERTVS.

Hubertus in episcopatu successit Lamberto Traiectensi, & à Sergio pontifice Romano consecratus est, cuius mancipium in superstitionibus pontificijs confirmandis & propagādis solerter egit. nam deos alienos, nimirum sanctos mortuos honorauit, dum beato Petro ecclesiā extruxit, & corpus Lāberti unà cū sede episcopali à Traiecto Leodium transtulit, eiusque uenerationem docuit, de signis & miraculis eius mendacia & commenta in uulgus disseminans, anno Domini 710, iuxta Sigebertum.

Ac ut politicus dominus & rex, ius ciuile oppidanis tribuit, uitam & mores disciplinæ freno composuit, libram panis & uini sapienter cōstituit: & obijt anno Domini 735, iuxta Annales, seu uitas Tungrenses, & Trithemium in epitome Francorum. Post annos sedecim, aut (ut alij uolūt) septuaginta, sub Ludouico Imperatore, cadauer eius, quod fabulantur eò usque durasse illæsum & incorruptum, translatum est in pagum Arduennam, ac superstitiosis cultoribus signa mēdacia edidit. Libro eodem.

FLOREBERTVS.

Florebertus filius & successor Huberti, rexit Ecclesiam illam annis 18. Et post multos annos corpus eius leuatum est: & ipse cum Lamberto & socijs eius deus tutelaris Leodiensis factus est. Annales Tungrensium.

FVLCARIVS.

Fulcarius, seu Fulgarius, comitis Louaniensis ex filia custodis filius, Leodiensis episcopus trigesimussecundus, tempore Pipini, præfuit annis ferè quindecim. Annales Tungrensium. Mortuus anno Domini 766. Meyer de Flandris.

AGILFRIDVS.

Agilfridus uir præclarus & nobilis, in Palatio Caroli Mag. diu uersatus, episcopus trigesimustertius Leodiensis ordinatur, anno Domini 753. Desiderium regē Italiæ apud se exulantem, ex iussu Caroli habuit, & curauit uitam Lamberti per Godescalcum clericum suum scribi. Obijt anno Domini 784. Annales Tungrensium.

GERBALDVS.

Gerbaldus 34. episcopus Leodiensis, annos 25 præfuit, tempore Adriani, & Leonis pontificis. Annales Tungrensium.

ERKENBODO.

Erkenbodo abbas Bertinianus, episcopus Morinorum, in propaganda doctrina Euangelij diligens & assiduus. Obijt anno Domini 742. Meyer in Chronico Flandriæ.

HILDVARDVS.

Hilduardus Leucorum, seu Cameracensium episcopus, in Dickeluenna, à Magryptio pagano uehementer afflictus est: quem tamen tandem conuertit. Cœnobium Dickeluennæ extruxit, ibique sepultus est. Meyer de Flandris, anno Domini 750.

ALBINVS.

Albinus Veneticæ regionis Oceani Britānici confinis indigena, ex celebri familia natus: in Tunlacensi monasterio institutus, anno trigesimoquinto ætatis abbas designatur.

quod

quod munus cum per annos uigintiquinq; administrasset, Andegauiam uocatur, ut episcopum agat.

Mortuum adolescentem in uitam reduxit, & cæco uisum restituit, & dæmoniacum sanauit, & alia admirabilia fecit: si non fabulæ sunt, quas Vincentius refert libro 23. cap. 142. & sequentibus.

Præceptorem Caroli Magni fuisse, Vincentius libro 23. capite 169 putat. Sed ille alius fuisse uidetur.

Præfuit Ecclesiæ uiginti annis, & mensibus sex, ac mortuus est anno ætatis octuagesimo.

DE ALIIS GALLIAE *episcopis.*

AD Theodatum Bellouacensem, Dauidē Corisopitensem, Fulgarium Tungrensem, seu Leodiēsem, Cerenebaudum Laudunensem, Heliseum Nouiomensem, Rumbertum Ambianensem, Romanum Meldensem, Treuinardum Cameracensem, Aethenum Cenomanensem, extat epistola Zachariæ in secundo tomo Conciliorum.

MARINVS.

Marinus cum Georgio imperiali Secretario quædam machinatus erat sedi Romanæ contraria. Quare ad Pipinum à Paulo papa mittitur, ut eum, si pœnitentiam agat, curet alicubi episcopum in Gallijs à Vuilichario ordinari: quò ille beneficētia uictus, desinat malè agere. epistola Pauli ad Pipinum.

DADANVS.

Dadanus episcopus alicubi in Gallijs, interfuit Synodo Francicæ à Carolomanno indictæ: ut patet ex actis in secundo tomo Cōciliorum, & Auentini libro tertio Annalium Boiorum.

CLEMENS PRESBYTER.

Clemens Scotus natione, presbyterij gradum sortitus, in Gallias uenit, & Alberto Gallo sese adiunxit, ac ueram Apostolicam doctrinam ab eo didicit: & tum in Gallijs, tū in Germania eā propagauit. Familiaris fuit Samsoni, Sydonio, & Virgilio, & alijs episcopis in Bauaria & Francia. Opposuit sese Bonifacio, nouo pontificio reformatori istarū Ecclesiarum: ac in eo reprehendit, quòd adeò iactitaret Paparum autoritatem, cum omnes ueri Doctores sint Apostolorum successores: & quòd abrogaret coniugium sacerdotum, & uitam monasticam & traditiones humanas adeò prædicaret: quòd regnum Francorum à stirpe Merouei in adulterinā Pipini progeniem transferret: quòd missas pro mortuis & alios nouos ritus ueteri Ecclesiæ ignotos institueret. Colligi hæc possunt ex historia ipsa, si quis singula diligenter inspiciat. Nam Auentinus libro tertio Annalium, eum inter eos refert, qui Bonifacium mendaciorum authorem, legis atque pacis Christianæ turbatorem & corruptorem in concionibus suis uocabant. Falso ergo à Luzenburgensi & alijs accusatur hæreticus, quòd se Apostolorum successorem iactarit, ac de cœlestium mysterijs arcanis uana protulerit, & de hominis uita & morib. ineptissima disputarit. Zacharias in epistola ad Bonifacium, falsum & schismaticum eum appellat episcopum: & acta, ut à Bonifacio erant perscripta, damnat. Sed nullum errorem eius indicat: quod absq; dubio fecisset, si quid fuisset in eo ueri erroris. Sed illud pro errore ei, & alijs ipsius Collegis reputatum est, quòd superstitiones pontificias improbauit, ac fortè ex Apocalypsi indicauit Romanum pontificem esse Antichristū. Scripsit librum contra Bonifacium: qui si extaret, nos de multis rebus posset commonefacere. Sed à pontificijs, etiam repugnante Zacharia, exustus est. Bonifacius eum accusauit ad Zachariam papam. is uerò tantùm una parte audita, statim in eum stringit gladium: & Romæ collecta Synodo, eum cum Alberto Gallo damnat, & deponit, & exemplum excommunicationis Bonifacio promulgandum mittit: ut patet ex epistola Zachariæ, in secundo tomo Conciliorum. Cum autem paratus esset ipse in Synodo suam causam agere, Bonifacius ei aditum prę cludit: Francis stupidis persuadens, non esse fas hæreticum excommunicatum ad sacra aut ad Synodum admitti, & beneficio iuris & legum frui, ut patet ex Vuilibaldo, de uita Bonifacij. Claruit anno Domini septingentesimo quinquagesimo. Balæus Centuria decimaquarta, capite 30.

SAMSON.

Samson Scotus, familiaris Clementis, etiam inter eos fuit qui Bonifacium mendaciorum authorem, legis atque pacis Christianæ turbatorem, corruptoremque accusabant uoce & stylo, & parati erant ex uerbo Dei demonstrare: sed ad legitimum iudicium non admittebantur, uerùm inaudita causa à Zacharia excommunicabantur, & à Bonifacio deponebantur, & à regibus Francorum uinculis cohercebantur, per calumniam falsi & schismatici episcopi, auari, libidinosi, sacrilegi, temulenti sacerdotes, à pontificijs traducti. Auentinus libro tertio Annalium: & Balæus Centuria decimaquarta, capite trigesimoprimo.

IOHANNES MAILrosius.

Ioannes Mailrosius Scotus natione, discipulum sub Beda egit in Vuermuthensi cœnobio, & in linguarum & artium studio multum profecit. Assumpto Claudio Clemente socio uenit Parisium, cum mercatori-

bus Britannicis. Polydorus. Hector & Maior scribunt, ab Achaio Scotorum rege missos illos esse, cum Carolus uiros doctos sibi mitti postulasset. Progressus in forum publicum, cum alij merces uenales exponerēt, ipse cū socio proclamat, se sapientiam habere uenalem: si quis eam desideret, accedat & petat. Erat apud Carolum Magnum Albinus, qui olim sub Beda horum fuerat condiscipulus: is ei persuadet, ne uiros istos doctos negligat. Carolus ergò cum ijs agit, ut Scholam isthic aperiant, & nobilium pueros instituant. Conueniunt eò frequentes scholastici: quæ res occasionem præbet, ut Academia instituatur. Inde Papiam seu Ticinum iussu Caroli abit, & gymnasium instituit, in quo publicè sacra & prophana profitetur. Augustini Benedictinorum cœnobio præficitur anno Domini 792. Ac edidit scripta plurima, de quibus Bostonus hæc enumerat:

Super canones Arzachelis,	Lib.	1.
Ad Carolum regem,	Lib.	1.
Versus diuersi generis,	Lib.	1.
In Euangelium Matthæi,	Lib.	3.
De officijs humanis,	Lib.	1.
De officijs diuinis,	Lib.	1.
Dialogum de natura,	Lib.	1.
De naturæ diuisione,	Lib.	1.
De primo rerum principio,	Lib.	1.
De Eucharistia,	Lib.	1.
Commentarios Scripturarum,	Lib.	1.
Homelias eruditas,	Lib.	1.
De Germanis, iuxta Irenicum,	Lib.	1.

Libris eius destituti, de doctrina ipsius nihil possumus referre. Tantùm ex Antonino: Meminimus quòd Romanis displicuerit, eo quòd Græcis adhærens, Pontificum dogmata improbarit. Contra eum scripsit quidam Florus, ut Simeon Dunelmensis in Chronico indicat. Ticini obijsse creditur. Balęus Cēturia 14. cap. 32.

CLAVDIVS CLEMENS.

Claudius Clemens Scotus natione, Beda præceptore usus, ab ineunte ætate literis incubuit, & Latina & Græca didicit: in soluta oratione & poesi exercitatus, & in Sacris literis probè institutus. Venit cum Iohanne Mailrosio Parisios, & Academiam isthic instituit, & publicè sacra & philosophica professus est. Collegit ex Origenis, Hieronymi, Ambrosij, Hilarij, Augustini, Rufini, Iohannis Chrysostomi, Fulgētij, Leonis, Maximi, Gregorij, Bedæ, & aliorum opusculis,

Commentarios in Matthæum,	Lib.	3.
In Pentateuchum,	Lib.	5.
In capita Iudicum,	Lib.	1.
Enarrationes in Ruth,	Lib.	1.
Super Psalterium,	Lib.	1.
In omnes epistolas Pauli,	Lib.	14.
De Euangelistarum concordia,	Lib.	1.
Memoriale historiarum,	Lib.	1.
Summam quandam,	Lib.	1.
Homelias quoque,	Lib.	1.

Atque alia ad Christianam religionē pertinentia. ut in Bostoni Auriensis catalogo elucet. Altisiodorensis postea factus episcopus. Claruit sub Adriano, anno Domini 790. Balæus de scriptoribus Britanniæ Centuria 14. capite 33.

ADELBERTVS GALLVS.

Adelbertus episcopus alicubi in Gallijs, homo pius & doctus, præceptor fuit Clemētis, & aliorum. Habuit adhuc aliquam lucē de uera doctrina Apostolorum: & Dei beneficio animaduertit Bonifacij & aliorum Pontificiorum reformatorum Ecclesiæ fraudes, & falsa dogmata, & superstitiones: ac sese unà cum Sydonio, Virgilio, Clemente, grauiter illi opposuit, & errores eius de cœlibatu, de reliquijs Sanctorum, de statuarum adoratione, de primatu pontificis, de missis pro mortuis, de purgatorio, & similes refutauit, & uitam illius carpsit. Bonifacius aūt eum ad Pontificem accusauit, multis criminibus de eo confictis. Pontifex in eum inauditum statim excommunicationis sententiam profert, eamque Bonifacio promulgandam mittit: ut patet ex epistola Zachariæ ad Bonifacium. quam ille non modò in Francia proponit publicè, sed etiam bonum uirum Albertum in carcerem Fuldensem cōiecit, in quo (ut uidetur) computruit ille. Vuilibaldus in uita Bonifacij: Auentinus lib. 3 Annaliū: Nauclerus generatione 25: Balæus Centuria 14. capitibus 30 & 31. & in Appendice. Pontificij autem inter hęreticos eum celebrant, sed non indicant eius errorem: nisi quòd Vuicelius asserit, eum impositionem manus, & signationem crucum, & alias Pontificias ceremonias ad baptizatos confirmandos adhibitas, ut inutiles reprehendisse. Sed Zacharias ipse in epistola ad Bonifacium, non hæresin, sed schisma ei obijcit, eo quòd non probarat omnia quæ Bonifacius faciebat.

DOCTORES IN AVLA *Caroli.*

ZACHARIAS.

Zacharias domesticus sacerdos Caroli cū monacho, quē patriarcha Hierosolymorū ad Carolum cū reliquijs ablegarat in Palęstinam, cum eodem exit, anno Domini 800, mense Martio: & secum magnam uim pecuniæ pauperibus distribuendam Hierosolymam aduehit. & in mense Decembri reuersus, Carolo Romæ degēti affert claues, & hastam, & signa urbis & monumenti Christi. Auentinus 4 Annalium, & Adon ætate 6.

AETHERIVS.

Ætherius capellanus & notarius Caroli Magni,

Magni, formam donationis eius factæ Romanæ Ecclesiæ conscripsit. Leo Hostiensis libri primi capite decimoquarto, de Casinensi cœnobio: & Liber pontificalis.

ADILGARIVS.

Adilgarius episcopus, à Carolo missus est ad Theodomarum abbatem Casinensem, ut consuetudines eius cœnobij descriptas afferret, quo possent etiam illæ traditiones in alijs locis institui, Hostiensis libro primo, capite decimoquarto.

EBROVINVS.

Ebrouinus unà cum Carolo Hierosolymis fuisse, ac postea confessionem eius audiuisse dicitur, apud Erphordiensem cap. 69.

PAVLVS PISANVS.

Literis Latinis & Græcis institutus est Carolus Magnus à Paulo Pisano. Auentinus libro 4 Annalium.

ELENANDVS.

Elenandus primarius sacerdos uel in aula Caroli, uel in clero Saleburgensi, cognoscit unà cum Amone ex iussu Caroli causam Attonis Fruxinensis, & Meginhardi Tigurinorum abbatis. Auentinus lib. 4 Annalium.

POSSESSOR, ET RA-
bigaudus.

Possessor archiepiscopus, & Rabigaudus abbas, à Carolo ad Adrianum legati, commé dantur ob fidem & diligentiam in expediendo negocio. Conati sunt pacem componere inter Adrianum & Hildebrãdum. In Asiam missi, non uenerunt Romam in reditu: quod molestè fert Adrianus in Epistolis suis ad Carolum.

FLACCVS ALBINVS.

FLaccus Albinus natione Anglus, Eboraci, aut Londini, seu in uicino aliquo loco natus, iuxta plerosq; Scriptores. Sed Gallum fuisse opinatur Bergomensis libro 10. & Schedelius ætate 6. Educatus & enutritus est in Ecclesia Eboracensi, ut ipse testatur in epistola ad Eanbaldum. Vuilhelmus libro primo, capite 51. Adriano, Beda, & postea Egberto archiepiscopo Eboraci usus est præceptoribus: ut patet ex epistolis eius ad Eboracẽses, apud Vuilhelmum lib. & cap. eodem.

Latinæ, Græcæ & Hebraicæ linguæ sibi comparauit peritiam: Dialecticam, Rhetoricam, Physicen, Mathemata & Astronomiã didicit: ut patet ex scriptis eius.

Authores Ethnicos euoluit, tum poetas, tum historicos, ex quibus interdum quædam depromit: ut ex Quintiliano, & Hipocrate, & Horatio, in quæstionibus in Genesin. Ex Terentio: Ne quid nimis: & Virgilio:

Nescia mens hominum fati sortisq; futuræ.

in Ecclesiasten cap. 8. &, *Semper auarus eget.* capite quinto.

Literas sacras diligenter & cum fructu legit: & Patrum Ecclesiasticorum scripta adeò sibi familiaria fecit, ut ex ijs suos Commentarios confecerit. Nam ipse fatetur, se ex Hieronymi & aliorum Patrum Commentarijs, suum in Ecclesiasten construxisse. in Præfatione. Et enarrationes in Iohannem ex Augustini, Ambrosij, Gregorij, Bedæ, & aliorũ Patrum scriptis se collegisse, testatur in epistola ad Gislã. & Hebræorum, ut constat ex primo capite in Ecclesiasten.

Post Bedam & Adelmum longè eruditissimus Anglorum fuit.

Functiones.

In schola Cantabrigiensi post Bedam artes professus est, ut habent eorum Annales: & Adriano defuncto, abbas constitutus est. Beda libro quinto, capite uigesimoprimo, de Anglis. Postea ab Egberto Eboracum uocatus, in eo loco bibliothecæ custodem & professorem egit. Diaconus ordinatus uidetur, quòd Leuitam se appellat in præfatione ad Carolum Magnum, in libro de Trinitate. Ab Offa Merciorum rege ad Carolum pro fœdere pacis confirmando, & alijs negocijs expediendis missus, in noticiam & amicitiam Franci uenit, ac ab eo persuasus Britanniam reliquit: & præceptor eius factus est, qui eum in monasterio Martini apud Turonenses abbatem fecit. Vuilhelmus libro primo, capite quinquagesimoquarto. Chronicon Martini: Erphordiensis ex Hælinando, capite 69.

Scripta.

Scripsit de trinitate ac fide,	Lib.	3.
Ad quæstiones Fredigisi,	Lib.	1.
Ad Eulaliam, de ratione animę,	Lib.	1.
De animę utilitate, ad Guidonẽ,	Lib.	1.
Speculum uitæ humanæ,	Lib.	7.
De octo partibus,	Lib.	1.
De sanctuario diuino,	Lib.	1.
Argumentum suæ fidei,	Lib.	1.
Responsiones ad interrogata,	Lib.	1.
De incarnatione Christi,	Lib.	1.
Ad Guidonem de uirtutibus,	Lib.	1.
Dialogorum inter se & Carolũ,	Lib.	1.
De uirtutibus ad Carolum,	Lib.	1.
Categoriarum ad Carolum,	Lib.	1.
Sententiæ Scripturarum,	Lib.	1.
Super Genesin ad literam,	Lib.	1.
In Cantica canticorum,	Lib.	1.
In Ecclesiasten,	Lib.	1.
De Ecclesiasticis dogmatibus,	Lib.	1.
De adoptione filiorum Dei,	Lib.	1.
Quæstiones in Genesin,	Lib.	1.
Manifestationem trinitatis,	Lib.	1.
Enchiridion Psalmorum,	Lib.	1.
In Euangelium Ioannis,	Lib.	7.
In epistolas Diui Pauli,	Lib.	14.
Ad Caroli orationem,	Lib.	1.

Disputationes cum Pipino, Lib. 1.
Speculum paruulorum, Lib. 1.
De proprietate nominum Dei, Lib. 1.
In Paulum ad Ebræos, Lib. 1.
In Apocalypsim Ioannis, Lib. 1.
Ad Anglorum Ecclesias, Lib. 1.
Correctiones diuinorum, Lib. 1.
Officia per ferias, Lib. 1.
De rhetorica ad Carolum, Lib. 1.
Chronicorum suorum, Lib. 1.
De septem artibus liberalibus, Lib. 1.
De uita & uirtutibus Martini, Lib. 1.
Vitam Vetasti Atrebatensis, Lib. 1.
Acta discipulorum Gregorij, Lib. 1.
De doctrina Basilij, Lib. 1.
Ad Athelardum Cantuariensem, Lib. 1.
Dialogorum ad discipulos, Lib. 1.
De proprietate sermonũ & rerũ, Lib. 1.
Homelias 254 Doctorum, Lib. 1.
De fide Catholica, Lib. 1.
De Antichristo, ad Carolum, Lib. 1.
Vitam Vuillebrordi carmine, Lib. 1.
Epistolarum ad diuersos, Lib. 1.
Gesta Caroli Magni, Lib. 1.
Sermones elegantes, Lib. 1.
Ad Gislam & Richtrudam, Lib. 1.
Commentarios in utrumque Testamentum, Libros plures.
De genealogia Christi, Lib. 1.
Contra uenerationem imaginũ, Lib. 1.
De Astronomia, Lib. 1.
De Dialectica, Lib. 1.
De orthographia, Lib. 1.
De auriculari confessione, Lib. 1.
Precationes missales, Lib. 1.
Dogmata quædam ad Carolum, Lib. 1.
Historiam trinitatis, Lib. 1.
Didascalicon, Lib. 1.
De sapientia, Lib. 1.
Carminum ad diuersos, Lib. 1.

Orationem Dominicam, symbolum Apostolorum, & canticum Ambrosij & Augustini, carmine edidit, cum multis alijs. Balæus Centuria secunda, capite decimoseptimo. Annales Francorum scripsit, teste Blõdo decadis primæ, libro decimo.

De doctrina & opinionibus eius.

Quid senserit de singulis doctrinæ capitibus, in capite quarto indicauimus. Maximè illustrauit doctrinam de Trinitate, ut cõstat ex libris eius.

Opiniones quasdam singulares admiscet: ut quòd baptismo Iohannis non sint homines renati, neq; acceperint Spiritum sanctũ. lib.3 de Trinitate, cap.17.

Christum creaturam uocat, lib.3. cap.13 de Trinitate: & in Ioannem capite primo, eandem propositionem damnat.

Animas non cum corporibus seri, sed à Deo creari extra corpus, nititur probare ex illo dicto: Spiritus redit ad Deum, qui dedit illum. cap.12 in Ecclesiasten.

Opinionem de reditu Eliæ & Enoch ante nouissimum diem, attingit libro tertio, cap. 19 de Trinitate.

Ignem purgatorium somniat, extra Scripturæ uera & solida testimonia: libro tertio, cap.21 de Trinitate.

Opera eius in functione.

Functus est munere Doctoris artium. nam Cantabrigiæ & Eboraci professorem egit: & Carolum Magnum Dialecticen, Rhetoricen & Astronomiam docuit. Vuilhelmus libro primo, capite 51: & Sigebertus anno 790, & Helinandus. Ac eius magisterio adeò Francos profecisse in artium cognitione, ut antiquis Romanis & Atheniensibus sint facti æquales: Erphordiensis capite sexagesimonono, & Vincentius libro uigesimotertio, capite 173 iactitant.

Sacras literas interpretatus est magno cum iudicio, explicato textu secundum literam: plerunque ad allegoricas & anagogicas accedit commentationes. Latinum textum sæpe cum Græco confert, & ex eodem corrigit: ut patet ex Commentarijs in Ioannem.

Rerum naturalium declarationes sumit interdum ex Physicorum & Mathematicorum doctrina. Sic solis cursum & effectus exponit capite primo in Ecclesiasten. De hirundinum natura, quòd chelidonia curent cæcitatem pullorum: & de capris appetentibus dyctamnum, ad uulnerum medicationem: in septimo capite quædam refert.

Quæstiones difficiliores explicat iuxta sententias in uerbo Dei reuelatas, quas ubi non habet, modestè monet, de non reuelatis nõ esse nimis exiliter & solicitè inquirendum. In Genesin. Ad quæstionem, an in arca tantùm fuerit ciborum, ut satis esset omnibus animantibus ad totius anni spacium, inquit: Dimittamus incertas coniecturas, & concedamus diuinæ potentiæ de creaturis suis facere, quod uoluit. Et modum natiuitatis Christi inenarrabilem esse, monet libro secundo, capite uigesimosecundo, de Trinitate.

Veteris & noui Testamenti textum iussu Caroli Magni correxit, ut indicat in epistola in sexto libro in Iohannem. anno Domini septingentesimo nonagesimo. Sigebertus.

Hæreticos ueteres passim refutat. Nam contra Arium & Samosatenum, Eutychen, Nestorium, Sabellium, Photinum, Pelagiũ, & alios hæreticos, more Dialecticorum disputat in libris suis de Trinitate, & in Iohannem, & Ecclesiasten, & alijs.

Vitia

Vitia grauiter arguit. Nam ad Viorenses, apud quos Beda uixerat, inquit: Assuescant primùm astare laudibus superni regis, non uulpium fodere cauernas, non leporũ fugaces sequi cursus: discant nunc Scripturas sacras, ut ętate perfecta alios docere possint. Recogitate nobilissimum nostri temporis magistrum Bedam presbyterum, qualem habuerit in iuuentute discendi studium, qualem nunc habeat inter homines laudem, & multo maiorem apud Dominum remunerationis gloriam. Vuilhelmus libro 1. capite 55.

Orationes Missales, & alia officia Ecclesiastica Gotthorum perturbatione perdita refecit, iuxta Bergomensem libro decimo, & Schedelium.

Interfuit etiã Synodis, ut patet ex Pręfatione eius ad Carolum Magnum, de Trinitate.

Bonam operam nauauit in Scholis seu Academijs aperiendis, ad artium & Theologiæ plantationem & propagationem. Nam ut Academia Parisiensis & Ticinensis à Carolo fundarentur, & uiri docti Bedæ discipuli isthic docerent, effecit Helinãdus: Erphordiensis capite 69, Chronicon Martini, Polydorus lib. quarto & quinto de Anglis: Balęus Centuria 14. capite 32.

Et in bibliothecis instruendis & libris replendis solers ac diligens fuit. Nam in Britãnias Caroli Magni assensu & sumptibus scriptores misit, qui ex Eboracensi bibliotheca libros descriptos in Turonensem urbẽ afferent. Vuilhelmus primo libro, capite 51.

Secularibus negocijs peregrinationis sese molestari, in Genesin queritur: ac cum Carolo fuit in expeditione contra Desiderium. Vincentius libro uigesimotertio, capite 169.

Carolo Magno consilia in rebus multis suggessit, præsertim ad Ecclesiasticas res pertinentia. Sic eius monitu Carolus Ludgerũ ex Beneuentano cœnobio euocauit, & ecclesiæ Monasteriensi præfecit. Cranzius in Metropoli libro 1. capite quinto.

Amici.

Familiares fuerunt, Onias sacerdos, Candidus presbyter, Nathanael diaconus, ut patet ex præfatione in Ecclesiasten: & Siguulfus, cuius impulsu quęstiones in Genesin scripsit. Elardus Canturiensis, ad quem epistolam scripsit. Vuilhelmus libro primo, capite quinquagesimoquinto. Nothelmus Londinensis episcopus, quem excitauit ut scriberet acta discipulorũ Gregorij, Balæus Centuria secunda, capite octauo, & Bonifacius Moguntinus episcopus: qui eum rogauit ut Missales orationes corrigeret. Bergomensis libro decimo. Higebaldus Candidum in Gallias ad Albinum iussit sese conferre, tanquàm ad torrentẽ literarũ. Balæus Centuria decimatertia, capite 59. Claudius Altisiodorensis, Albini fuit condiscipulus. Balæus centuriæ 14 capite 31.

In precio fuit regibus Anglorum Offæ & Egelredo, ad quos epistolas scripsit, quarũ fragmenta extant apud Vuilhelmum, ex Carolo Magno, & multis alijs.

Discipuli.

Haymo Halberstatensis episcopus auditor eius fuit, & Eanbaldus Brigãtius episcopus Eboracensis: Lelandus apud Balæum Centuria decima, capite uigesimoseptimo, & Simeon, cuius meminit in epistola ad Caluinum: Balæus Centuria decimatertia, capite 58.

Gisla & Richtruda magistrum suum uocant in epistola ad ipsum, præfixa Commentario in Iohannem.

Virtutes.

Non tantùm scientia, sed etiam morũ honestate insignis fuit. Martinus in Chronico, & Erphordiensis ex Eginhardo de uita Caroli. Sanctitate & miraculis præclarũ fuisse, Schedelius dicit ætate sexta.

Certamina.

Certamen ei fuit cum ijs qui reprehendebant eius factum, quòd Brytanniã deserens, in Franciam se cõtulisset, opimiorem captãs conditionem. Contra quos in epistola ad Eboracenses sic scribit: Nõ pro auri auaricia (testis est mei cognitor cordis) in Franciã ueni, nec remansi in ea, sed Ecclesiasticæ causã necessitatis. Item ad Offam regem Merciorum: Ego paratus eram cùm muneribus Caroli regis ad uos uenire, & ad patriam reuerti: sed melius mihi uisum est, propter pacem gentis meę, in peregrinatione remanere, nesciens quid fecissem inter eos, inter quos nullus securus esse, uel in salubri cõsilio proficere potest. Ecce loca sancta à paganis uastata, altaria à periuris fœdata, monasteria adulterijs uiolata, terra sanguine dominorum & principum fœdata. Vuilhelmus Malmesburiensis libro 1. capite 55.

De morte eius.

Claruit anno Domini 780. In cœnobio Cormaricensi, quod ad Turonense monasterium pertinet, sepultus est. Ranulphus libro quinto, capite 28. Balæus Centuria secunda, capite 17.

HISPANIAE DOCTORES.

VERVS.

Verus episcopus Hispalensis, in Betica prouincia, uitã Eutropij episcopi descripsit. Vixit sub Pipino. Hedio libro 6. capite 22 historiæ Ecclesiasticæ.

EGILA.

Egila episcopus Hispaniæ à Vuillichario Galliæ archiepiscopo iussu Adriani ponti-

ni pontificis ordinatus, Saranum diaconum & Victorinum clericũ Romam cum literis misit, ac de multis quæstionibus consilium petijt: quòd ei Pontifex lubens communicat, modò Romanæ sedi sese subijciat, & characteres Pontificios amplectatur, & sese opponat illis qui ieiunia sextæ feriæ ac sabbati reijciebant: ut patet ex epistola ad Egilam. Sed cũ Egila uidisset ineptitates Pontificias nullis niti fundamẽtis uerbi diuini, palàm professus est, se ab eis dissentire. Id Pontifex indignè ferens, ad episcopos Hispaniæ scribit, ac Egilã accusat, quòd errores Vincẽtij magistri sui amplectatur, & extra catholicam disciplinã docere cœtur: ac monet illos, ut ab erroribus eius sibi caueant, ac illum in uiam reducere studeant.

IOHANNES.

Iohannes presbyter, cum Egila à Vuilichario ordinatus est, ut patet ex epistola Adriani ad Egilam.

GERMANIAE EPISCOPI & doctores.

BAVARI: LAVREAcenses.

VIVILVS, SEV Viuilo.

Viuilus, ut Auentinus scribit, seu Vuilo, ut Gregorius tertius in epistola ad Bonifacium: seu Viuilo, ut Mutius, & alij quidam scribunt, uidetur Bauarus fuisse: Laureaci episcopus factus est anno Domini 719, Auentinus libro 3 Annalium. Eius ordinationem Romani pontifices sibi arrogant: ut patet ex epistola Gregorij tertij ad Bonifacium, & Zachariæ ad eundem. Sed Mutius libro septimo, & Hedio, dicunt eum fuisse Bonifacij discipulum, ac ab eo in Bauariam missum: uerum qua autoritate id asserant, non uidemus. Nam inter Bonifacij discipulos nusquam recensetur: ac quid opus fuisset, Gregorium & Zachariam ad Bonifacium scribere, se Viuilonẽ ordinasse, si eius fuisset discipulus? Porrò Viuilo studium habuit dilatandi & propagandi religionẽ Christi, ut Lazius libro 2 rerum Viennensium refert. Exciso Laureaco ab Hunnis iussu Vtilonis ducis, cum collegis & monachis & sacris feminis Bathauiam commigrauit. Notus fuit Gregorio tertio pontifici, qui ad eum & alios episcopos Bauariæ scripsit epistolam, in qua commendat ijs Bonifacium: & præcipit ut Synodos celebrent, & prauos sacerdotes exautorent, & archiepiscopum communi consensu electum Romam mittant ordinandum. Extat exemplar apud Auentinum libro 3. Zacharias etiam ad ipsum scripsit de quatuor parochijs, seu diœcesibus constituendis in Bauaria, quæ extat apud Lazium libro secundo, capite secundo, de Viennensibus.

SYDONIVS.

Sidonius, uir religiosus in Bauaria, ut Zacharias in epistola ad Bonifacium eum uocat, Boiorum pontifex fuit, Laureacensis & Bathauiensis. Auentinus libro 3 Annalium. Studium habuit propagandi religionem Christianam: Lazius libro secundo, capite 2 de Viennensibus. Dei beneficio & ipse animaduertit Bonifacij errores & fraudes, seque ei, quantum potuit, opposuit cum Virgilio Saleburgensi episcopo. Nam cum Bonifacius iussisset rebaptizari eos qui à sacerdote quodam ignaro Latinæ linguæ tincti erant in nomine patria & filia & spiritus sancta: contradixit ei, & baptismum ut legitimum defendit: & ad Zachariam cum Virgilio literas scripsit ea de re, quibus motus ille Bonifacio interdixit, ne rebaptizari iubeat: ut patet ex epistola ad Bonifacium. Balæus Centuria decimaquarta, capitibus trigesimoprimo & 82.

VALDORICVS.

Vualreich, seu Baldericus, seu Valdoricus, Laureacensis & Bathauiẽsis archiepiscopus, decẽ millia passuũ supra Monachiũ, in Pipino pago, & in ripa Isarę Dionysio ędem struxit, eamq; symmystis & consecraneis Benedicti tradidit. Auentinus libro Annalium. Et postea à Carolo Magno cum aliquot episcopis Romam missus, in itinere obijt. Auentinus libro 4 Annalium.

LAVREACENSES.

PEREGRINVS.

Peregrinus Laureacẽsis episcopus, studiũ dilatandi religionem Christianã habuit. Lazius libro secundo, capite secundo, de Viennensibus.

BISERICVS.

Bisericus Laureacensis & Bathauiensis episcopus, interest Synodo Dingulosi in Bauaria, sub Thessalono. Auentinus libro 3.

SALEBVRGENses.

IOHANNES.

Iohannes scientia literarum & morum sanctitate celebris, à Bonifacio pontificio reformatore Saleburgæ habitare, & Ecclesiam illam regere iubetur. Auentinus lib. 3 Annalium. Idem Virgilium & Sidonium ad Slauinos, & Auares, de Bonifacij consilio ablegauit, ut colligerent inter eos Ecclesiam. Lazius libro secundo de Viennensibus, capite secundo.

VIRGILIVS.

Virgilius Soliuagus, illustri inter Hybernos familia natus, diuinarũ & humanarũ rerũ peritus, in Germaniam cum Dabda Græco sacerdote uenit, & ad Pipinũ & Carolomannum

mannum accessit, anno Domini 743: qui in aula sua eos biennium retinuit, ac tádem ad Vtilonem in Boiariam misit. Auentinus lib. 3 Annalium. Qui Virgilium abbatiæ Petri intra muros urbis Saleburgensis sitæ præfecit. Mortuo autem Ioanne episcopus Iuuauiensis constituitur, cum consensu ducis, populi & episcoporum comprouincialium: anno Domini 747. Annales, & Auentinus. Accessit etiam consensus Romani pontificis. Vnde contra Bonifacium gloriatur, se etiam à Romano pontifice designatum esse episcopum.

Scripta.

Scripsit epistolam ad Zachariam papam de certamine suo cum Bonifacio: ut patet ex epistola Zachariæ, quæ extat secundo tomo Conciliorum.

Opera gubernationis.

Non tantùm suam Ecclesiam benè administrauit, sed etiam de propagatione uerbi ad uicinos sollicitus fuit. Nam Modestum Charinis episcopum ordinauit: ac eo defuncto, Chitomazo duci Madoldum & Variomatum sacerdotes misit: & Hamonem, Reginoualdam, Maioranũ, Gotharium, Erchinobertum, Reginardum, Augustinum, & Guntharium, Venedorum uulgo sacerdotes præfecit. Auentinus lib. 3 Annalium, & Lazius libro 2 rerum Viennensium.

Synodo Dingulofini cum alijs Bauariæ episcopis interfuit, & de rebus ad Ecclesiæ gubernationem pertinentibus deliberationem adiuuit. Auentinus libro tertio Annalium.

In aula Thassilonis, in precio & honore habitus est, ac gubernauit eius ducis consilia, eumq; flexit ad pacem cũ Carolo Magno seruandam, dum uixit. Nam mortuo illo, & Aribone Fruxinensi episcopo, Thessalonus ab uxore inflãmatus, pacem & fœdera dissoluit. Auentinus lib. 3 Annalium.

Bonifacij legati Pontificij non omnia probauit, ac se apertè cum Sidonio illi opposuit in cõtrouersia de rebaptizãdo illo qui in nomine patria & filia & spiritus sancta baptizatus erat: ac re ad Zachariam pontificem relata, obtinuit uictoriam.

Deinde Bonifacius eius dictum, quo Antipodes esse affirmauerat, in calumniam rapuit, quasi doceret aliũ mundũ, & alios sub terra homines, alium denique solem & lunã esse, ac illum ad Pontificem accusauit: qui literis ad Bonifacium & Vtilonem, Virgilium nondum auditum damnat: & ipsi quoque & Sidonio per literas minatur, ni Bonifacio pareãt: ac euocat eos ut Romã ueniãt ad examẽ: & sic bonis ille uir oppressus est Põtificia tyrannide. Auentinus libro 3 Annalium.

Obijt anno Domini 784. Balęus Centuriæ decimęquartæ, capite octuagesimo secundo.

ARNO.

¶ Arno in episcopatu Iuuaniensi seu Saleburgensi successit Virgilio. uir doctus, & magnæ autoritatis apud suos fuit. Ecclesiæ suæ curam gessit, & ad uicinos Slauos & Carentanos & Hunnos & Pãnones religionẽ Christi propagauit, iussu Pipini & Caroli Magni. Mortuo Valdorico Laureacensi & Bathauensi episcopo, Leo pontifex archiepiscopum cũ Bauariæ fecit, donato pallio, & sede Laureacensi & Bathauensi Iuuaniam translata, anno Domini septingentesimo nonagesimooctauo. Auentinus libro 4. Annalium, & liber de conuersione Carentanorum.

Ordinauit presbyteros & episcopos, quos in uicinas regiones misit, & regem Theodoricum episcopum ordinauit. Auentinus libro quarto Annalium, & Lazius libro 2. capite 2 rerum Viennensium.

Legatione functus est: nam Thessalonus eum cum Henrico Menensi abbate Romam misit, questum de Caroli superbia, & consilijs de bello aduersus Boios: & responsum pontificis Adriani retulit. Regino libro secũdo, Auentinus lib. tertio de Boijs. At postea à Carolo ipso cum Paulino Romã missus, tempore Leonis, causas cognouit, & lités composuit: & Leonem ac senatores Romanos Romam iussu Caroli reduxit. Auentinus lib. 4 Annalium. Et Pipino Caroli filio contra Hunnos & Auares bellum gerenti adfuit, & omnem illam prouinciam à Drauo flumine uersus Anassum exactis Hunnis à Carolo Magno, pro se & successorib. suis accepit. Auentinus ibidem.

ADALRAMVS.

Arnoni successit Adalramus, & Ottonis cuiusdam opera usus est in propaganda doctrina ad Auares & Slauinos. Lazius libro 2. capite 2 rerum Viennensium.

ADALBINVS.

Fuit etiam Adalbinus Iuuauiensis episcopus, qui Osuualdi opera usus est in uicinis regionibus. Lazius libro secundo, capite secundo, rerum Viennensium.

REGINOBVRGENSES.

VICTERBVS.

Victerbus Ratisponensis episcopus senio confectus, cessit pontificio reformatori Bonifacio: & coepiscopum & collegam accepit Geoualdam. Auentinus libro tertio Annalium.

GEOVALDA.

Geoualda, seu Gainbaldus, seu Gibolph, à Bonifacio, iussu Gregorij secundi, episcopus Reginoburgi ordinatur, annó Domini 737: cum Bauaria in quatuor parochias esset distributa. Chronicõ Bauariæ, Auẽtinus libro tertio, Lazius libro 2. capite 2. de Vien-

de Vienna. Vuilibaldus in uita Bonifacij.

SVIDBERTVS.

Suidbertus, uel Synobertus Reginensis episcopus, duodecim obsides, quos Thassilo dedit Carolo Magno, Vuormaciam addu xit. Annales Francorum. Interfuit Synodo Dingulofini. Auentinus lib. 3. Annalium.

BELIBOLDVS.

Beliboldus episcopus Reginoburgensis nonagenarius, librum scripsit, quem adhuc extare dicit Hedio libro 3. capite 9 partis tertiæ historiæ Ecclesiasticæ.

GANGOLPHVS.

Gangolphus Ratisbonēsis episcopus, claruit anno Domini 752. Valentinus Munzerus in Chronographia, ætate tertia: & Francus.

FRISINGENSES.

CORBINIANVS.

Corbinianus Vualdegiso parente, & matre Corbiniana Maiæ, quæ colonia erat Boiorum in ripa Athesis, ubi nūc Tyrolium, natus, omnibus bonis paternis neglectis, cellam seu monasterium sibi extruxit, ibiq; cum monachis seu eremitis quibusdam uitā exegit. Romam tempore Gregorij secundi abijt, & ab eo instructus & ordinatus episcopus, in patriam redijt. Otho Phrysingensis libro 5. capite 23. Iussu Grimoaldi Boiorum ducis capitur, & ab eodem Fruxini pastor constituitur, data fide, quòd posthac in eo loco uelit commorari, & illam Ecclesiā gubernare. Auentinus libro 3.

In eo munere sese mediocriter gessit: & non modò infimorum hominum uitia taxauit, sed etiam Grimoldo regi concionatus est pœnitentiam, quòd uxorem fratris sui Viltrudam duxisset. Id moleste pellex illa tulit, eique insidias struxit: quas ut declinaret, mercenarius ille in pedes sese cōiecit: & iusiurandum datum uiolans, in Italiam ad Litoprandum aufugit. Paulo pòst Grimoldo succedit Hugobertus: is Corbinianum ex Italia reuocat, & baptismum ab eo petit. Auentinus libro 3.

Deos alienos coluit, & nuptias damnauit. nam Fruxini Benedicto Ecclesiam construxit, & monachos collegit ac instituit.

Miracula ei Otho Physingensis abscribit: ut quòd oratione effecerit, ne mustum ex uase efflueret spina excussa: quòd urso, qui sibi saginarium suum occiderat, imperarit ut saginam ferret: quòd ad preces eius aquila piscem fame laborantibus attulerit: quòd signando crucem, furem suspensum seruarit, donec ad Pipinum abiens petijsset eum siue uiuum seu mortuum sibi tradi. libro 5. capite 25. Sed fabulosa uidentur. Obijt Fruxini, circa annum Domini 730: & Maias delatus, sepultus est, sicut testamento cauerat.

ARIOBERTVS.

Ariobertus, seu Erunprechtus, ut Vuilebaldus in uita Bonifacij scribit, frater Corbiniani, pontificijs superstitionibus deditus, Fruxinensem ecclesiam, unā ex 4 parochijs à Bonifacio cōstitutis in Boiorū prouincia, accepit gubernādam. Auentinus lib. 3 Annalium: & Lazius lib. 2, cap. 2, de Vienna.

IOSEPHVS.

Iosephus Fuxinensis episcopus ope Vtilonis Boiorum collegium mystarum instituit, cui nomen Ilenticus fecit, in cuius ripa conditum extat. Auentinus lib. 3 Annalium.

ERBO.

Erbo, seu Aribo episcopus Fruxinēsis, Latinos uersus scripsit: ut testatur Hedio libro 6. cap. 9. parte 3 historię Ecclesiasticæ. Interfuit Synodo Dingulofini. Charus fuit Thessalono. Nam is de cōsilio illius Valentinum Tridento Bathauiam transtulit, & pacem cum Francis coluit, quam Aribone mortuo uiolauit. Pontificijs erroribus imbutus, monasterium ad Syluanum lacum superioris Bauariæ consecrauit, & Berichtoldum abbatē constituit. Familiaris fuit Virgilio, ac ante ipsum obijt. Auentinus 3 Annalium.

ATO.

Ato dissuasit Thessalono bellum contra Carolum, ac ea re malam gratiam inijt, ita ut magis Francis quàm Boijs fauere diceretur, & ut proditor haberetur. Auētinus lib. 3 Annalium. Lis ei fuit cum Tigurinorum abbate Megenhardo, ob quatuordecim decimas interceptas. Carolus Magnus rem cognoscendam & dijudicādam delegat Arnoni Saleburgensi, & Elinando primario sacerdoti, qui iubet monachos templa & decimas suo Pontifici reddere. Auentinus lib. 4. Annaliū.

Munsterus in Chronographia, Hattonem pręsulem Fruxinensem trāslationem bibliorum corruptam pro uirili restituisse narrat: idem & Pantaleon.

MANNVS.

Mannus Neoburgēsis episcopus interest Synodo Dingulofini, tempore Thessaloni ducis Boiorum. Auentinus lib. 3 de Boijs.

ALMVS.

Almus Sabonensis interest Synodo eidē. Auentinus 3 Annalium.

DE ALIIS DOCTO-
ribus Boiarijs.

ARIOVOLIPHON.

Riouoliphon in Bauaria dignitate excellens, à Bonifacio excommunicatur. Auētinus libro 3. Fortè quia non probauit ritus pontificios.

IVGGVS, RIDOLTVS,
& alij.

Iuggus, & Ridoltus, Luidon, Phiphilus, Seuadas, episcopi in Alemania, aut Boiaria; ad

ria: ad quos Gregorius secundus literas scripsit pro Bonifacio, quę extāt 2 tomo Cōcil.

MARTINIANVS.

Martinianus episcopus, Gregorius presbyter, Dorotheus diaconus, Roma reuersi, Viuilo & alijs episcopis Boiariæ literas à Gregorio 3 obtulerunt. Auentinus lib. 3 Annalium, & tomo secundo Conciliorum.

CARINTHIAE doctores.

MADOLDVS ET VARIOMANVS.

Virgilius Saleburgēsis episcopus, à Chitomaro Charinorum duce inuitatus, ut in sua ditione Euangelium doceret, illuc Madoldum & Variomanum sacerdotes misit, qui in istis locis Ecclesiam collegerūt. Auentinus libro 3 de Boijs.

MAIORANVS.

Maioranus in cœnobio Augiensi institutus à Lupo abbate, cuius nepos erat, cum cō sensu Virgilij ad Venedorum ducem Chitomarum missus, plebem Charinorum seu Slauinos circa Carnūtum, de religione Christi docuit. Auentinus lib. 3 de Boijs: Lazius lib. 2 rerum Viennensium, capite 2.

THEODORICVS.

Theodoricus rex Hūnorū à Carolo uictus, ab Arnone Ecclesiarum in regione eius institutore edoctus, cū cōsensu Caroli Magni Slauinorū ordinatur & constituitur episcopus: ac traditur ei tota illa regio Carantariorum ab occidentali parte Draui fluminis, usque ad eius ingressum in Danubium, cum plena potestate populū illum regendi, & sacra docendi, Ecclesias extruēdi, presbyteros & diaconos ordinandi: ueruntamē cum illa conditione, ut subditus sit, & pareat ipse Pōtificib. Iuuauiensibus. Auentinus 4 Annalium, & Chronicon de conuersione Carentanorū.

MODESTVS.

Iussu Thassaloni Modestus à Virgilio episcopus consecratur, & cum Cothario, Latino, Battone, Reginoberto presbyteris, & Richardo diacono, ac alijs ad Chanonas mittitur: ad quos ubi uenit, Ecclesiam collegit, sacerdotes ordinauit, & ędes in Solio & Liburnia extruxit & cōsecrauit, atq; Soluensis ad diuam Virginem episcopus resedit. Auentinus lib. 3 Annalium: Lazius libro 2 de Viēnēnsibus, capite 6.

DOCTORES SVEVIAE. Augustani.

PERIOCHIVS.

Periochius episcopus Augustę Vindelicorum, celebrauit eo in loco Synodum, ut suprà commemorauimus.

VICTERVS.

Victerus Augustanus præsul, celebratur in Cosmographia Munsteri.

DE DOCTORIBVS Francis. Moguntini.

GEROLDVS.

Geroldus, Vuormaciensis aut Moguntinus episcopus, castra Caroli Martelli cōtra Saxones secutus interficitur. Æditituus in Chronico, Auentinus 3 Annalium.

GEBOLIBVS.

Gebolibus, seu Gerbilo, seu Geylep, filius Geroldi, patri in episcopatu successit. fuit homo militaris, canes & aues uenaticas aluit, & patrem suū ulturus ad Visurgim uenit, & Saxonē patris sui hostem ad colloquium familiare euocatum occidit, inquiens:

Accipe iam ferrum, quo patrem uindico charum.

Bonifacius rē ad Gregoriū tertium Pontificem defert, qui ab officio episcopali eum deijciendum censet: & literis ad Pipinum efficit, ut Bonifacius ei substituatur, & episcopalis sedes à Vuormacia Moguntum transferatur. 16. q. 1. Præcipimus Francis. Irenicus libro tertio, capite trigesimoquinto. Auentinus libro tertio. Negocium facessit Bonifacio, & Romam ad Pontificem abijt: ut patet ex epistola Zachariæ ad Bonifacium. Sed quid effecerit, non est in literas relatum.

BONIFACIVS, VENOFRIDVS.

Venofridus natione Anglus, Cridioduni in patria Deuoniensi natus, plus minus sex passuum millib. ab Excestria. Balęus. Sed Curio, Londæ natum esse asserit, libro 2. Et Muntzerus in Chronographia affirmat, eū Richardi regis Anglorum fuisse fratrē. A patre suo in monasterium Excestriā, ad Vuolhardum abbatem missus, in monachorum ordinem legitur, & literis assiduè excolitur. Cùm prima elemēta degustasset, cum cōsensu fratrum in aliud monasterium Nutycelle ad Vuinbertum abbatem concessit, quem Magistrum suum appellat in epistola ad Danielem, & sub eo uberiorem ingenij cultum accepit. nam artes dicendi, & Musicam didicit. In Poesi etiā eò progressus fecit, ut uersus scriberet. Historiarum quoq; cognitionē sibi comparauit, & modum Sacras literas interpretandi percepit, ac tandem in eo monasterio ipse docere alios cœpit.

Functiones eius.

Circiter aut ultra trigesimum annum ætatis presbyter ordinatur.

Cum esset deliberatio de legatis ad archiepiscopū Cantauriensem Briuntaldum mittendis ad Synodū Lōdini indictā, Vuinbertus, Vuintra & Berouuald9 abbates hūc eligūt, & cum consensu regis Anglorum eò ablegant. In eo cōuentu cū sese bene gessisset, celebris in Anglia factus est. Paulo pòst cū consilio & consensu abbatis sui in Frisiā cum

cum alijs undecim monachis (Balæus Centuria 2. capite 19.) excurrit, & Dorstadij & in Atrecht per semestre, eo tempore (cum inter Carolum & Radobodum orta esset dissensio, & Radobodus Ecclesias isthic uastaret, eiectis doctoribus, & restitutis idolis gentium) oberrat, & occasiones docẽdi spectat. Sed metuens suæ cuti, in Angliam ad fratres reuertitur, ibique per hyemem manet. Moritur interea abbas: Fratres deliberant de Vinofrido surrogãdo. Sed ille propter peregrinationis studiũ detrectat uocationi parêre. Præficiunt ergo Stephanum. Vinofridus à Daniele Vintoniensi episcopo literas commendaticias, & à Stephano uiaticum accipit, & Romam proficiscitur. Gregorius secũdus eo tempore consilia tractabat, quo pacto Ecclesias Germaniæ, quę doctrinã Christi profitebantur quidem, sed pontificio iugo non ita erant subiectę, lucraretur, & paulatim suas faceret. Occasiones habebat non incommodas: quia reges Francorum sibi erant addicti, & sacerdotes quidam Germani munus suum negligentius uidebantur curare, uenatione, conuiuijs, scortatione, & alijs uitijs districti & occupati: si tamẽ uera sunt, quæ Bonifacius de ijs ad Pontificem retulit, & passim ab Historicis referuntur. Deerant autem ad eam rem idonei ministri, per quos Põtifex id quod uolebat efficeret. Cum aũt Vinofridi mores, audaciam, studium, & zelũ erga Romanas superstitiones agnouisset, & propemodum per annum probasset, legatũ eum Germaniæ creat, & cum literis in Turingiã ablegat. Roma ergo ad Longobardos uenit, & à Luitprando rege honorificè excipitur, & muneribus ornatur. Inde Alpibus superatis, usque in Turingiam transit, & literas pontificis offert, & principes & sacerdotes ad pietatem hortatur, & Romanæ Ecclesię mores & ritus suadet: ut Vuilibaldus Eistetensis episcopus in uita eius refert. Historiam de Turingorũ conuersione ex Chronicis quibusdam, in capite de Propagatione commemorauimus: de qua tamen quia Vuilibaldus, qui eius seculo uixit, eam nõ annotauit, non leuis suspicio oritur: præsertim cum constet etiam ex Gregorij epistola, Turingos eo tempore fuisse Christianos. Non diu in Turingia moratus, transit cum fratribus, quos secum ducebat, in Franciam. neq; in ea diu subsistit: sed cognito quòd Radobodus esset uictus à Carolo, in Frisiã properat, & sese Vuillibrodo adiungit, & trienniũ plantationem Ecclesiæ sub eo archiepiscopo iuuat. Hinc est quòd Hortensius libro 1. rerum Vltraiectinarum scribit, Bonifacium ex collegio sanctę Crucis prope Vltraiectũ, lectum esse episcopum Moguntinum. Vuilibrordus senio confectus, de eo in episcopatũ surrogando consilium init. Sed Bonifacius se nondum annos quinquaginta habere, infra quos, Canones non admittant episcopos, prętendit: & cum urgeretur, commemorat quomodo à Gregorio pontifice sit ordinatus legatus ad occidentales Barbarorũ regiones: nec se posse ait sine Apostolicæ sedis cõsultu, & autenticæ iussionis mandato quicquam facere: ac petit à Vuilibrordo, ut se dimittat. Venit ergo ad locum Bamanaburg, seu Bãberg: & Deoticũ & Deorulfsum duces, quos sub professione Christianismi idola coluisse Vuilibaldus asserit, conuertit: hoc est, persuadet eis ut Romanas & põtificias superstitiones & ceremonias approbẽt, & monasteria extruant. Idem apud uicinos Hessos effecit. Ne autem Romanum pontificem latêret quid ageret, Binnam cum literis ablegat, eique de rebus omnibus scribit, & quasdam quæstiones proponit. Pontifex non omnia ausus literis committere, eum Romam euocat, ut coràm possit occasiones discere, & consilia de rebus gerendis captare. Vinofridus continuò sese in pedes conijcit, & breui Romam aduolat. Pontifex ab eo postulat, ut fidei suæ confessionem exhibeat: quod ille scripto facit. Deinde ad colloquium eum admittit, & diligenter omnia inquirit, quo pacto homines in Germania conuerterit ad fidem, & ceremonias pontificias. Rebus omnibus exploratis, Põtifex intelligit non posse alia ratione Ecclesias Germanicas facilius suo subijci iugo, quàm si Bonifacium ordinet episcopum, eumque Regum muniat autoritate, & is omnia quę faciat nomine Pontificis Romani agat. ita enim paulatim ius supra illas Ecclesias acquiri posse. Quare Vinofridum pridie Calendarum Decembrium in die Andreæ creat episcopum, ac nouum suo mancipio facit nomen, nimirum Bonifacij: eique tradit librũ decretorum seu formam reformandi Ecclesias, & iureiurando hominem astringit ad obedientiam & reuerentiam Romanæ sedis: ut patet ex conceptis uerbis, quæ in Cap. 1. de Rebus circa ordinationem adscripsimus. ac literis commendaticijs eum armat ad episcopos, presbyteros, & cunctos Christianos: deinde ad uniuersum clerum & plebem Turingiæ, item ad Saxones: quarum exempla extant in secundo tomo Conciliorum, in quibus singulis uirtutes eius prædicat, & omnis humani & diuini iuris consultissimum uocat: & præcipit, ut eum suscipiant & audiant, seque per eum ab errore ad salutis uiam reduci patiantur. Carolo quoque illum commendat: ac ut defensorem & patronum eius agat, postulat. Epistola extat apud Auentinum libro 3. Factum anno 721. Reuersus Bonifacius in Hassiam,

Gesmeræ

Gesmeræ arborē, quā robur Iouis pagani uocabant Christianorū quorundam qui illhic agebant rogatu succidit, & oratorium in honorē Petri extruxit. Vuilibaldus in uita eius. Sed Chronicon Isenacense in Vuestphaliā collocat, Vuismariam. Inde in Thuringiam progressus Principes & seniores plebis hortatur, ut Romanos ritus suscipiant: & sacerdotes, qui sese ei opponebant, hæreseos accusat, & adulterij, & dementat homines specie pietatis: & Ortruuij monasteriū condit, in quo fratres, cum mendicandi artificiū nec noissent, nec sibi frugiferum esse uideret, proprijs manibus uictū cōpararunt. Ad Melibocum illum paucos monachos docuisse, Curio annotat. Factum anno Domini 724, iuxta Chronicon Isenacēse. Ista rei nouitas admirationi fuit multis, adeò ut ex Britannia & alijs locis plurimi etiam docti uiri confluerent, quorū opera usus est in collectione Ecclesiæ in circumcirca iacentibus oppidis.

Interea mortuo Gregorio Romæ succedit Gregorius iunior, ad quem Bonifacius legatos mittit, & petit communionis & amicitiæ significationem: ac prolixè commemorat suam erga Romanos obseruantiam. Pontifex haud ignarus cōsilij sui antecessoris, legatos cum muneribus, diuersisq; sanctorum reliquijs, & cum pallio archiepiscopatus remittit: Auētinus lib. 3 Annalium. additis literis, quarum exemplum refert Nauclerus generatione 25. Quibus acceptis Bonifacius duas ecclesias, alteram Frideslariæ in honorem Petri, alteram Bamanaburgi in Michaelis honorem ædificat: eisq; singulis unum monasterium adiungit, anno Domini 728. Chronicon Isenacense.

Rebus in Thuringia constitutis, in Bauariā abit, & Hugoberti principis præsidio Ecclesias illas deformat: Eremuultum episcopum, quem schismaticum & hæreticum Vuilibaldus uocat, sed non expresso errore eius, damnat & abijcit: & à secta & idololatria populum abducit, & ad fratres suos remeat.

Cum autem reipsa cognouisset, in Romani pontificis literis uim magnam esse ad dementandos homines: ac ipse iam alia moliretur, ad quæ opus erat eius autoritate: ideo tertiò sese in uiam dat, & Romam uenit. Excipitur à Gregorio 3 perbenignè, & tractatur honorificè, & reliquijs sanctorum & cōmendaticijs literis cumulatur. Extant epistolæ duæ in tomo 2 Conciliorū, Gregorij 3, quas Bonifacio tradidit. Prior est generalis ad omnes episcopos, presbyteros & abbates omnium prouinciarum. Posterior specialis ad populos Germaniæ, in qua commemorat, Bonifacium à suo antecessore ordinatū, & iam a se instructum & edoctum, qua debeat agere, remitti ut Ecclesias uisitet, & de Romana fide erudiat: ac præcipit, ut omnes pareant.

His armis fretus, in Bauariam redit, anno Domini 727. Chronicon Bauariæ: & ab Odilone principe propter Pontificis commendationem suscipitur, eiusq; præsidio sacerdotes & episcopos, qui in ea regione erāt, & Romanas ceremonias non ita obseruabant, premit: & prouinciam iuxta consilium Romani pontificis in quatuor parochias diuidit, & singulis suum episcopum, sibi & Romanis addictū præficit: nimirum in Salcburgensi Ioannem, in Frisingensi Erembertum, in Reginæ ciuitate Garbaldum, & Bilibaldum in Aichstetensi, anno Domini 737. Chronicon Bauariæ. De hac distinctione extat epistola Zachariæ ad Vuilonem, & alia ad Bonifacium.

Fuldense cœnobium in Buchonia sylua, in spelunca bubonū, ut Muntzerus scribit, ædificat, anno Domini 742. Sigebertus. Marianus Scotus duos annos insuper addit. Et ob Athalongi fabulam, quod per reliquias Kiliani uisum recuperasset, in castro Vuisiburch ecclesiā & sedem episcopalem erigit, & Burchardum episcopum præficit, anno Domini 746. Sigebertus, & Trithemius.

Carolo Martello mortuo, à Carolomāno & Pipino in Franciā uocatus, instituta Synodo ecclesias illas pōtificia larua imbuit, & clericos ab uxorum consuetudine auulsit: & Albertum, Clementem, & alios synceros doctores, abhorrētes ab Antichristi superstitione, oppresit. Vuilibaldus in uita eius. De hac re scripsit epistolam ad Zachariam, quæ extat apud Nauclerum generatione 25. Et Hildericum Francorum regem autoritate & nomine Zachariæ pontificis deponit: ut patet ex eius ad Bonifacium literis, apud Auentinū. Pipinū regem inaugurat, anno Domini 750. Regino lib. 2. & Senatus populusq; Romani patricium pronunciat. Bonfinius lib. 8 decadis 1, & Annales Francorum.

Post multos labores Zacharias Bonifaciū facit archiepiscopum Moguntinum, & Coloniensis ecclesiæ præfecturam ei adiūgit; propterea quòd de Romana ecclesia bene esset meritus, & effecisset ut multi Romam cū muneribus irent. Mutius lib. 6.

Opera eius in ministerio bona.

Porrò in suo ministerio quædam bene, plæraq; uerò pessimè egit: idq; ideo, quia nō tantum Christo, sed etiam Antichristo in tēplo Dei sedenti suam præstitit operam.

¶ Bona quidem, & laudanda hæc sunt.

Quòd non piguit ipsum munus docendi obire.

Quòd gentilium errores refutauit, & multos ad fidem Christi conuertit.

Quòd taxauit uitia: ut patet ex epistola eius ad Echelbaldum Anglorum regem, quā grauiter arguit ob libidines, luxum, auaritiā

& sacrilegiũ. Metum & fugam pestis ex præscripto Gregorij 3 arguit, quia manus Dei nõ possit effugi. Mutius lib. 6. Rathobodum ob crudelitatem aduersus innocentes reprehendit, & ad fidem Christi cohortatus est. Auentinus lib. 3. Scelera sacerdotum ubiq; arguit, fretus autoritate Pontificis. Ibidem.

Quòd adhortatus est singulos ad pietatem & bona opera: & Nithardo studium sacrarũ literarum commendat, in epistola ad ipsum. Carolum Martellum in epistola hortatur, ut Christianos in Thuringia contra Paganos tueatur. Idem facit in epistola ad Graphionem, Martelli filium. Buggam abbatissam in cruce consolatur, & ad patientiam cohortatur.

Quòd consolatus est afflictos: ut Danielem oculis orbatum, & alios.

Quòd sacramenta administrauit. nam centum millia hominũ baptizasse scribitur. Falsum autem est, quòd in Chronico Misniæ dicitur, Vuitekindum baptizasse anno Domini 780. Constat enim, eum anno 755 mortuum esse.

Quòd pro conuersione gentilium tum ipse preces fecit, tum etiam alios ad eam rem excitauit. Nã in epistola ad Anglos prolixè petit, ut pro Saxonũ conuersione Deum inuocent: & ipse ꝑ alijs quoq; orauit. Sic pro Graphione se orare, indicat in epistola ad ipsum.

Quòd discipulos instituit. Nam discipuli eius referuntur, Viuilo: Mutius lib. 6. Gregorius, Lullus, Mengolus, Vuilibaldus, Sturmius, Vuigbertus, Burckhardus, & Fridericus Gridiodunus, qui etiam nepos eius uocatur. Balęus ex Lelando & Vuilhelmo, Centuria 13. cap. 55. Dudonis præceptorẽ sese uocat, in epistola ad eundem.

Quòd ad quæstiones propositas respõdit. Sic cũ esset interrogatus, an liceat in ligneis calicibus administrare sacra? respondit: Olim fuisse ligneos calices, & aureos sacerdotes: iã uerò esse ligneos sacerdotes, & aureos calices. Hedio lib. 8. cap. 9.

Quòd non puduit eum in rebus difficilioribus aliorum expetere consilia. Nam à Daniele consilium petit, de conuersatione cum sacerdotibus à Romanis ceremonijs alienis: & Pethelmum & Nothelmum de matrimoniali causa consulit, ut patet ex epistolis: & ab Egberto, quid de presbytero fornicario statuendum sit, quærit, sit'ne relinquendus in officio, an uerò remouendus cum Ecclesiæ incommodo.

Quòd libros in precio habuit. Gregorij epistolas ex bibliotheca Romana in Brytanniam misit, absq; dubio suppositicias. nam ipse dicit, se non putare quòd eò prius uenissent. in epistola ad Egbertum. Libros à Vuinberto relictos sibi mitti petit à Daniele, in epistola. Et opera Bedæ ab Egberto postulat, & ab Huetberto abbate: & tractatus in epistolas Pauli, à Dudone petit.

Quòd ecclesias extruxit. Nã Aistetensem ex prædijs & mancipijs à Suuigero comite donatis erexit. Hermannus Schedel. Erphordiæ Mariæ templum cõdidit, ac uoluit eò sedem episcopi collocare: sed dissuasum ei est à Zacharia. Chronicon Æditui. Fridesslariæ, Vuismariæ: Chronicon Isenacense. Et monasteria uirorum: ut Ortruuij, & Fuldæ, cui abbatem dedit Sturmium, anno Dominĩ 750. Chronographia Muntzeri. Et à Zacharia priuilegium impetrat, ne cui Fuldense cœnobium sit subiectum, præter Romanũ Pontificem: ut Thioto abbas in epistola ad Benedictum attestatur. Et mulierum: ut in oppido Kitzingensi, cui Hadelogam seu Teclam: & Bischoffshemiæ, cui Liobam pręfecit. Trithemius in epitome regum Francorum.

Quod ordinauit episcopos. In Bauaria Gainbaldum Ratisponæ episcopum constituit, anno Domini 737. Chronicon Bauariç: & Auentinus lib. 3. & Vuilibaldũ Eistetensem episcopum ordinat: Marianus Scotus. Vnilonem: Mutius lib. 6. Burckhardum Herbipoli, Lullum Moguntí, cum consensu Zachariæ & Pipini successorem sibi elegit. Zacharias in epistola, & Bonifacius ad Fulradum.

Quòd distribuit diœceses. nam in epistola ad Zachariam narrat, se prouinciam Germanorũ in tres parochias distinxisse: in Vuirtzburgensem, Bambergensem, & Erfordiensem. Nauclerus generatione 25.

Synodos celebrauit autoritate Pontificis: Nam Augustæ, iussus à Gregorio 3, Conciliũ coegit. Nauclerus generatione 25. Mutius libro sexto. Ac Bilibaldus in uita eius narrat, eum quatuor Synodos celebrasse post archiepiscopatum Moguntinum, & decreta sex uniuersalium Synodorum promulgasse, & Canones condidisse.

Mala eius opera.

¶ Vt minister & mancipium Antichristi, quem in bestia 2. Apocal. 13 præfiguratum esse Balæus ostendit, multa malè egit. Nã sub pontificium iugũ Francos, Noricos, Boios, Thyrigetas, Cattos, Saxonum partẽ, Dacos, Slauos, Frisios redegit. Curio lib. 2: Balæus, & Auentinus. Ipse in epistola ad Chutbertum narrat, Francos in Synodo promisisse obedientiam & reuerentiam Romano pontifici, & quòd pallia ab eo accipere & petere uelint.

Damnauit nuptias sacerdotum, cœlibatũ instituit, sacerdotes cõiuges in Turingia, Bauaria & Frãcia deposuit ab officio: ut cõstat ex uita eius apud Vuilibaldum. Peregrinationes instituit, purgatoriũ docuit, mortuorum ossa & imagines uenerari iussit. Vestales sermocinatrices, contra Pauli præceptũ, admisit:

admisit: ut constat ex epistola ad Lebeogytham. Effecitq́;, ut cum oblationibus pleræque Romam adirent. Balæus.

Baalismum passim in Ecclesijs & monasterijs instituit: ut patet ex Vuilibaldo. Ac refert Bergomensis lib. 10, Albinum eius oratu Missales orationes, & ecclesiastica officia à Gotthis turbata, restituisse in integrum.

Vitam monasticam uirorum & mulierũ, primus in Germania, ad Benedicti regulã instituit: Marianus Scotus in Chronico. Et Childericum regem, monachum Pontificijs ceremonijs initiauit. Mutius lib. 6.

Missas pro mortuis celebrare iussit, in epistola ad Aldherium.

Fraternitates primus inuenit, & instituit. Erant autem mutuæ preces & missificationes pro uiuis & mortuis: ut constat ex epistola ad Optatum abbatem.

Childericum Francorum regem cõtra ius deposuit, & Pipinum proditorem eius loco substituit, & populum ab eius fide & iurisiurandi uinculo absoluit. Regino lib. 2. Balæus, & alij.

Pontificibus Romanis adeò fuit addictus & subiectus, ut nihil sine eorum consilio ageret, ac etiam de rebus friuolis eorum expectaret sententiam. Sic de lardo, quãdo comedendum sit, Gregorium 2. interrogauit per epistolam.

Ac ei uehementer doluit, si non potuit omnia ab ipsis mandata efficere. Sic in epistola ad Zachariã suum dolorẽ demonstrat, quòd non potuerit efficere, ut Franci archiepiscopos & pallia à pontifice Romano peterẽt, & se totum illi subijcit: & si quid deliquit, satisfacturum promittit.

Nec ulla in re Pontificijs erroribus sese opposuit: nisi quòd in epistola ad Gregorium quosdam abusus, quibus Germani, qui Romæ fuerant, offensi erant, & temerarias quasdam dispensationes indicat. Et in epistolis ad Pethelmum, Nothelmũ & Dudonem ostendit, se non posse intelligere, quòd adeò magnum peccatum sit ducere uxorem, eam quæ propter baptismum alicui facta sit propinquior: cùm omnes simus fratres & propinqui spiritualiter, & tamen ea coniunctio non impediat matrimonium. Idem in epistola ad Cuthbertũ, quam paulo ante mortẽ scripsit, suam de peregrinatione Romam uersus sententiam nonnihil corrigit: & pręcipit, ne adeò frequenter sinãt moniales peregrinari, propterea quòd paucæ sint ciuitates in Lõgobardia, Francia & Gallia, in quib. nõ sit adultera aut meretrix generis Anglorum, quę illa occasione eò excurrisset.

Nouit inescare homines potentes, eosq́; munusculis paucis ad liberalem & cumulatissimam compensationem allicere. Sic Ethelbaldo accipitrẽ, duos falcones, duo scuta, & duas lanceas misit. In epistola ad ipsum.

Scripta.

Scripta etiam posteritati reliquit, sed quæ hodie non omnia extant.

De sua fide & doctrina,	Librum 1.
De religione sanctitatis,	Librum 1.
Pro rebus Ecclesiæ,	Librum 1.
Instituta Synodalia,	Librum 1.
De suis in Germania laboribus,	Librum 1.
Epistolas ad quatuor Papas,	Librum 1.
Ad Ethelbaldum regem,	Librum 1.
Vitam Liuini martyris,	Librum 1.
Vitam Lebuini monachi,	Librum 1.
Vitas sanctorum aliorum,	Librum 1.
De fidei unitate,	Librum 1.
Contra hæreticos,	Librum 1.
Epistolarum ad diuersos	Librum 1.

In epistolis suis quibusdam uersus sub finem adscripsit: ut in epistola ad Nithardum, & ad Zachariam, ubi hi extant:

Te Deus altitonus sancta conseruet in æde,
Sedis Apostolicæ rectorem in tempora longa,
Mellistua gratum populis doctrina per orbem,
Perficiatq́; Deo dignum pia gratia Christi.
Splendida perficiat florens sua gaudia mater,
Atq́; domus Domini lætetur plebe secunda.

De doctrina & næuis.

¶ Quid de singulis doctrinæ Christianę capitibus senserit et docuerit, tum bene tũ malè, supra in cap. 4 exposuimus.

Corruptelam de oratione pro mortuis, à pontifice Gregorio acceptã, lõgè lateq́; sparsit: ut patet ex epistolis eius ad Aldherium abbatem.

Orationem Deo fore acceptiorem, si ad eam adstipulatio et benedictio accedat Romani pontificis, ineptè garrit in epistola ad Anglos.

Bonis operibus salutem adscribit in epistola ad Torthelmum, dum se pro redemptione animæ suæ habere studium dicit Saxones conuertendi. Hic fuit finis omniũ eius operum, et laborũ. Christus ergo frustra ei mortuus fuit, et gratiam eius aspernatus est. De alijs eius næuis in cap. 4. diximus.

De certaminibus eius.

Propter Põtificios characteres, ex ambitione, contra multos dimicasse legitur. sed uerę certaminis causæ sedulò occultãtur ab historicis, qui satis sibi esse existimarũt, si tantũ eius aduersarios, falsos sacerdotes, hęreticos, schismaticos et adulteros scripsissent. Sic Vuilibaldus, et post eum alij scriptores narrant, Dortouinum, Bertherũ, Anobertũ et Hunoredum falsos sacerdotes, auaros, impudicos, ambitiosos homines, fabularũ præcones in Thuringia sese Bonifacio acriter opposuisse: sed ab eodẽ et refutatos, et ab officio remotos esse. Non est dubiũ, si quo errore isti sacer-

dotes fuissent infecti, quin in literas Pontificij scriptores expressè retulissent. Verùm qa nullo aperto errore uerè fuerunt contaminati, sed sese pontificijs opposuerunt deformationibus, & humanis traditionibus, & notis Antichristi (quales erant coniugij sacerdotũ abolitio, uitæ monasticæ & impuræ castitatis recens institutio, missificationes pro mortuis, inuocatio sanctorũ, usus peregrinæ linguæ in administratione sacramentorum, & multiplices ceremoniæ, eæq; superstitiosissimæ, cultus reliquiarũ, & similes nugæ) ideo nihil de eorũ sententijs & argumentis annotarunt, sperantes hoc modo cauturos ne posteritas agnosceret, maiores suos nouis illis superstitionibus Antichristi in initio repugnasse, idemq; imitaretur.

In Bauaria antagonistam habuit Eremuulfum, seu (ut Auentinus scribit) Ariouolphonem. Sed quam ob causam ei repugnauerit, Pontificij dissimulant, & tantùm eum & factionem eius insimulãt auariciæ & luxus. Bonifacius uerò Hugoberti præsidio, & Pontificijs literis munitus, eos deponit ab officio, & excommunicat. Et ne causa ad cognitionem deducta suam innocẽtiam possint probare, Bauaris persuadet, non esse fas illis petentib. ius reddi, aut in Concilium aut ad sacra admitti, aut ullum honorẽ haberi. Atq; ita istis tyrãnide oppressis, statim alios in locum eorum substituit ad nouas pontificias ceremonias assuefactos. Auentinus lib.3 Annaliũ Boiorum. Sacerdotes aũt Bauari de iniuria querũtur: & cùm Bonifacius Romam abijsset de recuperanda sua dignitate pristina, consilia capiunt. Quare ab Vtilone duce reuocatus, iterum eos compescit: & suis socijs, ut Antichristus, prouinciam illam distribuit. Auentinus libro eodem.

Gebolibus Vuormaciẽsis episcopus strenuè sese cum alijs Bonifacio opposuit: sed ob cædem, qua parentem suũ ultus erat, siue uerè, siue crimine conficto, à Gregorio 3, seu Zacharia (ut apparet ex epistola eius) deponi iubetur. Quod cum Bonifacius præstitisset, sedes eius Ecclesiæ Moguntiã transfertur à Pipino, & Bonifacio ut merces iniquitatis attribuitur. 16.q.1.cap. præcipimus. Irenicus libro tertio, capite trigesimoquinto: Auẽtinus lib.3 Annalium:

Nec Virgilius & Sidonius potuerũt approbare, quæ à Bonifacio gerebantur. Nam cum ille rebaptizare institueret eum, qui per sacerdotem in nomine patria & filia & spiritus sancta baptizatus erat, refutabant eum: & facta ad Pontificem appellatione, obtinebant uictoriam. Nam Zacharias ei scribit, ne rebaptizet propter barbarismum à sacerdote cõmissum. Quod cum ei esset ualde molestum, infensè obseruabat Virgilium: eiusq; concionẽ in qua dixerat esse Antipodes, in calumniam rapit, eumq; publicè arguit: & ut Legatus Germaniæ, sua & pontificia autoritate eum premit, ut in capite de Schismatibus exposuimus. Auentinus.

Contra gentilium superstitiones satis bene sese gessit, ac ab ijs uicissim ille est exagitatus. Nam in epistola ad Stephanum scribit, paganos sibi triginta Ecclesias euertisse. De Germanorum ferocitate passim in epistolis suis queritur. Obiecerunt ei Pagani & Christiani in Germania, cur non potius suos Anglos reformet, libidinib. & adulterijs corruptissimos, more equorum & asinorum luxuriantes, ut indicat in epistola ad Herefritum.

In Gallijs Albertus Gallus, & Clemens Scotus, Samson Scotus, & alij, non inuidia, (ut Nauclerus putat) sed uero zelo moti, Bonifacio repugnant, & nouas eius ceremonias, quibus in baptizando & administrando Coenam utebatur, improbant: eumq; præstigiatorem & adulatorem accusant, & multis ut secum sentiant persuadent, libris etiam contra Bonifacium editis. Discipuli Bonifacij eum monent, ut cautius agat. Verùm ille respondet, illum qui secum sit, esse maiorem, quàm qui cum illis faciat. putabat autem Romanum Pontificem. Ad eum ergo statim accusat Albertum, & socios eius. Pontifex Zacharias Romę collecta Synodo, Albertum excommunicat, & literas ad regem Francię scribit de istis deponendis. Albertus ergo in carcerem Fuldensem conijcitur, atq; ita mancipium Antichristi uictoria potitur. Nauclerus generatione uigesimasexta, & Auentinus: Epistola Zachariæ ad Bonifacium.

Litigauit cum episcopo Coloniensi, de Ecclesia Traiectensi, quam ipsi Carolomannus commendauerat, ut uisitaret, & episcopum isthic constitueret: ut patet ex epistola eius ad Stephanum secundum.

Aulfridus & alij, quos falsarios appellat, molesti fuerunt Bonifacio. Quare cõtra eos petit defensionem à Pipino, per epistolam.

De suis tribulationibus, & animi perturbatione, passim in epistolis queritur, cũ pro se preces expetit: ut in epistola ad Buggam. Oculos caligantes se habere, & minutas literas se amplius non posse legere, queritur in epistola ad Danielem.

Nec tamen adeò patienter eum omnia tulisse, ex hoc liquet, quòd in epistola ad Chutbertum narrat, se sæpe uoluisse curam pastoralem deponere: sed hoc impeditũ esse, quòd nullum exemplum ueterum patrum aut sacræ Scripturæ testimonium potuisset inueniri, quo id piè fieri posse affirmaretur.

Amici Bonifacij.

Multorũ usus est familiaritate. nam Romanis Põtificibus, nimirũ Gregorio secũdo, & tertio,

tertio, Zachariæ & Stephano charus fuit: qui etiã illum fratrem, coepiscopum suum, collegam & legatum uocant, ut constat ex epistolis eorum ad ipsum.

Ex Anglia multos accersiuit, quorum opera usus est in Thuringia, Bauaria, Francia, & alijs in locis ad Ecclesias & monasteria instituenda & gubernanda: inter quos nominantur, Burckhardus, Lullus, Vuilibaldus, Vuunebaldus, Bitta, Gregorius. Auentinus lib. 3 Annalium. Eobanus, Vinnungus, Vuachterus, Ethelherus, Hamundus, & alij: qui in Frisia cũ ipso occubuerunt, ut cõstat ex Vuilibaldo. Nithardus, quem in epistola ad studiũ sacrarum literarum cohortatur: Chutbertus, Magesetus, qui ad Bonifaciũ plures scripsit epistolas. Balæus Centuria 2. cap. 14. Egbertus, Herefritus, Pethelmus, Iamnulus, Aldherus, Daniel, Nothelmus, Geppa, Vuigbertus.

Et regibus ac principib. notus fuit: ut Luitprando, Odiloni, Carolo Martello, Graphioni, Pipino, Carolomãno, Ethelbaldo, & alijs.

Traxit etiam secum ex Anglia mulierũ gregem, inter quás celebrantur Chunitruda matertera Lulli, & Valdopyrga, quas in Boiariã: Chynilda & Beragytha, quas in Turingiam: Tecla & Lioba, quas in Franciã collocauit, ut ubiq; locorum suas inueniret amicas, cũ ultro citroq; deambularet. Auentinus lib. 3 Annalium. Nec ulli præter Liobam in Fuldense cœnobium patuit aditus: quam tanto amore est prosecutus, ut eã in sepulchro suo consepeliri mandaret. Balæus Centuria 1, capite 13, in Appendice.

Ac alijs quibusdam abbatissis familiaris fuit. ut Eãburgæ, Buggæ, Eangythæ: ad quas cum scribit, plerumq; se peccatorem fatetur, conscius fortè sibi sanctæ cum illis consuetudinis. Illæ uerò rescribentes, commendant eum ab eruditione & castitate.

De donis & uirtutibus eius.

Tribuunt ei inter alia etiam donum præsagiendi futura. Nam de Ecclesia, quam Fritislariæ extruxit, prædixisse fertur, eam fore inuictam ab igne: cuius rei ueritatem euentus cõprobauit. Saxones enim nullo modo potuerunt eam igni inflammare, circiter annũ Domini 774. Regino lib. 2.

In Frisiam abiens, sibi prædixit mortem: & Lullo mandauit, ut à se cœptas Ecclesias, & maximè Fuldensem, perficeret, eoq; suum cadauer reponeret. Vuilibaldus in uita eius.

Commendat eum Vuilibaldus à castitate, humilitate, temperantia, liberalitate in pauperes, & alijs uirtutibus: quas, si rem ipsam uideas, & ex fructibus arborẽ æstimes, haud in eo uerè reperias, larua hypocriseos retecta. Ac de seipso uerè scribit in epistola ad Leobgythã, quòd sit pessimus omniũ Legatorũ, quos Catholica & apostolica Romana Ecclesia ad prędicandum Euangelium destinauerit. Nam nõ Euangelium, sed legem & traditiones Antichristi prædicauit.

De Martyrio eius.

Cum in Frisia (Platina sub Gregorio 2, in Aphrica, scribit: idem Bergomensis lib. 10, & Sabellicus Enneadis 8. lib. 10) cum socijs suis Eobano episcopo, Vintrungo, Vuachtero, Ethelhero presbyteris: & Hamundo, Scirbaldo, & Bosã diaconis: & Vaccaro, & Gundaccro, Illehero & Batouulfo monachis, ad Bonæ flumẽ, quod est in cõfinio Ost & Vesterachiæ ad pagum Dorckheimum tentorijs erectis, festum confirmationis neophytorum celebraret, pontificio charactere baptizatos, quos in eum locum cõuenire iusserat, signaturus: Pagani, seu prędones (Bergomẽsis Mahumetanos somniat fuisse) indignè ferentes quòd Pipinum unxisset regem, (Volaterranus lib. 4) armati in eos impetum faciunt, & ipsum cum quinquaginta familiaribus suis trucidant: & cistas eius, in quibus libri erant, & reliquiæ sanctorum, diripiũt: nonis Iunij, anno Domini 755 iuxta Vuilibaldum. Sigebertus annum minus habet. Regino numerat annum Domini 752: cum episcopum & legatum pontificium egisset annis 36, quemadmodum ipse in epistola ad Stephanum indicat; mensib. sex, & diebus sex, uixissetq; annos 60. Balæus Centuria 1. cap. 13. Pagani in cistis eius putabãt esse thesaurum: ideoq; de ijs inter sese dimicãt. Victores cum illas aperuissent, & codices & reliquias reperirent, abiecerunt & disperserunt eas. Cadauer eius à Christianis Traiectum defertur, & postea à Lullo per Haddonem Moguntiam transportatur, & tertio in monasterium Fuldense reconditur: ut Trithemius, & alij annotant.

Miracula.

Miracula ad sepulchrum eius facta commemorat Vuilibaldus: sed ea ad superstitiosa & mendacia signa pertinent. Gutbertus in epistola ad Lullum, de eo prædicat, quòd in illis locis Euangeliũ docuerit, ad quæ nullus antea docendi causa adire ausus fuerit. Et Milredus in epistola ad Lullũ, eũ decus & columẽ omniũ uocat, quos prę̄sens ꝓtulit patria.

GREGORIVS.

¶ Gregorius ex Anglia euocatus à Bonifacio, comes eius fuit. Auẽtinus lib. 3 Annaliũ. In collegio Crucis prope Vltraiectũ Gregoriũ egisse monachũ, & fortè abbatem, ac inde ad Moguntinensem episcopatum adhibitũ esse, Hortensius lib. 1 Vltraiectinæ historię indicat. Extat epistola quędam Lulli ad Gregorium presbyterum & abbatem, in qua eum cõmonefacit, ut ueteris amicitię memor pro se oret: ac eum hortatur ad fastidiũ & contẽptum rerum præsentium, & ad appetentiam cœlestium bonorũ. Appellat eum præceptorem

rem & collegam suum: & rogat, ut se erudiat & instruat pijs admonitionibus suis. Sed an iste sit, affirmare non possumus.

VVVNIBALDVS.

Vuunibaldus frater fuit Vuilebaldi Eistetensis episcopi. Ex Anglia ad Bonifacium in Germaniam uenit, eiq; comes & socius fuit in deformandis ecclesijs Germanicis. Auētinus lib. 3 Annalium. Balæus Centuria 2. cap. 16. Schedelius ætate 6, scribit eum cum fratre suo, Sebaldi ad Germanos à Gregorio secundo missi, socios fuisse.

FRIDERICVS.

Fridericus Cridiodunus, Bonifacij nepos & discipulus, comes eius semper fuit. Malmesburiensis scripsisse eum quædā indicat. Claruit anno Domini 760. Balæus Centuria 13. cap. 55.

DENEHARDVS ET *Denual.*

Denehardus & Denual presbyteri, collegæ Bonifacij, literas ad Pontifices attulerūt: ille ad Gregorium 3, hic uerò ad Zachariam: ut patet ex epistolis Pontificum.

LVLLVS.

Lul, ut Zacharias eum uocat in epistola ad Bonifacium: seu Lullus, ut passim nominatur apud Scriptores: seu Lullo, ut Carolus Magnus eū appellat in priuilegio Bremensi, apud Crantzium 2. lib. cap. 15, in Saxonia: seu Iulius, ut à Balæo uocatur: fuit natione Anglus, in ciuitate Maldubia ab Eaba abbate nutritus, & cognomine Irtel dictus, ut patet ex epistola Herecæ ad eundē. Fuit unus ex duodecim monachis, quos Egbertus Eboracensis misit in Frisiam. Balæus Centuria 2, cap. 19. Inde, uel ex Anglia, à Bonifacio, cum à Gregorio 2 in Germaniam esset ablegatus, euocatur. Auentinus lib. 3 Annalium. Haud segnis aduolat ad eum, & in Hassia, Thuringia, & Erfordiæ, cum ipso plantat Ecclesias. In Fuldēsi cœnobio monachos instituit. Curio lib 2 Chronologiæ. Bonifacius eum Romam ablegauit ad Zachariam, à quo responsum & literas retulit: ut patet ex epistolis Zachariæ. Bonifacius eum uolebat se uiuo ordinare episcopum: sed id Pontifex dissuadet, quia sit contra Canones. Verùm hoc dat consilij, ut coepiscopum ordinet, & moriturus commendet clero & ecclesiæ. Coepiscopus ergo designatur: cui Bonifacius in Frisiā abiturus, Ecclesiæ curam & administrationem committit: & literis ad Fulredum petit, ut cū Pipino agat, ut cōsentiat in Lullum successorem, ut patet ex epistola ad Fulredum. Atque hoc modo cum defunctus esset Bonifacius in Frisia, Lullus Moguntinus episcopus factus est, anno Domini 756, iuxta Marianum: decimoquarto Constantini Copronymi, ut Erphordiensis cap. 67.

Scripta.

Aliquot eius epistolas uidere nobis contigit: ut ad Osuitam, epistola 1.

Ad Leobgytham, epistola 1.

Ad Gregorium, epistola 1.

Ad Denehardum & alios, epistola 1.

Ad Cœnam, epistola 1.

De doctrina & erroribus eius.

Pontificios errores & ipse habuit: & professus est. Nam ieiunia & missarum celebrationes putat prodesse ad pluuiæ auersionem, in epistola ad Thuringos.

Orationem mortuis prodesse, opinatur in epistola ad Cœnam.

In uita monastica, & traditionibus humanis præcipuam cultus Dei & salutis ponit fiduciam, contra illud: Frustra me colunt mandatis hominum.

Clauem ligatoriam existimat in eos stringi oportere, qui uiolent traditiones humanas. Nam excommunicat Osuitam, quòd passa sit sine suo consilio sacras uirgines peregrinari: in epistola ad ipsam.

Doctrinam dæmoniorum de prohibitis nuptijs approbauit, & promouit disciplina monastica.

Opera gubernationis.

Munere docendi functus est non tantùm ante episcopatum, sed etiam postea. Et Bonifacius in epistola ad Fulredū, iubet eum prædicatorem & doctorem presbyterorū & populorum constitui: ac affirmat eum fore magistrum presbyterorum, doctorem regularē monachorum, populi Christiani fidelem prędicatorem, & pastorem.

Vitia grauiter reprehendit: ut patet ex epistola ad Osuitam. Et in epistola ad Cœnam queritur, Principes nouos mores nouasq; leges condere.

Disciplinam monasticam conseruare studuit: & Osuitam excommunicat, quòd sine suo cōsilio permiserit monialib. peregrinari.

Ad ieiunia, missas, & preces publicas in pluuijs auertendis hortatur Thuringos.

Librorum studiosus fuit. Nam Bedæ libros sibi postulat transmitti, in epistola ad Cœnam: & Vuilibaldum excitauit, ut uitam Bonifacij scriberet.

Consecrauit Megingandum abbatem, anno Domini 794. Muntzerus in Chronographia, ætate 3.

Ordinauit Vuillehadum episcopum Bremensem: ut Carolus indicat in priuilegio, apud Crantzium lib. 2. cap. 15. de Saxonia.

Miraculis eum claruisse, Fasciculus temporum indicat. Vnde & post mortem eum coluerūt homines superstitiosi. Hinc uersus isti sunt apud Erphordiensem cap. 67. & Vincentium lib. 23. cap. 157: & Malmesburiensem lib. 1. cap. 68, de gestis Anglorum.

Antistes

Antistes Lullus, quo nō est sanctior ullus,
Pollens diuina tribuente Deo medicina,
Occurrit morbis, ut totus prædicat orbis.

Certamina.

Conqueritur se à ministris diaboli fatigari: in epistola ad Leobgytham, & in epistola ad Cœnam.

Amici.

Chunitruda matertera eius fuit. Auentinus lib. 3 Annalium. Gregoriū abbatem, sui præceptorem uocat: in epistola ad eundem. Noticiam habuit Zachariæ pontificis, Vuilibaldi, Rabani, Bregouini, Denehardi, Eanberti, Sigeuualdi & Bedæ, qui libros in peregrinationis Lulli consolationem scripsit.

Mors.

Cum præfuisset Ecclesiæ annos triginta unum, obijt anno Domini 787, iuxta Chronicon Quedelburgense: & Balęum Centuria 13. cap. 56. Marianus & Vrspergensis annum minus habent.

RICHOLPHVS.

Richolphus, uel Sichulphus, capellanus Caroli Magni, cuius opera usus fuerat in legatione ad Thassilonem: anno Domini 781. (ut Regino lib. 2, & Auentinus lib. 3 indicát) successit Lullo, & ordinatus est Fritislarię, 4. nonas Martij, anno Domini 787. Hermānus in Chronico.

EANREDVS.

Eanredus presbyter Lulli, propter inobedientiam excommunicatus, à Vuillefritho suscipitur, & contra Lullum defenditur: ut ex epistolis Lulli apparet.

GVNDVINVS.

Gunduinus diaconus Lulli, cōmendatur in epistola eius ad Leobgytham.

HYLDEVALDA.

Hyldeualda archiepiscopus Palatinus, cū Arnone Saleburgensi, iussu Caroli Magni Leonem per Boiorum fines in Italiam deduxit: Auentinus 4 Annalium.

HERBIPOLENSES, SEV *Vuirtzburgenses.*

BVRCHARDVS.

BVrchardus, seu Vrgardus, secundum Adonem ætate 6: seu Rurchardus, iuxta Ganguinum lib. 3 de Frácis: seu Richardus, iuxta Annoniū lib. 4. cap. 61 de Francis, Anglus, fratrem habuit Suidunū, consanguineus Bonifacij, qui eum educari & liberaliter institui curauit. Cum autem Bonifacius à Gregorio secūdo in Germaniam iussus esset ire, euocauit hūc ex Anglia, ut haberet comitem & socium. Auentinus lib. 3 Annalium. Ille sine mora aduolauit, & in Thuringia & Hassia & alijs locis deformationem Ecclesiarum Dei & Papatus institutionem adiuuit.

Bonifacius eum Vuisiburgi, ut Sigebertus scribit: aut Vuitburgi, ut Adon: aut Herbipoli, ut Otho Frisingensis, & alij, ordinauit episcopū, cōsensu, imò iussu Carolomāni: anno Domini 746. Trithemius duos annos addit, in Epitome Francorum: alij uerò plures. Ac confirmauit eum in episcopatu Pipinus, & Zacharias pontifex, anno Domini 748. Auentinus lib. 3 Annalium, & Fūcius. Sed Vrspergensis, Hartmannus, & alij, ponunt annum Domini 751.

Scripta eius.

Libros aliquos scripsit, qui eo mortuo mā serunt apud fratrem ipsius Siguium: sed an extent, nec'ne, ignoramus. Cum Bonifacio ad Ethelbaldū regem Anglorū epistolā scripsit, quæ extat: sed an ipse autor eius fuerit, an uerò tantū subscriptorē egerit, nō constat.

De erroribus eius.

Iisdem opinionibus deditus fuit, quibus Bonifacius, & aliæ huius seculi pontificum Romanorum simiæ.

Vitæ monasticæ nimiū tribuit. nam moniales uirgines per uotum propriæ sponsionis, & per uerba sacerdotis Deo consecrata templa fieri: quæ, si matrimonio iungantur, uiolentur & prophanentur. in epistola ad Ethilbaldum.

Romano pontifici tribuit potestatem reges constituendi & deponendi, & subditos ab obedientia & iureiurando absoluendi: ut patet ex legatione qua functus est ad Zachariam, ut postea dicemus.

Episcopos posse bona conscientia utrumque gladium administrare, & sicut principes gentium dominari (contra Christi edictum Lucæ 22, Principes gentiū dominantur, uos autem non sic) sentit. Quod constat ex eo, quòd à Pipino accepit ducatum Franconiæ.

Opera eius in gubernatione.

Munere concionandi quidem functus est: sed non aurum, argentum & preciosos lapides, sed stipulas & fœnum super fundamentum extruxit, Antichristiq; regnum non parum promouit.

Discipulos instituit. nam Harimarum canonicum Vuirtzburgensem sub eius disciplina multum profecisse, scribit Crantzius in Metropoli lib. 1. cap. 11. Et Carolum Magnū uictis Saxonibus duodecim adolescentes Saxonum illustri genere natos, & obsidum loco datos ei tradidisse erudiendos, Capgrauius & Lelandus referunt: teste Balæo Centuria 13. cap. 57.

Synodos celebrauit. Interfuit enim FranciCæ Synodo sub Carolomanno, ut constat ex eius actis.

Fuit contemptor Maiestatis, hoc est legitimi magistratus, & contra eum seditiosa cepit consilia. Nam cum Bonifacius & ipse cognoscerent, Pipinum affectare regnum Francorum, non arguerūt: sed magis confirmarūt

eum, & consilia suggesserũt, quo pacto id & cũ suo & Romani Pontificis emolumẽto fieri posset. Videbant Hyldericum ignauum esse regem, & non ad omnia quæ Pontificij legati uolebant, assentiri: cogitabant aũt Pontificem posse sibi hoc modo demereri Pipinũ, ut postea suæ factioni faueret. Habebant etiam promissiones amplas propositas. nam ducatus Francorũ erat promissus Burckhardo, si efficeret ut Pipinus in regẽ ungeretur. Ex composito itaq; Burckhardus cũ Volrado abbate Romã uenit, anno Domini 749. (Regino lib. 2) & nomine Bonifacij Zachariæ pontifici rem omnem exponit: ac oratione splendida (cuius exemplum apud Æmylium lib. 2 de regibus Francorum extat) petit, ut Francos à Childerici fide absoluat, & Pipinũ regem pronunciet, & inaugurari curet. Pontifex re cognita, proceres Francorum omnes Pipinum suscipere regem, & Childericum abijcere: per legatos & literas respondet, se omnino uelle, ut Childerico deposito Pipinum regem designent. & in mãdatis dat Bonifacio, ut Childericum monachũ ordinet, & Pipinum in Regem ungat. Burckhardus cum Volrado reuersus, sententiã Pontificis & literas in Synodo Moguntinensi exponit. Auentinus 3 Annalium.

Huius beneficij memor Pipinus, ducatus Ostrofrancorũ administrationem Burckhardo & omnibus eius successoribus donauit, anno Domini 752. Trithemius in Epitome Francorum, Annales Francorũ: & Valẽtinus Muntzer in Chronographia, ætate 3.

De uirtutibus eius, & donis.

Commendat eum ab abstinentia, & liberalitate in pauperes, Schedelius ætate sexta. & miraculis eum claruisse indicat, sed nulla recenset.

Amici eius.

Familiaris fuit Bonifacio, Vuilibaldo, Volrado, Lullo, Vuunebaldo, & Pontifici Romano Zachariæ, qui epistolam ad ipsum scripsit, quæ extat in 2 tomo Conciliorũ: in qua ipsum & alios episcopos in Synodo quadam congregatos hortatur, ut cum Bonifacio sese opponant ijs qui Romanas ceremonias improbabant.

De morte eius.

Senio confectus, abdicato episcopatu, Megingandum successorem designat: & nauim cum sex monachis conscendit, & in castrum Hohenburg sese recipit, sumptis secũ libris, quos conscripserat: ac in eo loco tandẽ obijt, anno Domini 791, aut sequenti, cum præfuisset Ecclesiæ annis quadraginta. Vrspergensis, Schedelius.

HARIMARVS.

¶ Harimarus, unus ex obsidibus Saxonũ Pipino datis, à Burckhardo institutus, adeò profecit, ut Canonicus fieret. Crantzius lib. 1. cap. 11. in Metropoli.

MEGINGANDVS.

Megingandus, seu Megingolus, discipulus & comes fuit Bonifacij, in Thuringia et Hassia plantationem Ecclesiæ iuuit. In monasterio Fritislariæ monachos instruxit, ut apparet ex epistola Bonifacij ad ipsum, & Tathuinum, Berenhardum & similes. Cum Bonifacius contra Albertum Gallum suscepturus esset certamen, conatus est eum à proposito abducere: sed parũ effecit, ut Vuilibaldus in uita Bonifacij indicat. Carolus Magnus eũ in monasteriũ Neapoleos ad Mœnum collocauit, & consecratus est abbas à Lullo & Vuilibaldo. Inspexit historiam de uita Bonifacij à Vuilibaldo scriptam, & approbauit. Sed postea Burckhardus ei episcopatum Herbipolensem reliquit: quo cũ functus esset annos tres, obijt, anno Domini 795. Vuilibaldus in uita Bonifacij: Schedelius: Valentinus Muntzerus in Chronographia, ætate 3.

SVIDVNVS.

Suidunus, seu Siguinus, frater fuit Burckhardi, ac eo mortuo libros illius ad se recepit. Balæus Centuria 13, cap. 57. Herbipolensis postea factus est episcopus, ut Schedelius ætate 6 refert.

BERNVVOLF.

Megingando successit Bernuuolf, & præfuit annis septẽ. Inter eum & Riculfum Moguntinum episcopum, et Bougulfum Fuldensem abbatem, ortum est dissidium propter chartam quandam, quam aliqui Bonifaciũ à Pontifice accepisse affirmarũt. Tandem causa in præsentia Caroli et episcoporum in Synodo tractata, Bernuolfus damnatur propter illicitam ordinationem in Fuldensi cœnobio factam. Rabanus in epistola ad Hattonem. Mortuus est anno Domini 802. Chronographia Munsteri, ætate 3.

ATHALONGVS.

Athalongus, seu Adelungus, presbyter alicubi in Francia aut Gallijs, cæcus: consuluit, ut uidetur, dæmonem, quo pacto posset uisum recuperare? Et responsum tulit, Kiliani et sociorum eius corpora inuenta medelam ei præstitura. Ille haud segnis, ea inquisiuit. Mireris quomodo cæcus potuerit id facere. Sed desine mirari: magister superstitionis eũ duxit. Iis repertis, uisum recepit. Quod ubi Bonifacius cognouit, per Pipinum et pontificem Zachariam effecit, ut episcopalis sedes in eo loco constitueretur, anno Domini 746. Sigebertus.

EDANVS.

Edanus, seu Addanus, unus fuit ex episcopis, quorum consilio et opera Carolomannus Synodum Francicam coegit ad disciplinam Ecclesiasticam denuò instaurandam: ut

ut patet ex Synodo Francica, tomo 2. Conciliorum: & apud Auentinum lib.3, & Nauclerum generatione 25.

VITANVS.

Vitanus, seu Vuincanus, seu Vuitta, uel Bita, uel Binna, ex Britania oriũdus, comes Bonifacij fuit: ut patet ex Vuilibaldo Eistetensi, & Auentino lib 3 Annalium: episcopus Barbarensæ ecclesiæ. Interfuit Synodo Francicæ sub Carolomanno: ut patet ex decreto eius apud Auentinum libro tertio, & Nauclerum generatione uigesimaquinta, & tomo secũdo Conciliorum. Zacharias ad eum scripsit epistolam, in qua confirmat tres sedes episcopales à Bonifacio institutas, secundo tomo Conciliorum.

DE EPISCOPIS THVRINGIAE.

DERTOVINVS.

DErtouinus, Bertherus, Andobertus, Hunoredus, episcopi Germani, calũnijs & ui oppresi à Bonifacio autoritate Gregorij secundi: ut patet ex Auentino lib.3 Annalium.

VVILIBALDVS EISTETENSIS.

VVilibaldus ex Anglia, aut Scotia (ut quidam uolunt) oriundus, patrem habuit Richardum Anglorum regem, & matrem Beunnã, fratrem Vuunibaldum, & sororem Vualtpurgam: ac Bonifacij auunculus fuit, ingenio, memoria, lingua prõptus, literis operam non sine fructu nauauit. Schedelius ætate 6. In monasterio quodam sub Egberto Eboracensi, ab eodem unà cum alijs undecim monachis in Frisiam ablegatus est, ut pontificio charactere nascentem isthic Ecclesiam Christi insignirent. Balæus Centuria 2, cap. 19. Inde digressus cum fratre, ad Sebaldum à Gregorio secundo in Germaniã missum ueniunt: eiusq; comites aliquandiu fuerunt. Eo deserto Hierosolymam cursitarunt, ac inde Romam. Interea Bonifacius Germanos cœperat pontificio iugo subijcere, ac socijs uidebatur indigere. Scriptis ergo euocauerat Vuilibaldum cum fratre & sorore sub Gregorio secundo, ut Auentinus indicat. Sed an tum uenerit statim, an uerò prius abierit Hierosolymam & Romam, lis pendet sub iudice. Gregorius tertius eum ad Bonifacium misit, eiq; commendauit. Ad eum cum uenit in Thuringiã, Erfordiæ Christianam religionem docuit, & in uicina Hassia. In Bauariam progressus anno Domini 740, cœpit in uasta solitudine succisis nemoribus ad Almonem fluuium, ubi olim Ala Narisca statiua habuit (iuxta Curionem libro secundo) urbem extruere, à quercubus Eychsted Dryapolim dictã. Valentinus Muntzerus ætate tertia Chronographiæ. À Bonifacio presbyter ordinatur, & postea episcopus Aichostadiensis, cum consensu Vtilonis ducis, & Suitogerionis præfecti Boiorum, anno 740, iuxta Schedelium: aut 744, iuxta Auentinum lib.3 Annalium: aut 745, iuxta Munsterum.

SCRIPTA.

Scripsit non ineleganti sanè stylo uitam Bonifacij, librum unum: quem ante editionem Lullus & Megengandus inspexerunt & approbarunt. De uita Vualpurgis librum unum, & epistolas plures ad monachos, & alia quædam. Balæus Centuria 2, capite 16: & Trithemius.

Doctrina & errores eius.

Iisdem erroribus imbutus fuit, quibus Bonifacius.

Monasticen, seu doctrinam dæmoniorum de prohibendis nuptijs magni fecit: ut patet ex monasteriorum ædificatione.

Humanis traditionibus Deo cultum præstari opinatus est: ideoq; eas cumulauit, & superstitionibus Romanam Synagogam auxit. Balæus ibidem.

Opera gubernationis.

Francicas ecclesias reformare iuuit, & sacerdotes coniuges oppresit.

Synodo sub Carolomanno interfuit, ut constat ex actis.

Architectum cœnobij Aichostadij, & urbis illius egit. Schedelius ætate 6. Meningandum abbatem in monasterio Neapolitano à Carolo extructo consecrauit, in præsentia Caroli, Valentinus Muntzer ætate 3.

MORS.

Obijt anno Domini 781, ætatis suæ 77, iuxta Balæum. Sed Muntzerus eum anno Domini 794 adhuc uixisse indicat. Sepultus est Aichostadij.

ARGENTINENSES.

HEDDO.

HEddo, seu Etho, abbas Augiensis à Pirminio in exilium pulso constitutus est. Auẽtinus 3 Annalium. Sed postea Carolus Martellus cum Argentoratensibus episcopũ dedit, anno Domini 734. Canonicos & prælatos Simoniæ, ut uocant, deditos reprehendit, & corrigere studuit. Sed cum ab ijs se contemni uideret, Romam adijt, & põtificia fulmina secum attulit. Hedio lib.6. cap.15. Zacharias in epistola sua ad ipsum & alios episcopos Galliæ, laudat eum, quòd benignissima uoluntate ad fautorem & magistrum à Deo ipsis constitutum, beatum Petrum Apostolorum principem, conuersus sit. tomo 2 Conciliorum.

Interdictum de nuptijs amplexus, cœnobium extruxit, cui nomen de suo fecit Ettenheim: & Benedictinos monachos creauit, ad Pontificij regni ampliationem. Vrspergensis: Auentinus 3 Annalium.

VALANVS

VALANVS.

Valanus episcopus Basiliensis, homo doctus, claruit anno Domini 735. Munsterus in Cosmographia, & Pantaleon.

EPISCOPI CONSTANtienses.

ERNFRIDVS.

ERnfridus Augiæ abbas, ad Episcopatum Constantiensem transfertur anno Domini 736. Hermannus Contractus in Chronico. Huic, cũ annos duodecim præfuisset, successit Sidonius: qui itidem Augiæ abbas fuerat. Is cùm abbatiam Othomari inuasisset, ante altare S. Galli profluuio uentris correptus, subitò concidit, & animam exhalauit (Henricus Erphordiẽsis cap. 67, anno Domini 761. Hermannus in Chronico) cum annos circiter tredecim præfuisset Ecclesiæ. Successorẽ autem sortitus est Iohannem, qui etiam Augiæ abbas antea fuerat. Is post annos nouendecim mortuus, Eginoni reliquit sedẽ. Hermannus Contractus, anno 782. Hunc secutus est Petrus, qui in Augia prius abbatem egit. Ibidem.

EPISCOPI COLONIENSES.

ANNO.

ANno, duodecimus episcopus Coloniẽsis.

FARAMVNDVS.

Faramũdus decimustertius, sub Dagoberto rege Francorum. Liber de episcopis Coloniensibus.

AGILOLPHVS.

Agilolphus, decimusquartus episcopus Coloniẽsis: orto intestino bello Francorũ, secutus est partes Caroli Martelli, eũq; cõsilijs instruxit. Cum res ad arma uenisset, Carolus eũ misit ad proceres, ut de pace tractaret. Sed ille in uia ad Malmundariense cœnobium à satellitibus interficitur. Miracula superstitiosa ei adscribuntur, quę consultò omittimus. Chronicon de episcopis Coloniensibus.

REGENFRIDVS.

Regenfridus decimusquintus Coloniensis episcopus, sub Theodorico 2.

HILDEGARIVS.

Hildegarius, seu Hyldogerus, seu Chyldogar, episcopus Coloniensiũ decimussextus, Pipini contra Saxones castra secutus, à Saxonibus in castro Nigberg, iuxta Reginonẽ lib. 2: seu Vuitburg, iuxta Adonẽ ætate 6: seu Vuiburg, iuxta fluuiũ Vuiseram, iuxta Annales Francorum: seu ad montem Iborch, in loco ubi Vuisera & Vuerna confluunt, occisus est: & à Carolo Magno sepultus in mõte Ouuesberg, ubi etiam ecclesia fundata, quæ Reme à Remis appellata est, 20 anno Constantini Copronymi. Erphordiensis lib. 2, cap. 69: Domini 751. Regino lib. 2, & Auentinus 3 Annalium, & uitæ Coloniensium episcoporum.

BERTELMVS.

Bertelmus successit Hildegario, & annos decem rexit Ecclesiam Coloniẽsem, tempore Pipini & Caroli Martelli. Liber de uitis Coloniensium.

RICOLFVS.

Ricolphus, seu Ratholphus, decimusoctauus Coloniensium episcopus, præfuit annis uigintiduobus sub Carolo Magno. Lib. eod. & in Chronico Coloniensi.

HILDEBALDVS.

Hildebaldus decimusnonus archiepiscopus Coloniensis, consecrauit Ludgerũ episcopum Mymyngrodensem: Crantzius lib. 1. cap. 5 in Metropoli. Et recognouit ac confirmauit priuilegiũ Bremense (Idem lib. 2. cap. 15) ut sacri palatij capellanus: & Ludouicum Caroli filium unxit Regem, & præfuit annis 34. Acta Coloniensium.

DOCTORES FRISII.

VVLFRANNVS.

VVlfrãnus, natus ex patre Vulberto, milite in aula Dagoberti & Ludouici, in regione Vasconiẽsi, episcopus Senonẽsis factus est, mortuo Lãberto. In somnis admonitus, deserto episcopatu in Frisiã ad prædicandũ Euãgeliũ abijt. Collegas aũt ex Fontanellæ cœnobio, & comites assumpsit.

In Frisia aliquot conuertit: filium Ratobodi, & Ingomarum baptizauit. A' Ratobodo interrogatus, an plures maiorum suorum in inferno, aut in paradiso essent, respondit, In inferno esse plerosq; ꝓpter infidelitatẽ. Sed rex ea uoce offensus, pedem ex baptismo retraxit: anno Domini 718, iuxta Sigebertum. Illusiones diabolicas, quibus Ratobodus dementabatur, strenuè refutauit.

Missam non alta uoce, sed profusis lachrymis ex imo pectore cantasse, & puero suspenso impetrasse uitã, & alia fabulosa de eo commemorat Vincentius lib. 23. cap. 146. Cum annos quinq; in Frisia exegisset, in monasterium Fontanellæ redijt: utq; ibi in ocio posset degere, Guericum Senonensibus episcopũ ordinauit. Obijt anno Domini 720. Vincẽtius, Erphordiẽsis cap. 66. Schedelius ętate 6.

HEVALDVS ALBVS, HEVALDVS *Niger, Plechelmus & Oggerus.*

Hos Egbertus Eboracensis unà cum alijs in Frisiam misit, ut religionem Pontificiam plantarẽt in nouella Christi Ecclesia. Balæus Centuria 2. cap. 19.

VVILLEBRORDVS CLEMENS.

VIllebrordus Clemẽs Vilgisij filius, in Riponensi territorio, Septentrionaliũ Anglosaxonũ genere, unde Bonifacius eum Saxonem appellat in epistola ad Stephanũ: monasticã uitã sub Vuicberto & Ecberto ingressus, Benedicti characteres suscepit. Cum Bonifacio & alijs undecim monachis in Frisiã uenit,

uenit, ut Marianus indicat. Dissensiones tum erát inter Pipinum & Ratobodum, & Frisius dux pōtificios illos doctores auersabatur, ac religioné Christi ut Ethnicus impugnabat. Pipinus ut inter alias causas etiá hanc de religione haberet cōtra Ratbodū, Vuillebrordū Romam mittit, & Frisijs archiepiscopū designari petit, seq; eum instituturū & defensurum pollicetur. Sergius haud segniter rem agit: & Vuillebrordū, per qué sperabat Frisiorum Ecclesias sibi subijcere, in die Clemētis ordinat, & nouo nomine boni ominis gratia donat: & Frisonū, Slauorū & Batauorū archi episcopū designat anno Domini 694. Interea Pipinus Ratobodū armis superat, & Clemētem ut à Pontifice Sergio illi genti episcopum datum, suscipi & audiri imperat. Paulus Æmylius lib. 1 de gestis Francorū. atq; ita Traiectensis episcopus efficitur.

Scripta.

Scripsit de sua peregrinatione Librum 1. Ecclesiasticos Canones, librum unum: Homilias, & Epistolas plures.

Doctrina & errores.

Pontificios errores plerosq; habuit de uita monastica, & de traditionibus humanis, de primatu Romani Pontificis, de cultu sanctorum mortuorum, & similes.

Opera gubernationis.

Maximam partem gentis Frisonum in littore Oceani occidui ad fidem conuertit, fana & delubra destruxit, & ecclesias ædificauit, & in castello Traiectum Ecclesiam in honorem Saluatoris constituit: & Thomæ sacellum à paganis dirutum reparauit, & Martino dedicauit: ut Bonifacius in epistola ad Stephanum testatur, & Lambertus lib. 1 de Vltraiectensibus.

Baptizauit Pipinum filium Caroli Martelli. Liber de uita Crodegandi, cap. 4.

Chorepiscopum sibi uoluit adiungere Bonifaciū, qui per annos tres in Frisia apud eum fuit. Sed Bonifacio id munus recusante, aliū elegit. Vuilibaldus in uita Bonifacij.

Fuit homo miræ abstinentiæ & sanctitatis: ut Bonifacius testatur in epistola ad Stephanum. Et spiritu prophetico prædixit, Pipinum Martelli filium omnes reges Francorum fortitudine, potentia, amplitudine & maiestate superaturum. Liber de uita Crodegangi, cap. 4. Ratbodus animi dubius, de baptismo mittit ad eum, & petit consilium, debeat'ne baptismum suscipere, an uerò diutius differre. Sed ille respōdet: Si fratri nostro Vulfranno nō credit, quomodo mihi credat? Ego, inquit, uidi eū hac nocte cathena ignea ligatum, unde constat eum æternam damnationem iam subijsse. Hæc uera esse, euentus demonstrauit. Vincentius lib. 23, cap. 145. Erphordiensis cap. 66.

Cum annis quinquaginta Ecclesiam Traiectensem rexisset, finitis longæuæ uitæ diebus ad Dominum migrauit. Bonifacius in epistola ad Stephanum: Balæus quadraginta sex episcopatui, & octuaginta unum uitæ eius assignat, anno Domini 739. Vitā eius carmine scripsit Albinus Leuita: Cēturia 2, cap. 5: & Berno.

ANDHVNVS.

¶ Andhunus in Frisia alicubi fuit sacerdos. Extat epistola Bonifacij ad eum, in qua obiurgat ipsum, quòd non miserit sibi uestimenta ex Frisonum prouincia.

BREMENSES.

VVILLEHADVS.

Vuillehadus genere Anglus, in Synodo petijt à rege Bitricho & episcopis, sibi dari licentiam in Frisiam proficiscēdi, ad colligendam Ecclesiam, quę morte Bonifacij erat turbata & dissipata. Dimissus à Synodo, in Frisiam uenit: & primùm scholam aperit, ac magnatum liberos literas docet: & data occasione, etiam alijs de religione Christi concionatur. Discipulos non paucos habuit, qui orta persecutione cum ipso capiuntur, & Bremæ ac alijs in locis interficiuntur. Sorte de eo missa, more istius gentis, uita donatur. Crantzius in Metropoli lib. 1. cap. 7. Cum Ludgero ergo Romam adit, & ab Adriano amicè & benignè excipitur. Inde in Galliam ad sepulchrum Vuillebrordi tendit, atq; biennio Deū orat pro Saxonum conuersione. Crantzius lib. 2, cap. 14, in Saxonia.

Cum autem Carolus Magnus Bremæ episcopatum constitueret, cum consilio Adriani pontificis, & Lullonis Moguntinensis, & omnium Principum, eum ordinauit episcopum Bremensem, & multis bonis locupletauit: ut patet ex priuilegio apud Crantzium in Saxonia, lib. 2, cap. 15, anno Domini 788. Idem lib. 1, cap. 7, in Metropoli.

Scripsisse quædam dicitur, sed quæ nobis uisa non sunt, neque ab alijs nominata reperimus.

Ecclesiam canonico ordine, & monasteriali competentia regere & administrare à Carolo iussus est in priuilegio. Docuit Phrysios & Saxones Pontificias ceremonias, & monasticas superstitiones propagauit. Præsidijs & armis contra barbaros munitus est. Bremæ in honorem Petri basilicam extruxit.

Obijt in Frisia, in uilla Plexen, anno Domini septingentesimo nonagesimoprimo, cum annos duos & menses tres exegisset in archiepiscopatu, & triginta quinque annos post Bonifacij martyriū in Frisia docuisset. Crantzius libro secundo, capite decimoquinto, in Saxonia: & Balæus Centuria decimatertia, capite sexagesimo.

VVILLERICVS.

Vuillericus unus ex discipulis Vuillehadi, successit ei in episcopatu: & diligenter Ecclesiam illam, docendo & propagando uerbum excoluit. Transiuit etiam ad uicinos, & apud Dithmarsos in Meldorp, & in Holsatia, Hamburgi & Dorstadij concionatus est, & aliquos Domino lucrifecit. Præfuit annos quinquaginta, usq; ad finem imperij Ludouici, filij Caroli Magni. Crãtzius libro primo, capite decimotertio Metropoleos, & Chronicon Holsatiæ.

DOCTORES VVESTphaliæ.

LEBVINVS.

Lebuinus Anglus natione, ab archiepiscopo Eboracensi Egberto in Frisiam cum alijs undecim monachis missus est. Balęus Cẽturia 2. cap. 19.

Et prædicauit in Velua, & postea in antiqua Saxonia, seu Vuestphalia. Fasciculus têporum. Vitam eius descripsit Bonifacius, ut indicat Trithemius de illustribus uiris Germaniæ.

LIBORIVS.

Liborius uir sanctus, Padebornensi ecclesiæ à Carolo Magno præficitur. Crãtzius lib. 2. cap. 16 in Saxonia.

LVDGERVS MONASTERIENsis episcopus.

Ludgerus natione Frisius, in monasterio Franciæ, cui nomen Beneuentum, uitæ monasticæ operam dedit. Inde à Carolo Magno ex Albini commendatione euocatus, Canonicorũ collegio præficitur. Vuitekindo uerò sæuiente, cum Vuillehado fuga elapsus, Romam ad Adrianum uenit, ac ab eo consolationes hausit: & ad Casinũ cœnobium abijt, ibiq; sese biennium continuit, & pro Saxonum cõuersione orauit. Crantzius lib. 2. cap. 14, in Saxonia. Postea Carolus ei Myminrodensem, seu Monasteriensem Ecclesiam commisit, estq; à Coloniensi archiepiscopo Hildeboldo consecratus.

Erroribus pontificijs de traditionibus humanis, & uita monastica imbutus fuit. Ac utrumq; gladium episcopis competere, sensit contra Christi interdictum: Principes gentium dominantur, uos autem non sic. Nam insigne eius fuit, gladius & baculus episcopalis transuersim locati. Chronicon Saxoniæ.

Innumeras gentes ad fidem conuertit: ut Vuernerus in Fasciculo temporum indicat. & Apostolum Saxonũ eum rectè dici, Crantzius putat.

De facultatibus patrimonij sui monasterium in Vuerdena, super Ruram, condidit.

Castra Caroli contra Vuilsos, Vuandalos & Sorabos, secus oppidum Helmenstede, communiuit, ut inde ad Vuandalos posset propagare religionem: eumq; locum abbati Vuerdensi subiecit, cum Caroli assensu. Crantzius in Metropoli lib. 1. cap. 10: anno Domini 786. Chronicon Saxoniæ.

Familiaris fuit Vuitekindo, conuerso ad fidem, eiusq; cõsilia in multis rexit. Crantzius lib. 1. cap. 5. Fratrem habuit Hildegrinum: libro eodem, cap. 3 & 5.

Mortuus est in Bilderbeke, ut Vuernerus scribit, anno Domini 809. Sepultus in Vuerdena. Crantzius lib. eod. cap. 5.

HERIMBERTVS MYNdensis.

Herimbertus presbyter in aula Caroli, aut in Ecclesia aliqua in Francia fuit. Vsus est eius opera in legatione ad Adrianum, cum esset disceptatio de Rauennatensi episcopo, an à solo Pontifice, an uerò simul à Carolo deberet constitui. Hunc Carolus postea Myndensi ecclesiæ primum præfecit episcopum, eiq; adiecit ministros non paucos, ut haberet Ecclesia defensores cõtra Saxonum impetum. Fidelis pastor fuit, & multos ad fidem Christi adduxit. Mortuus est in die Primi & Fæliciani martyrum: sed annus non est in Annales relatus. Crantzius in Metropoli libro primo, capite nono.

VVIHO OSNABVRGENSIS.

Vuiho natione Frisius, doctrina & zelo pietatis celebris, à Carolo Magno Osnaburgensi ecclesiæ primus constituitur pontifex: qui uerbo & opere oues Christi pauit, & numerum earum indies auxit. Crantzius lib. 1. cap. 2, in Metropoli.

SVIDBERTVS.

¶ Suidbertus Anglus monachus, ab Egberto in Frisiam missus ad prædicandum Euangelium, cum alijs undecim. Balæus Centuria 2. cap. 19. Reuersus in Angliam, multos annos illic sese continuit. Cum autem intellexisset Saxones ad Ecclesiæ Romanæ nouam religionem esse cõuersos, in Germaniam excurrit: & à Carolo Verdensi episcopatui primus præficitur præsul, anno Domini 776. Beda lib. 5, cap. 12.

Aiunt eum quędam scripsisse: sed nobis ea uidere non contigit.

Errores huic seculo communes, de traditionibus humanis, & nuptiarum prohibitione fouit & sparsit.

Doctrina & exemplis suo gregi præiuit. Cœnobium cathedrali Ecclesię contiguum, ope Caroli, pro Canonicis seu Baalitis, regulam Benedicti obseruantibus, extruxit.

Miraculis claruit: sed quorum nullum indicatur.

A' maleuolis episcopatu deiectus uenit ad Bertradam Pipini coniugem, & Caroli matrẽ, quæ ei pagũ Keisersuuerd, insulã Rheni dedit, in qua domuncula extructa uitã finijt.

Præfuit

Præfuit Ecclesiæ Verdensi annos 21,& in exilio uixit annos 11, & mortuus est anno Domini octingentesimo septimo. Vixit circiter annos 90, aut amplius. Vitam eius scripsit Marcellinus. Crantzius libro primo, capite sexto in Metropoli. Balæus Centuria secunda, capite decimonono: & Centuria 13. capite 61. & Bruschius.

HALBERSTADIENSES.

HILDEGRINVS.

Hildegrinus Thiatgreuno patre, & Casburga matre natus (ut indicat Chronicō de ducibus Brunsuicensibus) frater Lugderi in Salmostede, postea Osteruuick dicta, episcopus à Carolo Magno constituitur ad Ecclesiā Stephani, anno Domini septingentesimo octuagesimoquinto. Chronicō Quedelburgense. Se Cathalanensem episcopū appellat. Collegit in eo loco & uicinis Ecclesiam ad annos 40: & Halberstadium monitus ab angelo, si credere fas est, sedem episcopalem trāstulit, anno Domini 819, iuxta Erphordiēsem, cap. 68: ac in eo loco septem adhuc annos Ecclesiæ pręfuit. Cranzius in Metropoli libro primo, capite 3. & Chronicon Saxonię.

VVIPERTVS LVNEburgensis.

Vuipertus Luneburgi concionatus Euangelium, anno Domini 798: sacellum in honorem Mariæ erexit: ac sic cultum ethnicorum deorum in haud meliorem commutauit, & ab idolis antiquis ad noua miseros mortales traduxit. Chronicon Saxoniæ.

BRYTANNICI DOCTORES.

Cantuarienses.

BRITVVALDVS GLASCOnius.

Brituualdus ab ineūte ętate inter monachos uixit, in cœnobio Racuilfe: ac adeò profecit, ut abbas fieret. Inde uerò mortuo Theodoro, ad archiepiscopatū Cantuariensem regēdum uocatus est, anno Domini 692. Anno sequenti ordinatus à Goduino Galliarum metropolitano. Beda libro quinto, capite 9.

Scripsit de Eueshamensis cœnobij origine librū 1, & uitam Eguuini librum 1, & alia monstra monastica. Balæus Centuria 1. capite 99. Scripsit epistolam ad Fortherum, de redimēda captiua ex monasterio Berouualdi.

De erroribus eius.

Vitam monasticam, & alias traditiones pontificias & superstitiones magnifecit.

Imagines uenerari, & ad easdem celebrare missas docuit.

Visionibus & somnijs phantasticis credēdum esse censuit, ut oraculis diuinis: licet ea, quę in uerbo Dei nō essent pręcepta, assererent.

De operibus eius in gubernatione.

Prouinciam in duas parochias diuisit, & Danieli Ventam, & Adelhelmo Schireburnam attribuit: anno Domini 704. Balæus Centuria 2. capite 11.

Ab Eguuino demētatus, & literis Constantini papæ excitatus, Londini Synodum collegit, & uisiones Eguuini fanaticas promulgauit, & ex ijs imaginum cultum approbauit, & Missas ante eas celebrari instituit, anno Domini 712. Balæus ibidem.

Amici eius.

Familiaris fuit Bonifacio, eique ex Anglia exeunti concessit, adunatum esse Anglis nexu spirituali, & glutino charitatis: ut Bonifacius ait in epistola ad Nothelmum.

Mors.

Obijt anno Domini 731. cum annos 37, & menses 3. dies 14. præfuisset Ecclesiæ. Beda libro quinto, capite 24.

THATVINVS.

¶ Thatuinus uir religione & prudentia insignis, & sacris literis probè instructus, animum ad uitam monasticam adiecit, & in cœnobio Breuutoniensi Benedictinis traditionibus sese irretiuit. Brituualdo defuncto, ad Cantiorum archiepiscopatum, regū uoluntate accessit.

Heroico carminum genere scripsit ænigmatum librum unum, & carmina alia uarij generis lib. 1. Cætera eius opera interierunt.

Fuit familiaris Bonifacio, qui ad eum & alios quosdam scripsit epistolam. Habuit noticiā cum Daniele Ventano, Ingualdo Lugdoniensi, & Alduino Laidfeldensi, & Aldulpho Rofensi. ab ijs enim consecratus est archiepiscopus. Beda libro 5. capite 24. Cùm tribus annis Ecclesiā rexisset, mortuus est, anno Domini 734. Balæus Centuria 2. capite tertio.

NOTHELMVS.

Nothelmus Londini natus, iuuenis uisitauit fanū apostoli Pauli, in ea urbe ad uerticē situm: presbyter postea & episcopus Londini constitutus. Inde ad Cantuariam, in sedem archiepiscopalem translatus. Fuit uir eruditus, & grauis.

Scripta.

Scripsit acta Augustini,	Librum 1.
Collectiones Londinenses,	Librum 1.
Homelias uarias,	Librum 1.

Epistolas ad Albinum, Bedam, & Bonifacium.

Doctrina, & errores eius.

Scriptis eius destituti, de doctrina ipsius parum possumus referre. Ex epistola illius ad Bonifacium, quam manuscriptam accepimus, colligi potest, eum bonis operibus asscripsisse salutem. Commēdat enim

Bonifacij studium, quod die ac nocte meditetur pro animæ suæ redemptione, corda Paganorum Saxonum conuertere.

In celebratione Missarum, dicit se Bonifacij fore memorem: ac pro eo rogaturū, ut in officio suo Domino multos lucretur. Sed nihil tamen nouit de inuocatione mortuorū, aut de oratione pro mortuis.

Opera eius in gubernatione.

Munus docendi obijt, & multa salubris doctrinæ præcepta tam popularibus quàm ciuibus dedit.

Scriptionem historiæ de Anglicanis Ecclesijs iuuit. Nam ipse excitatus literis Albini, acta discipulorum, Gregorij pontificis nimirum, Augustini & sequentium, in Brytanniam missorum, per Londinēsem & Cantuariensem prouincias collegit: ac ea de causa Romam adijt, & à Gregorio secundo petijt sibi communicari exempla epistolarum, decretorum, & regularum à Pontificibus ad Augustinum scriptarum. Accepta ordine digessit, & ad Bedam misit, quæ ille suæ historiæ inseruit.

Amici.

Vsus est familiaritate Bedæ, qui ei dedicauit triginta quæstiones in libros Regum: et Albini, & Bonifacij, qui eum magni fecit, ut cōstat ex epistola ad eundem. Nā precibus eius se commendat, & petit sibi mitti responsiones Gregorij ad Augustini quæstiones: & indicari, quoto anno prædicatores à Gregorio missi primùm in Angliam uenerint. Deinde eius sententiam & iudicium postulat, num peccatum sit ducere uiduam illam uxorem, cuius filium ex baptismo susceperis: ac fatetur se tale connubium admisisse, uerùm id à Romanis damnari. Petit ergo sibi indicari, qua autoritate, uerbi Dei ne an Canonum damnari queat. Se enim non posse uidere, cur spiritualis propinquitas copulam carnis impediat, cum omnes spiritualiter dicamur fratres.

Mors eius.

Dum Cantuariensi sedi quinque annos præfuisset, mortuus est anno Domini 739, iuxta Balæum.

CHUTBERTUS

Magesetus.

CHutbertus Anglus natione, in Herefordensi episcopatu successit Vualstado, & postea Nothelmi Cantuariensis archiepiscodi sedē metropolitanam accepit. à Zacharia pontificio & Bonifacio admonitus Synodū celebrauit in Cloueshio, & decreta de Clericorum moribus & disciplina promulgauit.

Scripta.

Scripsit sacrorū Epigrammatū, Librū 1.
Decreta Synodalia, Librum 1.
De tumulis uirorum illustriū, Librum 1.
Ad Zachariam Pontificem, Librum 1.
Ad Bonifacium Moguntinum, epistolas plures: & alia plura.

De doctrina, & erroribus eius.

Libris eius destituti, non possumus iudicare quid de singulis capitibus docuerit. Ex epistolis eius duabus ad Lullum, quas manuscriptas habemus, planum est, eum erroribus istius seculi fuisse implicatū.

Nam uero mediatore Christo neglecto, Gregorium, Augustinum & Bonifacium, apud Deum sibi & alijs ordinauit patronos, & suffragia Apostolorum & martyrum censuit postulanda.

Non tantum pro uiuis, sed etiam pro mortuis, orationes & Missas celebrandas sensit: ac fraternitatis à Bonifacio institutæ conseruator & propagator fuit.

Queritur nouis sectis turbari Ecclesiam, dum antiquorum patrum decretis neglectis, multa iuxta proprias inuentiones suscipiantur. Sed nihilominus ipse Bonifacio festum instituit, & ad eius traditiones omnes obligat: & minatur pœnam dissentientibus, & promittit gratiam eas obseruantibus: & uisiones mulierculę cuiusdam recitat, quibus opiniones de ieiunio, de purgatorio, de Missis, de satisfactione, de operum necessitate ad salutem, confirmat.

Amici eius.

Familiaris fuit Bonifacio, cui etiam munuscula misit: ut constat ex epistola Bonifacij, in qua ei gratias agit, & quæ in Synodo Francorum gesta sint communicat. Coluit etiam amicitiam cum Lullo successore Bonifacij, quem etiam per epistolam consolatur, in qua Bonifacium martyrem commendat. Cantuariensem ecclesiam rexit annis uiginti uno: & mortuus est anno Domini septingentesimo sexagesimo. Primus in ecclesia Saluatoris sepultus, regnante apud Visisaxones Kenulpho. Balæus Centuria secunda, capite 14.

ATHELARDUS.

Athelardus abbas in Cantuariensi episcopatu successit Iambricho, opera regis Kenulphi. Vuilhelmus libro primo, capite sexagesimonono. Quem Leo in epistola ad Kenulphum ualde commendat, quòd uerus sit pastor, & quòd sciat uerbo Dei animas ouicularum pascere. capite 71. Notus fuit Albino, qui ad eum librum scripsit.

EBORACENSES.

IOHANNES.

DE Ioanne, libro superiori quædam ex Beda retulimus, quibus hæc adijcienda sunt.

da sunt. Ioannes Beuerlacius in Harpeham Deiorum pago natus, ab Hylda abbatissa in disciplinis & moribus bonis educatus, Theodorum Cantiorũ episcopum sortitus præceptorem, latinè & græcè doctus euasit: & ab Alphredo rege Hagustaldensis Ecclesiæ episcopus factus est, anno Domini 686. & postea Vuilfrido pulso, ad Eboracensem archiepiscopatum peruenit. Præceptor Bedæ fuit, eumque presbyterum ordinauit.

Scripsit ad Bedam, pro exponendo Luca, librum 1.

Homelias Euangeliorum, Librum 1.

Ad Hyldam quoq; abbatissam, epistolas plures.

Ad Herebaldum discipulum, epistolam unam.

Ad Andœnum & Bertinum, epistolas duas.

In Ecclesia publicè concionatus est. Molestè tulit disceptationes, quæ tum erãt inter monachos, de traditionibus humanis & põtificijs ceremonijs. Quare Bedam & Accam & alios ab istis contentionibus auocauit, eosq; ad Scripturę expositionem excitauit.

Vuilfrido restituto per Pontificem, cum annos triginta tres præfuisset, Beuerlacum concessit, atque collegium non monachorum, sed studiosorũ instituit: in quo & ipse Sacras literas professus, Bedam, Vuilfridum iuniorem, Bertinum, Andœnum, Herebaldum, Siggam, & alios erudijt discipulos, per annos quatuor: quibus elapsis, in magna Euangelici spiritus cõstantia mortem obijt, anno Domini 721. Vitam eius scripsit Beda, Folchardus, Alfredus & Vilhelmus. Balæus Centuria prima, capite 94. Polydorus libro 4 historię Anglicæ.

EGBERTVS.

EGbertus frater Eadberti regis Northumbrorum, in episcopatu Eboracensi successit Vuilfrido: ut Polydorus libro 4 historiæ Anglicæ indicat. Ranulphus libro quinto, capite 25.

Scripta.

Scripsit pœnitentiale quoddã, Librũ 1.
Constitutiones Ecclesiæ, Librum 1.
Eruditiones discipulorum, Librum 1.
Homelias & lectiones, Librum 1.
Ad pastores Ecclesiarum, Librum 1.
Ad Zachariam pro pallio, epistolam unã.
Ad Eadbertum fratrem, epistolam unam.
Ad Albinum diaconum, epistolas plures.

Doctrina.

De doctrina & errorib. eius, nihil indicare possumus, destituti illius scriptis.

Opera in gubernatione.

In gubernatione Ecclesiæ non prorsus fuit ignauus. Nam dignitatem archiepiscopi, & pallium, sua ad Zachariam epistola impetrauit: & in Frisiam duodecim monachos ablegauit, ad docendum & propagandum Euangelium, & pontificias ceremonias. Nomina istorum sunt: Marcellinus, Suuinbertus, Vuillebrordus, Vuenefridus, Heualdus niger, Heualdus albus, Oggerus filius regis Deiorum, Plechelmus, Lebuinus, & Iulius. Balæus Centuria prima, capite 19.

Insignem bibliothecã Eboraci in studiosorum hominum gratiam instruxit, quam Albinus in epistola ad Anglorum Ecclesiam commendat: & Vuilhelmus libro 1. capite 50, de Anglis.

Discipulos instituit, inter quos, præter illos duodecim, etiam Albinus fuit. unde ipse Egbertum magistrum suum uocat, in eadẽ epistola. Et Albertus, & Eanbaldus. Balęus Centuriæ decimæ, capite 27.

Consilio eius multi usi sunt. Bonifacius in epistola sua consulit eum, quid de presbytero adultero post pœnitentiam a Francis restituto ad ministerium Ecclesiæ, facere debeat, cum non possit sine scandalo & detrimento Ecclesiæ remoueri in eo loco, ubi nõ facile sit successorem ei surrogare.

Pręfuit Ecclesiæ triginta sex annis, & floruit circiter annum Domini 760. Balæus Centuriæ secundæ capite 15.

ALBERTVS COENA.

¶ Albertus Cœna Eboracensis episcopus, patronus & institutor Eanbaldi. Balæus Cẽturię decimę capite 27. & Polydorus libro 4 historiæ Anglicæ.

EANBALDVS.

Eanbaldus discipulus Albini, patronis usus est Egberto & Alberto, quibus etiam in Eboracensi Ecclesia successit. Rem literariã & bibliothecam ab Alberto reparatam conseruauit & auxit. Albinus, in epistola quadã ei gratulatur thesaurum ueterum librorum. Claruit anno Domini 810. Lelandus, & Balæus Centuriæ decimę capite uigesimoseptimo.

LINDISFARNENses episcopi.

EGBERTVS.

EGbertus Lindisfarnensis episcopus, in officio suo remissus, à Beda grauiter per epistolam admonitus, rescripsit ei Gratificationis responsa librum unum: & ex Latino in Anglosaxonum linguam aliquot sacrorum Bibliorum libros transfudit. uixit anno Domini 730.

KIMBERTVS LINDEsius.

Kimbertus, ex illustri Anglorum familia ortus, quartus Lindesiorum episcopus, scripsit librum unũ de factis comprouincialiũ, & epistolas plures ad Bedã, & alios. Balæus. Sibi certè scriptis Beda se adiutũ testatur

historia sua Anglica,in præfatione ad Ceolrulphum regem. Romanas consuetudines in suis Ecclesijs seruádas docuit,& instituit: quòd indicium est,eum ijsdem,quibus alij, erroribus fuisse fascinatum. Claruit anno Domini 730,sub Ethelbaldo Merciorum rege.Balæus Centuriæ secundę,capite sexto: Beda libro quinto,capite uigesimoquarto, de Anglis.

CANDIDVS.

Candidus presbyter usus est præceptore Sigebaldo,Lindisfarnensi episcopo.Ac ad Albinum postea in Gallias commigrauit. Inde in Brytanniam redijt, & eruditione claruit.Albinus ei aliquot commentarios dedicauit.Claruit anno Domini 790.Balæus Cēturia 13.capite 59.

HAGVSTALDENses.

ACCA.

Acca ex Anglosaxonum genere prognatus,à puericia à Bosa Eboracensi episcopo nutritus,& in bonis literis institutus, ad Vuilfridum spe melioris propositi ueniens, presbyter factus est: ac cùm eo Romá abijt, & pontificias traditiones hausit.Cantor peritissimus erat,& in sacris literis satis uersatus.Vuilfrido mortuo, successit in Hagustaldensi episcopatu. Beda lib.quinto, cap.21.

Scripta.

Scripsit passiones sanctorum, Librū 1.
Officiarium suæ Ecclesiæ, Librum 1.
Epistolas ad amicos, Librum 1.
Pro illustrandis Scripturis ad Bedam epistolam unam.

Opera gubernationis.

Baalismo operam impendit,& cantorem Maban per annos duodecim fouit, ut suos doceret carmina Ecclesiastica:ac ipse magis cantandi peritus fuit: & uasa,luminaria, aliaque quæ ad ornatum & pompam externam faciebant,studiosissimè parauit. Beda libro 5.capite 21.

Sanctos mortuos ueneratus est.nam reliquias undiquaque conquisiuit, & in eorum uenerationem altaria extruxit, & Ecclesiam Andreæ ampliauit.

Bibliothecam passim, collectis Græcis & Latinis autoribus, Hagustaldi fecit.

Amici.

Familiaris fuit Bosæ,Vuilfrido,& Bedæ, qui etiam quædam ad eum scripsit: & Heddio Stephano Cantiorum presbytero, qui ad eius preces Vuilfridi uitam descripsit. Balæus.

Mors.

Cum annos uigintiquatuor Ecclesiam rexisset,obijt, anno Domini septingentesimo quadragesimo.Boetius libro nono narrat,eum in Candida casa episcopum fuisse.Balæus Centuriæ primę,capite nonagesimo.

ROFFENSES.

THOBIAS.

Tobias, seu Coctus Thebeit, iuxta Sigebertum,ex illustri Anglosaxonum familia natus,in Doroberněsi gymnasio à Theodoro & Adriano præceptoribus Latinè & Gręcè didicit,adeò exactè,ut in utraque lingua tam expeditus esset quàm in uernacula. Mortuo Gesmundo, successit in Roffensi episcopatu.

Scripsit epistolas Demosthenico lepore excultas,librum 1. & Homelias, librum 1. Lelandus, & Balęus Centurię primę capite 96.

Per omnem Cantiorum prouinciam Dei uerbum cum fructu mirifico seminauit. Beda eum commendat ab eruditione. Notus fuit Bonifacio,ut apparet ex epistola eius ad Leobgytham,& claruit miraculis. Fecit sibi sepulchrum in porticu Pauli,intra Ecclesiā Andreę:& mortuus est anno Domini 730. Beda libro 5.capite 24. Sigebertus annum minus habet.

ALDVLF.

Aldulf,post Thobiam à Berchuualdo archiepiscopo consecratur episcopus Rofensis,ac interest uicissim ordinationi Thatuuini.Beda libro 5.capite 24.

EARDVLPHVS.

Eardulphus Rofensis episcopus, cum rege Eardulpho scripsit epistolam ad Lullum, & preces eius pro se expetijt.

EGVINVS VVICCIVS.

Eguinus,seu Eugenius,ex Merciorum genere natus, monachus Benedictinus, Eueshamense cœnobium erexit: ac inde ad Vuigorniensium episcopatum adhibitus,pontificiorum commentum de statuarum ueneratione confirmauit.Nam finxit sibi reuelatū esse diuinitùs, quòd debeat imaginem Marię in templum collocare,ac plebem ad eam colendam cohortari. Id ubi Pontifex cognouit, eum Romam euocatum examinat: & iureiurando astringit, ut ueritatem dicat. Ille uerò constanter rem sic esse affirmat. Vnde Pontifex oblitus illius, Probate spiritus an ex Deo sint:decernit, uisiones istius oracula diuina esse.& Brithuualdo Anglorum primati imperat, ut in solēni Synodo Londini omnes iubeat adorationē statuarum, & illusiones diabolicas Eugenij probare.

Scripsit de primordijs sui cœnobij, librum unum:& de suis apparitionibus, librū unū: uitam Adelmi, librum unum.

Obijt anno Domini 716. & est à Pontificibus in diuorum numerum relatus, quia cultū Deorū alienorū promouit. Balęus Centurię primę,cap. nonagesimoprimo. Vitam

eius

eius Brithuualdus descripsit. Idem Centuriæ primæ capite 99.

FORTHERVS.

Fortherus Durotrigus, Danieli Vintoniensi familiaris, & Adhelmo, uir in sacris literis multum eruditus. Cum presbyter adhuc esset, ex Anglia in Germaniam ad Bonifacium est expaciatus, & cum muneribus & literis ad Danielem reuertitur, ut patet ex epistola Bonifacij. Adhelmo defuncto, in Schireburgensi ecclesia episcopus factus est. Vixit & tempore Bedæ: ut ipse indicat libro 5. capite 19. Daniel ad eum scripsit epistolam, in qua indicat ei, Meruoldum diaconū esse consecratum. Claruit anno Domini 720. Balæus Centuria 10. capite uigesimo.

OCCIDENTALES

Angli.

HEDDA.

Hedda Ventanus monachus, & abbas in Ecclesia Dorcestrensi, Eleutherio successit, ordinatus à Theodoro Cantiorum episcopo. Familiaris fuit Adhelmo. Scripsit ad eum epistolarum librum unum, & ad Ecclesiarum pastores librum unum. Vir bonus & iustus, episcopalem doctrinam & uitam magis insito uirtutum amore, quàm lectionibus institutus exercuit. Mortuus est anno Domini septingentesimo quinto. Beda libro quinto, capite decimonono: & Balæus Centuriæ primæ capite octuagesimosexto. Puluerem de sepulchro eius profuisse ægrotis hominibus, & pecoribus, Pectelinus fabulatus est.

PECTELIN.

Pectelin monachus, seu diaconus cùm Adelino, episcopus candida casa factus est. Beda libro 5. capite 24.

DANIEL.

Daniel Ventanus in occidentalium Anglorum terra natus, multis in locis operam literis dedit. à Briualdo episcopus Ventanus constitutus est, anno Domini septingentesimoquarto. Beda libro quinto, cap. 19 de Anglis. familiaris Adhelmo, in rebus ecclesiasticis & sacris bene instructus, ut Beda de eo testatur. Coaceruauit plura, quæ Beda in Chronica sua retulit.

Scripta.

Scripsit historiā suæ prouinciæ,	Lib.	1.
Australium Saxonum gesta,	Librum	1.
De rebus insulæ Vectæ,	Librum	1.
Vitam Ceddæ episcopi,	Librum	1.
Super obitu Adhelmi,	Librum	1.
Ad uirgines sacras,	Epistolam	1.
Pro Venefrido ad Gregoriū,	Epistolā	1.
Ad Fortherum,	Epistolam	1.
Ad Bonifacium,	Epistolam	1.

Et epistolam ad reges, duces, episcopos, abbates & presbyteros commendatiam pro Bonifacio.

De doctrina eius.

Duas eius epistolas postremas uidere nobis cōtigit: sed in eis nihil alieni à uera doctrina reperimus. Docet, quomodo refellendæ sint gentilium opiniones de multis dijs. Petit pro se preces fundi: sed nihil de missis, nihil de sanctorum inuocatione & similibus nugis immiscet. In epistola tamen postrema promittit uitam ęternam, excipiētibus Bonifacium.

Amici eius.

Notus fuit Gregorio secūdo pontifici, cui Bonifaciū commēdauit. Bonifacius eū magnifecit. nam consilium eius petit, an liceat sibi cōmunicare episcopis in doctrina & ceremonijs dissentientibus, ac munera ei mittit. in epistola ad eundem.

Mors.

Amisit uisum, & mortuus est anno Domi mi septingentesimo quadragesimosexto, episcopatus sui 42. Balæus Centuria secunda, capite undecimo.

HVNFRITVS.

¶ Hunfritus successor Danielis in episcopatu Ventanæ Ecclesiæ: ut patet ex Cinehardi epistola ad Lullum, in qua eum episcopórum mitissimum uocat.

CINEHARDVS.

Cinehardus, seu Cœna episcopus Ventanus, familiaris Lullo Moguntino. Scripsit duas ad eum epistolas, quas uidere nobis obtigit. Pontificijs erroribus imbutus, in Missarum solennitatibus nomina uiuorum & mortuorum recitare, ac pro ijs orare d[illegible]r.

IAMNVLVS.

Iamnulus archidiaconus familiaris Bonifacio, ut patet in epistola ad ipsum.

MILREDVS.

Milredus episcopus alicubi in Germania, notus Bonifacio & Lullo, in Angliam reuersus, scripsit ad Lullum, ac petijt sibi historiam de uita & obitu Bonifacij mitti. Bonifacium post mortem, somniat, apud Deum, suum esse patronum.

DOCTORES

Scotiæ.

SEDVLIVS

iunior.

Sedulius iunior Australium Scotorum episcopus, homo eruditus & celebris, Romam uenit sub Gregorio tertio, ac interfuit Synodo, & probauit sententiam de nuptijs prohibendis ob Ecclesiasticam seu spiritualem propinquitatem: ut constat ex tomo secundo Conciliorum. Scripsit librum de statutis istius Concilij. Claruit anno Domini septingentesimo decimoquarto. Balæus Centuriæ decimæquartæ capite

tæ capite uigesimooctauo. Ioannes Maior libro primo, capitibus quarto & octauo.

PERGVSTVS.

Pergustus, seu Fergustus Pictorum episcopus, & Sedulij socius, eidem concilio Romano interfuit, anno Domini septingentesimo decimoquarto, apud S. Petrum Gregorij secundi authoritate celebrato: & pontificia edicta approbauit subscriptione: tomo secundo Conciliorum. Claruit anno Domini septingentesimo uigesimotertio, sub Mordaco Scotorum rege. Multique sunt eo ipso anno sacerdotijs priuati, quòd colendis statuis consensum non dedissent. Balæus Centuria decimaquarta, capite uigesimonono.

DE MONACHIS.

MONACHI *Asiæ.*

IOHANNES DAMASCENUS.

IOhannis Damasceni, quem Chrysaoram Paulus Diaconus uocat, parens fuit prætor Damasci & uicinæ regionis, & seruijt Saracenis, ac Christianorum sub se patronum egit. Filium suum Cosmæ monacho, quem à Saracenis redemit, tradidit erudiendum, cum Cosma adolescente Hierosolymitano. Illo ergo præceptore Ioannes, ingenij uelocitate & assiduo studio adiutus, Grammaticam, Dialecticam, Philosophiam moralem, Arithmeticen, Geometriam, Musicam, & Astronomiam didicit: & quædam de sacra religione, diluta tamen monasticis traditionibus, imbibit. Constantinopolim uenit, & isthic aliquandiu habitauit: sed inuidia ciuium exagitatus, Damascum redijt, & Agarenorũ literas didicit, ac se Mahometanæ perfidiæ simulauit fauere, ut in sermone de conuersatione eius indicatur. Parente ergo mortuo, à Saraceno consiliarius & prætor designatur, ac ampliori quàm pater eius regioni præficitur. Cum autem aliquandiu præfuisset, falsis criminationibus à Leone ad Saracenum insimulatus, dimissionem impetrauit, & in monasterium Sabæ sese abdidit, cum Cosma: & postea presbyter quoque ab Hierosolymorum patriarcha ordinatus est. Legit scripta Patrum diligentius quàm Sacras literas.

Scripta.

Scripsit Græcè librum Stœchioticum, seu elementarium, admonitionem omnis recti sermonis.

Sermonem de cultu imaginum.

Epistolares libellos de imaginum cultu.

Hymnos & cantica Ecclesiastica.

Panegyricos sermones.

De fide Orthodoxa.

Sermones aliquot. Ioannes patriarcha Hierosolymitanus, in uita eius.

Regulas bene sonantes, &

Dicta Hagiopolitica. Autor sermonis de conuersatione Damasceni.

Inter opera uerò eius hi recensentur hodie libri.

Logica.

Isagoge axiomatum.

Liber de duabus in Christo uoluntatibus & operationibus.

Libri quatuor de orthodoxa fide.

Epistola de trisagio.

Liber de centum hæresibus.

Fragmentum sententiarum ex sermonibus eius.

Altercatio Christiani & Saraceni.

Sermo de ijs qui in fide hinc migrarunt.

Historia de Barlaam & Iosaphat ἰνδικὰ συν[illegible].

Doctrina, & errores eius.

Doctrinam de Deo & Trinitate, & duabus in Christo naturis, uoluntatibus, & operationibus, rectè quidem tradidit: sed erroneas opiniones & stipulas in alijs locis asseruit sanè multas, de sanctorum intercessione, & de imaginum adoratione, & missis pro mortuis, & alijs Antichristi erroribus, ut suprà in quarto capite indicauimus.

Certamina eius.

Pugnauit contra Monothelitas, & Monophysitas, sui temporis hæreticos, & cõtra multos alios: ut patet ex libro eius de Centum hæresibus.

Cum adhuc esset apud Saracenorum regem in precio, simulauit se à Mahometi religione non admodum abhorrere. Nam unà cum eo ad sepulchrum Meamed profectus est, & ex regis iussu metu perculsus eum adorauit, & ad laudem illius sese inclinauit, & eum publicè prædicauit. Quãobrem honorem & munera à rege accepit, Damascum reuersus. Conatur quidem author sermonis de eius conuersatione, ista excusare: quasi ideo fecerit, ut superstitiones illas posset alijs indicare, & refutare apertius. Sed non sunt facienda mala, ut eueniant bona. Veruntamen posteaquam in cœnobium sese contulit, contra Saracenos & Mahometi delyria pugnauit, ut suo loco indicauimus.

¶ Acriter dimicauit contra Leonem & Constantinum Imperatores, & alios, ob defensionem cultus imaginum: & cum episcopis Orientis Imperatorem excommunicauit,

cauit. Paulus Diaconus libro 21 rerum Romanarum: Zonaras tomo tertio.

Leo ut de illo uindictā sumeret, curat scribi literas ad similitudinem characterum eius, in hunc modum: Salue ô rex, gratulor & ego imperio tuo, maximè quòd eiusdem es fidei. Verùm quia & ego Imperatoriam tuam excellentiam singulari prudentia & honestate præcellere intelligo, ideo hæc illi significanda duxi, nempe ciuitatem hanc nostram negligentius custodiri, & Agarenorum præsidium (quantum hic est) imbelle, & exigui numeri. Itaque propter Deum miserere ciuitatis huius, mitteque omnium nobilium tuorum manum, inexpectatò aduenientem, ac simulantem se aliò proficisci. Es enim ciuitate citra omnem laborem potiturus. Ad quod negocij & ego tibi non mediocri adiumento sum affuturus: nam in mea manu tota fermè & ciuitas & regio est. Et his alias adiungit, ac Saraceno mittit in hunc modum.

¶ Dum nihil sciam pace beatius, amicitiaque felicius: & alioqui pacis fœdera seruare, laudatissimum, gratissimumque sit Deo: nihil & ego tanti facio, quàm ut pacis fœdera, quæ cum generositate tua iniuimus, indissoluta custodiantur: quamuis à Christiano quodam familiari tuo crebris euocer epistolis, ut ipsis dissolutis, dolose induciarum iura uiolem: polliceturque mihi multa, & cum primis si copiosum aduersus ciuitatem tuam exercitum mittam, sese mihi affuturum, ut securè illam occupem. Vnde unas suarum, quas ad me dedit, literarum tibi mitto, ut cognoscas quàm comperta sint quæ ad te scribam, & quàm uerax & constans in amicitijs fœderibusque seruandis perseuerem. Tu obserua dolosum malignumque illum, qui ad me talia scribere reueritus non est. Ioannes patriarcha de uita Damasceni. Author tamen sermonis de Conuersatione Damasceni, hæc à pædagogo eius esse facta dicit. Adeò in nugis consentiunt isti. Saracenus itaque ei brachium præcidit, seu (ut alter narrat) digitum, quem imago Mariæ inuocata ipsi dicitur restituisse, ut tanto acrius imaginum cultum defenderet.

Cum ergo nec postea cessaret imaginum cultum tueri, Constantinus collecta Synodo episcoporum Constantinopoli, rem in disceptationem deduxit: qui examinatis rerum neruis, deprehendunt adorationem imaginum esse uerbo Dei & Patrum sentētijs contrariam: ideoque Iohannem Damascenum cum Germano & Georgio Cyprio & alijs excomunicant. Appellant autem eum per ignominiam Manzur. Inquiunt enim: Manzuri ignominioso & Saracenico anathema: Iconolatræ & falsigrapho Manzuri anathema: Doctori impietatis, & peruerso interpreti diuinæ Scripturæ Manzuri anathema. In actis Synodi Constantinopolitanæ.

Virtutes eius.

Commendatur ab humilitate, & à uitæ monasticæ exercitijs, quòd omnia bona sua deseruerit, & in pauperes distribuerit: & quòd ex zelo diuino inuectus sit in imaginum contemptores, & à similibus nugis.

Amici eius.

Germano Constantinopoleos episcopo, Cosmæ Maiumeno episcopo, & Ioanni Laodicensi familiaris fuit, & Stephano: ac Synodus Nicena secūda eum prædicat, & ab anathemate liberat.

Mors.

Claruit sub Leone, & Constantino Copronymo circiter annum Domini septingentesimum trigesimum. Sub Irene non amplius in uiuis fuit. Spanheimensis eum collocat sub Theodosium seniorem, sed falsò.

COSMAS.

Cosmas monachus, ex Italia oriundus, à Saracenis, captus Damascum adducitur: ac cum in foro uenalis esset, à Iohannis Damasceni parente emitur, & constituitur præceptor eius & Cosmæ Hierosolymitani. Cum autem ab eo duo isti adolescentes in artibus philosophicis, & in religione instituti essent, in monasterium aliquod remissus, uitam finijt: ut patet ex Ioanne patriarcha, de uita Damasceni.

EVSTATHIVS.

Eusthathius monachus & præses mansionis Maximi, in actione quarta Nicenæ secundæ, ex Sophronij libris de uitis sanctorum probat imaginum cultum.

IOHANNES.

In Nicena secunda Ioannes monachus locum obtinet Eliæ episcopi Hierosolymitani, & errorem de imaginum adoratione confirmat, & secus sentientes damnat. Metaphrastes in uita Tarasij, & acta Concilij tomo secundo.

GEORGIVS.

Georgius abbas ad Chelidonem, docuit Ioannitium psalterium per annos tres. Metaphrastes tomo quinto, in uita Iaannitij.

SIMEON.

Simeon monachus presbyter, & præses mansionis Choræ, librum Ioannis Chrysostomi obtulit in secunda Nicena, actione quarta.

IOSEPH.

Ioseph monachus mãsionis Herculij, of-

fert librum qui Simeonis monachi in monte admirando uitam continet, in actione 4. Nicenæ secundæ.

ANTONIVS.

Antonius monachus legit libellum Ioannis Chrysostomi, à Theodosio præside sancti Andreę ad Nesium oblatum, in actione 4. Nicenæ secundæ.

THOMAS.

Thomas monachus monasterij lacus anseris, affert Asterij librum, ac ex eo imaginũ uenerationem comprobat, homo futilis & iconolatra: in quarta actione secundæ Nicenæ.

GREGORIVS.

Gregorius monachus, præses mansionis Hermicolôn iconolatra, in actione quarta Nicenæ secũdæ offert Sophronij librum, ex quo probat cultum imaginum.

MONACHI *Aphricani.*

THOMAS.

THomas presbyter, & præses monasterij Arsacij in Aegypto, uicem Alexandrini episcopi sustinet in secũda Nicena Synodo, & collega est Ioannis Antiocheni: eodem errore dementatus quo alij, imaginum adorationem & cultum approbat, & contrarium sentientes damnat, ut patet ex actis. Archiepiscopus postea Thessalonicæ in Illyrico factus est. Paulus Diaconus libro uigesimotertio rerum Romanarum.

MONACHI EV*ropæi.*

APONIVS.

APonium inter Doctores huius seculi collocamus, non quòd certò sciamus ubi & quando uixerit: sed quia Beda libro quarto, capite quinto in Cantica cãticorum, primus eius mentionem facit. Vnde coniicimus, eũ hac ætate, uel paulò ante Bedam extitisse.

Scripsit in Cantica Canticorum aliquot libros, de quibus quatuor, iique mutilati, adhuc supersunt: eosque dedicauit Armenio presbytero.

In toto opere nihil aliud agit, quàm ut Christi & Ecclesiæ nexum & copulam, quid inter ipsum & ex Iudæis collectam Ecclesiam, ac nascentem adhuc Ecclesiam: quid itẽ inter ipsum, & gentium Ecclesiam, agendũ fuerat, fieri ue debeat usque ad finem mundi: quid denique inter Christum, & eam Ecclesiam quæ sub finem mundi ad ueram fidem conuertenda est ex Iudęis, futurum sit, exactissimè appositissimeque tradit, licet alij suis in eadem Cantica Commentarijs aliò textum torserint.

Quod ad phrasin attinet, multi sunt in eo Græcismi, ut propemodum Græcus fuisse uideatur, qui Latinè didicerit. Vsus est suo quodam modo gerundijs, & gerundiuis nominibus. Hyperbata interdum prolixiora habet. Ad unum adiectiuum interdum plura substantiua annectit.

Meminit Iustini philosophi Lib. 1.

Refutat Basilidem, Valentinum, Montanum, Manichæum, Arium, Bonosum, Photinum, & alios ueteres hæreticos, libro secundo.

Videtur etiam damnare eos qui ad imagines genua sua incuruabant. Heremitas laudat propter abstinentiam, & corporis castigationem, Lib. 2.

Petrum à Christo dicit uicarium mundo relictum esse, Libro eodem. Gręcè & Ebraicè doctus fuit.

DE MONACHIS *Thraciæ.*

STEPHANVS.

STephanus Megapolitanus, ut patet ex uita Damasceni apud Ioãnem patriarcham Hierosolymorum, in cœnobio Auxensi monachus & abbas. Scripta quædam edidit, in quibus meminit Ioannis Damasceni, eumque uenerabilem & deiferum uocat. Imaginum cultum, & sanctorum intercessionem & adorationem, & uitam monasticam petulanter defendebat, & in Constantinum Imperatorem acerbius inuehebatur, & multos ex aulicis dementabat, ut regijs dignitatibus neglectis monachi fierent. Id indignè fert Imperator, & ex monasterio extractum interficit, cum sexaginta ferè annis eo in loco superstitiones humanas exercuisset, anno Constantini uigesimoquinto, & Domini septingentesimo septuagesimo. Paulus Diaconus libro uigesimosecundo. Sigebertus, Zonaras tomo tertio. Martyrem ex hoc pontificij scriptores faciunt. Sed si caussa consideretur, longè à uero martyrio abest: ac fieri potest ut cum ijs fuerit, qui seditionem contra Imperatorem machinati sunt.

GREGORIVS.

Gregorius abbas Agaurorum monasterij, Ioannicium excipit: eique suadet, ut antequam eremiticum uitæ genus ingrediatur, in cœnobio aliquo discat regulas orandi, & alias monasticas uirtutes. Metaphrastes tomo 5. de uita Ioannicij.

EVSTRATIVS.

Eustratius monasterij Agaurorum pręfectus, Ioannicium eremitam in solitudinem sequitur: & cum in morbum incidisset, ab eodem curatur: ac postea ab eo sese auellit, & transit ad Leucadum habitaculum: ac febri correptus, absentem Ioannicium adorat, & à morbo se liberari petit. Ille ergo in somnis ei apparet, & morbum depellit, ac exercitatus conualuit. Vide quid non faciat superstitio. Homo iste phanati-

phanaticus uoluit opinionem illam confirmare, etiam sanctos uiuentes, in alijs locis constitutos, posse opem ferre, si adorentur. Metaphrastes in quinto tomo, de uita Ioannicij.

IGNATIVS.

Ignatius monachus Constantinopoleos, discipulus Tarasij, descripsit uitam eius, ac ei morienti adfuit. Probat superstitiones de imaginum sacrarum adoratione. Mariam & alios sanctos somniat esse intercessores ad Deum. Sanctis mortuis, eorumque reliquijs asscribit miracula. Apud Metaphrasten tomo quinto de uitis Patrum, in Februario.

DE ITALIS MOnachis.

PARDVS.

PArdus, ex cœnobio Sabæ, Romanus monachus, ad Desiderium ab Adriano ablegatur, ut eum iubeat restituere ablata. Liber pontificalis: Blondus decadis secundæ, libro primo. Ac postea aliquoties ultro citroque ad Carolum cum Andrea episcopo est missus: ut apparet ex epistolis Adriani ad Carolum.

PETRVS MONACHVS *Sabæ.*

Petrus monachus Sabæ, unà cum Petro archipresbytero uicem Adriani sustinuit in secunda Nicena Synodo, & imaginum cultum defendit.

CASSINENSES.

PETRONAX.

PEtronax, seu Petronius, ciuis Brixianus, Hierosolymam peregrinaturus, potificē Romanum, seu Gregorium secundum, seu Zachariam, ut quidam uolunt, consulit. Verùm is profectionem ei dissuadet propter Saracenorum in ijs partibus tumultus: ac eū iubet in Casinum montem ire, & Benedicti cœnobium, quod circiter annos centum & decem iacuerat solo æquatum, instaurare. Laurentius Vincentius in epistola cœnobij Casinensis. Homo ille superstitiosus, errore de monasticæ uitæ dignitate fascinatus, Pontifici paret: & circiter annum Domini septingentesimum decimumquartum (iuxta Sigebertum) sub Anastasio Imperatore (iuxta Reginonem libro secundo, & Paulum Diaconum libro sexto, capite decimotertio) rem aggreditur: & collecta monachorum turba, architectum & abbatem agit: & non modò cœnobium, sed etiam templa isthic ædificat in honorem Martini, Benedicti, Mariæ, Iouitæ, & Faustini. Leo Hostiensis libro primo, capite quarto. Zacharias pontifex ecclesiam ab eo extructam consecrat, cum tredecim archiepiscopis, & sexagintaocto alijs episcopis: & regulam Benedicti monachis illis tradit, non sine cumulo & auctuario superstitionum, & singulari priuilegio cœnobium constituit primum inter omnia alia in toto orbe terrarum: & abbati eius principem locum tribuit inter omnes alios in conuentibus & Concilijs, ut patet ex priuilegio Zachariæ in Chronico Casinensi. Regnum Antichristi præparando monachos, qui propagabant pontificios errores & superstitiones, non parum promouit, & præfuit annis triginta duobus, & fuit sextus abbas à Benedicto. Leo Hostiensis lib. primo, capite octauo.

OPTATVS.

Optatus septimus abbas Casinensis, superstitiones monasticas obseruauit, & propagauit annos decem, & mortuus est undecimo nonas Ianuarias. Leo Hostiensis libro primo, capite 9.

HERMERIS.

Hermeris successit Optato: uix annum præfuit. Leo Hostiensis libro primo, capite nono.

GRATIANVS.

Gratianus nonus abbas, successit Hermeri: præfuit annis quatuor, mensibus quinq;. Leo Hostiensis lib. 1. cap. 10.

TOMICHIS.

Tomichis, decimus abbas Casinensis, præfuit annis sex, mensibus quinque. Hostiensis libro eodem, cap. 11.

POTO.

Poto undecimus abbas, cultor idolorum, ędificauit Benedicto Ecclesiam, & Michaeli. Præfuit annos septem. Hostiensis libro eodem, capite 12.

THEODOMARVS.

Theodomarus duodecimus abbas Casinensis. Scripsit libellum de cōsuetudine monasterij Benedicti, ad Carolum Magnum. Fuit mancipium traditionum humanarum, & cultor alienorum deorum. Mariæ templum ædificauit, præfuit nouendecim annis. Leo Hostiensis libro primo, capite decimotertio, de Casino.

CAROLOMANNVS.

CArolomānus frater Pipini, cum strenuè contra Saxones pugnasset, siue uana opinione de uitæ monasticæ dignitate & meritis dementatus, seu à fratre, qui solus regnum affectabat, oppressus, seu à pontificibus persuasus, Romā cum muneribus adit: & à Zacharia pontifice in monachum attonditur, & in cœnobium à se extructum in Sarapte monte ad ecclesiam Syluestri sese abdit, anno Domini septingentesimo quadragesimosexto. Regino libro secundo, & Sigebertus, & Eginhardus in uita Caroli. Cum aūt plures nobiles eò ad ipsum uenirent, & omnes cum laudibus propter istam

istam insignem humilitatem ueherent, incommodum sibi fore arbitratus, si ab hominibus acciperet laudem, clam sese subducit, & ad Casinense cœnobium uenit, & coram abbate in terram procumbit, ac fatetur se homicidam esse, & reum omnium criminum: misericordiam exposcit, pœnitentiæ locum exquirit: se Francum esse, & ex patria ob scelera migrasse: exilium se ferre paratum, tantum ne cœlestem patriam amitteret. Abbas eum prius in cella nouitiorum probat, & postea monachorum cœtui adiungit, ignarus quis esset. Pastor ouium constitutus, à prædonibus spoliatus, nudus redit. Postea hortulani officio præficitur, in quo etiam se bene gerit. Tertiò culinæ operas dum facit, ter à coquo alapis cæditur. quod indignè ferens comes eius, coquum pilo ferit: & eam ob rem accusatus, indicat uirum istum esse Carolomannum, atque ita ille à monachis agnoscitur. Regino lib. 2.

Pontificijs erroribus plenus fuit. Nam existimauit, homicidij conscientiam operibus uitæ monasticæ posse deponi: & desertione bonorum corporalium sine necessitate, acquiri uitam æternam: ut patet ex Reginone, libro eodem.

Fuit etiam idololatra. nam Benedictum coluit: & de eius reliquijs furto ablatis, egit cum Zacharia & Pipino, ut restituerentur. Platina in uitæ Zachariæ. Anno Domini septingentesimo quinquagesimotertio. Sigebertus.

Sed in hoc bene sensit, quòd exarchatus Rauennas, & alia quæ Cæsaris erant, non rectè Romano pontifici attribuantur.

Cum Stephanus pontifex apud Pipinum auxilium quæreret contra Aistulphum, cui conabatur extorquere ex manu exarchatum Rauennatem, & regnum Italiæ, quòd Cæsaris hactenus fuerat, sed à Longobardis occupatum: iussu sui abbatis, legatione pro Aistulpho functus est: & conatus est Pipinum à societate Romani pontificis abstrahere, oratione sanè eleganti, quæ apud Aemylium libro secundo de Francis extat. Sed Pipinus, qui iam tum characteribus Antichristi insignitus erat, & beneficium ab eo acceperat, & fidem ipsi iurauerat, fratris consilium non modò aspernatur, sed eum accusat transfugam & desertorem sui ordinis: & in Viennense cœnobium deportat, & custodiæ tradit, ubi haud multo pòst mœrens ac indignabundus febri interijt. Blondus decadis secundæ libro primo: Antoninus titulo decimoquarto, capite primo, §. tertio. Crantzius in Dania libro tertio, capite trigesimo octauo. anno Domini septingentesimo quinquagesimoquarto. Annonius libro quarto, cap. 63. de Francis.

RACHIS.

Rachis Longobardorum rex, siue superstitione, siue arte magica fascinatus à Zacharia pontifice, non modò ab armis discedit: sed etiam uitam monasticam cum coniuge & filia suscipit, in cœnobium Casinense spōte se recondens. Hostiensis libro primo, capite septimo, de Casino. Videtur tamen postea eum pœnituisse facti. Nam fratre Aistulpho mortuo, cùm regnum Hetruriæ ad Desiderium peruenire ægrè ferret, exuto habitu monastico, bellum tentauit gerere: Mutius libro 7. Antoninus titulo decimoquarto, capite 1. §. 2.

PAVLVS DIA-
conus.

Paulus ex Longobardorum gente, familia nobili, patre Vuarnefrido, matre Theodelinda natus. Nam abauus eius Leupichis, uenit cum Longobardis in Italiam, eo tempore quo primùm Italia ab illis cœpit occupari. A teneris operam literis nauauit. Desiderius Longobardorum rex ob doctrinam & ingenium in precio eum habuit, & notarium constituit. Aulæ pertæsus, Aquileiensis patriarchi diaconus ordinatur. Cū autem Carolus Papiam expugnasset, & ipse captus est. Sed propter eruditionem libertate donatur, & in Gallias cum rege proficiscitur. Platina in uita Adriani. Fuit autem, ut uidetur, in eo exilij loco, ubi Desiderius erat, ac de eo liberando consilia agitauit, ut Aemylius lib. secundo de rebus Francorum scribit: aut insidias Carolo struxit. Eo igitur nomine accusatus, seu potius fallò à maleuolis & aulicis delatus, se purgat quidem de obiecto crimine: sed uincunt calumniæ, & perduellionis quasi conuincitur. Et proceres aulæ sententiam ferunt de abscindendis manibus eius. Verùm rex inquit: Si manus ei præcidimus, ubi tam elegantem scriptorem reperiemus? Iubent oculos ei erui. Sed rex ait: Si id factum fuerit, ubi talem historicum reperiemus, ut ille est? Tandem ergo iudices exilij pœnam ei statuunt. Deportatur ergo in insulam Diomedis. In ea cum aliquandiu uixisset, tandem cum seruo suo elabitur: & Beneuentum ad Arichim, qui filiam Desiderij Adelpergam duxerat, uenit, & in palatio eius mansit, & operam scribendæ historiæ & alijs libris impendit. Ariche defuncto, cum se minus tutum existimaret, ad Casinense cœnobium sese recepit, & monachus factus est: quod Carolo ualdę placuit, ac per epistolas illi & uersibus ea de re gratulatus est.

Scripta.

Palatium Beneuentanum & Salernitanum uersib. exornauit, & Adelpergę rogatu, in historia Romana, quā Eutropius scripserat,

rat, plurima hinc inde addidit ex historijs Ecclesiasticis, duosq; præterea libros à Iuliano usq; ad Iustinianum primum adiecit.

Vniuersas ferè annalis computi lectiunculas rhythmo composuit.

Expositionem regulæ Benedicti, & multa de ueteri monasterij consuetudine, librũ unum.

Versus & hymnos reciprocos de miraculis Benedicti. Leo Hostiensis libro primo, capite 17 de Casinensi cœnobio.

De gestis Longobardorum, Lib. 6.
Hymnos plures diuerso metro, Lib. 1.
Vitam Gregorij I. papæ, Lib. 1.
Spanheimensis de scriptorib. Ecclesiasticis.

Hymnum in diuum Iohannem.

Iussu Caroli uitas & lectiones cuilibet sanctorum festiuitati conuenientes collegit ex patribus, & hymnos addidit, anno Domini octingentesimo septimo. Sigebertus. qui postea ita corrupti & immutati sunt, ut uix à suo auctore, si hodie surgeret, agnoscerētur. Paulus Æmylius lib. 2 de Francis.

Scripsit librum de episcopis Metensibus, rogatus ab Ageltramo eius ciuitatis archiepiscopo. Item de uita Arnolphi librum 1. ut ipse indicat libro sexto de Longobardis, capite quinto.

De uitis episcoporum Ticinensium lib. 1. ut colligitur ex libro sexto, capite decimooctauo de Longobardis.

Scripsit epistolarum librum unum ad diuersos, inter quas etiam ad Carolum sunt, quibus gratias ei egit pro salutatione. Leo Hostiensis libro eodem. Et alia multa digessit & scripsit. Spanheimensis.

Doctrina, & errores.

Pontificijs erroribus plenus fuit. Nam sanctos honorare, ad animarum & corporũ sanitatem prodesse, & ex intercessione sanctorum omne suffragium emanare, asserit libro uigesimosecundo rerum Romanarum. Et passim superstitiosa & fabulosa miracula de sanctis, eorumque reliquijs interspergit in suis Annalibus, & Martyrologio.

Sanctorum reliquias magnam gratiã complectentibus afferre nugatur.

Dei genitricem inuocandam, ut adiuuet nos in arduis rebus aut periculis, pium esse existimat: contra illud, Dominum Deum tuum adorabis.

Vitam monasticam, uigilias, & alia electitia opera opinatur prodesse ad salutem: lib. 22 rerum Romanarum.

Amici eius.

Charus fuit Desiderio & Arichi regibus Longobardorum, & Carolo regi Francorum: qui licet eum in exilium expulerat, tamē postea gratulatus est ei uersibus, quòd in monasterium Casinense abijsset. Metuebat enim eum propter historiæ descriptionem, ne ueritatem posteritati proderet, de eius cum pontifice fraudibus in occupandis Imperij bonis. Versus Caroli extant apud Leonem Hostiensem, libro citato. Notitiam etiam habuit Imperatoris Constantini & Irenes, & Tarasij, ut apparet ex libro 22 rerum Romanarum.

Mors eius.

In Casinensi cœnobio senex obijt, & sepultus est. Leo Hostiensis libro 1. capite decimoseptimo. Curriculum uitæ eius satis longum fuit. Nam à Desiderij regno usque ad annum octingentesimum septimum Domini, per annos quinquaginta, & ultrà, claruit, exceptis annis pueritiæ & adolescentiæ: ut constat ex Sigeberto, & alijs historicis.

DE ALIIS ITALIAE *monachis.*

VVALDIPERTVS.

VValdipertus presbyter & abbas alicubi in Italia, Constantinum laicum papam insectatus est: & cum factione sua in monasterium Viti irruit, & Philippum presbyterum extractum pontificem eligit. Postea accusatus, quòd Longobardis Romam uellet prodere, fugit in ecclesiam Mariæ, eiusque statuam amplexatur. Verùm cum illa inde abducitur, & oculis & lingua priuatur: & in xenodochio Valerij animam agit. Liber pontificalis. Floruit anno Domini septingentesimo quinquagesimooctauo, iuxta Sigebertum.

BAVDOLINVS.

In locum cui Forum nomen est, iuxta Tanarum fluuium, fuit Baudolinus, seu eremita seu monachus, miraculis & specie sanctitatis clarus. Futura sæpe prædixit, & absentia tanquam præsentia nunciauit, fortè arte magica instructus. Cum Luitprandus, filio suo uulnerato in uenatione, seruum ad eum misisset, postulatum ut pro uita eius Dominum deprecaretur: respondit, mortuum esse filium, nec se pro eo orare posse. Paulus Diaconus libro sexto, cap. 18 de Longobardis.

THELAPIVS.

Baudolino non dissimilis fuit Thelapius, ad Veronensem ciuitatem. nam & ipse futura prædixit, & miracula fecit. Paulus Diaconus libro sexto, capite decimooctauo de Longobardis.

AVBERTVS.

Aubertus abbas monasterij sancti Vincentij, uolumen scripsit de suo cœnobio. Paulus Diaconus libro sexto, capite decimotertio de Longobardis.

MONACHI GALLIAE.

OVO.

OVo puer existens, suspensus est: sed Vulfranni precibus incolumis euasit, ac bapti-

ac baptizatus, & presbyter ordinatus à Rothomagensi episcopo, multos codices monasterio Fontanellæ transscripsit. Vincentius libro 23. capite 145. Erphordiensis libro secũdo, capite 66.

ANGELBERTVS.

Angelbertus, seu Engilbertus, seu Angisbertus, abbas monasterij Richarij, magnam partem de thesauro quem Carolus acceperat spoliata Hunnorum regia, Romam ad Leonem pontificẽ, ut ἀντίδωρον pro clauibus & uexillo urbis Romæ asportauit, & populum Romanum Leoni pontifici se subijcere, & fidem ut Domino suo iurare persuasit. Liber pontificalis. Licet Auentinus libro quarto putet, non pontifici, sed Carolo ciues Romanos iureiurando sese subdidisse, anno Domini septingentesimo nonagesimosexto. Regino libro secundo, Annales Francorum, Erphordiensis capite 69. Nauclerus generatione uigesimaseptima.

VOLRADVS ABBAS PArisiensis sancti Dionysij.

Volradus, seu Volcadus, abbas Parisiensis in cœnobio Dionysij, uir prudens & eruditus, in aula Pipini & Caroli Magni archicapellanus. Scripsit ad eũ Bonifacius senex, & petijt ut cũ Pipino loquatur, ne sacerdotes & monachos discipulos suos, ex lõginquis regionibus in Germaniam adductos, & passim Ecclesijs præfectos, sinat post obitum suum dispergi: & ut in Lullum successorem cõsentiat. Pipinus eum cum Burchardo ad Zachariam misit, ut ageret cum eo de Childerici regis depositione, & sui inauguratione, anno Domini septingentesimo quinquagesimotertio, aut circiter. Regino libro secũdo, Auentinus tertio Annalium, & Curio libro secundo. Idem postea Stephanum papam in monasterio Mauricij commorantem, ad Pipinum adduxit. Liber pontificalis. Et eundem ualida manu Romam deduxit: Annales Francorum. Et fuit in bello contra Aistulphum: & à Pipino cum cohorte ablegatus, Rauennatum ditionem, & Pentapolin, & Æmyliam recipit: & claues, & obsides, & primates de qualibet ciuitate Romã defert, & pontifici tradit: ac postea Rachisium contra Desiderium arma ferẽtem compescit. Liber pontificalis: Blondus decadis secundæ libro primo. Carolus etiam Magnus eum cum Gregorio episcopo & Albino ad Adrianum ablegauit, ut sciscitarentur an Desiderius ablata ei restituisset. Blondus decadis secundæ libro primo. Ac fuit sanè pontificibus Romanis non inutile mancipium. Nã per eum reges Francorum dementarunt, ut existimarent se Deo & sancto Petro magnũ præstare cultum, si Romanum põtificem de præda & rapinis locupletarent, & super reges eleuarent, & contra Imperatores armarent & tuerentur. Fuit cultor deorum alienorum. nam reliquias Viti transtulit Parisios, anno Domini septingentesimo quinquagesimoquinto: ac idololatriæ præco extitit. Sigebertus.

FARDVLPHVS.

Fardulphus seu Rhaudulphus, Longobardus genere, sacrificulus Reginoburgij in templo dormitans, cognoscit coniurationẽ Pipini Gibbosi aduersus Carolũ Magnum: ac statim ad aulam cursitat, & prodit: & pro mercede abbas Dionysij constituitur. Auentinus quarto Annalium. Vrspergensis, & Aemylius de Francis.

VIRVNDVS.

Virundus abbas, legatus Caroli Magni, Leonem unà cum Vuinegiso Spoletanorũ duce Spoletum abduxit, ac inde ad Regem: anno Domini septingentesimo nonagesimonono. Regino lib. 2.

MEDO.

Medo Floriacensis abbas, idololatra & superstitiosus, Benedicti cadauer furto sublatum, & in monasterium suum repositum, restituere detrectat: & Benedictum ut deum colit & inuocat: apud Iuonẽ in Cõstantino.

ISVARDVS.

Isuardus natione Gallus, monachus ordinis Benedicti, iussu Caroli Magni scripsit Martyrologium post Eusebium, Hieronymum & Bedam, stylo elegantiori: anno Domini septingentesimo septuagesimo. Bergomensis libro decimo, Schedelius ætate 6. Hedio lib. 6. cap. 22.

EVDO.

Eudo abbas Viceliacensis, iussu Girardi comitis Burgundiæ, misit fratrem suum Badilonem monachum, ut corpus Mariæ Magdalenæ ab Aquensi urbe transferret. Vincẽtius libro uigesimotertio, capite 152. Ambo fratres deorum alienorum cultores, & fanatici homines fuerunt.

IOHANNES.

Iohannes monachus & presbyter Carolũ rogat, ne sinat homines capi & uendi: ac uisiones habuit pontificiæ doctrinæ contrarias. Ob quam rem Põtifex minabatur ipsi excommunicationem: quam declinauit Carolus, intercedens pro eo. Romam ubi uenit, & pontifici reconciliatus est, nunciauit episcopos Caroli arma gestare. Id Pontifex improbat: & Carolo scribit, ut emendet: ut patet ex epistola ad eundem.

DODO.

Dodo abbas, cum Possessore episcopo ad Adrianum missus est, in epistola Adriani ad Carolum.

GRIMO ET SIGOBERTVS.

Grimonẽ abbatẽ Corbonẽsem & Sigobertum

tum monachum Dionysij, Carolus Romam ablegauit ad Pontificē. Annonius lib. 4. cap. 57, de Francis.

ÆGIDIVS.

Ægidius Athenis in Græcia natus, uenit in Galliam, anno Domini 715, iuxta Sigebertum, regnante Theodosio (Bonfinius lib. 8 decadis 1, de Vngaria) ad Cæsarium Arelatensem episcopum: ac biennio apud ipsum commoratus, in heremum ut μισάνθρωπος secessit, & in antro quodam latitauit: ad quod Carolus Martellus in uenatione uenit canum ductu, qui ceruam sectabantur, quæ uiro illi dicitur affuisse. Interrogatur unde sit, & quid ibi faciat? Ille uerò respondet, se religionis ergò isthic agere. Carolus miratus hominis sanctitatem, cœnobium de consilio eius condit ad Nemasensem urbem iuxta Rhodanū, cui illum præficit. Ranulphus lib. 5. cap. 28.

Miracula ei adscribunt multa, quæ fabulosa & uana sunt, & superstitiones confirmant, de quib. Antoninus titulo 13. cap. 6. §. 33. Vincentius lib. 23. cap. 140.

Carolus Martellus petijt ab eo, ut pro se oraret, ut sibi Dominus condonaret delictū quod perpetrasset, sed nemini auderet indicare. Orante autem Ægidio, charta in altari reperitur, cōtinens delictum Caroli, idq; precibus Ægidij dimissum esse indicans. ac erat adscriptum, Quòd omnia peccata pœnitēti, & iuxta Ægidij uerba concepta oranti cōdonentur. Hæc instar miraculi à Pontificijs celebrantur, & superstitionem confirmant, conceptis uerbis precum inesse uim quandam diuinam. Sed quàm facile fuit Ægidio, homini Græco & fallaci hæc subornare, ad simplices Francos decipiendos?

Vulneratus à uenatore sagitta, noluit uulneri medicamēta adhibere: & Deum orauit, ut nunquam sinat id uulnus sanari. Vnde colligitur fuisse hominem insanum, ac nihil nouisse de doctrina cœlesti, quæ usum medicinæ præcipit, & à Deo bonam ualetudinem peti iubet.

Medicinam professus est, & scripsit uersus de pulsu, librum unum: & de uenis, librum unum. Bergomensis lib. 10. & Volaterranus libro uigesimoprimo.

VRSMARVS.

Vrsmarus abbas Lobiensis, hypocrisi clarus, moritur anno Domini 713: successorē sortitus Erininū. Maior in Chronico Flandriæ.

COELESTINVS.

Cœlestinus abbas Blandiniēsis, patria Scotus, in exiliū à Carolo Martello eijcitur, propterea quòd fauisset partibus Raginfredi, anno Domini 716. In monasterio autem Rotoanocēsi obijt, anno Dñi 765. Meyer de Flādris.

HILDEBERTVS.

Hildebertus abbas eiusdem cœnobij, ob imaginum adorationem, quam tuebatur cū Pontificijs suis monachis seditionem Gandaui excitat, contra illos qui in Cæsaris fauorē eam damnabant: ac tulit suę falsæ opinionis & inquietudinis præmium, interfectus in tumultu, anno 752. Iacobus Meyer de Flandris.

MONACHI GERMANI.

AMOR.

Amor, discipulus Pirminij, abbatem egit in monasterio oppidi Amerbach, in diœcesi Herbipolensi. Trithemius in Epitome regū Francorum.

BALTHART.

Balthardus abbas fuit Herueldensis. Scripsit ad eum epistolas duas monialis quædā, in quibus eū rogat, ut ad se ueniat: seq; eius formosam fœminam appellat, cui etiam munera misit. Obijt anno Domini 798. Chronicon Schafnaburgense.

STVRMIVS.

Sturmius, socius & comes Bonifacij, in Thuringia & Hassia cum eo prędicauit, & conatus est Bonifacium nonnihil lenire in certamine aduersus Albertum: ac primus abbas Fuldensis anno Domini 750 consecratus est, & habuit quadringētos monachos, exceptis ministris: & præfuit ijs annos uiginti nouē, & obijt anno 780. Sigebertus: Vuilibaldus de uita Bonifacij: Muntzer ætate 3, in Chronographia.

BANGOLFAS.

Bangolfas, secundus abbas Fuldensis, Sturmio successit anno Domini 779. Marianus, anno 4. Leonis Copronymi. Hammelburg, Hunfeld, Rosdorf, & Thurnheim sibi subiecit, & in monte Petri seu Vlularum ædificare cœpit. Valentinus Muntzerus ætate 3.

ABBATES BAVARI SVB *Thessalone.*

OPPORTVNVS ABBAS MENENSIS. *Albunus Sandunensis abbas. Vuolfprechtus abbas Altaichij inferioris. Ruthardus Vuesso brunnæ. Albertus Tigurinus abbas. Arnouistus superioris Altaichij abbas. Ato Schiratius abbas Schlechdorfensis. Reginobertus Pfaffomonasterij. Vto, qui & Ato, Ilmensis abbas. Volcardus Austrauiæ abbas. Landofridus Burensis abbas. Berichtoldus Chimensis abbas. Segido Vueltenburgensis abbas.*

Hi interfuerunt cōuentui Boiorum in inferiori Boiaria, Dingulofini.

Ato Schiratius ad Schlechdorf, in templū diuo Dionysio dedicatum commigrauit, relicto saltu Schiratio.

Berichtoldum iuris diuini cōsultum, monachis atris ad Sylurnū lacū superioris Boiariæ, intra Oenum & Magnoualdam flumina, ipsis patrem dedit Arbo Fruxinensis episcopus. Auentinus lib. 3 Annalium.

AMALBERTVS ET VTO.

Erant duo sacerdotes Amalbertus & Vto in Boiaria inferiore, cæteris pietate & eruditione insigniores. His Carolus Magnus templum magnificè extruxit supra ostia Isaræ, ubi riuus Metena, qui nomen monasterio facit, in Istrum fertur. Auentinus 4 Annalium.

ALTO.

Alto eremita quidam in superiori Germania, cum consensu & consilio Vtilonis regis, Altonis monasterium, quod Altenmunster uocant, auspicatus est. Auentinus annalium 3.

APOLLONIVS ET DOLdanus.

Apollonius à Francis Reginoburgum missus est, ut in monasterio Heimerani monachos doceret, & Doldanus in Chirinsol. Hedio lib. 6. cap. 9. Auentinus lib. 3.

HEINRICVS.

Heinricus, seu Hunrichus abbas Menensis, cum Acno episcopo à Thassilone Romam ad Adrianum missus, rogat ut pacem inter se & Carolum constituat. Regino lib. 2. Annales Francorum: Vrspergensis anno Domini 787. Auentinus lib. 3 Annalium.

ANDOGARIVS.

Andogarius primus abbas Campoduni Rhætiæ. Achilles Gassarus, & Hermannus Contractus.

VVALAFRIDVS.

Vualafridus natione Germanus, abbas monasterij S. Galli. Scripsit uitam Galli librum unum carmine, & librum unum prosa oratione, & librum unum de Diuinis officijs, & epistolas plures. Claruit circiter annum Domini 700. Trithemius de uiris illustribus Germaniæ: & Hedio lib. 6, capite 22 Ecclesiasticæ historiæ.

OTHMARVS.

Othmarus natione Germanus, per Balchramium in cella Galli abbas constituitur, anno Domini 720. Vrspergensis. Inde à Vuarino & Rudhardo in insulam Rheni nomine Stein (unde Reinstein dicitur ab Erphordiensi, cap. 67) relegatur, accusatus de adulterio: ubi anno Domini 760 obijt. Phrysingensis lib. 5. cap. 25. Cadauer eius post annos decem incolume repertum, in basilicam Galli reportatur, & superstitiosis signa mendacia facit, præsertim fratribus compotantibus, qui finxerunt uasculum sæpius exhaustum non sensisse liquoris detrimenta. Æditus in Chronico, & Schedelius ætate 6.

THATVINVS.

Thatuinus abbas fuit in monasterio Friteslariensi, qui singulis monachis suas operas præscripsit: & Vuigbertus presbyter, Meginigotus Diaconus, in eodem cœnobio magistri erant infantum, & prędicabant uerbum Dei. Hiedde erat præpositus, & Hunefrithus collega eius, Sturme culinam curabat, & Berenhardus architectum agebat, ut patet ex epistola Bonifacij ad eosdem.

LVPVS.

Lupus Augiæ abbas, Chitomarum ducem Venedorum, seu Carentanorum sacris imbuit, eiusque Catechistes & compater fuit, & nepotem suum Maioranum diaconum illi misit sacerdotem. Auentinus 3 Annalium.

EANVVVLF.

Eanuuulf abbas per epistolam Carolum Magnum monet, ut idololatriam aboleat, & ueros cultus instituat: ac petit ab eo patrocinium, in epistola.

SEBALDVS.

Sebaldus regis Daciæ filius, Parisijs operam literis dedit: ac noctu cum deberet cum sponsa dormire, aufugit, si credere fas est: & in eremo annos quindecim exegit. Inde Romam superstitionis ergò uenit, & à Gregorio 2 ad Germanos ablegatus est, ut ijs prædicaret pontificias superstitiones. Ad Longobardos ergo accessit, & postea Ratisbonam: ac postremò prope Noribergam in solitudine uixit. Doctrina & miraculis claruit, quibus in eremo fortè arboribus & feris profuit: ad homines enim solitarius rarò uenit. Tandem Noribergæ in oratorio fratrum Martino dedicato mortuus est: quem boues indomiti ad locum sepulturæ duxerunt. Postea crescente superstitione, pontifex Martinus quintus cum in numerum diuorum retulit, & festum diem per uniuersum orbem terrarum decimoquarto Septembris in honorem eius celebrari iussit. Schedelius ætate 6. Fuit coætaneus Bonifacio, & Vuilibrordo. Curio li. 2 Chronologię.

EVTHYMIVS.

Euthymius monachus, & notarius episcopi Gothiæ, interest quartæ actioni Nicenæ secundæ, & imaginum cultum approbat.

MONACHI BRItanni.

BENEDICTVS BISCOpius.

Benedictus Biscopius cum Osuio rege Romam adijt, & in Lirinensi cœnobio in monachum est attonsus: & post biennium in Britanniam reuersus, Vuirmuthæ & Giruuici monasteria duo condidit, & sexcentos monachos Benedicti regulam obseruantes aluit.

Quinquies Romam prodeambulauit, & reliquijs, localibus ornamentis, libris ritualibus & priuilegijs onustus redijt. Vitriarios, pictores, architectos, et id genus alios ad uoluptatem artifices in Angliam omnium primò aduexit.

Bibliothecam ex Latinis et Græcis libris instituit.

Scripsit concordiam regularum, Librum 1.
Exhortationes ad monachos, Librum 1.
De suo priuilegio, Epistolam 1.

Vixit

Vixit annos septuaginta octo, & apoplexia seu paralysi interijt, anno Domini 703. Sigebertus, & Balæus Centuria 1. cap. 82.

IGLACVS.

Iglacus Anglus cum diu in philosophicis studijs operam perdidisset, ad theologiam animum suum adiecit, ac in ea ita progressus fecit, ut præ alijs excelleret. Abbas Siguinus Lindisfarnam eum uocauit: & ut monachis legeret, eosq; erudiret, iussit. Multi sub eius disciplina uiri docti euaserũt, inter quos fuit etiam Etheluulphus Bernicius.

Scripsit uitam Siguini librum unum, & alia, quæ à Danis sunt conflagrata.

Commendat eum Bernicius à modestia, sobrietate, eruditione, & alijs uirtutibus. Claruit anno Domini 740. sub Egberto Northũbrorum rege. Balæus Centuria secunda, capitibus decimo & duodecimo.

FELIX CROLANdiensis.

Felix natus in Merciorum prouincia, ad Anglos Orientales profectus literis operam dedit: & monasticis opinionibus imbutus, in Crolandiam redijt, & isthic Benedicti regulam obseruauit, sub Vuilfrido abbate, & Cyssa presbytero: rhetor & poeta sanè non ignobilis habitus est suo tẽpore. Scripsit quędã prosa & carmine, eaq; dedicauit suo Mecœnati, Ealfuualdo Anglorum regi.

Vitam Guthlaci reclusi, Librum 1.
Miracula eiusdem, Librum 1.
De translatione eiusdem, Librum 1.
Epitomen uitæ eiusdem, Librum 1.
Gesta abbatum Crolandiæ, Librum 1.
& nonnulla alia. Claruit anno Domini 730 sub Ethelbaldo Merciorũ rege. Balæus Centuria 1. cap. 100.

PLEGVINVS NORTAbrinus.

Pleguinus, homo eruditus & discendi cupidus: ad Bedam scripsit de Quæstionibus quibusdam librum unum: & ad monachos eruditos epistolas plures. Beda ei dedicauit suum librum de Sex ætatibus mũdi. Floruit anno Domini 740. Beda: Lælandus, & Balæus Centuria secunda, capite nono: & Centuria decima, capite uigesimoquarto.

ETHELVVOLFVS BERnicius.

Ethelunolphus Bernicius Eadfridum Lindesfarnensem episcopum habuit præceptorem: & postea audiuit Iglacum, ac tantũ profecit, ut uersus scriberet. Vitam manasticam professus, nihilominus Musis operam dedit.

Scripsit heroico carmine ad Egbertum episcopum de origine sui cœnobij librũ, in quo suum præceptorem Iglacum celebrat.

De illustribus monachis librũ unum & de suo somnio librum unum, & alia quædam. Claruit anno Domini septingẽtesimo quinquagesimo. Balæus Centuria secunda, capite secundo.

CEOLFRIDVS.

Ceolfridus Bernicius, in sacris & philosophicis literis apprimè eruditus, presbyter ordinatus est anno ætatis uigesimoseptimo. & postea anno trigesimonono factus est abbas Vuurmuthæ & Girunici monasteriorũ.

Scripsit ad Naitanum Pictorum regem de paschate & tonsura, Librum 1.
Homelias solennes, Librum 1.
Testamentum ad Hunebertum, Librum 1.
De sua peregrinatione, Librum 1.

Epistola eius ad Naitanum regem de paschate & tonsura, extat apud Bedam lib. 5. capite 22 de Anglis.

Doctrina & errores eius.

Rectè docet, sine Christi gratia neminem posse saluari: in eadem epistola. Sed tamen econtrà Petro ascribit, quòd pandat cœlestis regni introitum, ijs qui pascha & tonsuram eo modo obseruent, quo ille instituit.

Paschatis obseruationem ad morem Romanorum planè sentit necessariam esse: & diuersum facientes, propemodum hæreseos accusat.

De tonsura quidem bene dicit, quòd discrimen eius non noceat ijs quibus pura in Deũ fides, & charitas in proximũ syncera est. Sed tamẽ Romanũ morem tondendi pręcæteris commendat, ut à Petro usurpatum: & alium Simoni mago adscribit.

Superstitiosè, signo crucis in fronte Ecclesiæ signato, ascribit dæmonum repulsionem.

Doctrinam dæmoniorũ de interdictis nuptijs profitetur. monachos enim & clericos continentiæ frenis adstringit.

Opera gubernationis.

Refutat eos qui sine præueniente gratia Christi se saluari posse confidebant: & qui, licet Christus nunquam tenebras mundi moriendo & resurgendo uicisset, perfectam se habere posse iusticiam asserebant. In epistola ad Naitanum. Beda ibidem.

Pontificias ceremonias de paschate et tonsura, & de forma ecclesias ædificandi, non modò amplexus est, sed etiam ad alios propagauit: ut patet ex epistola ad Naitanum.

Bedæ præceptor & nutricius fuit, & librorum studiosus inquisitor. Roma Hieronymi pandectas è Græco fonte manantes, & Latinè factas transmisit ad suos. Beda lib. 2 de Ratione temporis.

Sergius pontifex ad eum scripsit, ut Bedã sibi Romam mitteret: ut indicat Vuilhelmus lib. 1. cap. 44 de Anglis.

Vulgari errore infectus, peregrinationem uersus Romam esse opus Deo longè acceptissimum,

simum, deseruit suum cœnobium anno ætatis suæ 74, (iuxta Bedam. sed Adon octuaginta tres habet) & Huneberto curam cœnobij commisit, ac Romam abijt: & inde reuertens, in itinere, Lingonis, in Narbonensi Gallia moritur, anno ætatis octuagesimo quarto, Christi uerò 716. Balæus Centuria prima, capite nonagesimotertio. Vitam eius scripsit Hunebertus.

BEDA.

Beda ex infimo Anglosaxonum genere in pago Giruico natus, circiter annū Domini 662. Cum excessisset annum septimū, traditus est Benedicto Giruicensis & Vuermuthensis cœnobiorū ad quinq; milliaria distātium abbati educādus & instituendus. Postquam prima elementa imbibit, Iohannem Beuerlacium archiepiscopum Eboracensem præceptorem sortitus est, & Ceolfridum abbatem. Cum autem ingenio fœlici & memoria uiuaci præditus esset, & gnauiter studijs linguarum, artium, philosophiæ & theologiæ dies noctesq; operam nauaret, euasit uir doctissimus. Ob exactam Latinæ, Græcæ & Ebraicæ linguę peritiam, & styli suauitatem, & dicēdi copiam, à multis Gregorio magno prælatus est. Legit & euoluit cum iudicio & fructu ethnicorum scriptorum, tum historicorum, tum philosophorum, tum poetarum uolumina: ut patet ex citationibus. Nam passim ex illis quę sibi uisa accommoda sunt, depromit. Sic Salustium, libro primo in Marcum, capite tertio: & Iuuenalem libro primo in Marcum, capite quarto: Virgilium libro tertio, capite secundo, in Samuelem: & Plinium Secūdum libro quarto, capite quinto, in Cantica canticorum citat. Patrum, & historicorum ecclesiasticorum prolixum catalogum contexat, qui omnes uelit nominare, quorum ipse meminit. Nam Clementis, Papiæ, Philonis, Origenis, cap. 1 in Marcum: Iosephi & Ecclesiasticæ historiæ, lib. 2. cap. 6: Martyrologij Eusebij & Hieronymi, et Chronici Marcellini, de capite Iohānis cap. 6. Dionysij, ibidem: Iohannis Constantinopolitani, & Gregorij, lib. 1. cap. 1 in Lucā: Iulij Aphricani, lib. 1. cap. 3. Egesippi, Paulini Nolani, lib. 2, cap. 6 in Lucam: Sedulij libro tertio, capite nono: Ambrosij, Augustini, libro quarto, capite decimoquarto: Aratoris, in epistola ad Accam, super Acta apostolorum: Benedicti, libro tertio in Ezram, cap 18. Athanasij, Hilarij, libro eodem, cap. 22. Apponij, in Cantica canticorum lib. 4. cap. 5. Cypriani lib. 2 de Tabernaculo, capite tertio: Cassiodori, libro eodem, capite duodecimo, & similium passim facit mentionem.

Natus annos nouendecim diaconus, & trigesimo presbyter à Iohanne episcopo consecratus est, apud Ecclesiam seu monasterium apostolorum Petri & Pauli, in Cantia ciuitate. autor uitæ eius in tomo octauo Bedæ: ad Vuereuindā, Vuilhelmus lib. 1. cap. 42, de Anglis: seu Vuirimudam, & Ingiruum, ut Beda ipse in epilogo Ecclesiasticæ historiæ indicat. ac monachi & scholastici doctoris officio in Giruuicēsi & Vuermuthensi cœnobio functus est, sub Ceolfrido abbate, & Huetberto.

Scripta.

Scripsit triginta sex uolumina, quæ in libros septuaginta octo distinxit. Vuilhelmus lib. 1. cap. 42 de Anglis, quę à Balæo hoc ordine referuntur:

In Genesin usq; ad Isaac,	Libros 3.
In Genesin ad literam,	Librum 1.
In Exodum,	Librum 1.
In Leuiticum,	Librum 1.
In Numeros,	Librum 1.
In Deuteronomium,	Librum 1.
Explanationes in Iosue,	Librum 1.
In Iudicum quoq;,	Librum 1.
De tabernaculo Mosi,	Libros 3.
De uasis & uestibus,	Librum 1.
In Samuelem,	Libros 4.
Super principio Regum,	Libros 3.
In Regum 30 quæstiones,	Librum 1.
De ædificatione templi,	Libros 2.
De templo Salomonis,	Librum 1.
In Paralipomenon,	Libros 2.
Super uerbis dierum,	Librum 1.
In Psalterium,	Librum 1.
Super quodam Esaiæ dicto,	Librum 1.
In Prouerbia Salomonis,	Libros 3.
In Ecclesiasten,	Librum 1.
In Cantica canticorum,	Libros 7.
In Esdram, ad Accam,	Libros 3.
In Nehemiam, ad eundem,	Librum 1.
In quædam capita libri Esdræ,	Librum 1.
In Thobiam,	Librum 1.
In Iobum,	Libros 2.
In Canticum Abacuc,	Librum 1.
In Esaiam prophetam,	Libros 2.
In Ieremiam,	Libros 2.
In Ezechielem,	Librum 1.
In Danielem,	Librum 1.
In minores Prophetas,	Libros 12.
In Euangelium Marci,	Libros 4.
In Euangelium Lucæ,	Libros 6.
In Euangelium Ioannis,	Librum 1.
In parabolas Euangeliorum,	Librum 1.
Lectiones Euangeliorum,	Librum 1.
Homelias Euangeliorum,	Libros 2.
Homelias adhuc 49.	Librum 1.
In Paulum ad Romanos,	Librum 1.
Ad Corinthios,	Libros 2.
Ad Galatas,	Librum 1.
Ad Ephesios,	Librum 1.
Ad Philippenses,	Librum 1.
Ad Colossenses,	Librum 1.

Ad

Ad Thessalonicenses,	Libros 2.
Ad Timotheum,	Libros 2.
Ad Titum,	Librum 1.
Ad Philemonem,	Librum 1.
Ad Ebræos,	Librum 1.
In plura Apostoli acta,	Librum 1.
In acta Apostolorum,	Libros 2.
Retractationes super Acta,	Librum 1.
De distantia locorum ex Actis,	Librum 1.
In epistolam Iacobi,	Librum 1.
In epistolas Petri,	Libros 2.
In epistolas Iohannis,	Libros 3.
In epistolam Iudæ,	Librum 1.
In apocalysin Iohannis,	Libros 3.
De gratia Dei,	Librum 1.
De laude charitatis,	Librum 1.
De Paschæ celebratione,	Librum 1.
De ordine feriarũ paschalium,	Librum 1.
Canones ad hæc inuenienda,	Librum 1.
Nomina sacrorum locorum,	Librum 1.
De situ Hierusalem,	Librum 1.
Ætates sex mundi,	Librum 1.
De quatuor difficilibus,	Librum 1.
De natura rerum,	Librum 1.
De temporum ratione,	Librum 1.
De eisdem maius uolumen,	Libri 2.
Lectiones ueteris testamenti,	Librum 1.
Lectiones noui testamenti,	Librum 1.
De ueritate temporũ diuinorũ,	Librum 1.
Contra Iulianum episcopum,	Librum 1.
Defensorium gratiæ Dei,	Libros 7.
Chronicon à condito mundo,	Librum 1.
De obitu sanctorum patrum,	Librum 1.
De scriptoribus Ecclesiæ,	Librum 1.
Distinctiones in Ieremiam,	Librum 1.
Distinctiones in Iobum,	Librum 1.
De Christo & Ecclesia,	Libros 2.
De die iudicij lamentationes,	Librum 1.
De 12 lapidibus preciosis,	Librum 1.
Mansiones filiorum Israel,	Libros 9.
Flores Gregorij in Cantica,	Libros 2.
Scintillariũ ex patrũ sententijs,	Librum 1.
Hexameron,	Librum 1.
De historijs sanctorum,	Librum 1.
De sancta Trinitate,	Librum 1.
Anglosaxonum historiam,	Libros 5.
De passione Fœlicis,	Librum 1.
Passionarium sanctorum,	Librum 1.
Vitam Alberti episcopi,	Libros 2.
Vitam Cuthberti uersibus,	Librum 1.
De miraculis eiusdem,	Librum 1.
Chronicon sui cœnobij,	Libros 2.
Quinq; abbatum gesta,	Libros 5.
Ad fautores Principes,	Librum 1.
Vitam Anastasij è Græco,	Librum 1.
Martyrologium de sanctis,	Librum 1.
De componendis uersibus,	Librum 1.
Expositionem Donati,	Librum 1.
De barbarismo,	Librum 1.
De schematibus & tropis,	Librum 1.
De tropis scripturarum,	Librum 1.
Hymnorum diuerso carmine,	Librum 1.
Pro Etheldreda carmen,	Librum 1.
Epigrammata heroico metro,	Librum 1.
De quantitate syllabarum,	Librum 1.
De Orthographia,	Librum 1.
Super mulierem fortem,	Librum 1.
De arte musica,	Librum 1.
Abacum numerandi,	Librum 1.
De ponderibus & mensuris,	Librum 1.
De notationes circulorum,	Librum 1.
De computatione per digitos,	Librum 1.
De mensibus ac diebus,	Librum 1.
De ratione quadrantis anni,	Librum 1.
De æquinoctio uernali,	Librum 1.
De saltu lunæ,	Librum 1.
Formationes signorum,	Librum 1.
De arithmetica,	Librum 1.
De membris humanis,	Librum 1.
Compendium Adamanni,	Librum 1.
De pseudomonachatu corrigẽdo,	Librũ 1.
De mysterijs sanctorum,	Librum 1.
Exceptiones patrum,	Librum 1.
Collectanea quædam,	Librum 1.
Flores ex diuersis,	Librum 1.
De diuinis officijs,	Librum 1.
De Andreę memoria apud Scot.	Librum 1.
De subiectione Candidæ casæ,	Librum 1.
Pœnitentiale quoddam,	Librum 1.
De topographia mundi,	Librum 1.
De situ orbis,	Librum 1.
περὶ διδάξεων,	Librum 1.
Super prophetia Sibyllæ,	Librum 1.
Epistolarum ad diuersos,	Librum 1.
Breuiariũ Chronicorũ Eusebij,	Librum 1.
Orationes ex Psalterio Hebraic.	Librum 1.

Homeliarum eius meminit Platina, ijsq; uti sacerdotes Gallicos narrat, in Iohanne sexto. Falso autem ei adscribi libros de Imagine mundi, de Naturis bestiarum, de Ponderibus & mensuris, de Situ orbis, de Similitudinibus, de differentijs uocabulorum, Physicam de simplicibus, Scutum Bedæ, Lelandus iudicat. Opera eius in octo tomos digesta, hodie extant: sed in ijs multa sunt quæ Balęus non habet, & econtrà.

De doctrina eius, & naeuis.

Quid de singulis capitibus doctrinæ benè aut perperam docuerit, suprà in quarto capite commemorauimus, ad quæ lectorem remittimus.

Pontificios errores plerosque amplexus est, de sanctorum intercessione, de libero arbitrio, de operum necessitate ad salutem, de infantibus quòd per alios credant (homilia in die Ascensionis) de inuocatione sanctorum, de cultu imaginum, de cœlibatu, de traditionibus humanis & monasticis, de oratione & missis pro mortuis, de reliquijs sanctorum

ctorum (homilia de Sanctis in decollatione Iohannis, & homilia de festo omnium Sanctorum) & de similibus nugis uerbo Dei contrarijs, quas ex somnijs & uisionibus monachorum, & ex dialogis Gregorij hausit.

Opera eius in functione.

Diligens & assiduus fuit in faciendis operis scholasticis in suo cœnobio: & discipulis & auditoribus suis tradidit artes dicendi, philosophica, physica & mathematica, ut patet ex eius libris ad eam rem scriptis.

Sacras literas exposuit pro concione, ac in eas commentatus est patrum sententijs collectis. Sic ex Augustini libris in omnes epistolas Pauli opus consarcinauit, & ex uarijs Gregorij Magni opusculis librum septimum in Cantica Canticorum collegit, ut ipse in Praefatione eius libri indicat.

Allegorijs ualde deditus fuit, quas etiam in historicis narrationibus sæpe quærit: ita tamen, ne historias ipsas tollat.

Euangelium Iohannis, Psalterium, & alios Bibliorum libros in patriam linguam transtulit. Vuilhelmus Malmesburiensis libro 1, capite 47. E Græco Latinam fecit Barnabæ uitam. Balæus Centuria 2, cap 1.

Hæreticos ueteres passim in commentarijs suis refutat: ut Chiliastas, libro tertio, capite decimo in Marcum: Nouatianos, lib. 3. in Prouerbia, capite 29, & Dominica decima sexta post Trinitatem: Origenianos, libro 1, capite 1, in Prouerbia: Pelagium, lib. 2 in Samuelem, capite septimo: Iulianum, feria quarta quatuor temporum: Eutychetem, homelia in Dominica septima post Trinitatem: Manichæum, feria quarta quatuor temporum: Photinum & Arium, in homilia de Sanctis.

Vitia & peccata suorum fratrum & amicorum ingenuè arguit. Sic lib. 2, cap. 8 in Samuelem, reprehendit eos qui neglecto uerbi Dei studio, ethnicorum scriptis nimium indulgebant. Et Egbertum Lindisfarnensem episcopum, in suo officio remissum & socordem, coarguit per epistolam satis grauiter, ac monet eum de sacra Scriptura in Saxonicam linguam uertenda. Et reprehendit præposterum studium monasteria ædificandi, ad ignauiam & libidines monachorum potius quàm ad uirtutem exercitia. Balæus Centuria 2, cap. 4.

Cum Saraceni Libyam & Africam occupassent (Platina in Iohanne sexto) & inde in Hispanias inuasissent (Volaterranus lib. 14) Beda eam calamitatem deplorauit, ac orationem conscripsit, qua reges & principes Christianos adhortatus est ad bellum contra hostes Dei suscipiendum. Sabellicus Enneadis octauæ libro septimo.

Pro se preces facere suorum operum lectores iubet. Vuilhelmus Mammelsburiensis libro 1, capite 42.

Vitę monasticæ opera assiduus fecit iuxta regulam præscriptam, ita ut quis non immeritò miretur, quo pacto potuerit tot uolumina exarare. Nam si ad numerum scriptorum eius respicias, uideatur toto tempore uitæ haud aliud egisse, quàm commentatus esse. Sin uerò consideres ordinis eius pręcepta & mores, putes eum uix aliud agere potuisse, quàm psallere & orare.

Discipuli eius.

Inter discipulos eius numerãtur, Albinus, Claudius, Iohannes, Rabanus. Erphordiensis lib. 2, cap. 69. Balæus Centuria 14. capitibus 32 & 33: & Cuthbertus Giruuicius, qui à Beda dictata celeri calamo excepit, & uitam eius descripsit. Balæus Centuria 2, cap. 7. Strabo & Haymo, fratres eius habiti sunt. Volaterranus.

Amici.

Familiaris fuit non modò monachis & episcopis in Anglia, inter quos sunt Iohannes Beuerlacius, Acca, Nectarius, Hemualdus Prouidus, Egbertus, Cymbertus, Nothelmus, Manfridus, Eleguinus Motabrinus, Daniel Ventanus, Vuithredus, Lullus: sed etiã exteris. Nam Sergius Romanus pontifex in epistola ad Ceolfridum, quę extat apud Vuilhelmum lib 1, cap. 44 eum ad sese inuitat Romam. Fuit etiam regi Northumbriæ Ceolouuolpho charus, cui dedicauit ecclesiasticã historiam Anglorum.

Virtutes eius.

Commendant eum à pietate, modestia & castitate, ac inde nomen Venerabilis ei factũ esse pleriq; uolunt. Ac sanè cum imploratione auxilij diuini lucubrationes suas aggreditur, easq; iudicio & cẽsuris amicorũ: & Ecclesię subijcit, neq; uult illas sacris literis pręferri: neq; pudet eũ fateri, quę ex alijs sumpserit.

Tribuunt ei præsagium rerum futurarũ. nam ruinam Romani imperij, & Saracenorũ in Hispanias & Gallias irruptionem prædixit, & uersu complexus est:

Regna ruent Romæ ferro, flammaq;, fameq;.

Balæus, Platina. Diem mortis septem hebdomadibus antè præsagijt. Autor uitæ eius, tomo octauo.

Fabulosum esse uidetur, quod autor uitæ eius in octauo tomo narrat: oculis captum in extrema senectute, à famulo ad aceruos lapidum esse ductum, quasi in Ecclesiam: ac eum diu concionatum, tandem conclusisse, Per secula seculorum: & lapides respondisse, Amẽ Venerabilis presbyter. & in sepulchro eius angelicis literis scriptum esse:

Hac sunt in fossa Bedæ Venerabilis ossa.

Aliorum de ipso iudicia.

Bedam diuina gratia spirituali intellectu ditatum

dicatum in Britānijs effulsisse, Bonifacius in epistola ad Danielem dicit, eundemq; sagacissimum Scripturarum indagatorem appellat in epistola ad Huetbertum. Et Gutbertus in epistola ad Lullum indicat, se cupere, ut tota gens Anglorum in omnibus prouincijs gratias Deo agat, quòd tam mirabilem uirum, prædıtum diuersis donis, & tam studiosum in ijs exercendis, et tam piè uiuentem, illis donarit. Albinus Bedam uocat nobilissimum sui temporis magistrum, in epistola ad Vuiorenses, apud Vuilhelmum libro primo, capite quinquagesimoquinto.

De morte eius.

Ob ieiunia & labores assiduos, nauseam contraxit, ac secuta est difficultas respirationis, paulo ante pascha, anno Domini 734. Eo morbo afflictus, nihilominus totis diebus, præter debitum psalmodię pensum, assiduis ad discipulos lectionibus, ruminādisq; & ab soluendis quæstionū difficultatibus grauedinem ualetudinis decipere, suspensa interim cogitatione nitebatur. Euangelium quoq; Iohannis, quòd difficultate sui mentes legentium exercet, his diebus lingua interpretatus Anglica condescendit, minus imbutis Latina. Subinde quoq; monebat discipulos: Discite filioli, dum uobiscum sum: nescio enim quàm diu subsistam, & si post modicū tollat me factor meus, & reuertatur spiritus meus ad eum qui misit illum, & in hanc uitam concessit uenire. Diu uixi, bene cōsuluit mihi Deus meus in hoc uitę spacio: Cupio dissolui, & esse cū Christo. Vuilhelmus Malmesburiēsis lib. 1. cap. 41. Ac solebat securis suis fratrib. illud inculcare: Horrendū est incidere in manus Dei omnipotētis. Ac sese cōsolabatur in doloribus: Flagellat Deus omnē filiū quē recipit: Aurū probat fornax, & uirū iustū caminus tētationis: Non sunt cōdignę passiones huius tēporis. Et Ambrosij dictū nō rarò repetebat: Non sic uixi, ut me pudeat inter uos uiuere: sed nec mori timeo, quia bonum Dominū habemus. Ac inter orandū dicebat: Suscipe Domine seruū tuū, nō calūnientur me superbi: Fac cū seruo tuo secundū misericordiā tuā. Feria uerò tertia ante ascensionē Domini, cœpit uehemētius ægrotare: sed nihilominus quædam dictauit illo & sequenti die. ac conuocatis presbyteris, piper, oraria, & incensa, & alia munuscula distribuit, ac lachrymātes cōsolatur: Tēpus est, inquiens, si sic factori meo uidetur, ut ad eū modò absolutus ex carne ueniā, qui me, quādo nō erā, ex nihilo formauit. Multū tēpus uixi, beneq; mihi pius iudex uitā meā præuidit, tempus absolutionis meæ propè est. Etenim anima mea desiderat regē meū Christū in decore suo uidere. Chutbertus, seu quisquis est autor, in epistola de obitu eius in tom. 8 Bedæ. Die uerò Ascensionis, contra oratoriū in quo orare cōsueuerat, cilicio subiecto decūbens, hilari uultu Spiritus sancti gratiam implorabat, dicēs: O rex gloriæ, Domine uirtutū, qui triūphator hodie super omnes cœlos ascēdisti, ne derelinquas nos orphanos, sed mitte promissum patris in nos Spiritū ueritatis. Hac oratione finita, supremū efflauit, subsequēte & omniū naribus oppletis odore, qualē nec cinnamoma, nec balsama spirāt: sed paradisiaco, & quæ uernans ubicūq; locorū exhalat lętitia. Vuilhelmus Malmesburiēsis lib. 1, cap. 47, de gestis Anglorū. Anno Domini 734, iuxta plerosque scriptores (sed Sigebertus tres annos minus habet) ætatis suæ 72. Epitaphiū sanè inconditū ei scriptum est, quod Vuilhelmus Malmesburiensis cū stomacho refert, & Vincentius libro uigesimotertio, capite centesimo quinquagesimo.

Presbyter hic Beda requiescit carne sepultus,
Dona Christe animam in cœlis gaudere per æuum,
Daq; illi sophiæ debriari fonte, cui iam
Suspirauit ouans intento semper amore.

HVNEBERTVS.

Hunebertus, seu Vicbertus Anglosaxo genere, Sergij primi pōtificis tempore iuuenis studij gratia Romā adijt. Inde reuersus, in Ceolfridi cœnobio monachū egit, ac ei Romam proficiscenti surrogatus est.

Scripsit de uita Ceolfridi, Librum 1.
Epistolas, Librum 1.

In monasticis exercitijs spem iusticiæ posuit.

Familiaris fuit Bonifacio, eiq; Bedę opera misit, & ab eodem uicissim munera accepit: et tandem senex in Germania ad eū uenit, cū esset Moguntinus episcopus: & in mandatis accepit, ut Friteslarienses & Ordorfiēses monachos à regula degenerantes, ad auitum reformatione noua institutum reduceret. Claruit anno Domini 730. Obijt in Germania, sepultus in Heresfeldensi cœnobio. Balæus Centuria 1, cap. 59.

CVTBERTVS GIRVVICIVS.

Cutbertus monachus in cœnobio Giruicēsi, Bedæ discipulus, qui pleraq; ab eo dictata excepit, & post mortē eius in ordinē digessit & edidit: cœpit & ipse docere in suo monasterio, ac in precio fuit apud Giruuicenses & Vuirmuthenses monachos. Scripsit librū unum de Bedæ uita & obitu, quem dedicauit Cuthuuino monacho, et librum unum epistolarū, et alia plura. Claruit anno Domini septingentesimo quadragesimo. Balæus Centuria 2, capite 7.

SIGVVOLFVS.

Siguuolfus monachus Northumbrinus & presbyter, sacrarum literarum studiosissimus, amicus & comes Albini: proposuit eidem quæstiones aliquot in Genesin,

quas cum dissoluisset, libellum ei inscripsit: ut constat ex libro Albini in Genesin.

NECTARIVS.

Nectarius abbas ueteri amicitia Bedę coniunctus, hortatus est eum ut scriberet allegoricam expositionem in Iob. quod ille & fecit, & librum ei dedicauit: ut patet ex præfatione in Iob.

ADRIANVS.

Adrianus natione Apher, sacris literis diligenter imbutus, monasterialibus simul & ecclesiasticis disciplinis institutus, Græcę pariter & Latinæ linguę peritissimus, abbas in monasterio Niridano, non longè à Neapoli Campaniæ, à Pontifice Vitaliano in Britanniam ablegatur, cum Theodoro ordinato archiepiscopo Anglorum: ea cōditione, ut ipsi adsit, & obseruet ne homo Græcus aliquid Romanæ fidei contrarium doceret. Beda lib. 4, capite 1, de Anglis. Abbatem etiam Doroberni agens, strenuè adiuuit Theodorum in pontificijs ceremonijs propagandis: libro eodem, cap. 2. & multos discipulos & monachos instituit per annos triginta nouem, in Latinis & Gręcis literis: inter quos etiam Albinus fuit. ac tandem mortuus est anno Domini 709. Beda lib. 5, cap. 21: & Sigebertus.

ALDHERIVS.

Aldherius abbas alicubi in Brytannia, familiaris Bonifacio, homo superstitiosus: credidit mortuis prodesse missarum celebrationes, ut patet ex epistola ad eundem.

VVOLFHARDVS.

Vuolfhardus abbas in cœnobio Excestrensi, præceptor Bonifacij fuit. Vuilibaldus in uita Bonifacij. Balæus Centuria 2, capite decimotertio.

DVDDVS.

Duddus, discipulus Bonifacij, abbas alicubi in Brytannia. Scripsit ad eum epistolā Bonifacius in senectute, in qua petit sibi libros & expositiones quasdam mitti, ac communicari, si quid in scriptis patrum de matrimonio commatrum & spiritualiter cognatorum legerit.

HEDDIVS STEPHANVS.

Heddius presbyter & monachus apud Cantios, excellens musicus, Vilfrido, Accę, Thatberto abbati familiaris: in Northumbrorum ecclesijs baalismum propagauit. Scripsit uitam Vilfridi, librum unum: & Eatæ & Tumberti, librum unum. Claruit anno septingentesimo uigesimo. Beda libro quarto, capite secundo de Anglis: & Balæus Centuria prima, capite nonagesimosecundo.

HEREFRITHVS.

Herefrithus in Brytannia siue abbas siue episcopus, apud Æthilbaldum in autoritate fuit, & Bonifacij literas ei obtulit: ut patet ex epistola Bonifacij ad eundem.

DE MONACHIS SCOTIAE.

EGBERTVS.

Egbertus australium Anglorū proles, ex genere celebri, in Lindisfarnensi monasterio literas didicit, & superstitiones monasticas simul imbibit. Pestem fugiens, in Scotiam uenit, anno Domini 716: ibiq; multas Ecclesias ad Romanam paschatis obseruationem, & capitis radendi ritū, & alias pontificias traditiones adduxit. Beda lib. 2 de tēporis ratione. Adon ætate 6. In Gallias cum uenisse, & claruisse, narrat Sigebertus, anno Domini 716. In Frisia etiam fuit.

Scripsit de ritibus catholicorū, Librum 1.
De paschali obseruatione, Librum 1.
Conciones uarias, Librum 1.

Cum in Huensi cœnobio annos tredecim exegisset, anno ætatis suæ nonagesimo, Domini uerò septingentesimo uigesimonono, mortuus est. Balæus Centuria prima, capite nonagesimooctauo. Beda libro quinto, capite uigesimotertio de Anglis.

DE ABBATISSIS ET VIRginibus Vestalibus.

TECLA, ET LIOBA, SEV *Leobgytha*.

Tecla & Lioba à Bonifacio ad Francos destinantur. Auentinus lib. 3 Annalium. Ad Leobgytham, & Teclam, & Chunyldam scripsit epistolā Bonifacius, in qua petit, ut pro se faciant preces, ut sit fidelis in suo officio, quod à Pontifice accepit: nimirum ut agat legatum Pontificium, & charactere eius signet multas Ecclesias. Leobgytha in epistola ad Bonifacium, dicit matrem suam Ebbam esse cognatam Bonifacio: & rogat, ut pro ea & pro patre suo mortuo oret: ac ostendit se cupere, eum in fratris locum accipere. & sub finem epistolæ adscribit uersus à se compositos. Huic Bonifacius potestatem fecit docendi puellas: in epistola ad ipsam. Scripsit etiam Lullus epistolam ad Leobgytham.

CHVNITRVDA, ET VVALDOPYRGA.

Chunitruda matertera Lulli, cum Vualdopyrga filia Richardi, nepte Bonifacij, sorore Vuilibaldi, in Bauariam à Bonifacio collocātur. Auentinus lib. 3 Annalium. & Vualdopyrga abbatissa Heydenheimēsis, Aichstadij sepulta, oleum sudare ex sepulchro scribitur. Trithemius de Illustribus uiris Germaniæ, Balæus, Hedio, Curio lib. 2.

CHVNILDA, ET BERAGYTHA.

Chunylda mater, & filia eius Beragytha, fœminæ bonis literis excultæ, ex Anglia ad Bonifacium uenerunt in Germaniam, & ab eo in Thuringiam constitutæ sunt ad uitam monasticam & ritus pontificios tradendos. Auentinus lib. 3 Annalium.

OTILIA.

Otilia Vdalrici filia, cæca à natiuitate, recepit

recepit uisum unà cũ baptismo ab Erhardo episcopo Treuerensi: & oculis spiritualibus priuata, humanis traditionibus Deo cultum præstari somniauit: ideoq; uitam monasticã ingressa, uirgines 130 collegit in Alsatia, easq; secum uti potius quàm nubere uoluit: ut cõstat ex Chronico de sanctis, & ex Munsteri Chronographia.

GEILVVINDA.

Geiluuinda constituta est abbatissa à Landofrido, Valderamo, & Elilando, fratrib suis: qui sacras ædes uirginibus ædificarũt Pollingum, Stapffelsee, & Cothelsee. Auentinus lib. 3 Annalium.

EADBVRGA, BVGGA.

Eadburga cognomento Bugga, abbatissa alicubi in Britannia, fœmina erudita, & poeseos non ignara, Leobgytham docuit scribere uersus. Valde familiaris fuit Bonifacio, ei que libros sacros & epistolas Petri aureis literis exaratas trãsmisit: ut apparet ex epistolis Bonifacij ad ipsam. Erroribus illis pontificijs fascinata, interdictum de nuptijs approbauit, peregrinationes ad loca sancta magni fecit, & pro animabus mortuorum missas & orationes celebrari cum earum salute putauit: ut patet ex epistola eius ad Bonifacium. Romã adijt, ibiq; cum Bonifacio limina Apostolorum (intellige pontificis & Cardinalium) uisitauit: ut Ethelbertus rex Cantiæ in epistola ad Bonifacium narrat.

ETHELHILDA.

Ethelhilda soror Etheluini episcopi Lyndesij, & Adeluini abbatis in Bernig, non procul ab ijs & ipsa in cœnobio abbatissam egit. Beda lib. 3. cap. 10. Claruerunt circiter annum Domini 710. Balæus & Lelandus Centuria 10. capite 19.

EANGYTHA.

Eangytha mater Eadburgæ, seu Buggæ, abbatissa in Brytannia: scripsit cum filia epistolam ad Bonifaciũ, in qua queritur de molestijs suis: ac petit consilium eius, an debeat Romam ire, & peccatorũ suorum indulgentiam petere. Vnde, quomodo Pontificij errores anxias conscientias exercuerint, colligi potest. Superstitiosa mulier, extincta doctrina de potestate clauium, ignorauit, peccatorum remissionem à quolibet ministro Ecclesiæ in nomine Christi denunciatam, tam esse efficacem, quàm si à pontifice Romano id fiat: ac uim abolendi peccata in peregrinationis labore potius, quàm in Christi merito, somniauit consistere.

GAVSA.

Gausa, Pancrituda & Gariperga, uirgines, bonis & parentibus suis desertis, peregrinatæ sunt religionis (seu uerius fornicationis) ergò, ad fratres Casinenses. Cum autem cõmodæ uiderentur abbati Petronaci, apud Gisulphum regem effecit, ut cœnobium Mariæ uirginis illis traderetur per successiones ordine regendum: quibus defunctis, potestas penes Casinenses esset, alias quas uellent abbatissas isthic constituere. Leo Hostiensis libro primo, capite sexto, de Casinensi cœnobio.

MILBVRGA.

Milburga abbatissa, in cuius monasterio quidam à mortuis reuixit, & uanas ac superstitiosas uisiones de purgatorio, de missis, de bonis operibus & alijs Pontificijs nugis recitauit: ut patet ex epistola Vuinfreti, seu Bonifacij ad Eadburgam, de qua in loco de Miraculis.

HILDELIDA.

Hildelida abbatissa exposuit Bonifacio uisiones illas, quas ille ex morte reuersus commemorauit: ut constat ex eadem epistola.

THESIA ET RATRVDA.

Thesia uxor Rachis, & Ratruda filia eius, cœnobio extructo fiunt moniales: falsa opinione de sanctitate eius uitæ deceptæ. Leo Hostiensis libro primo, de Casinensi cœnobio.

GISLA ET RICHTRVDA.

Gisla & Richtruda Anglicæ mulieres, & Vestales, ab Albino Latinè doctæ, scripserunt epistolas consolatorias ad eundem: ac petierunt, ut ex Augustini & aliorum Patrum scriptis conficiat commentarios in Iohannem. quod cum fecisset, Gislę & Columbę dedicauit librum illum in Iohannem. Claruerunt circiter annum septingentesimũ septuagesimũ. Balæus Centuria secunda, capite decimooctauo.

OSVITA.

Osuita abbatissa alicubi in cœnobio Lullo Moguntinensi subiecto, à Bonifacio uelata est, & regulam monasticam ab eodem suscepit. Quia uerò contra canones, sine Lulli episcopi sui cõsilio, permiserat uirgines suas egredi cœnobio, & peregrinari: ideo eam grauiter obiurgat per epistolam, & excommunicat.

GERTRVDIS.

Gertrudis filia Pipini, ex Itta sorore Nedoaldi archiepiscopi Treuirorum nata, soror Caroli Magni, uirgo monialis circiter annum Domini septingentesimũ nonagesimũ quartũ, habitauit Carleburgi eregionè Carlostadij: ac inde in Gallias profecta, uicum Steinfeldt & Cellam monasterio donauit. Valentinus Muntzer ætate tertia: Crantzius libro secundo, capite primo: Chronicon Isennacense.

SICCHEDIS.

Sicchedis uirgo Vestalis superstitionibus dedita, sepulchrum Vuinnoci auro cælauit, gemisq; uarijs insigniuit. Idē fecit sepulchro Syluino. Fuit filia Adalsquarij, conditoris cœnobij Alchiacensis. Iacobus Meier in Chronico Flandriæ.


LANDRADA.

Landrada Martelli filia, antistes cœnobij Beliensis facta est. Meyer de Flandris.

CAPVT XI.

DE HAERETICIS.

FELIX.



VRgelitanus fuit episcopus Felix: consultus ab Eliphando Toletano de humana Christi natura, affirmauit Christum esse adoptiuū filium. de quibus in Capite de Hæresibus plura.

ELIPHANDVS.

Toletanæ Ecclesiæ episcopus fuit Eliphādus, quæ ad Hispalensem inspectionem pertinuit: ut Paulus Aquileiensis scribit. Vel autor uel adstipulator fuit sententiæ Felicianę, ut suprà de Hæresibus est expositum.

MACARIVS.

Roma eiectus est Macarius, iuxta sextę Synodi decretum. Ei Benedictus spacium unius mensis concessit: & Bonifacio hoc negocij dedit, ut eum in uiam reduceret: uerùm oleum & operam (quod dicitur) perdidit: ut narrat Petrus presbyter, uicarius Adriani papæ, in secunda Synodo Nicena, actione prima.

CAPVT XII.

DE MARTYRIBVS.



IN historijs huius seculi multi celebrātur martyres, qui partim ob contumaciter defensam imaginum adorationem (inter quos sunt Stephanus monachus, & Constantinus, apud Zonaram tomo 3, in uita Constantini: & apud Paulum Diaconum lib. 22 rerum Romanarum: & Theodosia uirgo apud Otthonem Phrisingensem libro 5. cap. 18. & Hildebertus Blandiniensis abbas, qui Gādauij in seditione ob imagines defensas interfectus est: ut Iacobus Meier refert in Chronico Flandriæ) partim uerò ob Romani pontificis sacrilegium & dominatum, partim ob seditiones, partim propter atrocia facinora perierunt. Verùm quia non suppliciū, sed causa pia, iusta & honesta, martyrem facit; ideo nos de pseudomartyribus illis, nihil hoc loco dicendum existimamus.

DE MARTYRIBVS SVB *Copronymo.*

PETRVS.

PEtrus Damasci metropolites, Saracenorum impia dogmata refutabat, & hæresin Arabum & Manichæorum multa cū ipsis cōmunia habere demonstrabat: functus in eo synceri doctoris officio, quod est cōtradicentes conuincere. A Saracenis autem ad Halim principem suū accusatus, recusat suā confessionē retractare. Quare lingua ei præciditur, & in Arabiam felicem deportatur. Ibi uerò cū in exilio esset, & alios Christianos cōfirmasset in fide, sacra mysteria celebrare deprehensus esset, interfectus est, anno Domini 745, iuxta Sigebertum in Chronico. Paulus Diac. lib. 22 rerum Romanarum, anno Constantini secundo id factum narrat.

PETRVS MAIVMENVS.

Petrus Chartularius erat, & de publicis tributis rationes conficere solebat. Amplectebatur aūt doctrinam Christi, & auersabatur Mahometi supstitiones & errores. Sed uim metuens, ea quæ sui muneris erant curabat, & Arabū conuicia tolerabat. Ea uerò re cum malam conscientiam sibi comparasset, in morbum incidit. Ad eum uisitādi gratia accedūt primores Arabum, quos sic excipit. Mercedē pro mei uisitationē à Deo recipiatis, licet infideles amici sitis: testamenti uerò mei testes uos uolo, idq; tale est. Omnis qui nō credit in patrem & filium & spiritum sanctum consubstantialem, & diuinā in monade Trinitatē, mortuus est anima, & æterno dignus tormento. Talis est Mahumet pseudopropheta uester, & Antichristi præcursor. Discedite ergo, si mihi creditis testanti uobis cœlum & terram, ab illius fabulatione. Consulo enim uobis, ne cruciemini simul cū illo. Cum hæc & plura cum eis de Deo ratiocinatus dissereret, audientes illi stupore seu uesania detenti, longanimiter uisi sunt ferre, ex languore hunc præter sensum esse putantes. Cum aūt ex infirmitate conualuisset, maiori cœpit uoce clamare: Anathema Mahumet, & fabulosum scriptum eius, & cuncti qui obediunt & credunt ei. Tunc per gladium animaduersionem perpessus, martyr ostensus est. Hunc declamationibus sermonū honorauit sanctus pater Iohannes, qui bene cognominatus est Chrysoroas. Paulus Diac. lib. 22 rerum Romanarum. Item Damascenus. Factum uerò hoc est anno quarto Constantini, Domini uerò 745, iuxta Sigebertum.

DE MARTYRIBVS SVB *Leone Isauro.*

EVTYCHIVS.

EVtychius Mariani patricij filius, à Saracenis captus in Carris Mesopotamiæ, iussu Euelid, cū multis alijs est interfectus, ob constantem

ſtantem fidei confeſsionem: anno Leonis 23. nugatur Paulus Diaconus, eius reliquias miracula edidiſſe: ſed uanum & ſuperſtitioſum eſt credere. lib. 21 rerum Romanarum.

SVB CONSTANTINO *Copronymo.*

GENGVLPHVS.

GEngulphus miles Pipini, in Burgũdia fontem emit: & in Francia in loco qui dicebatur Vuarenna exire impetrauit. uxor eius interea à clerico uiſitatur, & fit adultera. accuſata, ſe defendit, & iuſſa ex fonte lapillũ extrahere, brachium ambuſtũ extrahit. & hoc modo de adulterio cõuicta, dimittitur à marito. Id moleſtè ferẽs cũ clerico, cędem illi infert. Hinc ille martyr celebratur, & ad fontem illũ finguntur miracula edita, quę plena ſunt ſuperſtitionibus. claruit anno Domini 759. Sigeb. Liber de uita eius. Erphordiẽſis cap. 67. Vincent. lib. 23. cap. 159.

DE MARTYRIBVS SVB IRENE.

THEOPHILVS.

THeophilus Cibioretarum prætor, à Saracenis captus in prælio, ad Aaronem principem eorũ adducitur. Ille uerò eum cũ noſſet hominẽ bellicoſum & induſtriũ eſſe, conatur muneribus corrumpęre, ut abnegata fide Chriſti, ad Mahometi ſectam accedat, ac pro ea ſecum contra Romanos pugnet. Sed uir pius in fide ſua perſeuerat, & Mahumetanorum deliria refutat. Tyrannus, quod pollicitationibus nõ potuerat, ſperat ſe minis & ui effecturũ. Verùm cum nec id ſucceſsiſſet, uiã aliã non habens, capitali ſupplicio eum damnat. Paulus Diac. lib. 23 rerum Romanarum.

GEROLDVS.

Geroldum, ſeu Gerardũ, Boioariæ præfectum ſeu ducem, ab Auaribus in prælio interfectum, & in Augia ſepultum, inter martyres Vetini cuiuſdã uiſione relatum eſſe, Regino lib. 2 indicat. Sigebertus eum interfectum eſſe circiter annum Domini 800, narrat.

CAPVT XIII.

DE MIRACVLIS ET *prodigijs.*

DE REBVS ADMIRABILIBVS *ſub Abſimaro.*

PHilippicus anno quarto Abſimari, in ſomnis uidit caput ſuũ ab aquila obumbrari. Id cum Imperator audiuiſſet, ſuſpicans ei regnũ portendi, ſtatim illum in exiliũ expulit in Cephaleniam inſulam. Paulus lib. 20.

Anno ſexto Abſimari, Domini uerò 704, iuxta Sigebertum, cum Iuſtinianus Chaianũ fugiens, in naui eſſet, & tempeſtas coorta periculum extremum minaretur, Maiaces ſatelles eius inquit: Ecce morimur Domine, uoue Deo pro ſalute tua, ut ſi Deus imperium tibi reſtituat, in nullũ ex inimicis tuis ſis animaduerſurus. At ille reſpondet: Si pepercero cuiquam eorũ, in hoc loco Deus me demergat. Cum hæc locutus eſſet, fluctus quieſcunt, & ille ſine periculo in Danubium amnem tranſit. Paulus Diaconus libro uigeſimo: Zonaras tomo 3.

De prodigijs & rebus admirabilibus ſub Philippico.

Anno ſecundo Philippici terræmotus in Syria accidit. Paulus lib. 20 rerum Romanarum, anno Domini 714.

SVB ANASTASIO.

ANno Domini 715. Gregorij 2 tempore, in dictione 14. luna eclipſin paſſa, uiſa eſt quaſi cruenta, à prima uſq; ad tertiam uigiliam noctis, ſeu uſq; ad mediam noctẽ. Marianus in Chronico. Platina in uita Gregorij 2. Sabellicus Enneadis 8. lib. 7.

SVB THEODOSIO.

TYberis exundat, & urbis Romæ muros tranſcẽdit, domos euertit, agros diſsipat, arbuſta & ſegetes eradicat. Gregorius 2, litanijs Deum placat, & octauo die ad alueum ſuum Tyberis redit. Paulus Diac. lib. 6. cap. 12 de geſtis Longobardorum: Liber pontificalis: Platina. Anno Domini 717. Sigebertus: & Beda lib. 2 de Tempore.

DE PRODIGIIS ET REbus admirabilibus ſub Leone Iſauro.

QVomodo Rathbodus dux Friſonum deceptus à diabolo fuerit, Ouo presbyter narrabat dicens: Quia apparuiſſet ei in angelum transfiguratus, caput opertũ diademate aureo cũ gemmis, & ueſte cum auro texta. in quem cum Rathbodus intenderet, dixit ad eum diabolus: Virorum fortiſsime, quis te ita ſeduxit, ut à cultura deorum uelis recedere? noli hoc facere: ſed mane in his quæ didiciſti, & uenies ad domos aureas, quas tibi æternaliter in proximo ſum daturus. Cras ergo accerſe Vulfrannum doctorem Chriſtianorum, & ab eo quære, quæ nam ſit illa manſio æternæ claritatis, quam tibi pollicetur. Quam cum demonſtrare nequiuerit, utriuſque partis mittantur legati, & ego ero dux itineris, & demonſtrabo illis domum auream, manſionemq; pulcherrimam, quam tibi promitto. Euigilãs Rathbodus, narrauit cuncta ſancto Vuulfranno. Qui dixit: Illuſorem diabolum ſibi uelle illudere. Reſpõdit dux, ſe futurum Chriſtianum, ſi illa pulchra manſio non demonſtraretur ſibi à deo ſuo. Mittitur ergo ſtatim quidam Friſo ex parte ducis, & quidam diaconus ex parte ſancti Vulfranni: qui cum paululũ ab oppido proceſsiſſent, obuium habuerũt quendam itineris comitẽ, qui dixit eis: Properate citò, nam monſtrabo uobis

uobis pulcherrimam mansionem Rathbodo duci præparatam. Illi autem pergentes uiam latissimam, & loca ignota, uiderunt quandā uiam diuersorum generibus marmorum polito opere decoratam, uideruntq; à longe domum quasi auream, & peruenerunt ad plateam quæ ante domum erat, quasi auro & gemmis strata. Intrantesq; in domum, uiderunt domum esse miræ pulchritudinis & incredibilis splendoris, atq; in ea thronum mirę magnitudinis. Tūc ductor itineris ait illis: Hæc est mansio præparata Rathbodo duci. Ad hæc diaconus obstupescens, ait: Si à Deo facta sunt ista, perpetuò maneant: si à diabolo, citò dispereant. Et cum signaret se signo sanctæ crucis, ductor ille transijt in diabolū, domus uerò aurea in lutum. Remansitq; diaconus & Friso in medio locorū palustri, & quæ plena erant longissimis uirgultis ruscis. Triduoq; immensi itineris conficientes iter, reuersi sunt ad oppidum, ducemq; mortuum inuenerunt: narraueruntq; quę uiderant sancto Vulfráno. Vincentius lib.23. cap.146. Anno Domini 718. Sigebertus. Erphordiensis capite 66.

Cum Longobardi, ægrotante Luitprádo, nepotem eius Hildebrandū regem creassent, ac pro more contū in eius manus dedissent: cuculus aduolat, eiusq; cacumini insidet. quod pleriq; interpretati sunt, fore ignauum regem: ac postea eo deiecto, alium elegerūt. Paulus lib.6. cap.16. de Longobardis. Blōdus decadis 1. lib.10.

Saraceni Constantinopolim obsidentes, fame, frigore, bello & peste conficiuntur, ac postea igneæ grandinis tempestate mare ebulliens, naues eorum omnes præter quinq; accendit: anno Domini 719, & 720. Sigebertus. Paulus Diaconus lib.21 rerum Romanarum, & lib 6. cap.14. de Longobardis.

In Campania frumentum combustum, & hordeum & legumina quasi pluuia de cœlo ceciderunt, anno Leonis quinto: Domini uerò, 722. Sigebertus. Secuta est Saxonum ad fidem Christi conuersio, & magna omnium frugum ubertas. Schaffnaburgensis in Chronico, & Antoninus titulo 13. cap.1.

Anno decimo Leonis, æstiuo tempore, uapor ut ex camino ignis uisus est ebullire inter Theram & Therasiam insulas ex profundo maris, per aliquot dies: quo paulatim incrassato & dilatato, igniti æstus incendio totus fumus igneus monstrabatur. Porrò crassitudine terrenæ substantiæ petrinos pumices grandes, ut cumulos quosdam transmisit per totam minorē Asiam, & Lesbon, & Abydum, & maritima Macedoniæ, ita ut tota superficies maris his pumicibus esset repleta. In medio aūt tanti ignis, insula ex terræ congerie facta, insulæ quæ Sacra dicitur, copulata est, nondum prius existens. Paulus Diac. lib.21 rerum Romanarum. Videtur iste ęstus denotasse seditiones, quas Romanus pontifex & alij homines superstitiosi contra Imperatorem concitarunt, ob defensionem cultus imaginum, anno Domini 727.

Anno Domini 729, indictione decima, ut habet liber Pontificalis: mense Ianuario, ut Marianus Scotus scribit: apparuerunt cometæ duo circa solem, multum intuentibus terrorem incutientes. Vnus quippe solem præcedebat mane Orientem, alter uespere sequebatur Occidentem, quasi Orieti simul & Occidenti diræ cladis præsagi: uel certè unus diei, alter noctis præcurrebat exortū, ut utroq; tempore mala mortalibus imminere significarent. Portabant autem facem ignis contra aquilonem, quasi ad accendendū accliuem. apparebantq; mense Ianuario, & duabus fermè septimanis permanebant. Quo tempore grauissima Saracenorum lues Gallias misera cæde uastabat: & ipsi non multo pòst in eadem prouincia dignas suæ perfidię pœnas luebāt. Beda lib.5. cap.24 historiæ Anglicæ: Bonfinius lib.8. decadis.1. de Vngaris: Platina in Gregorio 2. Sabellicus Enneadis 8. lib.7.

Solis Eclipsis anno Domini 733 accidit, iuxta Chronicon Quedelburgense.

In Syria pestis grassatur, & multos è medio tollit, anno Leonis 17. Paulus lib.21 rerū Romanarum, Domini 734. Anno sequenti signum igneum in cœlo resplendés, ut Paulus indicat libro eodem, Saracenorum in Asiam irruptionem portendit.

Signa in sole, luna & stellis apparuisse anno Domini 740, Sigebertus indicat. Et Paulus Diaconus lib. 21 rerum Romanarū: Anno Leonis 23, inquit, terręmotū factum esse magnum atq; terribilem Constantinopoli, 7 Calendas Nouembris, indictionis nonæ feria 4, hora 8. & corruerunt Ecclesiæ ac monasteria, populusq; multus extinctus est. Cecidit autem & simulachrū, quod stabat super Attali porta Magni Constantini, unà cum ipso Attalo: & titulus Arcadij, qui supra Xerophili columna stabat: atq; simulachrum maioris Theodosij, quod supra auream portam uidebatur: necnon & terreni urbis muri, atq; ciuitates ac uillæ in Thrace, & Nicomedia in Bithynia: item Prænetus & Nicea, in qua una tantum salus remansit Ecclesia. Fugit autem & mare terminos suos in quibusdam locis, & perdurauit terræmotus mensibus duodecim. Idem refert etiā Zonaras tomo 3. Anno Domini 741, iuxta Sigebertum: quę mortem Imperatoris, & cladē Artabasdi, et expugnationem Constantinopolis paulo pòst subsecutam, et alias miserias portenderunt.

DE REBVS MIRABILIBVS *& prodigijs sub Constantino Copronymo.*

PLuuiæ defectus, & terræmotus fiunt, adeò ut montes per eremũ Sabæ coeãt, & castella in terrã immergãtur absorpta, anno Constantini 2. Domini 743. Paulus libro 22 rerum Romanarum.

Tertiò, Constantini signum seu cometa ad Aquilonem apparuit, & cinis de cœlo cecidit, & in portis Caspijs terræmotus accidit. Paulus libro 22 rerum Romanarum, anno 744. Sigebertus.

Constantinopoli obsessa, tanta rerum penuaria & caritas fuit, ut modius hordei duodecim numismatibus, leguminis uerò quindecim, milij ac lupini octo, olei autem uno libræ quinq;, sextarius uini dimidio uẽderetur.

Anno eodem, cum Hunni de Transyluania occupanda consilium cępissent, tanta è montibus aquilarum multitudo aduolauit, ut non solum equos & pecora, sed etiam epulas è mensis eriperent. Bonfinius libro 9 decadis 1. de Vngaris.

Anno 4. cometa in Syria cõspicitur: qui uidetur seditionẽ inter Arabes, & tenebras, pestem & terræmotus, qui subsequuti sunt, significasse. Nam anno altero, à quarto idus Augusti usque ad Octobris calendas, tenebræ factæ sunt caliginosæ: & postea anno sexto Constantini, Palæstina circa Iordanem & totam Syriam, in Ianuario, hora quarta concussionem patitur, qua multæ Ecclesię & monasteria euertuntur: & pestis in Sicilia & Calabria orta, peruagatur Monobasiam, & Helladem, & insulas uicinas, ac tandem Constantinopolin aggreditur: atq; in uestibus tũ prophanis tum sacris, & in uelis, cruciculę plurimę, ueluti ex oleo designatæ, cõspiciuntur. Multi mente deturbati, indicãt se uidere peregrinos quosdam homines, truculento uultu prope se euntes & colloquentes, ac in domos ingredi, hominesq; aut uulnerare, aut eijcere: ac plerunq; respõdit euentus. Nam lues ista plenas domos euacuauit: tantaq; fuit multitudo morientium, ut omnibus monumentis in urbe & suburbio cõpletis, cisternæ, lacus, uineæ & horti sepulchra fierent: anno Domini septingentesimo quadragesimo octauo, iuxta Sigebertum.

Cum Stephanus Papa in Franciam iret petitum auxilium à Pipino contra Aistulphum, noctu uidit igneum globum ab australi Gallię parte, in Longobardorum fines excurrẽtem, anno Domini 752. Quę res portendit Lõgobardis oppresionẽ per Frãcos.

Anno nono Constantini, terræmotus factus est in Syria, & ingens ac terribilis casus. Vnde ciuitatum aliæ quidem penitus exterminatę sunt, aliæ uerò mediocriter: aliæ autem à montanis ad subiecta campestria cum muris & habitationibus suis integræ migrauerũt, & saluę, quasi ad milliaria sex, uel etiã modicum quid ultra. Deniq; asseuerauerũt hi qui proprijs uisibus terrã Mesopotamiæ contemplati sunt, in longitudine disruptã fuisse ad milliaria duo, & ex profundo eius ascendisse aliam terram nimis albam & harenosam, de cuius medio ascendit (ut aiunt) animal mulinum incontaminatum, loquẽs humana uoce, & prænuncians gentis incursionem ab eremo aduersus Arabes: quod & factum est. Paulus Diaconus lib. uigesimosecundo rerum Romanarum. Sigebertus annum duodecimum Constantini assignat, Domini uerò 753. Nauclerus generatione uigesimasexta, putat hæc translationem imperij ad Francos portendisse. Non autem est dubium, quin Deus uoluerit hoc animali e terra ascendente, exponere Iohannis uisionem, Apocalipsis 13.

Anno eiusdẽ decimosexto, iterum Palęstina & Syria ad septimum idus Mart. subterraneo motu concutiuntur. Paulus Diaconus libro eodem, circiter annum Domini 757. Anno sequenti Aistulphum fulmine percussum esse, quidam referunt.

Anno eius 20, cometa in oriente apparet dies decem: & postea siue idem, siue alius, diebus uigintiuno effulget. Et 18. Calendarum Septembris, feria 8. hora decima, Solis defectio accidit. Paulus Diaconus libro eodem: Circiter annum Domini septingẽtesimũ sexagesimũprimum, sequuta est Turcarum ex portis Caspijs in Armeniam irruptio. Et Calendis Octobris factum est gelu magnum & amarissimum, non solum in terra nostra, uerùm etiam in Oriente, & multo magis in Septentrionali parte, ut pelagus ponti usque ad centum milliariã præ glaciei rigore in lapidis duriciem fuerit uersum, habens cubitos in superficie ad profundum triginta: cunctis nimirum regionibus ab ipsa Lycia usque ad Danubium, & Euphrę fluuium, Danastri quoq; & Danapri, atq; Necropela, nec non & per reliquas ripas, & usq; ad Mesembriam & Mœsiam similiter patientibus. Cumq; huiuscemodi gelu niue fuisset coopertum, super alios uiginti cubitos creuit, ita ut mare aridę conformaretur, & pedibus calcaretur in superficie glaciei à Cazaria & Bulgaria, quin & adiacentibus insulis, tã ab hominib. quàm agrestibus & mansuefactis animantibus. Februario uerò mense ipso secundę Indictionis, huiuscemodi gelu Deo sic ordinante in multas ac diuersas in specie montium factas concisiones, in Danupsiam & Hieron descẽdit. Tali modo per angustum peruenerunt ad

urbem, & usque ad Propontidem atque insulas & Abydum, omnes maritimos choros ac ripas replentes, quarum uidelicet cōcisionum inspectores & nos ipsi extitimus, descendentes super unam eorum cum quibusdam triginta coætaneis nostris. Habebat autem & animalia campestria & mansueta, & uiua & mortua. omnis enim quicunque uellet à Sophianis usque ad urbem, & à Chrysopoli usque ad sanctum Maman, & ad ea quæ dicuntur Galathi, per aridam sine prohibitione pergebat. & una quidem ex eis ad Acropoleos scalam disrupta contriuit eam: alia uerò ingentis molis ad murum collisa, hunc magno impulsu cōcussit, adeò ut interiores quoque domus salo comparticiparentur. Porrò in tria disrupta, cinxit urbem, à Manganis uidelilicet usque ad Bosphorum, cuius altitudo muros excelsit. omnes autem tam uiri quàm feminæ, simul & pueri, horum uisioni dantes indesinenter operam perseuerabant, & cum lachrymis domum reuertebantur, ignorantes quid ad id fari quiuissent. Cæterùm anno eodem, mēse Martio, stellæ de cœlo cadentes apparuere, ita ut omnes qui hoc uiderunt, instantis seculi consummationem putarent. Siccitas quoque multa effecta est, adeò ut etiam fontes exiccarentur. Paulus Diaconus libro uigesimosecundo rerum Romanarum, Sigebertus annotat annum Domini 763. Sunt tamen qui siccitatem illam referant ad annum Domini septingentesimum sexagesimumquintum.

Anno eius 26, tanta siccitas in Thracia fuit, ut nec pluuia nec ros de cœlo caderet, & cisternæ, lauacra, fontes, & fluuij Constantinopoli deficerent: ac necesse haberent Valentiniani, aquæ ductum renouare. Paulus libro eodem: anno Domini septingentesimo sexagesimoseptimo, iuxta Sigebertum,

Cum Caroli exercitus in bello Saxonico siti triduana laboraret, & à destruendo fano Hermansaul ob aquæ penuria cogitaret, Deus per torrentem quendam prope montem subitò aquas largissimas effudit, ad recreationem militum: anno Domini 772. Sigebertus, & Regino lib. secundo. Adon ætate 6. Auentinus libro quarto Annalium: Annales Francorum: Annonius lib. quarto, capite 64, de Francis.

Miraculosa etiam fuit Francorum in castro Hersburg liberatio, ab obsidione Saxonum. Nam dum illi ad castrum expugnandum cum impetu accurrūt, duo scuta supra basilicam sanguineo cruore flammantia uibrari conspiciuntur tum à Christianis, tum ab ethnicis Saxonibus. Ea re confirmantur illi: hi uerò metu perculsi fugam capessunt: & furore perciti, mutuis armis se conficiūt: anno Domini 776. Regino libro 2, & Sigebertus in Chronico.

Res mirabiles, quæ imperante Leone Copronymo contigerunt.

Anno Domini 778, pridie Calendas Februarij, sol circa meridiem deficit, cum triduo antè Luna idem esset passa. Et acies eadem nocte apparuerunt. Visa est & Mercurij stella, 16 Calendas Aprilis, in medio sole, uelut macula quædam nigra. Hæc prodigia Francorum in Hispanijs funestam uictoriam significasse uidetur. Turpinus, & Sabellicus enneadis 8. libro 8. Scribit Turpinus, eo die quo clades insignis accepta est à Gallis, in qua perijt Rolandus, se inter sacrarum ceremoniarum administrationem uidisse & audiuisse animas ad cœlum cum cantu ascēdentium. Fides penes autorem esto.

Fames & pestis affligūt Franciā, anno Domini 779 Honorius in Chronico, & Hermānus. Eodem anno, cum Carolus cum Agolādo Africano manus esset conserturus, pridie in pratis, iuxta fluuium Coiam, hastæ quorundam militum in terram defixæ, ante castra manè corticibus & frondibus decoratæ inueniuntur: quę res istis quorum fuerūt hastæ, portendit martyrium. nam in acie illi omnes ceciderunt, ut refert Erphordiensis capite 68. Non ita multo post, cum esset prælium ineundum cum Furre rege Nauarræ, Carolus diuina reuelatione rubeum signum crucis in humeris conspexit eorum militum, qui essent in acie perituri. Quod fatum ut auerteret, istos in oratorium quoddam recondidit, qui tamen etiam in tuto illo exanimati & mortui sunt. Capite eodem. Cætera quæ de miraculosa statura gigantis Babylonij, & de Rolandi cum eo cōflictu nugatur, fabulosa uidentur.

SVB IMPERIO IRENES & Constantini.

VIr quidam in longis Thraciæ muris, contra barbarorum incursus factis, fodiens, inuenit lapideā arcā, quæ continebat humanum cadauer, super cuius pectus lamina aurea erat, cui inscripta fuerunt hæc uerba: Christus nascetur ex uirgine Maria, & credo in eum, qui Deus est, & à Deo genitus ab æterno: sub Constantino & Irene imperatoribus, ô sol, iterum uidebis me. anno Constantini & Irenes primo. Paulus Diaconus libro uigesimotertio rerum Romanarum, anno Domini septingentesimo octuagesimosecundo. Sigebertus. Platonem fuisse, multos existimare, Gygas in floribus tēporum narrat.

Decimoquinto calendas Octobris, hora secunda, eclipsis facta est, ut indicat Hermannus. Sed Quedelburgense Chronicon refert, ab hora prima diei usque ad quintā, defectionem

defectionem illam solis durasse, anno Domini 786. Et eodem tempore signa crucis in multorum hominum uestibus cōspecta esse, Sigebertus narrat.

Huc pertinet mirabilis illa Vuitekindi uisio, qua communicantes uidit à sacerdote accipere puerum pulchellum alijs arridentem, ab alijs uerò faciem suam auertentem: ut Cantzius refert libro primo, capite 9, in Metropoli.

Sequenti anno, in Frisingensi agro, aere sereno & trāquillo, diuersi generis ligna de cœlo ruisse, Auentinus libro 3. Annalium, ex Francorum Chronicis annotat: anno Domini 787. Hæc res significauit, superstitiosam Imperatricem, & pontifices Romanos, ecclesias Dei cultu statuarum repleturos: quod etiam accidit. quas tamen Carolus, & pleriq; episcopi Franciæ & Galliæ, non nisi ligna esse, nec adorari debere, in Francofurdensi Synodo rectè statuerunt: contra decreta Nicenæ secundæ Synodi, & Romani pontificis ut suo loco diximus.

Sanguinem de cœlo & terra profluxisse anno eodem, Sigebertus indicat: licet alij in annum Domini 782 reponant. Qui significauit, funestos conflictus Græcorū & Romanorum in Italia, & postea Francorum & Auarum, item Auarum & Boiorum, & rursus Auarum & Francorum, in quibus omnibus Carolus uictor euasit.

Anno decimo Bitrichi, occidentalium Saxonum regis, qui fuit circiter annum Domini septingētesimum octuagesimumoctauū, uisi sunt flamminei dracones in Anglia uolitare per aerē: quod signū duæ pestes sequebātur, fames perualida, & infestatio Danica. Ranulphus libro quinto, capite 28. in Polychronico.

Anno decimo Irenes, cum cogitaret filiū prorsus ab Imperio remouere, persuasa ab aulicis, qui per eam dominatum sibi arrogabant, terræmotus sexto idus Februarij Constantinopoli accidit, adeò uehemens, ut de ruina urbis metus esset, & omnes ciues extra domos in hortos & agros exirent, & tentoria atque tabernacula sub dio figerent: Paulus Diaconus libro 23 rerum Romanarum. Anno Domini 791. Sigebertus. Eodem anno Romæ Tyberis exundans, portam Flaminiam euertit, & pontem Antonini Pij inter Ianiculum & Auentinum, multaque urbis ædificia & ornamenta tollit. Platina in uita Adriani: Blondus decadis secundæ libro primo.

SVB IMPERIO CON-
stantini solius.

Carolus Magnus, consilio quorundam aulicorum instituerat per fossas transitū à Danubio in Rhenum præparare: sed isti operi prodigia restiterunt. Nam immensi acerui frumentorum, & omnis generis granorū reperti in campis sunt, quę si pecus gustabat, euestigiò peribat: farina inde facta, euanescebat sub manibus. Noctib. auditæ sunt uoces mugientiū & lasciuientium, & confusi strepitus, circa fossam accidebant continui imbres. Auentinus libro quarto Annalium.

Anno sexto imperij eius, in Aprili, nocturno tempore, Sicilia & Creta terræmotu horribili conquassantur, & paulo pòst in Maio similem concussionem sensit Constantinopolis. Paulus Diaconus libro eodem, anno Domini 797. Sequenti anno, Irene mater crudelis, ob regnandi libidinem, & defensionem cultus imaginum, filium suum & oculis & uita priuat: ad quod facinus horrendum & inauditum, sol ad dies septendecim radios suos intra nubes continuit, & obscuros ac tenebricosos dies effecit: quod nauigantibus in mari molestum fuit, & præbuit occasionem ut uulgò diceretur, Ob Imperatoris excæcationem, solem radios suos auertisse à mundo. Paulus libro eodem. Sigebertus, anno Domini 798. & Zonaras tomo tertio, & reliquum uulgus historicorum. Sidus Martis hoc toto anno in cœlo nō esse conspectum, miraculi loco Regino libro secundo, & Adon ætate 6, annotant: quod astronomis haud ita uideatur.

SVB IMPERIO IRENES
solius.

Leoni pontifici diuinitùs uisum & uocem redditam esse, cum ab aduersarijs suis fuisset utroque priuatus, historici quidam pontificij narrāt: inter quos etiam Sigebertus est, anno septingentesimo nonagesimonono. Sed Paulus Diaconus libro uigesimotertio rerum Romanarum. nihil nouit de præcisa lingua. & expressè dicit, Visu eum non esse planè orbatum. Nihil ergo ea res ueræ admirationis habet.

In mense Iulio, contra naturam, bis pruina gelu concreta cecidit: sed nihil fructibus nocuit. anno Domini octingentesimo: Sigebertus

DE MIRACVLIS SVPERSTI-
tiosis & fabulosis.

IN historia huius seculi passim recensentur mirabilia quædam, ad confirmationē superstitionū Antichristi pertinentia, de quibus 2. Thessalonicens. 2 dicitur: Cuius aduentus secundum operationem Sathanę, cum omni potentia, & signis & prodigijs mendacibus, & cum omni deceptione iniustitiæ, &c. Nos uerò pio lectori quædam ex illis referemus.

Signa mendacia pro confirmando imaginum cultu.

Paulus Diaconus libro 21 rerum Romana-

rum, pleraque prodigia quæ acciderunt tẽpore Leonis, superstitiose interpretatur, coarguisse Leonis impietatem, qua sacras imagines sustulerit. Sic econtra, liberationem urbis Constãtinopoleos adscribit intercessioni Mariæ.

De ea re etiam Vincentius nugatur in hũc modum. Fertur, Saracenos hoc modo perijsse apud Constantinopolim. In monasterio sanctæ Dei genitricis iuxta palatium, prope sanctam Sophiam, erat imago beatæ Mariæ, quæ tenebat infantem in brachio, quam depinxit in tabella sanctus Lucas, cũ adhuc uiueret sancta Maria. Hæc imago uocatur Odigitria, id est deductrix: quia duob. cæcis apparuit sancta Maria, & deduxit eos ad suam Ecclesiam, eosq; illuminauit. Cum ista imagine faciunt processionem omni die Martis, per totam ciuitatem. Cum ergo obsessa esset ciuitas, & ciues ieiunarent & orarent, simul & pugnarent: quidam ciuis admonuit afferri illam imaginem, & ab omnibus orationem ad illam fieri hoc modo: Sancta Dei genitrix, quæ toties nos liberasti, libera nos modò de inimicis filij tui: & si uis ut imaginem tuam non mergamus in mari, merge illos. Et cum hæc dixissent, ille secrete imaginẽ tenuit sub undas: & statim procella surrexit, & omnes naues Saracenorum aut mersit, aut fregit. Vincẽtius libro uigesimotertio, capite 147.

Pestem per Siciliam & Calabriam Constantinopolim usque grassantem, & plurimos interficientem, & cruciculas uestibus & uelis impressas, Constantinum Copronymum monuisse, ut desineret sacrarũ imaginum cultum abolere, Paulus libro uigesimosecundo nugatur. Sed si quis iuxta uerbum Dei rem uideat, facile intelligat, Deum istis pœnis iram suam aduersus idololatriam demonstrasse.

In hunc finem etiam quidam Pontificij commemorant illud, quod uigesimoquarto anno Constantini Copronymi acciderit in Beryto (utrum fabula, an res uera sit, nondum est dijudicatum) ubi imago Christi à Iudæis contumeliose tractata, aperto latere sanguinem & aquam effuderit, quo curati sint infirmi: & quem ampullis exceptum, episcopus miserit per orbem terrarum, atque inde anniuersaria festiuitas ad 5. Idus Nouembris de passione imaginis Christi instituta sit. Sigebertus, anno Domini septingentesimo sexagesimoquinto. Patres in secunda Nycena Synodo, ut hoc commento possent maiori autoritate uti, finxerunt id accidisse tempore Athanasij: cumque in peculiarem librũ retulisse, & posteritati reliquisse, de quo suprà in quarta Centuria cẽsuram adscripsimus.

Constantinus quidam strator Attabasdi, uidens imaginem Dei genitricis stantem, apprehensum lapidem aduersus eam proiecit, & contriuit: & cum cecidisset, calcauit. Et uidit in somnis astantem sibi Dominam nostram, & dicentem: Nosti quàm fortem causam in me operatus fueris, uerùm contra caput tuum hoc fecisti. Postea uerò dum Saraceni aduersus murum congressionem facerent, & ageretur bellum, currens ad murum ut fortis miles infelix ille, eijcitur à lapide transmisso ex mangone, & contritum est caput eius, & facies. Paulus Diaconus libro uigesimoprimo rerum Romanarum.

Et Constantinus episcopus Cypri, in 4 actione Nicenæ secundæ narrat, armentarium quendam, qui imagini Mariæ stimulo dextrum oculum euulsetat, postea in agrum egressum, cum percuteret pecus, sibi ipsi oculum elisisse. Et aliũ quendam in Citio, eo quòd per caput imaginis eiusdem in pariete depictę clauum infixisset, ingenti dolore capitis affectum esse: quo non prius liberari potuerit, quàm clauũ extraxisset: ibidem nugatur episcopus eius loci. Agarenum etiam Conto oculum statuæ Mariæ in Gabala ciuitate Syriæ euellere conãtem, sibi oculum effodisse, & ardenti febre correptum esse, ibidem asseritur. Et in actione 5. adhuc alia tria miracula ab imaginibus edita proferuntur, ad earum cultum stabiliendum: quæ Carolus Magnus in libello de Adoratione imaginum, ad uim superstitionis refert.

Signum mendax pro stabiliendo errore, de sanctorum intercessione.

Regino libro secundo Caroli per Clusas transitum in Italiam, & Desiderij oppressionem, adscribit intercessioni beati Petri, contra illud: Qui gloriatur, in Domino glorietur.

Signum mendax pro errore, quòd sancti appareant: & hominibus, quæ facere debeant, iniungant.

Iacobum Zebedæi tribus noctibus in forma splendidissima apparuisse Carolo, eumque hortatum esse, ut suam Hispaniam, in qua requiescat, de manibus Saracenorum liberaret: ac promisisse ei, pro eo beneficio coronã æternam: Erphordiensis ex Turpino Remensi episcopo refert, capite 68.

Signum mendax, quòd sancti uelint sibi Ecclesias & altaria dedicari.

Stephanus papa in epistola sua, quæ extat apud Reginonem libro secundo Chronicorum, nugatur, Dionysium sibi in uisione apparuisse, & ualetudinem pristinã restituisse: ac præcepisse, ut altare in monasterio Parisien-

rio Pariensi in honorem Dei & apostolorũ Petri & Pauli dedicaret.

Signum mẽdax pro confirmando errore, sanctos angelos uelle sibi templa ædificari, seq; adorari.

Childeberto monarchiam regni Francorũ tenente, archangelus Michael apparens Autberto Abrincatensi episcopo, monuit semel & iterum, ut in loco maris, qui propter eminentiam sui Tumba uocatur, fundaret ecclesiam in memoriam sui, uolentis talem uenerationem exhiberi sibi in pelago, qualis exhibetur sibi in monte Gargano. Interim taurus à leone furtim raptus, in illo loco religatur. Vnde episcopus tertio admonitus, ut in illo loco fundamentum iaceret, ubi taurũ religatum inueniret, & sicut eum terram pedibus protriuisse uideret, sic ecclesiæ ambitũ duceret: ecclesiam in honore sancti Michaelis constituit. & ex illo tempore, sicut in mõte Gargano, ita etiam illo in loco, quod modò dicitur In periculo maris, ueneratio archangeli frequentari cœpit. Sigebertus anno Domini septingentesimo nonagesimonono.

Signa mendacia pro errore, quòd Sancti uota suorum cultorum & preces exaudiant.

Cũ Luitprãdus reliquias Augustini ex Sardinia, à Saracenis uastata, Papiam transferre studeret, & in itinere ad uillam quandam in Therdonensi diœcesi currus substitisset, neque ulla ui aut arte loco moueri posset, rex uotum uouit: quod si Augustinus sibi obtẽperet, & sua ossa Ticinum sineret uehi, se uillam istam sacerdotibus & cultoribus eius donaturum. His exoratus Sanctus, effecit ut leui & facili opera currus progrederetur. Quis est autem tam obesæ naris, qui non olfaciat, hoc esse figmentum & ludibrium sacerdotum, ob uentrem idola colentiũ? Vincentius libro 23. capite 148. Sigebertus translationis istius meminit, anno Domini septingentesimo uigesimoprimo. Verùm de nugis illis mutus est. Militem quendam Mariam Magdalenam inuocasse, & ex uinculis liberatum esse, & mulierem grauidam in flumine alijs pereuntibus seruatam esse, ob uotum Magdelenæ factum, Vincentinus libro eodem fabulatur, capite 153. Iacobũ à Carolo inuocatum, muros Pampilone deiecisse, Erphordiensis ex Turpino refert capite 68.

Signum mendax pro opinione erronea, Sanctos adesse & prodesse suis cultoribus, cum ex hac uita excedant.

Archis rex Beneuenti, dum maxima deuotione (quoniam uicinũ erat palatio templum S. Sophiæ) in templo pernoctare in oratione cõsueuisset, quadã nocte Sancti illi 12. fratres (scilicet quos martyres factos in Apulia, ipse in templũ collocarat) ornati apparuisse referuntur, eumq; blandè salutasse. Quos ille dum toruis oculis fuisset intuitus, & qui'nã essent, qui noctu claustra uirginũ irrũpere ausi fuissent, inquireret, leniter illi arridẽtes: Nos, inquiunt, sumus, ô princeps, quos tua deuotio uarijs ex locis quæsitos, huc summo studio detulit. Quod opus tuũ quàm gratum nobis, quàm tibi utile fuerit, tunc demum agnosces, cum ex hac luce migrabis. Atq; his dictis uisio ab oculis principis euanuit. Leo Hostiensis libro. 1. Chronici monasterij Casinensis.

Præstigiæ diaboli pro errore asserendo, quòd S. Petrus Romanum Pontificem gubernet.

Stephanus papa ad Aistulphum dicit, sibi B. Petrũ iniunxisse, ut ad Pipinũ iret. Lib. de uita Crodegãgi cap. 11. Idẽ põtifex in epistola sua, quę extat apud Reginonem lib. secundo Chronicorum, nugatur, Petrũ & Paulũ, & Dionysium, sibi ægrotanti apparuisse in monasterio Parisiensi, & pristinam ualetudinem restituisse, cum de uita sua medici desperassent. Hæc oportuit illum fingere, ne sine diuino consilio uideretur auxiliũ Francorum implorasse, & Pipinũ remoto rege Hilderico cum filijs suis reges inaugurasse: per quos Romana sedes supra magistratũ, sicut antea per Phocã super omnes Ecclesias, exaltata est. Porrò non fuisse Petrũ, sed ipsum draconem & diabolum, qui Romanos pontifices ad hęc facinora adegit, Paulus 2. Thessal. 2, & Iohannes Apocalypseos 13. satis clarè docent.

Signa mendacia pro errore, Deo & Sanctis placere translationem cadauerum defunctorum.

Hugbertum cœlitùs admonitum, ut corpus Lamberti à Traiecto Leodium transferret, nugatur Sigebertus anno Domini 710. Sed Deus iste fuit reuera superstitio & auaricia episcopi. Badilo monachus missus, ut corpus Mariæ Magdalenæ transferret ad monasterium Viceliacum in Burgundia, finxit sibi eam in somnis apparuisse, & dixisse: Ne formides, quoniam unà tecum eũdum est ad locum à Deo præfinitũ. Vincẽtius libro 23. capite 152. Sigebertus fabulam coarguit, dum indicat, Mariam Magdalenã apud Ephesum quiescere: anno Domini septingentesimo quadragesimoquinto.

Error, quòd reliquiæ sanctorum futura prænuncient.

Cautio Felicis archiepiscopi Rauennatis, à Pontifice Constantino in sacratissima confessione beati Petri apostoli posita, post paucos dies terra & quasi igni combusta reperta est Liber pontificalis. Videtur hoc fi-

ctum esse à Pontificijs, ut haberent quod responderet Felici, scriptum suum esse negari.

Signa mendacia pro confirmando errore, reliquias Sanctorum habere uim conferendi malè habentibus sanitatem, & mortuis uitam.

Anno Constantini 20. caput Iohannis Baptistæ à monasterio Spelei in templo suo, in Emesensium ciuitate, seu Edissea, transfertur: & honoratum atq; adoratum omnibus effundit sanitatem, qui fide flagrantes occurrunt. Paulus libro 21 rerum Romanarum. Sigebertus anno Domini 761 annotat. Vuernerus uerò in Fasciculo temporum nugatur, caput Iohannis in Aquitaniam deportatū, amicos Pipini in bello interfectos resuscitasse: quod sanè non procul à mendacio abest, si non est satis crassum & apertum.

Athalongum presbyterum a cæcitate per corpora Chiliani & sociorum eius inuenta liberatum esse, & Bonifacium Vuirburgi ea cadauera reposuisse, sedemq; episcopale eò collocasse, nugatur Sigebertus anno Domini septingentesimo quadragesimosexto.

Anglum quendam mutum & surdum, uenisse ad cœnobium Casinense, & inuocato Benedicto ita esse restitutum, ut non modò Anglica, sed etiā Romana lingua in momento locutus sit, Leo Hostiensis narrat libro 1. capite 15. de Casinensi cœnobio.

Ridiculum sanè & obscœnum miraculū de Gangulpho referunt, quo eius uirtus confirmata sit. Cum enim ei funus fieret, & multi ex contactu feretri sanarentur, ancillaque ad uxorem eius impiam id retulisset, respondit illa: Maritus ita miracula facit, sicut meus podex cantat. Factū aūt est, ut quoties illa deinceps per totam suam uitam uerbū ore ederet, toties etiam crepitum ex ano cū fœtore emitteret. Martinus in Chronico, feria sexta id maximè fieri solitum ait, qua maritus eius martyr effectus erat. Et Pipinū, accersita muliere, in maiorem gloriam Gangulphi martyris, uerum id esse deprehendisse, Erphordiēsis capite sexagesimoseptimo, & Vincentius libro uigesimotertio, capite 159 referunt.

Puluerem de sepulchro Heddi episcopi in aquam missum, & ægrotis uel aspersum, uel haustum, hominibus & pecoribus sanitatem conferre, Beda libro quinto, capite decimonono, ex narratione Pectelini antistitis refert. Eutychij patricij martyris reliquias in Carris Mesopotamiæ sanare ægros, nugatur Paulus libro uigesimoprimo rerum Romanarum. Eustathium martyrem Ioannicium ex ueneno laborātem curasse, Metaphrastes nugatur.

Item, Sanctos posse punire suos aduersarios, nugatur Iuo in Chronico: & Ranulphus libro quinto, capite uigesimosexto. Francos à Pipino Floriacum missos, ut ossa Benedicti in Casinense cœnobium reportarent, cum ingressi essent templum, excæcatos uirtute Benedicti, & re infecta reuersos esse, ac cēsuisse non æquum esse ut Gallia tā sanctis ossibus priuetur. Sigebertus anno Domini septingentesimo quinquagesimotertio: Vincentius libro uigesimotertio, capite 155. Gangulphum ei qui sese irriserat, ex fonte aquam subtraxisse, & uxoris suæ adulteræ brachium in fontē immissum ambussisse, Erphordiensis ex gestis eius fabulatur, capite 67.

Signum mendax, pro bonis Ecclesiasticis muniendis contra raptores.

Chronicon de ducib. Bauariæ, papam, sed Chronicon Martini Eucherium Amelianensem episcopum narrat uidisse in somnis animam Caroli Martelli in inferno, eo quòd Ecclesias bonis suis spoliasset, & in sumptus bellicos contulisset: apertoque monumēto eius, serpentem miræ magnitudinis repertū esse. Et Balæus Centuria secunda, in Capitis quinti Appendice refert, monachos per literas id Pipino significasse. Quod in eum finem factum esse facilè colligi potest, ut edictū eius de bonis Ecclesiasticis ad sumptus belli eneruarent. Verùm Auentinus lib. 3 Analium id somniū refutat, eo quòd Egidius Martellum ab omnibus peccatis suis absoluisset: & Eucherium ob inuidiam Caroli, à quo remotus ab episcopatu fuerat, huiusmodi finxisse.

Signum mēdax, pro opinione quòd rebus à pontifice consecratis insit uis singularis.

Gregorius secundus tres spongias benedictas, quæ ad usum mensæ eius apponi solebant, misit Eudoni Aquitaniæ duci. Eas in frusta concisas distribuit exercitui, quem contra Saracenos educebat: ac euenit, ut nullus ex eis qui participes facti fuerant, uulneratus aut interfectus sit: ut Eudo in epistola sua ad Gregorium indicat, in lib. Pont.

Signum mendax pro opinione stabiliendo, quòd uita monastica Deo probetur.

Ioannicium diuinitùs admonitum, ut ad monasterium Eristæ sese conferret, & monachicam indueret uestem, Metaphrastes tomo 5. in uita eius refert.

Signum mendax, pro cœlibatu in coniugio præstando.

Amelius iussu angeli occiderat filios suos, & sanguine eorū amicum necessarium suū à lepra mūdauerat. Cum autem mater filiorū eam rem molestè ferret, & Amelius oraret, reperit liberos suos uiuētes, & in lecto ludētes: quos matri reddidit. atq; ab eo tēpore ipse

ipse & coniunx usq; ad finẽ uitæ, à consuetudine cõiugali abstinuerunt. Vincẽtius libro uigesimotertio, capite 166.

Præstigiæ diaboli, ad opinionem stabiliendam, missificatione liberari animas ex purgatorio.

Chutbertus in epistola ad Lullum nugatur, monialem quandam in ecstasi constitutam, inter alia multa uidisse fœminam in puteum apud inferos lapsam, missarum solennitatibus inde redemptam esse: ac dixisse, missam esse maximum utilissimumque bonum animabus ex hac uita excedentibus.

Præstigiæ & illusiones diaboli ad errores corroborandos de Purgatorio, de operum meritis, de inferno, de paradiso, de dignitate uitæ monasticæ, de satisfactionibus.

Vuinfrethus scripsit epistolam ad Eadburgam abbatissam, plenam uanitatibus & nugis: quas quidam à mortuis resurgens, retulerit in hunc mundum. Rogabas me, ut admirandas uisiones de illo rediuiuo, qui nuper in monasterio Milburgæ abbatissæ mortuus est, & reuixit, quæ ei ostensæ sunt, scribendo intimare & trãsmittere curarem. Ipse cum supradicto fratre rediuiuo locutus sum, & ille mihi stupendas uisiones, quas extra corpus suum raptus in spiritu uidit, proprio exposuit sermone. Dicebat quippe, se per uiolentæ ægritudinis dolorem, corporis grauedine subitò exutum fuisse, & simillimum esse collatione, ueluti sudantis & uigilantis hominis oculi densissimo tegmine uelentur, subitoque auferatur uelamẽ, & tunc perspicua sint omnia, quę antea non uisa & uelata & ignota fuerunt: sic sibi abiecto terræ uelamine carnis, ante conspectum uniuersum collectum fuisse mundum, ut cunctas terrarum partes & populos ac maria sub uno aspectu contueretur: tamque magnæ claritatis & splendoris angelos eum egressum de corpore suscepisse, ut nullatenus pro nimio splendore in eos aspicere potuisset, qui iucundis & consonis uocibus canebant: Domine ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me. Et subleuabant me, dixit, in aera sursum, & in circuitu totius mundi ignem ardentem uidebam, & flammam immensæ magnitudinis anhelantem, ac terribiliter ad superiora ascendentem, non aliter penè quàm ut sub uno globo totius mundi machinam complectentem, nisi eam sanctus angelus impresso signo sanctæ crucis Christi compesceret. Tunc flamma magna ex parte decrescens resedit, & istius flammę terribili ardore intolerabiliter torquebar, oculis maximè ardentibus, & splendore fulgentium spirituum uehementissimè reuerberatis: donec splendidæ uisionis angelus, manus suæ impositione caput meum quasi protegens tangebat, & me à læsione flammarum tutum reddidit. Præterea referebat, illo in temporis spacio quo extra corpus fuit, tam magnam animarum migrantium de corpore multitudinem illuc, ubi ipse fuit, conuenisse, quàm totius humani generis in terris non fuisse antea existimaret. Innumerabilem quoque malignorũ spirituum turbam, nec non & clarissimum chorũ superiorũ angelorum adfuisse narrauit: & maximam inter se miserrimos spiritus, sanctosque angelos, de animabus egredientibus de corpore disputationem habuisse, dæmones accusando, & peccatorum pondus grauando, angelos uerò releuando & excusando: & seipsum audisse omnia flagitiorum suorum propria peccamina, quæ fecit à iuuentute sua, & ad confitendum aut neglexit, aut obliuioni tradidit, uel ad peccatum pertinere omnino nesciebat, ipsius propria uoce contra illum clamitasse, & eum dirissimè accusasse, ac specialiter unumquodque uitium quasi ex sua persona in medium se obtulisse, dicendo: Quoddam: Ego sum cupiditas tua, qua illicita frequentissimè & contraria præceptis Dei concupisti. Quoddam uerò: Ego sum uana gloria, qua apud homines iactanter exultasti. Aliud: Ego sum mendacium, in quo mentiendo peccasti. Aliud: Ego sum ociosum uerbum, quod inaniter locutus fuisti. Aliud: Ego uisus, quo uidendo illicita peccasti. Aliud: Ego contumacia & inobedientia, qua senioribus spiritualibus inobediens fuisti. Aliud: Ego torpor & desidia in sanctorum studiorum neglectu. Aliud: Ego uaga cogitatio & inutilis cura, qua te supra modũ siue in Ecclesia, siue extra Ecclesiam occupabas. Aliud: Ego somnolẽtia, qua oppressus, tardè ad confitendum Deo surrexisti. Aliud: Ego iter ociosum. Aliud: Ego sum negligentia & incuria, qua detentus erga studium diuinæ lectionis incuriosus fuisti: & cætera his similia omnia, quæ in diebus uitæ suæ in carne conuersatus peregit, & confiteri neglexit. Multa quoque quæ ad peccatum pertinere omnino ignorabat, contra eum cuncta terribiliter uociferabantur. Similiter & maligni spiritus, in omnibus consonantes uitijs, accusando, & duriter testificando, & loca & tempora nefandorum actuum, memoranter eadem quæ peccata dixerunt conclamantes probabant. Vidit quoque ibi hominem quendam, cui quidam in seculari habitu

degens, uulnus inflixit: quem adhuc in uita superesse referebat, ad testimonium malorum suorum adductum: cuius cruentatum & patens uulnus, & sanguis ipse propria uoce clamans improperabat & imputabat ei crudele effusi sanguinis crimen: & sic cumulatis & computatis sceleribus, anti qui hostes affirmabant, eum reum peccatorem iuris eorum & conditionis indubitanter fuisse. Econtrà autem, dixit, excusantes me clamitabát, paruæ uirtutes animæ, quas ego miser indignè & imperfectè peregi. Quędam dicit: Ego sum obedientia, quam senioribus spiritualibus exhibuit. Quædam: Ego sum ieiunium, quo corpus suum contra desiderium carnis pugnans castigauit. Alia: Ego oratio pura, quam effundebat in conspectu Domini. Alia: Ego obsequium infirmorum, quod clementer ægrotantibus exhibuit. Quædam: Ego sum Psalmus, quem pro ocioso sermone satisfaciens Deo cecinit. & sic unaquęque uirtus contra æmulum, suū peccatum excusando, clamitabat. Et has illi immensæ claritatis angelici spiritus magnificando defendentes me affirmabant, & istæ uirtutes uniuersæ ualde mactæ & multo maiores & excellentiores esse mihi uidebantur, quàm unquam uiribus meis dignè perpetratæ fuissent. Interea referebat, se quasi in inferioribus in hoc mundo uidisse igneos puteos, horrendam eructātes flammam plurimos: & erumpente tetra, terribilis flammā ignis uolitasse, & miserorum hominum spiritus in similitudine nigrarum auium per flāmam plorantes & ululantes, & uerbis & uoce humana stridente, lugentes propria merita, & præsens supplicium, consedisse paululùm hærentes in marginibus puteorum: & iterum eiulantes cecidisse in puteos. & unus ex angelis dixit: Paruissima hæc requies indicat, quia omnipotens Deus in die futuri iudicij his animabus refrigerium supplicij, & requiem perpetuam præstiturus est. Sub illis autem puteis, adhuc in inferioribus, & in imo profundo, quasi in inferno inferiori, audiuit horrendum & tremendum & dictu difficilem gemitum, & fletum lugentium animarum. Et dixit ei angelus: Murmur & fletus quem in inferioribus audis, illarum est animarum, ad quas nunquam pia miseratio Domini perueniet, sed æterna illas flamma sine fine cruciabit. Vidit quoque miræ amœnitatis locum, in quo pulcherrimorum hominum gloriosa multitudo, miro lætabatur gaudio: qui eum inuitabant, ut ad eorum gaudia, si ei licitum fuisset, cum eis gauisurus ueniret. Et inde miræ dulcedinis fragrantia ueniebat, quæ beatorum halitus fuit, ibi congaudentium spirituum: quem locum sancti angeli affirmabant famosum esse Dei paradisum. Necnon & igneum piceumque flumen bulliens & ardens, miræ formidinis & teterrimæ uisionis, cernebat: super quod lignum pontis uice positum erat, ad quod sanctę gloriosæque animæ ab illo secedētes conuentu properabát, desiderio alterius ripæ transire cupientes: & quædam non titubantes constanter transibant, quædam uerò labefactæ de ligno cadebant in tartareum flumen. & aliæ tingebantur penè quasi toto corpore mersæ: aliæ autem ex parte quadam ueluti usque ad genua, quædam usque ad genua medium, quædam uerò usque ad ascellas: & tamen unaquæque cadentium multo clarior speciosiorque de flumine in alteram ascendebat ripam, quàm prius in picem bulliens cecidisset flumen. Et unus ex beatis angelis, de illis cadentibus animabus dixit: Hæ sunt animæ, quæ post exitum mortalis uitæ, quibusdam leuibus uitijs non omnino ad purum abolitis, aliqua pia miserentis Dei castigatione indigebant, ut Deo dignæ offerantur. Et citra illud flumen speculatur muros fulgentes clarissimi splendoris, stupendæ longitudinis & altitudinis immensæ. & sanctos angelos dixisse: Hæc est illa sancta & inclyta ciuitas cœlestis Hierusalem, in qua istæ perpetualiter sanctæ gaudebunt animæ. Illas itaque animas, & istius gloriosæ ciuitatis muros, ad quam post transitum fluminis festinabant, tam magna immensi luminis claritate & fulgore splendentes esse dixit, ut reuerberatis oculorum pupillis, pro nimio splendore in eos nullatenus aspicere potuisset. Narrauit quoque, ad illum conuentum inter alias uenisse cuiusdam hominis animam, qui in abbatis officio defunctus est, quæ speciosa nimis & formosa esse uisa est: quam maligni spiritus rapientes, contendebant sortis eorum & conditionis fuisse. Respondit ergo unus ex choro angelorum, dicens: Ostendam uobis citò, miserrimi spiritus, quia uestræ potestatis anima illa probatur non esse. Et his dictis, repentè interuenit magna cohors candidarum animarum, quæ dicebant: Senior & doctor noster fuit iste, & nos omnes suo magisterio lucratus est: dum & hoc precio redemptus est, & uestri iuris non esse dinoscitur. & quasi cum angelis contra dæmones pugnam inirent, & adminiculo angelorum eripientes illam animam de potestate malignorum spirituum liberauerunt.

Et tum increpans angelus dæmones, dixit: Scitote & intelligite, quòd animam istā sine iure rapuistis: &, discedite miserrimi spi-

ritus

ritus in ignem æternum. Cum uerò hoc dixisset angelus, ilico maligni spiritus leuauerunt fletum & ululatum magnum in momento, & quasi in ictu oculi pernici uolatu iactabant se in supradictos puteos ignis ardentis: & post modicum interuallum emersi, certantes in illo conuentu, iterum de animarum meritis disputabant. Et diuersorum merita hominum in hac uita commorantium dicebant se illo in tempore speculari potuisse, & illos qui sceleribus obnoxij non fuerunt: & qui sanctis uirtutibus freti, propitium omnipotentem Deum habuisse noscebantur, ab angelis semper tutos ac defensos, & eis charitate & propinquitate coniunctos fuisse, illis uerò qui nefandis criminibus & maculatæ uitæ sordibus polluti fuerunt, aduersarium spiritum assiduè sociatum, & semper ad scelera suadentem fuisse: & quandocunque uerbo uel facto peccauerint, hoc iugiter quasi ad læticiam & gaudium *alijs nequissimis spiritibus in medium proferens manifestauit, & quando homo peccauit, nequaquam malignus spiritus sustinuit moram faciens expectando, donec iterum peccaret: sed sigillatim unumquodque uitium ad noticiam aliorum spirituum offerebat, & subitò apud hominem peccata suasit, & ilico apud dæmones perpetrata demonstrauit. Interea narrauit se puellam quandam uidisse in hac terrena uita molentem in mola, quæ uidit iuxta se iacentem alterius nouam colum, sculptura uariatam: & pulchra ei uisa fuit, & furata est illam. Tunc quasi ingenti gaudio repleti quinque teterrimi spiritus, hoc furtum alijs in illo referebant conuentu, testificantes illam furti ream, & peccatricem fuisse. Intulit quoque: Fratris cuiusdam qui paulo antè defunctus est, animam tristem ibi uidebam, cui antea ipse in infirmitate exitus sui ministraui, & exequias præbui: qui mihi moriens præcepit, ut fratri illius Germano uerbis illius testificans demandarem, ut ancillam quandam quam in potestate communiter possederunt, pro anima eius manumitteret. Sed Germanus eius auaricia impediente, petitionem eius non impleuit: & de hoc supradicta anima per alta suspiria accusans fratrem infidelem, & increpans grauiter, querebatur. Et similiter testatus est de Ceolredo rege Merciorum, quem illo tamen tempore, quo hæc uisa sunt, in corpore fuisse non dubium est: quem, ut dixit, uidebat angelico quodam umbraculo contra impetum dæmoniorum, quasi libri alicuius magni extensione & superpositione, defensum. Ipsi autem dæmones anhelando rogabant angelos, ut ablata defensione illa, ipsis permitteretur crudelitatis eorum uoluntatem in eo exercere: & imputabant ei horribilem ac nefandam multitudinem flagitiorum: & minantes dicebant, illum sub ditissimis inferorum claustris claudendum, & ibi peccatis promerentibus, æternis tormentis cruciandum esse. Tunc angeli solito tristiores facti, dicebant: Proh dolor, quòd homo peccator iste semetipsum plus defendere non permittit. Etenim ob ipsius propria merita, nullum ei adiutorium possumus præbere. & auferebant superpositi tutaminis defensionem. Tunc dæmones gaudentes & exultantes, de uniuersis mundi partibus congregati, multitudine maiori quàm omnium animarum in seculo fieri æstimaret, diuersis eum tormentis inæstimabiliter fatigantes lacerabant. Tum demùm beati angeli præcinebant ei, qui hæc omnia extra corpus suum raptus, spirituali contemplatione uidit & audiuit, ut sine mora ad proprium rediret corpus: & uniuersa quæ illi ostensa fuerant, credentibus, & intentione diuina interrogantibus, manifestare non dubitaret: insultantibus autem, narrare denegaret. Et ut cuidam mulieri, quæ inde in longinqua regione habitabat, eius perpetrata peccata per ordinem exponeret: eique intimaret, quòd omnipotentem Dominum potuisset per satisfactionem repropitiari, si uoluisset. Et ut cuidam presbytero nomine Beggan, istas spirituales uisiones cunctas exponeret: & posteà, quemadmodum ab illo instructus fieret, hominibus pronunciaret: propria quippe peccata, quæ illi à spiritibus immundis imputata fuerunt, confessa supradicti presbyteri iudicio emendaret. Proprium corpus dicebat fœdum * extra fuerat, * tam ualde perhorruisset, ut in omnibus illis uisionibus nihil tam odibile, nihil tam despectum, nihil tam durum fœtorem euaporare, exceptis dæmonibus, & igne flagrante uideret, quàm proprium corpus: fratresque eius conseruos, quos intuitus est exequias corporis sui clementer exhibere, ideo perhorruit, quia in uisu corporis curam egerunt. Iussus tamen ab angelis, primò diluculo redijt ad corpus, qui primo gallicinio exibat de corpore. Rediuiuo autem in corpore plena septimana nihil omnino corporalibus oculis uidere potuit: sed oculi uesicis pleni, frequenter sanguinem stillauerunt. Et postea de presbytero religioso & peccatrice muliere, sicut & ab angelis manifestatum est, ita illis profitentibus uerum esse probauit. Subsequens autem & citus scelerati regis exitus, quæ de illo uisa fuerunt, planè uera esse procul-

dubio

dubio probauit. Multa alia & his similia referebat sibi ostensa fuisse, quæ de memoria labefactata per ordinem recordari nullatenus potuisset. Et dicebat, se post istas uisiones mirabiles tam tenacem memoriæ non fuisse, ut antè fuerat. Hæc autem quæ te diligenter flagitante scripsi, homo tribus mecum religiosis & ualde uenerabilibus fratribus in commune audientibus exposuisset, qui mihi in hoc scripto astipulationis fideles testes esse dinoscuntur.

Miracula plura planè fabulosa.

CVm ad Fuldense monasterium Bonifacij cadauer esset perlatum ex Frisia, omnes campanas ubique uirtute diuina, sine ullius hominis agitatione aut impulsu, solito clarius sonuisse, nugatur Vuernerus in Fasciculo tẽporũ, & Mutius lib.7 de Germania.

Corbinianum latronem ante triduum de cruce suspensum, reperisse uiuum, & liberasse: Phrysingensis lib.51. cap. 24 nugatur.

De reliquijs à Carolo ex terra sancta acceptis, pro liberata Hierosolyma, apud Erphordiens. cap.69. multa fabulosa recitãtur.

Zachariam papam in mense Iunio Rauennam euntem, interdiu nube protectũ esse cõtra ardorẽ solis, & igneas acies in nubib. noctu eũ præcessisse, fabulatur Ranulphus in Polychronico lib.5. cap.25.

CAPVT XIIII.

DE REBVS IVDAICIS *externis.*



IVdæi adhuc passim in orbe terrarum sua hospitia habuerũt hoc seculo, ut Beda in Lucam lib.6. cap.22 testatur. Nam in Syria Iudæos fuisse, constat ex Pauli Diaconi lib. 21. Et Hierosolymis: ibi enim Habdallas Iudæos præcepit notari. Paulus lib.22. In Berytho Iudæos imaginem Christi ignominiose tractasse, Sigebertus narrat anno 765. Ex Laodicæa Iudæi orti, Izitho Arabum principi persuadent, ut imagines aboleat. Paulus lib.21. & Sigebertus anno 724. Et Emesæ. Paulus lib.23 rerum Romanarum.

Etiam in Europa & Italia fuisse Iudæos, constat ex Concilio Zachariæ papæ: ubi prohibet, ne Christiani filias suas Iudæis dent uxores. cap.15. Et Carolus Magnus in Constitutionibus suis mentionem facit Iudæorum & negociatorum, ecclesiarum ornamenta ementium.

De operibus eorum contra Christianam religionem.

Antiquum obtinentes Iudæi, Christi religionem conuicijs proscindebant, & suam magnificè efferebant. Coacti quidam à Leone, baptismo initiati erant, sed eum denuò abluebant: & ad cœnam accedere iussi, alio genere ciborum sese cõtaminabant. Paulus Diaconus lib.21.

Saracenos & Arabes aduersus Christianos sedulò inflammabant, ut patet ex libro eodem: & calamitate eorum delectabantur, atque Ecclesiarum κειμήλια à Saracenis direpta, ut eis ægrè facerent, prompti emebant. Paulus libro 22 rerum Romanarum. Ac cum ijs coniungebant operas suas, ad Christianos affligendos. Vnde Beda inquit lib.6. capite 23 in Lucã: Hoc nefandissimum Herodis & Pilati fœdus, quod in occidendo Christo pepigerunt, hactenus eorum uelut hæreditario iure successores custodiunt, quando gentiles & Iudæi sicut genere & religione, ita etiam mente dissidentes, in Christianis tamen persequendis, Christique in eis fide perimenda consentiunt. Pereãt scripta, quæ tanto pòst tempore cõtra Christum composita, non illum apud Pilatum magicæ artis accusatum, sed nos apud Dominum perfidię & falsitatis accusandos esse demonstrãt.

Vt ipsi autem soli in Christianos arma ferrẽt, & regnum suum recuperarent, infirmiores fuerunt, quàm ut id auderent. Imò Saraceni & Arabes & Turcæ ipsis quoque parum sunt fisi, suoque iugo eos grauius compresserunt, adeò ut cogerent eos abiecta sua religione Mahometi errores amplecti: ut cõstat ex Pauli libro uigesimosecundo & uigesimotertio. ubi Habdallas & Maday, Iudæos Hierosolymitanos & Emesenos ui ad mẽzerizandum, hoc est, ad characteres Mahometi suscipiendum compulisse dicuntur.

Vnde Beda inquit libro quarto, capite decimoquarto in Marcum: Hæret Iudæis usque hodie sua petitio, quam tanto labore impetrarunt. Quod enim data sibi optione, pro IESV latronẽ, pro Saluatore interfectorem, pro datore uitæ elegerunt ademptorem, meritò salutem perdiderunt, & uitam: & latrocinijs sese ac seditionibus in tantum subdiderunt, ut & patriam regnumq; suum, quod plus Christo amauêre, perdiderint: & hactenus eam quam uendidere siue animæ siue corporis libertatem, recipere non meruerint.

DE PSEVDOMESSIA *Iudæorum.*

SYrus quidam homo uersipellis, cum uideret Iudæos anxiè expectare suum Messiam, profitetur se esse Christum, & multos ex Iudęis adeò infatuat, ut sibi fidem habeant: anno Leonis Isauri quinto, Domini septingentesimo uigesimosecundo. ut illud Christi impleretur: Alium in suo nomine ueniẽtem suscipietis, me uerò à Deo missum aspernamini. Ioannis quinto.

CAPVT

CAPVT XV.

DE ALIIS RELIGIONIbus extra Ecclesiam.

DE IVDAISMO.



IVdæi tenaces sunt suarum opinionum: quare si quæ in historijs occurrunt, propemodum congruunt cum illis quæ superiorib. ætatibus sunt assignata.

DE DEO.

Iudæi colunt etiam nunc Deum omnipotentem, sed non secundum scientiam. Nam Christum negant filium Dei, & sunt similes gentibus. Damascenus de Barlaam & Iosaphat, folio 348.

DE MESSIA.

Negabāt Messiam uenisse: ideoq; Syrum falsò profitentem Messiæ nomen susceperunt, & ab eo egregiè delusi sunt. Paulus lib. 21 rerum Romanarum. Iudæi non Christum IESVM suscipere, sed Antichristum malunt expectare: quia non intus, sed foris saluari: non à peccati dominio, sed ab humanæ seruitutis iugo cupiūt liberari. Beda in Lucam libro 1. cap. 1.

Ac de Messia sentiebant, quòd esset simplex homo, & uir sanctus, futurus de genere Dauid. Beda in Lucam libro quinto, capite uigesimo.

DE IESV CHRISTO.

De IESV Nazareno sentiebant, quòd non esset Messias. Beda libro 1. capite 2 in Marcum. eiusque imaginem tanto prosequebātur odio, ut in ea affligenda repræsentarent suorum maiorum crudelitatem in Berytho. Sigebertus.

Imagines Christi & Mariæ uirginis, & aliorum Sanctorum, non modò coli & adorari, sed etiam haberi ad rei memoriam damnabant: & eam ob causam Christianos idololatriæ accusabant. Germanus Constantinopolitanus in epistola ad Thomam, in actis Synodi Nicenæ secundæ.

De Ceremonijs & ritibus eorum.

Sua baptismata manuum & uasorum adhuc retinuerunt: ut patet ex Beda libro secūdo, capite septimo in Marcum. Et Paulus Diaconus libro uigesimoprimo rerum Romanarū narrat, à Christianis baptizatos, denuò sese abluisse, in contemptum baptismi.

Habebant etiam synagogas suas in quibusdam locis, in quibus Christum blasphemabant. Beda libro 4. cap. 11 in Lucam.

Qui sese Iudæis opposuerint.

Pugnarunt contra Iudæorum errores & blasphemias, synceri & constantes Ecclesiarum pastores & doctores. Nam Germanus in epistola ad Thomam, in actis Synodi Nicenæ 2. in Iudæos crimen idololatriæ, quod Christianis obiecerant, retorquet dicens: eos ipsos semper seruos & ministros idololatriæ extitisse. Et Beda passim Iudæos in scriptis suis refutat. nam libro primo in caput secundum Marci inquit: Errant Iudæi, qui cum Christum & Deum esse, & peccata dimittere posse credant, IESVM tamen Christum esse non credunt. Et libro secundo, capite quinto in eundem, negat Iudæos saluari posse, nisi prius manus eorum, fuerint mundatæ à sanguine. Et libro eodem, capite sexto, Iudæos dicit Christum, qui caput est prophetarum, perdidisse. Et capite septimo: Frustra Pharisæi, frustra omnes Iudæi lauant manus, & à foris baptizantur, quamdiu contemnunt fonte Saluatoris ablui: in uanum baptismata seruant uasorum, qui cordium suorum & corporum eluere sordes negligunt. Idem libro secundo, capite quarto, Iudæos appellat Synagogam Sathanæ. Et libro quarto, capite undecimo: Multo nunc maiore, inquit, dæmonū numero possidentur, blasphemantes in Synagogis suis Christum IESVM, quàm in Ægypto possessi fuerant ante legis noticiam. Quia aliud est uenturum non credere, aliud eum non suscepisse qui uenerit. Et libro quinto in Lucam, capite uigesimo, refutat eorum opinionem, quòd Messias futurus sit homo simplex: Interrogatio IESV nobis proficit usque hodie contra Iudæos. Et hi enim confitentur Christum esse uenturum, hominem simplicem & sanctum uirum adserunt de genere Dauid. Interrogemus ergo eos, docti à Domino: Si simplex homo est, & tantum filius Dauid, quomodo Dauid uocat eum Dominum suum? Non autem reprehenduntur, quia Dauid filium dicunt: sed quia Dei filium non credunt. Ac passim eos ad pœnitentiam inuitat. Iudæi, inquit, non debent desperare de indulgentia, modò uelint agere pœnitentiam. Libro quarto, capite undecimo in Lucam. Et libro sexto, capite uigesimosecundo, populus Iudaicus cum promissa terra fuerit potitus, patrium quoque rediturus ad solum, & metropolis quondam suæ possessione atque inhabitatione gauisurus esse forsan non temerè speratur: quia non in perpetuum, sed donec tempora nationum impleantur, ita premendus esse narratur. Et Iohannes Damascenus in libro quarto de Orthodoxa fide, capite uigesimosexto disputat contra Iudæos, de circumcisione. Et libro eodem, capite uigesimoquarto, de sabbato: & ostendit utraque esse abrogata.

Et Synodi. nam Synodus Romana sub Zacharia planè uetat, ne Christiani nuptias cum Iudæis contrahant. cap. 15.

Et

Et magiſtratus. Leo enim imperator, Hebręos à pſeudochriſto deceptos coegit baptizari. Paulus lib. 21. rerum Romanarum.

Non autem fruſtra contra Iudæos pugnari uerbo Dei, ſed ſubinde aliquos non tantùm ex plebeia, uerùm etiam ex ſacerdotali ſtirpe Iudæorum ad Eccleſiam adduci, Beda teſtatur quæſtione 30 in libros Regum: & libro 2. in Marcum, cap. 4.

DE GENTILISMO.

Nomina locorum, in quibus hac ætate gentiliũ ſuperſtitio in uſu fuit, hæc ferè annotátur in hiſtorijs huius ſeculi.

IN ASIA.

Pergami. Ibi enim Magum ciues decepiſſe, narrat Diaconus lib. 20 rerum Romanarum. Berrhœæ & Chalcide, ubi ſedecim magi perſuadentes hominibus de uolatu in cœlum, interfecti ſunt ab Haly Saracenorum duce. Paulus lib. 22 rerum Romanarum.

In Perſia. Ibi enim magi perſuaſerunt hominibus, quòd uenundata ſua ſubſtantia, in cœlum eſſent ſubuolaturi. Verùm illi periculum facientes, de muris cum ſubuolare conarentur, præcipites deciderunt, & oſſa ſua fregerunt. Paulus Diaconus libro 22. anno Conſtantini 18.

IN AFRICA.

Nam Veneticos negociatores mancipia Romæ empta in Africam duxiſſe, & paganis uendidiſſe, Liber pont. in Zacharia refert.

IN EVROPA.

Apud Amaſgos & Abaſgos ſyluas & arbores pro dijs eſſe cultas, ſub Iuſtiniano, indicat Zonaras tomo 3 in Leone.

In Pannonijs. Hunnos & Auares inimicos religionis Chriſtianæ fuiſſe, Auentinus libro 3. & Synodus Ingelheimenſis teſtatur apud eundem. Et in Sicambria Martem & Herculem coluiſſe, Bonfinius decadis 1. libro nono teſtatur.

In Germania ritus paganorum & ſortilegia idolorum eſſe, teſtatur Bonifacius in epiſtola ad Danielem. In umbra mortis aliquas gentes in Germaniæ partibus, uel plaga Oriẽtali Rheni fluminis errare, & quaſi ſub religione Chriſtiana idolorum culturæ ſeruire cognouimus: aliquos uerò qui necdum cognitionẽ Dei habẽtes, nec baptiſmatis unda ſunt loti, ſed comparatione brutorum animalium pagani factorẽ nõ recognoſcunt. Gregorius ſecundus in epiſtola ad epiſcopos & Chriſtianos, tomo 2 Conciliorum.

Treueri, Coloniæ, Moguntiæ, & ad Rheni ripam, dæmoniorum cultum in uſu fuiſſe, ſub aduentum Bonifacij in Germaniam, Mutius narrat libro 6. pagina 48.

In Saxonia. nam Bonifacius in epiſtola ad Anglos, monet pios, ut pro Saxonum conuerſione Deum inuocent, ut reſipiſcant ex diaboli laqueis. Idem in antiqua Saxonia gentes eſſe, in epiſtola ad Ethilhaldum regem indicat.

Magdeburgi. ibi enim Carolum fanum Veneris ſubuertiſſe, ſcribit Crantzius lib. 2. capite 12 Saxoniæ.

Luneburgi. nam ibi Lunæ idolum Carolus deſtruxit. Irenicus lib. duodecimo Exegeſeos Germaniæ.

Soltfeldij: nam ibi ſolis ſtatua fuit. idẽ.

Hamburgi, ubi templum Iouis fuiſſe, quidam tradunt.

In Holſatia. Chronicon Holſatiæ.

Apud Vuinedos. Bonifacius in epiſtola ad Ethilbaldum. Et Sclauos: ut patet ex epiſtola Zacharię 3. ad Bonifacium, à quibus ut Chriſtiani cenſum exigant, ſuadet.

In Friſia. Magna pars gentis Friſonum adhuc pagana eſt. Bonifacius in epiſtola ad Stephanum papam. ac illi pagani Bonifacium poſtea interfecerunt. Regino libro ſecundo. Anno 754. Sigebertus.

Traiecti pagani deſtruxerunt eccleſiam Saluatoris, à Vilibrordo extructam. epiſtola Bonifacij ad Stephanum.

In Anglia. nam paganos uenerabiles locos in Britannia prædari. Albinus ad Offam & ad Egebredum ſcripſit: teſte Vuilhelmo libro 1. capite 55 de geſtis Anglorum. Et legati Romani in Synodo Anglica ſub Adriano, ritus paganos aliquos iubent extirpari, capite decimonono.

In Amnia, Strachia & Aſtrachia inſulis, idololatras Carolus Martellus cecidit, & fana eorum deſtruxit. Blondus libro decimo decadis primæ.

Hartesburgi. nam ibi Krodo, id eſt Saturnus cultus eſt, teſte Crantzio in Saxonia lib. 21. cap. 12.

Apud Heſſos. Deus noſtrum iter ſua uoluntate in has prouincias, id eſt in confinio paganorum, Heſſorum ac Saxonum direxit: Vuicbertus inquit presbyter, in epiſtola ad monachos Gleſtingaburgenſes.

Vuiſmariæ in Vueſtphalia, paganos arborem coluiſſe tempore Bonifacij, Chronicon Iſennacenſe habet.

In Thuringia paganos fuiſſe, conſtat ex epiſtola Gregorij ſecundi ad plebem Thuringiæ, tomo 2 Conciliorum. Et Nauclerus inquit generatione 25: Inter Thuringos erãt aliqui Chriſtiani, plures adhuc pagani.

In Polonia. Reges enim qui hoc ſeculo in Polonia fuerũt, Chromerus idololatras appellat. Et Vendam reginam Cracouiæ uictimas mactaſſe, & ſeipſam dijs patrijs deuouiſſe, ac de ponte in Viſtulam ſe præcipitem dediſſe: Lib. 2. pagina 31.

Romæ, mulieres pagano ritu phylacteria & ligaturas in brachijs & cruribus ligatas habue-

habuerunt, & uenales obtulerunt. Bonifacius in epistola ad Zachariam, apud Nauclerum generatione 25.

CAPITA DOCTRINAE SEV *opinionum Ethnicarum.*

De dijs & deabus senserunt, quòd hominum more sint nati, & quòd sint benefici & iusti & omnipotẽtes: ut colligitur ex epistola Danielis ad Bonifacium.

Alij alios deos coluerunt. nam Saxonum dij fuerunt Krodo seu Saturnus, Mars, Luna, Sol, Venus, Iupiter. Amasgi syluas, nemora & arbores pro dijs adorarunt. Zonaras tomo 3. in Leone. Idem Hessi fecerunt ante Bonifacij aduentum, & Vuismarienses. Hunni in Pannonijs & Martem, & Herculem, & Danubium adorant, & uenerantur libationibus atq; sacrificijs: apud Bonfinium libro 9 decadis 1. de Vngaris.

DE MVNDO.

Alij sentiebant, eum esse æternum: alij uerò, eum initium habere. Daniel in epistola ad Bonifacium.

De astris.

Gentiles aiũt, per astrorum & Solis & Lunæ ortum, occasum, & commixtiones, omnia dispensari, quæ apud nos fiunt. Iohannes Damascenus libro secundo de Orthodoxa fide, cap. 7.

De augurijs.

Existimabant deos suos per auguria prænunciare futura. Sic Vngari aquilis admoniti, in Transsyluaniam penetrant. Bonfinius decadis 1. lib. 9 rerum Vngaricarum.

De oratione.

Idola sua adoranda censebant: ut patet ex epistola Gregorij 2 ad Thuringos. Angliæ regem adorasse stellam tempore Bonifacij, Valentinus Muntzerus indicat. Formulam ethnicæ inuocationis Bonfinius decadis 1 libro nono describit, quam postea inter ritus recitabimus.

De bonis operibus.

Saxones sentiebant, nullam fidem aut pacem esse seruandam Christianis, ob suę superstitionis defensionem, aut propagationem. Auentinus lib. 4 Annalium, folio 320.

De regimine sacro.

Habuerunt suos sacerdotes & pontifices. Beda libro quarto, capite octauo, in Samuelem. Apud Holsatos Bardi poetæ & sacerdotes erant, qui Bardeuici habitabãt, & præter sacrificia res gestas Saxonũ uersibus seu rhythmis in sua lingua scripserunt. Iohannes Petersius in Chronico Holsatorum, libro primo.

De ceremonijs & ritibus eorum.

Suis dijs & deabus sacrificabant. Daniel in epistola ad Bonifacium. Ac uidentur etiam homines immolasse. nã Christianos sua mancipia ijs ad immolandũ uendidisse, Gregorius secũdus in epistola ad Bonifacium refert. Apud paganos sacrificia mortuorum, sortilegia, phylacteria, auguria, incãtationes, hostias immolaticias, ignes sacrilegos, quos uocabant Nedfri, in usu fuisse, constat ex Synodo Francica, tomo 2 Conciliorum. Pergamenses magi instinctu, mulierem grauidam, & infantem eius sacrificant. Paulus 20. libro rerum Romanarum. Et Frisones forte iacta elegisse homines ad sacrificia, Vincentius indicat libro uigesimotertio, capite centesimo quadragesimoquinto: & Erphordiensis capite 66.

Ritum libandi & sacrificandi apud Hunnos, Bonfinius lib. 9, decadis 1. de Vngaris, in hunc modum describit: Arpadus rex Hunnorum, filius Almi, inspecta terra, herbis, aqua, quam attulerat Cusidus ex Pannonia, quam repetere uolebant Scythiæ populi, aduocata concione, omnia è sententia euenisse profatur, ex telluris & herbarum indicio regionis clementiam & ubertatem auspicatur. Mox cornu aquam infudit, altaq; uoce: Mars pater (inquit) tuque parens Hercules, quorum auspicijs, maiorum exemplo, almas tam procul Pannonias petiuimus, perpetuas has nobis sedes cõcedite. Vestram hic gentem sistite, erroribus nostris finem imponite, Danubiumq; patrem nobis perpetuò conciliate. Ita denique uestris numinibus nobis semper adeste, ne ab infestis finitimis obruamur. Imò quando uestris auspicijs ductuq; militamus, eas præstate uires, ut deorum & hominum propugnatores ubique gentium prædicemur. Hæc præfatus, Marti & Herculi progenitori Istrianam aquam ex more libauit, multasq; uictimas patrijs dijs per singula castra mactari edixit: ter ab omnibus feliciter acclamatum.

Habebant etiam sua fana & idola. Annonius lib. 4., cap. 55, fanorum & idolorũ apud Frisios meminit. Et cap. 69, Saxonum idolum Irmensul, in castro Eresburg nominat. Luneburgi, Lunæ simulachrum à Iulio Cæsare usq; ad Caroli Magni tempora mansisse, & ab eodem destructũ esse, Irenicus affirmat lib. 12 Exegeseos Germaniæ. Soltfeldij, Solis statuam à Iulio positam, & à Carolo postea destructam, idem narrat libro eodem.

De festis.

Pagani Calendis Ianuarij in plateis saltabant, noctu conuiuabantur, exercebant incãtationes, cantabant carmina: nullum uel ignem uel ferramentum, uel quid aliud cuiquam ex domo sua commodabant: ut patet ex epistola Bonifacij ad Zachariam, apud Nauclerum generatione uigesimaquinta.

P DE

DE IDOLO HERMANSAL, SEU POtius Iedermans Suele: id est, omnium, seu communis statua.

Simulachrum Hermansal in Vuestphalia Heroburgi, seu in castro Hermopoli, ut appellat Gregorius Turonensis, à Saxonib. cultum, in hunc modum describit Crantzius in Saxonia lib.2.cap.9. Erat armati toto corpore effigies, cuius in dextera signum militare, nostri uexillum uocant, præferens rosam: cuius ut breue momentũ, & facilis ortus & interitus, ita euentus præliorum. In sinistra libram expandit, dubiam pugnantium sortem, facile huc aut illuc inclinantem. Pectus inerme ursum præferebat, interritũ bellatorũ animum insinuās. In clypeo leo, qui bestijs imperitat, inuictum ad fortia facta impetum monstrat. Floribus cōsito campo, in quo stabat: quòd nihil iucundius solet uideri fortibus, quàm in acie uirtutem ostendere.

Originem istius nominis alij aliunde ducunt. Quidam ab Hermete, id est Mercurio: alij à Marte putant sic dici. Alij Iedermans Suel, quasi commune profugium & asylum omnium: & Martem communem, qui in prælio diu uagatur incertus, diu dubius quò ponat uictoriam. Sed Auentinus ab Hermione Germanorum rege, Hermansal, quasi Hermanni aula, & nomen & idololatriam illam esse uerisimiliter existimat, lib.1. Annalium Boiorum. De loco uerò an Mersburgi ad Lippam, ut Regino & alij Gallicani scriptores: an uerò Mersburgi ad Salam simulachrũ illud fuerit, dubitat Crantzius ibidem.

De idolo Krodo.

In arce Hartzburg, Saxones coluêre idolũ Crodo, Saturnum dixêre Latini. Erat senex, qui stabat in pisce, quem Persicum uocant: & tenebat rotam & urnam. Rota unionem populi, & urna rerum abundantiam significabat. Crantzius in Saxonia libro secundo, capite duodecimo. Et in Metropoli libro primo, capite tertio.

De simulachro Magdeburgico.

In arce Megdeburg idolum colebatur à Saxonibus, quod Crantzius ex Chronicis Saxonum in hunc modum depingit: Stabat in curru nuda femina, myrtea caput cincta corona, ardentem faculam in pectore, in dextera mundi figuram, in sinistra uerò mala aurea tria præferebat. post eam tres puellæ, Charites Græci, Latini Gratias dixêre, nexis manibus nudæ singula poma gestabant, auersis inuicem uultibus dona porrigentes. Iugales quadrigæ erant, gemini cygni, totidemq; columbæ. Venerem hac imagine figurabat gentilitas. Saxonia Crantzij libro secundo, capite duodecimo. Et in Metropoli libro primo, capite tertio.

De idolo Luneburgico.

Apud Luneburgicos in columna statuam fuisse longis auribus, auream Lunam gestantem, Chronicon Saxoniæ refert.

De idolo Hamburgico.

Idolum Hamburgicum in hunc modum Crantzius in Saxonia lib.2.cap.16 depingit: licet ipse dubitet, an uerè eo in loco cultum sit hoc seculo: Sedet rex in solio, & ex ore eius altera parte fulmina, altera uerò tonitrua consurgunt, ipse sceptrum gladiumq; manu præfert. A dextris ueterũ mascula numina, Apollo, Mercurius, Neptunus, Mars, Vulcanus, Pluto: à sinistris feminea, Iuno, Ceres, Venus, Minerua, Diana, Vesta.

DE MORIBVS.

Paganos uitam, societatem & doctrinam fidelium Christi despicere, Beda affirmat lib. 4 in Samuelem, cap.8.

De matrimonio Saxonum hæc Bonifacius (teste Vuilhelmo libro primo, capite sexagesimoquarto de Anglis) scribit in epistola ad Ethilbaldum regem: Pagani uerum Deum ignorantes, naturaliter quæ legis sunt, & quod ab initio Deus constituit custodiunt: quia proprijs uxoribus matrimonij fœdera seruantes, fornicatores & adulteros puniūt. Nam in antiqua Saxonia, si uirgo paternam domum adulterio maculauerit, uel si mulier maritata perdito fœdere matrimonij adulterium perpetrauerit, aliquando cogunt eam propria manu per laqueum suspensam, uitā finire, & super bustum illius incensæ & crematæ corruptorem eius suspendunt. Aliquando congregato exercitu fœmineo, flagellatam eam mulieres per pagos circūquaque ducunt, uirgis cædentes: & uestimenta eius abscindentes, iuxta cingulum, & cultellis totum corpus eius secantes & pungentes minutis uulneribus, cruentatam & laceratam de uilla ad uillam mittunt: & occurrunt semper nouæ flagellatrices, zelo pudicitiæ adductæ, usque quò eam aut mortuam, aut uix uiuam derelinquant, ut cæteri timorem adulterandi & luxuriandi habeant. Et Vuinedi, quod est fœdissimum & deterrimum genus hominum, tam magno zelo matrimonij amorem mutuum obseruant, ut mulier uiro proprio mortuo uiuere recuset: & laudabilis mulier inter illos esse iudicatur, quæ propria manu sibi mortem intulit, ut in una strue pariter ardeat cum uiro suo.

Duas simul uxores aut plures ducebant, quod Gregorius secundus in epistola ad Bonifacium iubet abrogari. Apud Holsatos lex fuit, ut nobilis nobilem, liber liberam, seruus seruam duceret, & secus faciens uitam amitteret. Iohannes Petersius in Chronico Holsatiæ.

Caballos agrestes & domesticos comedebant

bant Saxones. Gregorius 2. in epistola ad Bonifacium. Holsatos & Saxones poculis certasse, & uictori coronam de rosis dedisse, eumq; celebrasse, Petersius in Chronico Holsatiæ refert. Et Bonifacius in epistola ad Romanum Pontificem, apud Mutium libro septimo, pagina quinquagesimatertia inquit: Animales homines tempora quædam anni habent, quibus insaniunt, crapula se degrauantes & inebriantes, commessationibus totos dies & noctes uacantes, clamantes ferino more, saltantes & canentes cantiones obscœnas, quæ facilè mores corrumpunt bonos. Mulieres se exponunt meretricio quæstu uenales. Apud Amasgos reges auari omnes uenustos pueros castrari iubebāt: eosq; postea Romanis, qui eunuchis delectabantur, uendebant: & parentes eorum, ne ulciscerentur iniuriam, interficiebant. Zonaras tomo 3 in Leone.

Apud Anglos pagani uulnera sibi infligebant, & de cicatricibus gloriabātur, & equis suis nares findebant, auresq; colligabant, & caudas amputabant, & lites sortilegio dirimebant. Synodus Anglica cap. 19.

Sepulchra eorum in montibus fuisse, ubi aceruis lapidum heroes texerunt, aut igne exustos cineres urnis abdiderunt. ibid.

PROPVGNATORES *gentilismi.*

¶ Istam aūt uanitatē defenderunt & propagarunt sacerdotes eorum, & philosophi. nā Beda inquit: Irati philosophi & pontifices idolorum, ei se credere timent, cuius uerbo suam culturam simul & sapientiam dolent destructam: lib. 4 in Samuelem, capite 8.

Et Magi. nam Pergamenses magus decepit. Paulus lib. 20. Et Persis sedecim magi persuaserunt, quòd in cœlum essent subuolaturi. Idem lib. 22 rerum Romanarum.

Astrologi & Pseudoprophetæ Talis uidetur fuisse Pancratius, qui Constantino prędixerat uictoriam contra Bulgares. Verùm cum Imperator ea spe fretus neglιgētius omnia ageret, uincitur ipse, & Astrologus eius cadit in acie. Paulus lib. 23 rerum Romanarū.

Et reges & magistratus. Rathbodus Frisiorum rex multos deos coluit: & destructis Christianorum templis, idolis suis fana ædificauit, ut refert Hedio lib. 6. Et cum baptizandus esset, ex lauacro pedem retraxit, cum audisset plures ex suis maioribus esse in inferno quàm in paradiso. ac dixit, Satius esse ut plures, quàm pauciores sequeretur. Sigebertus anno 718. Ramgarius idololatra, Grimoldum Pipini filium Leodij in templo interfecit. Sigebertus, anno Domini 713.

Et superstitiosi homines. Pagani Thuringos ad idolorum cultum compellere conati sunt. Gregorius secundus in epistola ad Thuringos. Et 30 ecclesias incenderunt in diœcesi Bonifacij: ut conqueritur ipse in epistola ad Stephanum, apud Nauclerum generatione 26. & Mutium lib. 7.

Pagani Christianis sua uitia exprobrabāt. Sic Bonifacius dicit, ipsos paganos sibi obijcere turpes Anglorum libidines, quòd spretis legalibus connubijs, adulterando & luxuriando uincant Sodomitas. in epistola ad Ethelbaldum, dist. 56. cap. Si gens Anglorum.

Et impij Christiani. Nam quidā sua mancipia paganis ad immolandum uendiderūt. Gregorius 2. in epistola ad Bonifaciū, tomo 2. Conciliorum. Pergamenses suasu cuiusdam magi, cū essent obsessi à Saracenis, grauidam mulierem incīdunt, & infantem coquunt, & eo cruore dexteras manicas tingebant, opinantes se felicius pugnaturos. Paulus Diaconus libro uigesimo rerum Romanarum.

Et superstitiones Ethnicas obseruantes: quales fuerūt Caucolatores, tempestarij, obligatores, & qui de arboribus uel petris uel fontibus suspendebant luminaria, & similes ineptias certa aliqua persuasione faciebant: ut patet ex constitutionibus Caroli Magni. Item clocas seu cāpanas baptizantes, & chartas per perticam suspendentes contra graudinem.

Et Imperatores, ethnicas consuetudines obseruantes. Sic Iustinianus, Philippicus, Constantinus, ludos Circenses exhibuisse scribuntur à Zonara tomo 3. Et Constantinum Copronymum accusant Paulus Diaconus lib. 21 rerum Romanarū, & Zonaras, Suidas, & alij, quòd Venerem coluerit, & dęmones inuocauerit: atque in Maura ex aduerso urbi sita, noctu sacra fecerit: pueros mactauerit, inter quos fuerit Hauij filius. Sed hæc crimina ab Iconolatris falso in eum conficta uidentur. Et Christianos in Germania ethnicas cōsuetudines obseruare, Bonifacius scribit in epistola ad Zachariam, apud Nauclerum generatione uigesimaquinta. Romanas mulieres etiam phylacteria habere, ibidem testatur.

A' QVIBVS ET QVOMODO *contra gentilium errores & superstitiones pugnatum sit.*

In exercitu Dei gentium idola & uanitates expugnāte, antesignani sunt sacerdotes, inter quos Iohannes Damascenus opinionē de astris refutat in hunc modum: Gentiles aiunt, per astrorum horum & solis & lunæ ortum, occasum, & commixtiones, omnia dispensari, quæ apud nos fiunt. Circa hęc enim astrologia uersatur. Nos uerò dicimus, signa ex ipsis fieri imbris & serenitatis, frigiditatis & caliditatis, humiditatis & siccitatis, & uentorum

torum & similium, nostrorum autem actuū nequaquā. Nos enim liberæ potestatis à conditore facti, domini nostrarum actionum sumus. Si enim ex astrorum latione cuncta facimus, ex necessitate ea operamur quæ facimus. Atqui quod ex necessitate fit, neq; uirtus neq; uitium est. Si autem neq; uirtutem neq; uitium possidemus, neq; laudibus & coronis, neq; uituperationibus & punitionibus sumus digni. Inuenietur autem & Deus iniustus, his bona, illis uerò tribulationes tribuens. Sed neq; gubernabit, neque suarum ipsius creaturarum prouidentiā geret Deus, si secundum necessitatem ducuntur omnia, atq; feruntur. Sed & in nobis ratiocinādi potestas uana erit. nam si nullius actionis domini sumus, uanè consultamus. Rationalis autem potestas, omnino cōsilij gratia nobis indulta est. Vnde & omne rationale, liberæ potestatis ac arbitrij est. lib.2 cap.7 de Orthodoxa fide. Bonifaciū etiam contra gentes strenuam nauasse operam, testatur Daniel in epistola ad ipsum, in qua ei præscribit argumenta, quibus refutandæ sint erroneæ paganorū opiniones. Idem Daniel, hoc modo refutat opinionem gentium, quòd dij eorum non sint omnipotentes, nec iusti: si omnipotētes sunt dij, & benefici & iusti, non solum suos remunerant cultores, uerumetiam puniunt contemptores: & si hæc utraq; temporaliter faciunt, cur ergo parcunt Christianis, totum penè orbem ab eorum cultura auertentibus, idolaq; euertentibus? & cum ipsi, id est Christiani, fertiles terras, uiniq; & olei feraces, cæterisq; opibus abundātes possident prouincias: ipsis autem, id est paganis, frigore semper rigentes terras cum eorum dijs reliquerunt, in quibus iam tantum toto orbe pulsi falso regnare putantur. Hassos syluas & lucos adorantes, Bonifacius conuertit. Hedio lib.6. cap.17. historiæ Ecclesiasticæ. Et apud Vuismarienses, arborem quā pagani pro Ioue colebāt, destruxit. Chronicon Isennacense. Synodus Anglicana cap.3, præcipit omnibus episcopis, ut augures, aruspices, incantatores, ueneficos, sortilegos coherceant.

Et pontifices Romani. nam Gregorius 3, in epistola ad Sueuos & Bauaros, monet eos, ut gentiles ritus abijciant, teste Mutio lib.6. Et Zacharias ethnicos ritus, qui Romæ iterum pullulauerāt, de Calendis Ianuarijs, augurijs & incantationibus, abrogauit: ut patet ex epistola eius ad Bonifaciū. Idem prohibuit, ne Venetici mercatores mancipia Christiana in Africam deportarent, & paganis uenderent. Liber pontificalis.

Synodi. Francica Synodus inquit: Decreuimus, ut secundū Canones unusquisq; episcopus in sua parochia solicitudinē habeat, adiuuante Graphione, qui defensor Ecclesiæ est, ut populus Dei paganias nō faciat, sed ut omnes spurcitias gentilitatis abijciat & respuat, siue prophana sacrificia mortuorum, siue sortilegos uel diuinos, siue phylacteria & auguria, siue incātationes, siue hostias immolaticias, quas stulti homines iuxta Ecclesias ritu pagano faciūt, sub nomine sanctorū martyrum uel cōfessorum Domini, suos sanctos ad iracundiam prouocantes: siue illos sacrilegos ignes, quos Nedfri uocant, siue omnes quæcunq; sunt paganorū obseruationes, diligenter prohibeant. tomo 2 Conciliorū. Synodus Nicena 2. Gentilitatis in sacrificando omnem idololatriam, & statuarū copiam, catholica auersatur Ecclesia, actione 6. Synodus Romana sub Zacharia cap.9. Nullus Calendas Ianuarij & brumas ritu paganorū colere pręsumat, aut mensam cum dapibus pręparet, & per uicos & plateas choros ducat.

Magistratus. Iustinianus Amasgorū principibus prohibuit, ne pueros amplius castrarent: ac populum illum lucos & arbores pro dijs colentem, ad fidem Christi per sacerdotes adduxit. Zonaras tomo 3. Carolus Martellus contra Frisios numinum cultores arma cæpit, & fana & lucos eorum extirpauit. Auētinus lib.3 Annaliū. Eosq; ad professionem Christianæ fidei cruentis prelijs coegit, anno Domini 725. Mutius in Chronico Germaniæ lib.6. Carolomannus multam undecim solidorum exigit ab ijs, qui paganorum superstitiones obseruent: apud Nauclerum generatione 25. Pipinus uictum Rathbodū Frisonū ducem coegit Clementem episcopū suscipere: Æmylius lib. 1 de gestis Francorū. Carolus Martellus captis insulis Amnia, Strachia & Astrachia, fana idololatrica subuertit. Blondus lib.10 decadis primæ. Bonifacius in epistola ad Danielem ait: sine patrocinio principis Francorum se non posse paganorū ritus, & sacrilegia idolorū in Germania prohibere. Carolus fana & idola Frisonum contriuit, atque igne combussit. Annonius libro quarto, capite quinquagesimoquinto de gestis Francorum. Idem idolum Saxonū, Hermensaul, in castro Eresburg, euertit. Annonius lib. eod. cap.69. Et idolū Lunæ, Luneburgi: & Solis, Soltfeldij: Irenicus lib.12 Exegeseos. Et idolum Crodo, qui fuit Saturnus, Hartzburgi Crantzius in Saxonia lib.2. cap.12. Ac Carolum in Saxonia scabinis potestatem fecisse laqueo suspendendi, aut gladio feriendi, eos qui dijs sacrificassent, aut ecclesiasticas ceremonias contempsissent, Mutius libro septimo ex Ænea Syluio refert: ac aliquoties eum solam illam ob causam arma contra reges gentiles sumpsisse, quòd Christianos persecuti essent, ibidem indicat. In Sicambria, quæ nunc Buda appellatur, Carolus Vngaris destruit sua idola, Herculem & Martem,

Martem, templaq́; eorum, & ad fidem Christi eos inuitat. Bonfinius decadis primæ libro nono.

Et Ecclesia precibus suis. nam Angli per literas à Bonifacio admoniti, pro Saxonum conuersione Deum inuocarunt.

Et confessione. Thuringi paganis de idolorum cultu periculum minantibus, responderunt: se malle mori, quàm fidem semel in Christo acceptam uiolare. Gregorius 2. in epistola ad eosdem.

Et armis. Ex ijs qui pro Christo certare constituerunt, alij quidem pro pietate solummodo decertarũt aduersus gentiles, qui errorem simulachrorum tuebantur. Metaphrastes tomo quinto, in uita Theodosij & Theophanis.

DE MAHVMETISMO.

IMpia & blasphema Mahometi religio partim studio nouitatis, partim uanitate hominum, partim etiam armis & uictorijs Saracenorum & Turcorũ diffusa & propagata, multa in orbe terrarũ loca obtinuit: quorum illa quæ in literas relata sunt, nominatim percensebimus.

IN ASIA.

Hierosolymis. Ibi enim Habdallas ieiunauit, & Christianos afflixit. Paulus Diaconus lib. 22 rerum Romanarum.

In Samaria & Trachonitide. nam ibi Saraceni dominantur. Paulus lib. eod.

In Syria Habdallas *κειμήλια* Ecclesijs eripuit, & Iudæis uendidit, absque dubio Mahometi superstitiones instituens. Paulus libro eodem.

Antiochiæ. Inde enim Salin Theodorum patriarcham eiecit. Paulus lib. eod.

Maiumæ. Paulus libro uigesimosecũdo rerum Romanarum.

Pergami. Masalmas princeps Saracenorũ Pergamum expugnat: nec est dubium quin ibi plantarit suæ religionis radices. Paulus lib. 20 rerum Romanarum.

In Mesopotamia. nam in ea regnat Habdallas. Paulus libro eodem. Nisibis meminit ibidem.

Damasci templum Christianorũ Vlid adscribit suo Mahometo. Paulus lib. 20. Et ibi Hali Arabũ dux, Petrũ Mahometi uanitatẽ damnantẽ punit. Paulus lib. 22 rerũ Roman.

Emesæ, Thesias Iudæos & Christianos ad menzerizandum compulit. Paulus lib. 23 rerum Romanarum.

In Romania. ibi enim passim Thesias Christianorum seruos fecit apostatas, & ecclesias Christianorum subuertit. Paulus lib. 23 rerũ Romanarum.

In Arabia. Paulus lib. 22. Mechæ locus blasphemiæ Saracenorum uocatur lib. eod.

In Perside. nam Chorosanitæ Maurophori inde contra Maruam ueniunt. Paulus Diaconus lib. 22 rerum Romanarum.

Apud Dabechum Maurophori filium pro tosymbuli sui Deum pronunciant. Paulus libro uigesimosecundo.

IN AFRICA.

Nam in Ægyptum fugit Maruan, unus ex Mahometi posteris, ac ibidem à Maurophoris occiditur: & Salim dux Saracenus præficitur Ægypto. Paulus lib. 22.

IN EVROPA.

In Hispanijs. nam Muhauia in Hispaniã quosdã Saracenos transtulit: & cognati Maruæ pulsi ex Ægypto, etiam eò confugerunt, anno Constantini 9. Paulus lib. 22. Et idoli à Mahometo in Gadibus positi meminit Turpinus Remẽsis, apud Erphordiẽsem cap. 68.

In Gallijs. nam ab Eudone inuitati, ex Hispanijs in Gallias cum omnibus famulis suis infinita multitudine transeunt, anno Domini 730. & dimidiam eius regionis partem occupãt. Vnde Caroli & Francorum uirtute intra annos octo uix propulsantur.

CAPITA ERRORVM MAHOMETISTARVM.

De Deo sentiunt, iuxta Alcoranum unum Deum esse, factorem omnium gentium, sed non generantẽ. Damascenus de hæresibus.

Christum asserunt uerbum Dei esse, & spiritum ipsius, creatum autem & seruum: & quoniam ex Maria sorore Moysi & Aaron sine semine natus est. Verbum enim, ait, Dei & spiritus intrauit in Mariam, & genuit prophetam, existentem & seruum Dei. Et quoniam Iudæi legem transgredientes, uoluerũt ipsum crucifigere, & tenentes crucifixerunt umbram illius. Ipse autem Christus non est crucifixus, ait, neq; mortuus est. Deus enim assumpsit ipsum ad seipsum in cœlum, quia amauit ipsum. Damascenus de hæresibus.

Iesum inuitum passum esse, affirmant. ibidem.

Iohannem baptistam, & qui Christum sanctificarit, maiorem esse Christo nugantur.

Deum faciunt causam & autorem mali: quia in generatione tam cooperetur fornicatoribus & adulteris, quàm ueris coniugibus. Damascenus in altercatione Christiani & Iudæi.

De sacra Scriptura sentiunt, quòd non ea probet Iesum esse filium Dei, & uerum Deum: sed malè per allegoriam accõmodetur, aut corrupta sit ab Hebræis. Damascenus de hæresibus.

De Alcorano nugantur, quòd à Deo datus sit Mahometo dormienti. ibidem.

De Christianis sentiunt, quòd sint hæretici: eosque *ἑτεράστας* uocant, eo quòd alterum à Deo inducant, dicentes Christum esse

filiũ Dei & Deum: item quòd sint idololatræ, crucem Christi adorantes. Damascenus ibid.

De ceremonijs sacris Mahometistarum.

Habebant Mahometani sua templa, in quibus Mahometum colebãt: ut Hierosolymis & Mechæ. & Damasci Vlid templum Christianis eripuit, ac in eo Mahometum coli iussit. Paulus lib. 20.

Habebant suos ritus in initiandis ijs qui ad eam uanitatem accedebant. nam Habdallas præcepit, Christianis & Iudæis characteres in manus inscribi. Paulus lib. 22. Et Thesias Christianorum seruos apostatas fecit, & menzerizauit eos, qui dudum infideles fuerant. lib. 23 rerum Romanarum.

Saracenos habuisse sua quædam symbola Mahometi, quibus sibi inuicem fidem fecerunt, constat ex lib. 22 Pauli rerum Romanarum. nam Habdallas Amuslim ex Perside, precibus & blandis uerbis, & execrabilibus symbolis, scilicet uirga & sandalijs Mahometi, ad se euocauit.

De sacrificijs Saracenorum, Germanus in epistola ad Thomam inquit: Saracenis sufficiat, quòd in eremo lapidi inanimato sacrificia faciant, acclamentq́; hãc uocem Chobar, quòd à patribus acceptum per puerilia mysteria & festa peragunt.

Venerabantur lapidem osculando. Damascenus de hæresibus.

Ieiunia celebrabant. Habdallas Hierosolymis, ubi erat Mahometi templum, ieiunat. Paulus lib. 22 rerum Romanarum.

Ritum tondendi Turcæ obseruant, quem peste laborantes olim suasu Christianorum susceperunt, remedij loco. Sigebertus.

De idolo Mahometi.

In Gadibus est lapis antiquus in margine maris, opere Saracenico optimè sculptus super transitu, deorsum latus & quadratus, desursum strictus, & tantæ altitudinis, quantũ solet uolare coruus in sublime: super quem eleuata est imago illa de aurichalco, optimè in effigie hominis fusa, super pedes suos erecta, faciem habens uersus meridiem, & clauẽ quãdam ingentem dextra manu tenẽs. Quæ clauis, ut tradunt Saraceni, de manu eius cadet, anno quo rex futurus in Gallia natus fuerit, qui totam Hispaniam Christianis legib. in nouissimis temporibus subiugabit. Moxque ut uiderint Saraceni clauem lapsam, gazis suis in terra positis, omnes fugient. Tradunt Saraceni, quòd idolum illud Mahomet, dum adhuc uiueret, fabricarit: & quandam legionem dæmonum arte magica eò alligarit, quæ tam fortiter id obtineat, ut à nullo unquam frangi potuerit: nec Christianos sine periculo accedere patiatur, sed solos Mahumetanos, & aues ei insidentes subitò enecet. Turpinus Remensis apud Erphordiensem, cap. 68.

A quibus & quomodo propugnatus Mahometismus.

Patroni Mahometicæ uanitatis erant sacerdotes & pseudoprophetę eius. Talis uidetur fuisse Thesias zelotes, de quo paulo pòst. Et Hisces, & Hali. Paulus lib. 22.

Et reges & duces eorũ. Sic Gizid dux Arabum, pro Mahometi religione, qui imagines & idola damnauerat, ex ecclesijs Christianorum simulachrum Christi & Mariæ uirginis exturbat, excitatus à Iudęis, pollicentibus ei imperij & uitę diuturnitatem. Paulus Diaconus lib. 21 rerum Romanarum: & Zonaras tomo 3. Maday misit in Romaniam, Thesiam Zelotem, eiq́; potestatem dedit apostatas faciendi Christianorum seruos, & desolãdi Ecclesias sanctas: id quod fecit. Paulus lib. 23 rerum Romanarum. Hali dux Arabum Damasci Petro linguam præcidit, eo quòd Saracenos arguerat socios Manichæorum. Idem, Maiumæ alium Petrum, Mahometum pseudoprophetam appellantem, gladio ferit. Paulus lib. 22 rerum Romanarum. Salim dux Arabum, Theodorum Antiochia in Moabitidem deportat, eiq́; uetat ne cũ Arabibus de fide Christianorum loquatur. libro eodem. Habdallas à Christianis tributa maiora exegit, & cruces de Ecclesijs sustulit, & uigilias nocturnas celebrare, & literas discere uetuit. libro eodem.

Et Turcæ gens Scythica, quæ circiter annum Domini 760 è Caspijs portis erumpẽs, in Mahometi errores consensit, eosq́; armis propagare adiuuit. Volaterranus, Gassarus in epitome, & Sigebertus anno Domini septingentesimo sexagesimo secundo.

A quibus & quomodo Mahumetismo repugnatum.

Mahometi dogmata & superstitiones oppugnabant pij, synceri & constantes doctores. Nã Petrus Damasci metropolitanus, palàm accusauit Arabes, quod Manichęorũ hæresin amplectantur per Mahometismũ. Paulus lib. 22 rerum Romanarum. Et Iohãnes Damascenus in libro de Centum hæresibus, & in libro de Altercatione Christiani & Saraceni, erroneas eorũ refutat opiniones. Contra opinionem de Alcorano sic inquit: Quis est testificatus, quoniam Scripturam ipsi dedit Deus? uel quis prophetarum prædixit, quoniam talis surget propheta? & quærentibus ab ipsis, Nunquid quemadmodum Mosi in monte Syna, in conspectu totius populi, fumigãte monte, dedit Deus legem: sic & illi Scripturam, quam dicitis, tribuit, ut & uos certitudinem habeatis? Respõdent: Quoniam Deus quęcũq; uult facit. Hęc & nos, aimus, nouimus: sed sic, qualiter Scriptura descendit

descendit in prophetam uestrum, interrogamus. & respondent: Quoniam dum dormiuit, descendit Scriptura super ipsum. Et ridiculum, ad ipsos dicimus nos, quoniam iam quia dormiens recepit Scripturam, & nõ sentit operationem in ipsum, impletũ est quod est uulgaris prouerbij. Rursus nobis interrogantibus, qualiter ipso præcipiente uobis in Scriptura uestra nihil facere uel recipere sine testibus, non interrogastis ipsum: quoniam primum ipse demonstra per testes, quia propheta es, & quoniam à Deo exiisti, & quę Scriptura testificatur de te: tacent, erubescentes. Ad quos rationabiliter rursus aimus, quia uxorem ducere non licet uos sine testibus, neque emere, neque possidere, neque uos ipsi recipitis asinos uel pecus sine testibus ad habendum. Habetis quidem & uxores & asinos & reliqua per testes, solam autem fidem & Scripturã sine testibus habetis. Qui enim hanc uobis tradidit, ex nulla parte habet firmitudinem: neque aliquis prætestificans illum agnoscitur, sed & dormiens recepit ipsam. Damascenus de hæresibus.

Contra calumniam, quòd Christiani sint heterastæ. Vocant autem nos heterastas, ab ἕτερος quod est alter: quoniam aiunt, quod alterum à Deo inducimus, dicentes Christum esse filium Dei, & Deũ. Ad quos aimus, quoniam hoc prophetæ & scriptura tradiderũt: uos autẽ resistitis prophetas recipere. Si igitur malè dicimus Christum Dei filiũ, illi docuerunt & tradiderunt nobis. Et quidã quidem ipsorum nobis aiunt, quoniam nos prophetas allegorizantes, talia apposuimus: alij autem dicunt, quoniam Hebræi odientes, nos errare fecerũt, uelut à prophetis scribentes, ut nos pereamus. Rursus autem aimus ad ipsos: Vobis dicentibus, quoniam Christus uerbum est Dei, & spiritus, qualiter conuiciamini nobis uelut heterastis? Verbum enim & spiritus inseparabile est ab eo, in quo esse natum est. Si igitur in Deo est, ut uerbum ipsius: manifestum est, quoniam Deus est. Si uerò extra Deum est, sine uerbo est secundum uos Deus, & sine spiritu. Igitur fugientes alterũ dicere Deum, sciinditis ipsum. Melius enim erat dicere uos, quoniam alterum habet: quàm scindere ipsum, & ut lapidem uel lignum uel aliquid insensibilium inducere. Quare uos quidem nos falso accusantes, heterastas uocatis: nos autem scissores uos appellamus Dei. idem ibidem.

Calumniã, quòd idololatrę sint Christiani, regerit in Saracenos, quòd lapidem Abrahæ seu Veneris adorent & exosculentur. ibid.

Ad opinionem, Deum esse autorẽ mali, respondet: Deũ naturę uim generãdi indidisse, & sanxisse legem de matrimonio: quã homines transgredientes libera uolũtate cõtra Dei uolũtatẽ, cũ scortis & adulteris coeãt. Damascenus in altercatione Christiani et Saraceni.

Iohannem esse minorẽ Christo, demõstrat exemplo à seruo prolato, qui in balneo Dominũ aqua perfundit: quem Saracenus pronunciat non eo esse maiorem Domino; quia eum abluit. Damascenus ibidem.

Et magistratus, qui armis conati sunt Saracenos & Turcos reprimere: ut in capite sequenti dicemus.

Et alij pij & constãtes Christiani. Petrus Carthularius Maiumæ ægrotans, ad Arabes inquit: Omnis qui non credit in patrem & filium & spiritum sanctũ consubstantialem, & diuinã in monade Trinitatem, mortuus est anima, & æterno dignus tormento. Talis est Mahomet pseudopropheta uester, & Antichristi præcursor. Discedite ergo (si mihi creditis, testanti uobis cœlum & terrã) ab illius fabulatione. cõsulo enim uobis, ne cruciemini simul cũ illo. Et postea recuperata ualetudine, clamat alta uoce: Anathema Mahomet, & fabulosum scriptũ eius, & cũcti q obediũt & credũt ei. Paulus lib. 22 rerum Romanarũ.

CAPVT XVI.

DE MOTIBVS ET MVtationibus politicis.

TVrbis & motibus hoc seculũ superiori non cedit. Nam Saracenorum potentia creuit in Oriente: & Imperatores Græci ægrè tutati sunt, in ea mundi plaga, partẽ aliquã imperij sui. Occidentis uerò regnũ, & maximè Italiã, Longobardi iam olim cœperũt auellere. Verùm Romani pontifices, regũ Francorum præsidio, & nimia superstitione, Longobardis oppressis, maximam partem prædæ sibi adscripserunt: in Francos tamẽ, gratitudinis ergò, dignitatem Imperij transtulerunt, ut dicetur in sequentibus.

Summã uerò mutationũ huius seculi, Nauclerus generatione 26 his uerbis cõplexus est: Facta est regum Francorum innouatio, regum Longobardorũ exterminatio, et imperij Romani à Græcis transferendi dispositio.

SVB ABSIMARO.

ABsimarus, ab exercitu Imperator designatus, annos imperat septẽ, iuxta Sigebertũ: ab anno Domini 699, usq; 705.

IN ASIA.

Sub eius autem imperio, hi ab historicis an notantur in Asia motus.

Syriã et uicinas regiones Saraceni occupãrant: Absimarus ergo fratrẽ suum Heracliũ, copijs equestrib. et pedestrib. instructũ, cõtra eos mittit. Is uerò in Syriam irrũpens, Samosatã usq; progreditur: et ad ducẽtã millia Saracenorum cædit, spoliaq; ampla reportat, magno terrore hostibus incusso: anno Domini

mini 700, iuxta Sigebertum, & Sabellicum Enneadis 8 lib. 6. Blondus uerò lib. 10 decadis primæ, 702 anno, Absimari secundo id factum esse scribit. Paulus Diaconus lib. 20. Et Zonaras tomo 3. Anno sequenti Habdalla dux Saracenorum, ulturus acceptam cladem, in Romaniam uenit, & Tarentum obsidet. Sed re infecta discedit: & Mopsuestiam extruit, præsidioq; munit. Paulus Diaconus libro eodem.

Baanes Armeniorum prætor, Saracenis quartam Armeniam prodit. Sed principes eius terræ anno sequenti, nimirum quinto Absimari, interemptis Saracenis, auxiliũ ab Absimare petunt, & in ius Romanorum ea prouincia recipitur. Sed Mahumeth Agarenorũ dux, Romanos rursus expellit, & principes uiros totius regionis captos cõburit. Cuspinianus de Imperatoribus. Paulus Diaconus lib. 20. Zonaras tomo 3.

In Ciliciam eodem anno decem millia Saracenorum irruptionem fecerunt, duce Azaro. Sed Heraclius obuiam ijs progressus, plerosq; cædit: paucos aliquot cępit, & uinctos Imperatori misit. Diaconus lib. eod. Azarus uerò reparato exercitu anno sequenti, Ciliciam denuò infestat, & Sisui castrum oppugnat. Sed ab Heraclio uictus, decem millia suorum desiderat, anno Domini 705, iuxta Funccium.

IN APHRICA.

Aegyptij sub Tyberio, ab imperij Romani seruitute recedunt: & proprium regem: qui Caliph dicitur, eligunt. Gassarus in Epitome. Et Saracenos Libyam & Aphricam occupasse, & ab Imperio auulsisse, cum à Belisario primi Iustiniani duce recuperata, Vandalis expulsis, annis centum & septuaginta Romano imperio paruisset, narrat Platina in uita Iohannis sexti: & Blondus decadis 1. lib. 10. ab inclinatione imperij.

IN EVROPA.

Cum Leontius Constantinopoli esset, Absimarus eam obsidet, & tandem capit, ciuiũ ędibus direptis, & ijs qui à Leontij partibus fuerant, in exilium missis, primo anno eius imperij. Paulus Diaconus lib. 20 rerum Romanarum: & Cuspinianus de imperatoribus Romanis.

Venetos sub Absimaro, circa annũ Domini 703, primũ sibi ducem, Christophori Gradensis episcopi consilio & suasu elegisse, Paulũ Heracleensem, Sabellicus Enneadis 8. lib. 6. commemorat. Bergomensis annum Domini 706 notat.

In Italia Gisulphus, dux militũ Longobardorum, agrum Beneuentanum diripit, & maximas per Campaniã prædas agit, multasq; urbes incendijs uastat. Platina in uita Iohannis 6, anno Domini 703. Palmerius: Regino lib. 1. Beda de Ratione temporũ: Adon Viennensis ætate 6.

In Anglia Egfredus Northumbriæ rex ab Ethelredo rege Merciorum uincitur. Polydorus Vergilius lib. 4 historiæ Anglicæ.

Iustinianus penes Chersonã exulans, meditatur recuperare Imperij dignitatẽ: sed incolæ eius loci, de eo uel interficiendo uel capiendo consultant. Ille re cognita, fugit ad Chaianum Chazarorũ regem, & Theodorã sororem, seu (ut quidã uolunt) filiã eius ducit. Absimarus Chaiano munera pmittit amplissima, si Iustinianũ sibi tradat captũ, aut interficiat. Cum ergo socerũ sibi insidiari intelligeret, fugit ad Therbellẽ Bulgarorum ducem, & Theodoram ad socerũ remittit. In itinere, cum in periculo esset, & moneretur ut Deo uoueret, quòd uellet inimicis suis cõdonare iniurias, respõdet: Si pepercero cuiquã eorũ, in hoc loco me Deus demergat. anno Dñi 703, iuxta Sigebertũ: quinto Absimari. Paulus Diac. lib. 20 rerum Romanarum.

SVB IVSTINIANO POST *recuperatum imperium.*

IVstinianus Therbellis filiam uxorem ambit: & muneribus promissis, copias ab eo impetrat, quibus imperiũ recuperat: anno Domini 706, iuxta Sigebertũ. Funccius annum addit. Sex autem annos regnat, quibus hæc memorabilia euenerunt.

IN ASIA.

Damasci Vlid Saracenorũ princeps, templũ Christianis eripit, & suo Mahometo dedicat. Paulus Diac. lib. 20. Anno Iustiniani 2.

Masalmas Tyanniũ obsidet: & Theodorum & Theophylactũ Romanos duces, urbi subsidio ueniẽtes cædit: ac ciues obsessos, facta traditione, pacta de pace dissoluẽs, in eremũ abducit, anno Iustiniani 4. Paulus Diac.

Abas exercitũ mouet contra Romaniã, & multos abducit captiuos, & ædificare incipit Garin, in regione Eupoleos, anno Iustiniani quinto: lib. eod.

Muctan Ciliciæ urbes expugnat, & Comachũ proditione capit, anno eiusdẽ 6. lib. eod.

IN APHRICA.

Iulianus Tingitanæ præfectus, ob stupratã filiã à Roderico Gotthorũ rege, Saracenos in Hispanias immittit, anno Dñi 714 iuxta Iohãnem Gotthũ lib. 16. cap. 27. Blondus dicit id factũ esse sub Iustiniano, lib. 10 decadis 1. sub Iohãne 6. Idem Platina & alij asserunt.

IN EVROPA.

Constantinopolis à Iustiniano capitur: Absimarus, Leontius, Heraclius, & omnes eius hostes miserè afflicti interficiũtur: Callinicus patriarcha orbatus oculis, Romã in exilium mittitur, anno primo imperij sui.

Pacẽ inter Romanos & Bulgares, anno tertio imperij sui Iustinianus, orta contentione de

de finibus dissoluit: & pedestribus, equestribus, & naualibus copijs Anchialū uenit. Bulgares territi, ad montes sese recipiūt. Vbi autem uident Romanum exercitum sine ordine uagari, in eos impetum faciunt, & magnā stragem edūt. Imperator cum reliquijs exercitus in castellum sese cōcludit: & paulo pòst incisis equorum neruis, ne hosti usui esse possent, cōscensis nauibus, Byzantium cum dedecore redit. Zonaras tomo 3, Paulus Diaconus lib. 20, Blondus decadis 1. lib. 10.

Recordatus, quòd Chersonenses olim se exulē interficere conati essent, Iustinianus, anno sexto imperij recuperati, exercitum in eos mittit: cum mādato, ut ad unum omnes occidāt. Duces eius exercitus, castellis Chersonensium captis, adultos mactāt, sed paruulis parcunt. Tudunū principem Chersones, & Zelū, & alios quadraginta primores, unà cum familijs suis, uinctos ad Imperatorem ducunt: alios uerò septem uerubus ligneis assant, alios uiginti in profundum maris demergunt.

Seruatos Imperator ad se mitti iubet: uerùm tempestate suborta, ad septuaginta millia pereunt. Tanta autem ille cupiditate uindictæ flagrabat, ut nouo exercitu eò misso, imperaret infantes omnes occidi, & ad solum usque omnia euerti. Quæ res effecit, ut Chersonij à Chaiano auxilium peterent, & copiæ Iustiniani Philippicum imperatorem designarent. Paulus Diaconus lib. 20. Zonaras tomo 3.

Positis à Gisulpho armis, ubiq; erant Longobardi tranquilli, præterquam in angulo Italiæ circa Forumiulium. ibi enim Histri seu Sclaui incursiones faciebant, circa annum Domini 706. Sigebertus: & Sabellicus Enneadis 8. lib. 7.

Theodorus dux militum Imperij in Sicilia, iussu Imperatoris Rauennam oppugnat, & post multos conflictus capit: ciues partim cædit, partim cum archiepiscopo Felice cathenis uinctos Constātinopolim mittit. Causa istius crudelitatis nulla alia erat, quàm quòd Felix Romano Pōtifici subesse recusasset. Blondus decadis 1. lib. 10. Anno Domini 709, iuxta Palmerium.

Ansprandus, qui in Boiaria exulauerat annos nouem, Theodeberti ducis Bauarorum copijs instructus, in Italiam redit: & collatis signis cum Ariberto, superior euadit: eoq; fugiente, & Ticino fluuio submerso, regnum Longobardorum auitum recuperat: anno 710, Iustiniani quinto, iuxta Sigebertum. Regino lib. 1: Bonfinius decad. 1. lib. 8 rerum Vngaricarum. Paulus Diaconus lib. 6, cap. 12 de gestis Longobardorum.

Brabantij Francis rebellant. Gassarus in Epitome.

In Hispanijs Acosta & Rodericus à Vitiza rege Gotthorum afflicti, confugiunt ad Romanos, & copijs contractis uictoriam consequuntur: & tyrannum in carcerem Cordubæ, in quo patrem eorum necauerat, abijciūt & perdunt. Iohannes Magnus Gotthicæ historiæ lib. 16, cap. 25.

SVB PHILIPPICO BARDANE.

IN ASIA.

ILlo biennio quo Philippicus rerum potitus est, Armenij nōnihil repressi sunt. Nā ex tribus eius regionis partib. eiecti, quartam partem & Melitenem uix obtinuerunt. Paulus Diac. lib. 20 rerum Romanarum. Arabes uerò Mistiam & alia castra capiunt, anno eius primo. Libro eodem. Habas autem anno Philippici secundo, Antiochiam Pisidiæ expugnat, & prædam amplam abigit. Paulus libro eodem.

IN EVROPA.

Cum Iustinianus Synopen usq; progressus esset, Philippicus prospera nauigatione usus, Constantinopolim occupat, & à militibus Imperator designatur, Iustiniano & Tyberio filio eius cum auia materna Anastasia interfecto. Zonaras tomo 3.

Bulgares uerò in Thraciam, ad ipsam usq; Constantinopolim, incursiones & magnam prædā faciunt, primo anno eius imperij. Paulus Diaconus libro uigesimo rerum Romanarum.

Anepos episcopus duxit exercitum Francorum, contra Vuilianū in Sueuos: ibiq; grauissima cædes facta est, anno Christi 712. Adon Viennensis ætate 6.

SVB ANASTASIO.

IN ASIA.

ANastasius, seu Arthemius, annū & tres mēses imperauit: quo tempore Masalmas Galatiam populatur, & prædas facit. Imperator legatos ad Vlid mittit, quasi pacem petituros: sed interea exploratores illi agunt. Contra Alexandrinos in Phœniciā uenientes lignatum, classem mittit: uerùm duces classis non modò imperata non faciunt, sed nouo imperatore creato, omnem uim belli in Anastasium uertunt. Zonaras tomo tertio. Sabellicus Enneadis octauæ libro septimo.

Nicæam munit Anastasius: & postea classis eius uincitur, ac ipse ibi deponit imperium. Zonaras, & Liber pontificalis, & Paulus Diaconus lib. 20. Regino apud Miceclas dicit uictum esse Anastasium, cæsis septem millibus. Sed Adon Viennensis, & alij, Nicæam assignant.

IN EVROPA.

Theodosius cum exercitu Constantinopolim obsidet, & capit Zonaras tomo 3.

Plectrudis uidua Pipini, Carolum priuignum

gnum suum captum in Colonia mancipat, & cum nepote suo Theodoaldo maiore domus dominatum usurpat. Quare Franci, cum Raginfredo contra Theodoaldum arma capessunt: & inito prælio, cum multi ab utraq; parte cecidissent, tandem Theodoaldus uictus regno deijcitur, Raginfredo substituto, anno Domini 715. Sigebertus, Adon ętate 6. Blondus decadis 1. lib. 10. Trithemius de gestis Francorum, & Paulus Æmylius libro primo de gestis Francorum. Theodoaldus ad Dagobertum confugiens, ab eo copias impetrat, quibus etiam Ratbodus dux Frisonum suas cõiungit. Per Carboniam ergo syluam Dagobertus uiam facit: & omnem regionem quæ ad Mosam fluuium pertinet, rapinis & incendijs fœdat. Robertus Ganguinus lib 3 de gestis Francorum.

Carolus uerò Martellus è custodia nouercæ elapsus, consilium agitat de Raginfredo repellendo, & principatu acquirendo. Ac primùm Ratbodum ducem Frisonum, qui illi opem tulerat, aggreditur: sed parum feliciter pugnat, anno eodem. Sigebertus, & Chronicon Hirsfeldense. Nam ab illis cæsus, in loca tutiora cogitur sese recipere. Hostes omnia loca ad Rhenum usque populantur, & Agrippinam coloniam inuadunt: & non prius recedunt, quàm magnam uim pecuniæ à Plectrude exegerint. Blondus libro eodem.

Saxones duce Cerdicio, circa hoc tempus in Britanniam ueniunt. Gassarus in epitome.

SVB THEODOSIO.

Theodosius unum tantum annum imperat, in quo tamen hæc accidisse narrantur.

IN ASIA.

Saraceni Amorium obsident, & Leoni insidias struunt, Pergamumq; capiunt, iusto Dei iudicio, ob impietatem oppidanorum, ut suprà in loco de pœnis diximus, ex Pauli Diaconi libro uigesimo rerum Romanarum: anno Domini septingentesimo decimoseptimo, iuxta Funccium in Chronico.

Leo Orientis præfectus, Nicomediam cũ legionibus suis ingressus, Theodosij filium capit, & Chrysopolin deducit, atque Theodosium imperium deponere cogit. Zonaras tomo 3. Diaconus lib. 20.

IN EVROPA.

In Romano imperio apud Constantinopolim, Imperatores quidem erant: sed ipsi intestinis pariter & externis bellis attriti, parũ ualebant.

In Italia Longobardi Cumas Romanorũ urbem occuparant. Solliciti autem de restitutione, negabant reddere. Sed pontifex per Neapolitanum ducem & Romanos milites urbem recuperat, trecentis occisis, & quingẽtis captis. Blondus lib. 10. decadis 1: Sabellicus Enneadis 8. lib. 7 & Platina.

Sic etiam in Francia reges erant, sed parũ autoritatis in administratione Reip. habebant. Vrspergẽsis in Chronico, & Ottho Phrisingensis lib. 5. cap. 16.

Saxones terram Matuariorum deuastant. Adon Viennensis ætate 6.

SVB LEONE ISAVRO.

Annis 24. præfuit Imperio, quo tempore hæc accidisse commemorantur.

IN ASIA.

Mardasan cum exercitu Arabum, Nicęam usq; & Nicomediam excurrit: sed à principibus regni, qui in Libio & Sophone abscondi ti erant, in fugam uertitur, anno primo Leonis. Paulus Diac. lib. 21 rerum Romanarum.

Nicetas, & archiepiscopus Thessalonicensis, & alij rerum nouarum studiosi, Artemiũ Nicææ exulantem excitant, ad recuperandũ Imperium: sed Bulgari, quorum copijs nitebatur, eum accepta pecunia Leoni produnt: à quo & ipse, & eius consiliarij, & archiepiscopus ille, gladio feriuntur, anno Leonis tertio, libro eodem.

Mortuo Haumaro Arabum rege, Gizid in Perside affectat dominatum. Sed alter Gizid legitimè in regem electus, Musalmam cum exercitu eò dimittit: qui tyranno interfecto, Persidem recuperat, anno quarto Leonis. libro eodem.

Postea Musalmas exercitum ad Cęsaream Cappadocię ducit, eamq; expugnat. inde Nicæam Amer & Muhauias duces Saracenorũ tendunt, eamq; obsident: sed re infecta recedunt, anno decimo Leonis. libro eodem, anno Domini 727, iuxta Funccium.

Cazari, seu Turcæ, duce Humo Chaiani filio, in Mediam & Armeniam irrumpunt: & inuentum in Arabia Gradacum prętorem Arabum trucidant, cum exercitu eius: & prædas ex Media & Armenia faciunt, anno Leonis 12, Christi uerò septingẽtesimo uigesimo nono. Paulus Diaconus libro eodem, & Funccius.

Anno sequenti Masalmas in Turcas mouet: & cum Humo congressus, in fugam repellitur, ac per montes Cazariæ elabitur. Paulus Diaconus. Inde uerò in Cappadociam redit, & Crusianum castrum dolo capit, anno Leonis 14. Diaconus libro eodem. Domini 731.

Anno altero iterum in Turciam mouet: sed usq; ad Caspias portas progressus, metu territus pedem refert. libro eodem: anno septingentesimo trigesimosecundo.

Muhauias Arabum dux, in Romanorum fines excurrit, & usque ad Paphlagoniam prædas facit, anno decimosexto Leonis: quo Irene Cazarorum regis Chaiani filia Christiana

Christiana facta, nubit Constantino.

Post biennium Muhauias iterum populatur Asiam. Et Zulcimin in Armeniorũ regionem irruit: sed inde repellitur. Sequenti uerò anno, inter multos alios Asiaticos Pergamenum quendam capit, qui Tyberium Iustiniani filium se esse dicebat. Hunc Hierosolymam misit: & per Syriam circumduci quasi in triũpho curabat, ut esset omnibus spectaculo: Leonis 21 anno. Paulo pòst castrum Siderum depopulatur, & Eutychium filium Mariani captiuum ducit.

Anno uicesimosecundo Leonis, Arabes cum nonaginta millibus Romanorum fines incursant. Gamer enim decem millia ducebat, & in partibus Asiæ latrocinabatur. Melich uerò & Bathal, cum uiginti millibus equitum circa Alconium prædabantur. Zulcimin autem cum sexaginta millibus, circa Cappadociam uiros & mulieres & iumenta partim occidebant, partim captiuos abigebant. Imperatoris copiæ Melich & Bathal circa Acronium aggrediuntur, & cædunt duces cum exercitu, exceptis octingentis, qui Synadam confugiunt, & Zulcimin coniuncti in Syriam ingressi sunt. Paulus Diaconus libro uigesimoprimo.

IN AFRICA.

Hoc tempore Saracenos Africam tenuisse tranquillam, conijci inde licet, quòd in historijs nihil annotatum reperitur de motibus in ea concitatis: nisi quòd subobscurè circa annum uicesimum secundum, Paulus Diaconus indicat, multos cum prætore Damasceno nomine, perditioni patuisse: libro uigesimoprimo.

IN EVROPA.

Primo anno Leonis, Saraceni magna ui armorum, & numero bellatorum Europam aggressi sunt, partim in Thraciam, partim in Hispanias irruentes. In Thraciam Zulemon Saracenorum Asiaticorum dux traiecit, cum classe nauium trecentarum: ut Sabellicus annotat Enneadis 8 libro septimo. aut octingentarum, ut Paulus Diaconus uigesimoprimo rerum Romanarum, aut mille, ut Blondus libro decimo decadis primæ, folio 143. aut trium millium: Cuspinianus. Malalmas etiam cum exercitu per Abydum irrumpit: & postea Gizid ex Africa naues trecentas & sexaginta benè instructas affert. Vastant autem castella Thraciæ, & Constantinopolim obsident. Sed Imperator igniferas naues ab Atropoli emittit, & plerasque hostium naues incendit. Hyems etiam asperrima, equos & camelos & homines conficit. Zulemon moritur: Ægyptiæ classes cum frumento Constantinopolim fugiunt, ab hoste deficientes. Fames in Saracenos adeò grassatur, ut equos & asinos & camelos cogãtur edere, & homines mortuos, & propria stercora in fornace nonnihil tosta: plurimi etiam peste intereunt. Cum in Bulgariam prædatum excurrissent, triginta duo millia, iuxta Sigebertum (Paulus tantum uiginti habet) amiserunt. Reliqui cum triennium urbem obsedissent, iuxta Bedam, Reginonem, & Iuonem: (licet Paulus secundo anno Leonis, solutam obsidionem indicet, in Augusto mense: & Blondus biennium tantum assignet) re infecta nauibus discedunt: & tempestate atque grandine ignea pereunt omnes, præter decem, quarum quinque à Romanis intercipiuntur, quinque uerò in Syriam ad suos reuertuntur. Atque ita diuinitùs Saraceni in ea parte mundi repressi sunt, qui de toto imperio Romano sibi subijciendo animos sumpserant. Paulus Diaconus non soli Deo, sed etiam Mariæ uirgini acceptam refert istam liberationem. Verùm superstitiosum & idololatricum est, sanctis honorem tribuere, qui solius Dei est. contra illud: Gloriam meam non dabo alteri. Facta sunt hæc anno Domini 718, 719, 720: iuxta Sigebertum.

GRAECIA.

Adorationis imaginum patroni, cum non possent ex uerbo Dei suam sententiã contra Leoné, eiusq; episcopos & synceros doctores tueri, armis rem tentãt. Nã Agallianus & Stephanus, nauales exercitus Helladicorum & Cycladũ insularum, quasi diuino zelo, sed non secundum scientiam, concitant, eosq; Constantinopolim ducunt, oppressuri Imperatorem, & imagines sacras restituturi. Sed Deus seditiosis illis aduersatur. Superantur enim à Byzantijs, & naues eorum concremãtur. Agallianus sese in mare præcipitat, Cosmas & Stephanus capite plectuntur: anno decimo Leonis, Christi uerò 727, iuxta Sigebertum. Paulus Diaconus libro uigesimoprimo rerum Romanarum.

Pemmo Foroiulianus dux Sclauos uicit, ac postea cum ijsdé pacem facit. Paulus Diaconus lib. 6, cap. 13 de gestis Longobardorũ.

Sergius prætor Siciliæ, cum cognouisset à Saracenis Constantinopolim obsideri, imperatorem creat Basilium. Sed Leo legatos in Siciliam mittit, & rerum suarum statum populo denunciat: & rogat, ne à se deficiant. Illi ergo pseudoimperatorem Basilium, & principes ab eo effectos, & prętores tradunt legatis captiuos, Sergio ad Longobardos elapso. Atq; ita in Sicilia motus illi sunt sedati, anno secundo Leonis. Diaconus libro eodem: Zonaras tomo 3.

¶ In Italia multi magni motus oborti sunt, sub Leonis imperio. Nam cum Imperator ab Haumaro Saracenorum duce accepisset epistolam, & uidisset eum id maximè

repre-

reprehendere in Christianis, quòd sanctos mortuos inuocent, & statuas eorũ adorent & colant, cum unus tantum Deus sit adorandus, cœpit cum suis Theologis ea de re conferre. & cum intelligeret, cultum imaginum damnari à Scriptura, sui officij esse ratus est, eam idololatriam prohibere & abolere. Accedebant etiam aulica consilia, aureas & argenteas statuas rectius conferri in fiscum, & sumptus bellicos posse, quàm populo ad idololatriam & superstitionem relinqui.

Edictum ergo Imperator facit, in quo adorationem imaginum damnat, & sibi eas tradi iubet. Gregorius autem papa Romanus, seu (ut Blondus uult) Stephanus, inde arrepta occasione, Leonis edictum damnat, & in calumniam trahit: quasi Imperator Italiam & Romam pecunijs exhaustam, etiam templorum ornamentis spoliare studeat. Et planè affirmat, non esse Imperatoris, de fide decreta facere, & nouitate antiqua uiolare Ecclesiæ catholicæ dogmata, quę à sanctis patribus sint tradita. Et extra septa sua uerè seditioso spiritu erumpens, tributa Romæ & Italiæ uetat Imperatori dare, anno Leonis nono: Paulus Diac. lib. 21. Domini uerò, 726. Sigebertus. Imperator bello Saracenico occupatus, Marino imperat, ut Pontificẽ siue ferro siue ueneno tollat, aut captiuum sibi mittat: id uerò dum is conatur per insidias quorundã efficere, apoplexia perit, seu (ut Blondus decadis 1. lib. 10. habet) à Romanis interficitur cũ filio: insidiatores uerò reliqui, prodita coniuratione occiduntur. Postea Paulo exarcho idem in mandatis datur: sed is interficitur à Rauennatensibus. Longobardi aliàs hostes pontificis, nunc uerò amici, quòd sperabant Italia ab Imperio per pontifices auulsa, se potituros, Pontificem defendunt. Qui his præsidijs fretus Imperatorem anathematis fulmine ferit: & Romam & Italiam, & totam Hesperiam, ab obedientia eius abducit. factum Leonis anno decimotertio, iuxta Paulum: seu undecimo, iuxta Sigebertum: Domini uerò 728, iuxta Funccium. Depositis exarchi magistratibus, singulæ ciuitates & singula oppida sibi proprios duces creare & pręficere incipiunt: imitantes exemplum Romæ, quę sibi Petrum ducem constituit. Blondus lib. eod. Durauit ergo sub decem dynastis exarchatus Italiæ, annos 164. Bergomensis lib. 10. Sabellicus Enneadis 8. lib. 8, centum septuaginta quinq; numerat. Et Blõdus decadis 2, lib. 1. Platina 170, sub Stephano 2.

Longobardi autem prædæ inhiantes, existimant iam opportunũ esse, Romanos & Rauennates subigere: cum exarchi præsidio, & autoritate Imperatoris seipsos priuassent. Spoletinus ergo dux Narman capit, & Luitprandus Rauennã obsidet, & ab ea recedens, Clusium oppidum Romani ducatus captũ spoliat. Et postea in Æmilia Bononiã, eiusq; oppida, per Sicetum ostium, & montem Velium in Flaminia quidquid Rauennæ continet, Fauentiã, Forumiulij, Forumpopilij, Cesenam, & in Piceno Auximũ occupant, anno Domini 738, iuxta Sigebertũ. Romani & Rauennates pacem cũ Luitprando faciunt, sine cõditione de sublatis restituendis. Hac pace fretus Luitprandus, in Spoletinum & Beneuentanũ duces suos, imperia sua contemnere solitos, arma capit: qui supplices ei facti, cum illo reconciliantur. Sed Romani cupientes ea quæ à Luitprando sibi adempta erant, recuperare, Trasemundum Spoletanum ducem incitãt ad rebelliõẽ. Verùm ille à Luitprando uictus, amissis omnibus suis oppidis Romam fugit. Sequitur eum hostis, & sibi profugũ tradi iubet: sed pontifex & dux Romanus id facere recusant. Quare ille ad dies aliquot Romam obsidet: à qua propter Pipini autoritatem, cuius exilium implorauerat pontifex, ut Palmerius annotat, recedens, Ameriam, Ortam, Polimartium & Blerã, urbes Romani ducatus capit, & Spoletũ redit. Blõdus decadis 1. lib. 10. anno Domini 739. Paulus Diac. lib. 6, cap. 14. & 15 de gestis Longob.

Veneti Paulum exarchum in expugnanda Rauenna adiuuerunt. Nam cum ille ex una parte urbem tentaret, classis Veneta alteram portam perfringit: & irrumpens, aditũ Longobardis aperit. Sabellicus Enneadis 8. lib. 7. Sed postea res Venetorũ discordia infestat. Equilienses enim & Heracleenses funestum inter se bellum propter fines gerunt. lib. eod.

Insulas Tyrrheni maris, Saraceni fuga ex prælio cum Carolo elapsi cęperũt, spoliarũt, & incendio uastarunt. Blondus lib. 10, decadis 1: & Sabellicus Enneadis 8. lib. 7. Platina in Hispania ulteriori id factum dicit, in uita Gregorij 3.

¶ Gallias uehemẽter afflixerũt bella Caroli Martelli, cũ regibus Francorũ, & Saracenis, ab ijs in auxiliũ accersitis. Nã primo Leonis anno, in pago Cameracensi, apud Vinciacũ cum Raginfredo & Chilperico cõgreditur: & potitus uictoria, hostes Parisios usq; persequtur. Sigebertus in Chronico, anno Dñi 718.

Post annos duos, Chilpericus & Raginfredus Eudonẽ Aquitaniæ ducẽ uocãt in auxilium, & cõtra Carolũ instaurãt pręliũ: sed iterũ uincũtur. Sigebertus. Regino dicit id factũ esse anno regni Caroli 16, lib. 1. Et Adon Viennensis ætate 6. Persequitur aũt Raginfredũ, eũq; Andegauis obsidet & capit, & totius regni principatũ recipit anno Leonis 5. Dñi uerò 722. Sigebertus. Et postea in Eudonẽ Aqtaniæ ducẽ mouet, eũq; uincit, & Aqtaniã uastat, anno Dñi 728. Ille uerò auxiliũ petit à Saracenis, q Hispanias tenebãt. Haud mora, Ab

deramius

deramius cum ingenti exercitu Carumnam amnem transit, Burdegaliam destruit, & in Pictauos delabitur, Turonium perrecturus ad Martini templum spoliandum. Carolus pacem cum Eudone facit, & uiribus coniũctis Saracenum inuadunt:& regem cum trecentis & octoginta millibus, Carolus cædit, de suo exercitu uix mille & quingẽtos desiderat. Eudo uerò in castra Saracenorũ irrumpens, reliquias cõterit, anno Dñi 730. Sigebertus. Carolus hac uictoria potitus, Lugduno & alijs ciuitatib. captis, Burgundiã totã sibi subijcit, anno Dñi 731. Rebellantẽ autẽ Eudonẽ in Vasconia, principatu & uita priuat, anno sequenti. Sigebertus. Et Garumnã trãliens, Burdegalã & Aquitaniam occupat, filijs Eudonis Vuaifero & Huualdo uictis. Sigebert. anno 733. Vincẽtius lib. 23. cap. 150.

Vestgotthi autem, qui Narbonã, Nemausium, Agathen, Riceticum, Altinuriũ, & mõtem Pessulanum, & Biterras incolebãt, ęgrè ferentes Caroli aduersus Eudonem uictoriam, Burgundiones sollicitant, ut à Carolo deficiant. Ad eam rem cum sese pararent, Carolus inuadit ea quæ Burgundiones extra fines proprios possidebant: & Lugdunũ, & Arelatem, atq; Massiliã hactenus semper inuictam urbem, ut Mutius in Chronicis libro 6 dicit, capit. Mauricius autem dux Visigotthorum, cum sese Carolo inferiorẽ esse uideret, Saracenos, qui ante annos circiter uigintiquatuor ex Africa trãseuntes, Hispanias occuparant, in societatem belli & rerũ omnium communionem contra Carolum euocat. Illi uerò haud diu morati, rege Athino cum classe Rhodanum ingrediuntur, & Auenionem capiunt, eamq; arcem sui regni constituunt: atq; ex Tarraconensi Hispania copias maiores accersunt. Sed Carolus admouens exercitum ad eam urbem, ingentem multitudinem hostium temerè fugientium prosternit, & urbem recipit: atq; Athinum Narbonam confugientem insecutus, obsidet. Saracenis obsessis, Amorteus alter eorũ dux, magna classe aduectus, suppetias ferre parat: sed Carolus ab urbe recedens, ad uallem Corbanum & Byrram fluuium ei occurrit, copiasq; eius maxima ex parte conterit, reliquis classe in mare Tyrrhenum elapsis: anno Domini 736. Sigebertus, & Blondus. Et anno sequenti Vestgotthorũ regnũ occupat: Narbona, Agathe, Nemausio & Biterris planè excisis. Cùm aũt Saraceni Arelatũ cepissent, & omnia destruxissent Carolus à Luitprãdo, tũ Rauennam obsidente, petijt auxiliũ: quod etiã accepit, & Saracenis profligatis, omnem spem Gallias inuadendi amplius, ademit: & Mauricium, qui Saracenos inuitauerat, uictum prouincia sua spoliat: anno 738 & 739. Hæc prolixius narrant Blondus lib. 10. decad. 1. Aemylius libro 2 de gestis Frãcorũ: Sabellicus Enneadis 8. lib. 7. Auentinus libro 3 Annalium: Paulus Diaconus libro 6. capite 14 de gestis Longobardorũ: Robertus Ganguinus lib. 3 de gestis Francorũ: Marianus Scotus in Chronico: Regino in Chronico lib. 1. Adõ ętate 8. Atq; ita Vestgotthorũ regnũ in Gallijs finẽ suũ est sortitũ, anno uicesimo Leonis, Christi uerò 737. Ptolemęus Lucẽsis, & Henricus Erphordiẽsis capite 66. sub Leone.

¶ Nũc ad Hispaniã trãsimus, quæ sanè sub hoc Imperatore mutationẽ maximã perpessa est. Nã Saraceni, quos suprà diximus in Hispaniã ex Africa irrupisse, Rodericũ cũ filio occidũt: ac simul interierũt utrinq; 70000 hominũ. Et regnũ isthic instituunt diuisum in tres partes: nimirũ in Cordubanũ, & Hispalẽse, & Carthaginẽse nouũ: & Vestgotthorũ regnũ ibidẽ extirpãt, cum trecentos & quadraginta sex annos, ab Hunis ex Scythia eiecti, ibi dominati essent: anno à primo eorum ex Scandia egressu, bis millesimo centesimo & quinquagesimo. Iohannes Gotthus, ex Crantzio libro decimosexto, capite 27. anno Domini 720, Sigebertus: Leonis tertio. Remansit tamen illis Aquitania, ex qua post annos decẽ per Carolũ Martellum sunt pulsi. Sed tamẽ Astures & Cantabri, qui in Gallicia habitãt, ut olim cõtra Gotthos, ita nũc quoq; sese cõtra Saracenos tutati sunt, nouo rege creato Pelagio, circa annũ Domini 724 iuxta Funccium, & Vuenerum Roiefinck in Fasciculo temporum.

Porrò quomodo Saraceni ex Hispanijs irruentes, Vestgotthos & Aquitanos contra Carolum iuuerint, & ab eodẽ cæsi sint, paulo antè dictum est de bellis Gallicanis.

Carolus Aquitania subacta, in Frisios mouet: & Poponẽ seu Radbodum ducẽ eorum ad Burdonam flumẽ cędit: & reliquã multitudinem in insulas Rheni Ammã, Strachiã & Astrachiam cõfugientem insequutus, neque sexus neq; ætatis habita ratione, delet, & Frisiam suo imperio adiungit: anno 735, iuxta Sigebertum: & Robertum Ganguinũ libro 3 de rebus Francorum, & Aemylium libro 12, & Blõdum decadis 1. libro 10. Hermãnus Gygas, eodem tempore etiam Lotharingiam captam à Carolo esse, narrat.

Carolus anno Leonis sexto, contra Saxones primùm suscipit bellum. Sigebertus. Et anno sequenti, Bauaros negãtes tributa sub iugum redigit, & Alemannos ui armorum terret: & Plectrudem, quæ ad ipsos confugerat, reducit. Victoque Lanfrido Alemannorum duce, regionem illam sibi uendicat: anno 725, iuxta Sigebertum: Auentinus libro 3 Annaliũ Boiorum. Et postea Saxones rebelles iterũ uincit, anno 727. Adõ Viennẽsis ætate

sis ętate 6. Regino lib. 1. Et Sueuiam ingressus cum exercitu, Todeualdam expellit: Lutheronium, & Regiam, & Angilostadiũ oppidum Nariscorum regibus Francorũ subdit. Auentinus libro 3 Annalium.

Gotricus, seu Gotfridus rex Danorum, Saxones à Carolo subactos recepit, & Frisios: ut Crantzius in Dania libro 4. capite 2. Saxo tamen Grammaticus libro 8, uidetur ad Carolum Magnum referre. Idem Gotricus in Sueoniam legatũ misit Renonē Vulpeculam, ut eis aut tributum indiceret, aut recusantibus bellum denunciaret. Sueones in legatum dormientem, saxum proijciunt, & conterũt. Sed eam ob rem autores cædis, singuli decem marcas auri, & reliqui ex plebe singuli unam, pendere coacti sunt. Crantzius ibidem.

In Scotia Ambecletus rex cum Pictis pugnās, sagitta interficitur. Iohannes Maior libro 2. capite 12.

Inas occidentaliũ Saxonum rex, regnum suum pontifici Romano facit tributarium. Polydorus libro 4. folio 89.

Sub Egberto res Northanymbricæ sunt ad exitum inclinatæ, populo in factiones diuiso. Polydorus libro quarto Anglicæ historiæ, folio octuagesimo sexto, circa annũ Domini 735. quo Sigebertus desinit Anglorum reges annotare.

DE MOTIBVS ET MVTAtionibus sub *Constantino Copronymo.*

CONstantinus Copronymus cœpit anno Domini 742, iuxta Sigebertũ: aut 733, iuxta Paulum Diaconum libro 22. & imperauit annos trigintaquinque, menses duos, & dies uigintisex. Vt autem tantum summatim stringamus ea, quę hoc tempore gesta esse literis prodita sunt, hæc in Asia acciderunt.

IN ASIA.

Imperator ulturus Arabum iniuriã, contra eos expeditionem suscipit: & cum ad partes Obsicij egressus esset, senatus Constantinopolitanus, ut qui oderat Imperatorem, propterea quòd cultum imaginum damnaret, Artabasdum imagines uenerantem, contra eum incitãt, promissa imperij dignitate. Ille leui occasione arrepta, mota seditione, Imperatorem repentè adoritur: & Beser patricium imaginum oppugnatorē interficit. Sed Imperator Amorium equo fugit: ac postea contra Artabasdum, per seditionē Imperatorem designatũ, cogitur pugnare pro recuperando imperio, ut postea dicemus.

Arabes autem hoc intestinum dissidium suam existimãtes felicitatem, Romanorum fines incursant, & prædas faciunt, prætore Zulcimino, primo anno Constantini, iuxta Paulum Diaconum libro 22. Aut secundo, iuxta Zonaram, tomo 3.

Idem anno sequenti facit Gamer dux Arabum: & tamen nihilominus Constantinus & Artabasdus de imperio certantes, missis legatis, uterque à Gizid Arabum principe auxilium petijt. Verùm ille Cyprios in Syriam transfert. Artabasdus autem ad partes Obsicij egressus, milites legit, & totam Asiam depopulando capit. Occurrit ei Constantinus apud Sardes, & commisso prælio uincit, & Cyzicum usq; persequitur: & postea Monostiategum filiũ Artabasdi, apud Cysseum profligat, multis interfectis, anno secundo Constantini. Paulus libro eodem: & Honorius in Chronico.

Inter Arabes oritur seditio, & in ea interficitur Gizid, & pro ipso Hyces filius eius regnat, anno Constantini tertio. Paulus libro eodem. Anno sequenti contra Maruam rebellant Arabes Thebit & Datach: sed Emesæ cum decem millibus cædũtur. Zulcimin uerò collecto exercitu, Maruan rursus aggreditur: sed & ipse uictus, in Persidē fugit. Oritur etiam seditio Emesæ, & Heliopoli, & Damasci: sed Emesa capitur. et Datach ex Perside cum copijs ueniens, à Marua capitur, et trucidatur. & Heliopolis & Damascus & Hierosolyma ab eodē expugnantur, anno quinto.

Hac opportunitate excitatus Constantinus, Germaniciam capit, & Dulychiũ: & in Syria progressus, cognatos suos hæresi Monophysitarum infectos Byzantium transfert, anno eodem. Paulus Diaconus ibidem: Domini uerò, 747. Sigebertus.

Agareni ex Alexandria in Cyprũ irruunt, sed à Romano exercitu reprimuntur.

Chorosanitæ Maurophori, populus in orientali parte Persidis, collecto exercitu, Maruam apud Zaban fluuium, ingenti multitudine instructũ uincunt, & in Aegyptum fugant, & instaurata acie uictum occidunt: reliquiæ uerò ad alios Saracenos annis superioribus à Muhauia ductos, in Hispanias transeunt. Chorosanitæ uerò sorte principatũ distribuũt, anno Constantini octauo & nono. Paulus Diaconus libro eodem, circiter annũ Domini 747. iuxta Sigebertum. Iuo in Chronico, sub Constantino.

Chalcedonij in fide Maruan perseuerantes, contra Marophoros Persas tumultum excitant. Idem & Caisini in Arabia faciunt: sed opprimuntur utriq;, anno decimo Constantini.

Imperator uerò interea Theodosipolin, et Militenã occupat: & multos Armenios captiuos ducit, anno sequẽti. Zonaras tomo 3.

Saraceni Abubala mortuo, iterum de regno dimicant: & Habdalla Amuslin, cui debeba-

debebatur forte regnũ, ad se data fide accersit, & insidiose sua manu occidit, sibiq; dominatũ rapit, anno Constãtini 14. Paulus ibidem. Imperator uerò multos ex Syria & Armenia in Thraciã transfert, à quibus Publicianorum hæresis est in illis locis propagata, decimoquinto Constantini anno.

Salim dux Arabum, cum octoginta millibus in Cappadociam incurrit. Sed Constantinum obuiam sibi uenire audiens, retrocedit, paucis Armenijs ad se confluentibus assumptis, anno decimosexto Constantini.

Halim, Habdallæ iussu, in Berœa & Chalcide seductores, qui persuadebãt Saracenis, si omnia sua uenderet, & nudi in murum ascenderent, seq; inde præcipitarent, quòd in cœlum essent subuolaturi, interficit: cum res ipsa demonstrasset, uolantes in terram decidere, & crura & artus frãgere: anno decimooctauo Constantini.

Paulum prætorem Armeniacorum, apud Melan Saraceni interficiunt, & quadraginta duos insignes uiros captiuos ducunt: Imperatore interea infeliciter cũ Bulgaribus pugnante, anno 19 Constantini.

Theodorus Libanites in Heliopoli ad Libanum, in Arabes seditionem concitat, & collatis signis multi utrinque cadunt. Sed postea ipso fugiente, Libanitæ omnes interficiuntur: anno uigesimo Constantini, Domini septingentesimo sexagesimoprimo.

Cassiotæ contra Maurophoros, ob facinus quorundam qui uxores eorum in pelagus abijcere conati erant, arma capiunt, & multos occidunt. Sed Salimus misso exercitu, eos comprehensos de cruce suspendit, 21 Constantini anno.

Turci seu Scythæ (ut patet ex Hartmãno Schedelio ætate 6, folio 185) è Caspijs portis egressi, Armeniam inuadunt, & multos interficiunt, nec paucos secum captiuos abducunt, anno Constantini 23. Anno uerò proximè sequenti itidem faciunt, & multos ex Arabum (Ottho Phrysingensis libro 5, capite 25, ex Auarum dicit) exercitu cædũt, circiter annum Domini 760, iuxta Gassarũ: aut 762, iuxta Sigebertũ. De his uerò Blondus decadis 2 lib. 1. sic inquit: Turci primùm Asiam inuadẽtes, Halanos primò, post Colchos & Armenios, inde Asiæ minoris populos, ad extremùm Persas & Saracenos, &c. infestarunt. Tantas autem habuit uires Turcorũ insultus, ut Saracenis pacem nulla alia ratione dare uoluerint, quàm restituto Persarũ regni nomine, quod Saracenos Phocę & Heraclij temporibus in suum cõfudit.

Anno 30 imperij eius, Banacas in fines Romanorum incurrit, & multos capit. Sed Romani in quartam Armeniam ingressi, spoliant eam: & mortuo Salẽ, Germanicia in Palæstinam transfertur. Sed Banacas ab Isauria in castrum Sices descendit, idq; obsidet. Quo cognitò, Imperator iubet Michaelẽ Orientalium, & Manem Bucellarium, & Bardan Armeniacorũ prætores, ei reditũ in faucibus præcludere. Sed Banacas se circumuẽtum sentiens, magnum excitat cum suis clamorem: quo territi Romani, in fugam sese conijciunt, quos insequutus cædit, & omnem circumcirca regionem uastat, & spolia ampla reportat, anno 31 Constantini. Paulus Diaconus libro 22 rerum Romanarum. Domini, 772.

IN AFRICA.

Maruas, seu Maruthas uictus, in Africam seu Ægyptum fugit, anno Cõstantini nono. Paulus Diaconus libro eodẽ: et Iuo in Chronico. Et seditiones & bella in Africa sub Cõstãtino facta esse, Honorius annotat: & Paulus Diaconus libro eodem, anno uigesimo Constantini.

IN EVROPA.

Sclauinos penes Macedoniã subegit Constantinus, anno imperij sui 18. Domini 759. Paulus Diaconus libro eodem.

Constantinopolis, quæ falso rumore de Constantini morte, & præpostero quorundam studio de imaginũ cultu conseruando, Artabasdũ designauerat Imperatorẽ, à Constantino tertio eius anno obsidetur, multi ex ciuibus fame afflicti ex urbe fugiũt, quos ille foris capit: & tandem per murum terrenum urbem expugnat, & ciuiũ domos militibus diripiendas tradit: Artabasdum priuat oculis, & in exilium relegat cum suæ factionis hominibus. Paulus Diaconus libro eodem: & Blondus decadis 1. libro 10, ab inclinatione imperij Romani. Et postea cum peste ciuitas incolis esset exhausta, Imperator ex Hellade, ex insulis, & ex alijs locis nouos colonos in urbem introduxit, eamque populosam effecit, anno 15. Paulus Diaconus libro 22 rerum Romanarum.

Bulgares ab Imperatore per legatos, propter castra quædam extructa, petebant noua pacta & fœdera: sed indignè accepti, armis sese uindicabant: et usq; ad longum murum excurrentes, omnia depopulabantur: onustiq; præda, recedebãt, anno eodem. Imperator illam iniuriam ulturus, exercitũ in Bulgariam post annos quatuor ducit: cum autem in Verebagan ad fauces uenisset, Bulgares eum fortiter excipiũt, et maxima parte exercitus eius concisa, multisq; ex ducibus captis, eum cum dedecore repellũt: anno Domini 760.

Post annos tres, orta inter Bulgares seditione, uulgus occidit dominos suos, & Zeletin quendã ducem creat. Imperator nunc cõmodum esse ratus discordes opprimere,

exercitum in eos ducit, & cum Zelete congressus, per integrum diem manus conserit: & tandem hoste fugiente uictoria potitur, & de captis triumphum agit. Bulgares culpam infelicis pugnæ in ducem suum conferētes, eum cum suis principibus interficiūt, & Sabinum constituunt. Cum autem ille pacem ab Imperatore petijsset, accusabatur proditionis patriæ. Declinaturus ergo periculum, in castrum Mesembriæ sese recipiebat, & ad Imperatorem transibat, pagano quodam à seditiosis illis surrogato, 22 anno Constantini. Diaconus libro eodem. Is autem paganus post annos duos expetebat colloquium Constantini: ad quod cum esset admissus, uenit cum suis Boiladis. Imperator uerò cum Sabino eum excipit, & obiurgat propter iniusticiā & odium in Sabinum, & simulatè de pace consentit. Verùm nihilominus in Bulgariam copias emittit, ac Sclauinum Seuerorum principē capit: & Christianum quendā nomine, quem medicis, ut uiuum à thorace pubetenus incidāt, ad corporis dispositionē cognoscendā, tradit, & cum exercitu per fauces in Bulgariam usq; ad Zitas ꝑgreditur: sed tamē misso igne in cohortes, pedē refert, anno 25. Diaconus lib. eodē.

Elapsis annis octo, Imperator iterum exercitum in Bulgariam ad Barnas usque ducit. Sed Bulgares misis legatis pacem petunt: quam ille cupidè, cum morbo esset correptus, amplectitur. Iuramento autem utrinque ea pax firmatur, & scriptis: Ne Bulgares in fines Romanorum irruant, & econtrà, ne Romani Bulgares infestent. Cum autem Imperator ab armis discessisset, Bulgares duodecim millia instruunt, ut in Beritiam incursent: & ne fraudem animaduertat, interea legatos suos alijs de causis ad Imperatorē mittunt. Cum autem per exploratores de ea re certior esset factus, coram legatis omnia dissimulat, & copias conscribit quasi aduersus Arabes exiturus. Legatis abeūtibus, ubi cognoscit Bulgarum copias eductas esse, ipse suis coactis ad octoginta millia, Lithsoriam usq; pergit: & nullius tubæ clangore sonante, hostes obruit atque cædit, & de captis triumphum agit, anno suo 23, Domini 775, iuxta Sigebertum. Paulus Diaconus libro eodem: Bonfinius decadis primæ lib. 9 rerum Vngaricarū: et Blondus decadis 2 lib. 1.

Pace ergo soluta, anno sequenti clasibus in Bulgariam parat irruere: sed tempestate coorta, apparatus illi dissoluuntur: & multis amissis, re infecta redit. Telericus autem rex Bulgarum, ut exploraret qui'nam inter suos essent, qui Imperatori omnia proderent, scribit ei: Cupio fugere, & uenire ad te: caue ergo mihi de securitate: & indica quos habeas, inter nostrates amicos, ut hoc eis credam, & eorum opera elabar. Cum autem Imperator fraudem nō agnosceret, eiq; indicasset suos amicos, Telericus eos comprehendit, atque dissecari medios curauit. Diaconus libro eodem.

Cum in Scythia Hunorum gens nimis esset aucta, deliberatum est de emigratione in Pannoniam: propterea quòd Attila, eiusq; posteritas, eam ante trecentos annos occupassent. Sorte ergo ex centum & octo tribubus eliguntur, ducenta & sedecim hominum millia, qui in septenos exercitus distribuuntur, ita ut in singulis essent triginta millia octingenti & quinquaginta septem, & haberent suos quisq; duces, inter quos tamē summus erat Almus. Stato die prodeūt: liberos, uxores, pecora, & uniuersas facultates secum ducunt: superatoq; Tanai, per Roxolanos, Sarmatas, Amaxobios, & Tauroscythas iter faciunt: & tandem in Transyluaniam ueniunt, ibiq; septem castra, unde adhuc hodie regio nomen habet, figunt, & res suas ritè disponunt.

In conflictu cum finitimis gentibus, Basternis, Paucinis, Albis, Chumanis & Bessis, Almus perit, & succedit ei filius Arpadus. Cum autem in Transsyluania aliquandiu morati essent, desiderio Pannoniæ capti, Cusidum Chundi filium ablegāt ad Suathen, seu (ut alij uocant) Zuataplugum, seu Santapoluth Sarmatam, qui latè in Pannonia regnabat: & oblatis muneribus, petunt sibi locum ad habitandum concedi. Ille primùm largè promittit: sed postea cum intelligeret Hunnos seu Vngaros illos sibi totam Pannoniam uelle uendicare, collecta manu conatur eos repellere. sed amissa uictoria, in fugam uertitur: & in amne Danubij cum retrò natare uellet, perit. Illi uerò terram occupāt, & linguæ commercio cum alijs Hunis, qui isthic remanserant, facilè reconciliantur. Arpadus non procul ab Alba, in monte Noe castra ponit, et principatum inter eos obtinet. Gesta sunt hæc circiter annum Domini septingentesimum quadragesimumquartum, ut ex Annalibus eorum referūt Bonfinius decadis primæ libro nono de rebus Vngariæ: et Ritius libro primo de regibus Vngariæ: Phrygio in Chronico, et Volaterranus: Nauclerus generatione uigesimaquinta, folio sexcētesimo quarto, et sequentibus.

Post annos uerò sex, uicinas cœperūt infestare regiones, Carniā, Stiriam, Carinthiā. Nauclerus ibidem. Et Morauiam, et Bohemiam. Funcius anno Domini 750. Et postea audita morte ducis Boiorū, quæcunq; Boij infra Anassum possederunt, flamma et ferro uastant. Laureacum excindunt. Auentinus libro 3. Annalium.

Vtilo

Vtilo Boiariæ rex, Hyldrudam filiam Caroli Martelli amat & rapit, & in uxorem ducit. Plurima bella cum Landofrido & Gotofrido Sueuorum rectoribus gessit. Sed cum Carolomanno & Pipino congressus uincitur: & nomine Regis deposito, dux Bauariæ constituitur, anno Domini 743. Sigebertus. Auentinus libro tertio Annalium. Regino libro 2.

Gripho in Bauariam ingressus, ducatũ sibi iure hæreditario uendicat, & Thasilonẽ inde expellit. Sed Pipinus rex, frater eius, ducatum Thassiloni restituit, & Griphonẽ in Franciam ducit, eiq; more comitum duodecim ciuitates in Neustria concedit, anno Domini 748. Sigibertus. Sed ille minimè cõtentus, multa in fratres bella mouet. Trittenhemius de origine gentis Bauariæ: Ortho Phrysingensis libro 5. capite 19. Auentinus libro 3 Annalium. Ganguinus libro 3. Annales rerum Francicarum. Regino lib. 2.

Thassilo uerò, postea auunculo suo Pipino sese cum suis omnibus subijcit, eiq; iusiurandũ præstat de fide & seruitute, anno Domini 756, iuxta Sigebertum, & Reginonem libro secundo. Aut 758, iuxta Adonem ætate 6. Quod tamen uiolauit post annos septẽ, cum sese ab exercitu eius subduxit, & in Bauariam redijt. Heinricus de Erphordia, & Regino libro 2.

Carolomannus sibi subiecerat Alemannos, anno Domini 742. Verùm illi seruitutis impatiẽtes, res nouas moliebantur. Quare iterũ ad arma uenitur: sed uictoria Carolomannus potitus, agros eorum longè lateq; uastat, & munitiones quasdam solo æquat, anno Domini 746, iuxta Marianum Scotũ. Nauclerus generatione 25, annotat annum Domini 744.

Landofridus & Gotofridus Sueuorum duces, cum Odilone Bauarorum principe funestum bellum gesserunt: & circa Lycum in utriusque ditionis finibus, omnia ferro, flamma & prædis contrita sunt. Auentinus lib. 3. Annalium. Theodoualdũ Godefridi filiũ Pipinus postea aggreditur: eoq; uicto, Sueuiam sibi subijcit, anno 745. Sigebertus.

Saxones, cum de Caroli Martelli obitu cognouissent, de libertate recuperãda spem concipiunt, & tributa Francis dare negant. Auentinus libro 3 Annalium. Carolomannus ergo in Sueuia & Bauaria rebus pacatis, in Saxoniam cum exercitu uenit, & castrum Hoscoburg seu Ochsenburg capit, & Theodoricum Saxonem pacis obsidem accipit, quem paulo pòst dato iureiurando de fide in patriã remisit, anno 743. Regino libro 2, & Sigebertus. Verùm cum ille ad suos esset reuersus, fidem fallit, & instaurat bellum: cui iterum Carolomannus & Pipinus occurrũt, & rebellem capiunt, anno 744. Regino ibidem.

Gripho Pipini frater, qui ob turbas excitatas in castello Aruernẽsi custodiebatur, cum intellexisset Carolomannum abdicato magistratu in monasterium se conferre, profugit ad Saxones: & collecta manu, ad Obaceum seu Orhemum fluuium, in loco qui dicitur Horcheim, consedit. Pipinus autẽ exercitu Francorum per Thuringiam in Saxoniam uenit, ad fluuiũ Missaham, circa Schaningem aut Stranhungum. Sed res ad arma non uenit: collocutione enim habita, pax constituta est, anno 747. Regino libro 2. Sigebertus. Auentinus libro 3. Ganguinus libro 3. de rebus Francorum. Vrspergensis in Chronico. Annales Francorum.

Pipinus cum à Francis electus, & à Bonifacio in regem consecratus esset, rex in Saxoniam rebellem, expeditionem suscepit. Quamuis autem Saxones sese fortiter opponerent, tamen repulsi usq; ad Vuiseram, in locum quem uocant Rimi, aut Rinne, eum progredi sinebant: anno Domini 761, iuxta Sigebertum: Annales Francici, 753. Vrspergensis, 754.

Elapsis uerò annis sex, rebus in Italia cõpositis, idem in Saxoniam redit, & uallum & munitiones, quas fecerant hostes ad defensionẽ patriæ suæ, perrumpit, in loco qui dicitur Sitina: & magna strage edita, pacem poscentibus, imperat tributum quotannis soluendum equos trecentos, quorum quilibet armatum equitem ferre queat: anno Domini 757. Regino libro secundo: & Sigebertus, Ado: Phrysingẽsis libro 5. capite 25. aut 758. Schaffnaburgensis. aut 759, iuxta Marianum. Narrant hæc prolixius Auentinus libro 3 Annalium, Vrspergensis, Heinricus Erphordiensis, Ganguinus libro 3. de gestis Francorum, Mutius libro 6 Chronicorum, Blondus decadis 2. lib. primo. Crantzius in Saxonia libro primo, capite trigesimoquarto, Platina in Paulo.

Ab eo tempore, per annos circiter quindecim, Saxonia tranquilla fuit usque ad mortẽ Pipini, et regnum Caroli Magni. is enim studio propagandæ religionis Christi, ad Saxones, Vuormaciæ conuentum habet, et re deliberata cum suis in Saxoniam mouet: et prima castra ponit ad fontẽ Lupiæ, nunc Lippiã uocãt. Saxones, duce Vuittekindo, cum Carolo non longè ab Osnaburga ad syluam Faginam manus conserũt: ac uicti, ultra Vuisurgim fugiũt. Carolus progreditur ad montem Martis Hersborg, aut Mersburg, cui nomen siue ab Hera Iunone, siue à Marte fuit: et idolũ Saxonũ, Irmãsaul (quod uel ab Hermete, uel ab Hermione, uel à Marte nomen traxit) subuertit: & militib. aurũ & argentũ

& opes Hermioni consecratas distribuit, & delubrum Vulcano tradidit. Saxones pacem datis duodecim obsidibus accipiunt ad Vuesseram fluuiũ, & Carolus ad sua regreditur, anno Domini 772. Regino libro secundo, Crantzius in Saxonia libro 2 capite 8, Auentinus lib. 4. Annaliũ, Marianus Scotus. Saxones uerò post annos duos, cũ Carolus in Italia abesset, & cum Desiderio rege Longobardorũ, cuius filia repudiata pontificũ Romanorum dispensatione, aliam duxerat (Annonius libro 4, capite 69, de gestis Francorum) bellum gereret, uindicandæ iniuriæ causa arma arripiunt: & in Hassones, qui Francis parebant, incurrunt, & ad Frislariam oppidũ, & circa Buriaburgũ, obuios quosq; cædunt. Interea Carolus Italia subacta, in Franciam redit, & quatuor exercitus per Hassiam diuisim mittit: quorum tres cum Saxonibus in diuersis locis congressi, uictoriam obtinent. Vnus uerò hostibus profligatis, spolia & prædas in Franciam reportat, anno Domini 774. Regino, & Sigebertus: & Crantzius in Saxonia libro 2, capite 10.

In Chronico Saxoniæ indicatur, Saxones hoc anno ad Menum Sachsenhusen, Fràcos uerò e regione Frácofurtũ extruxisse, quod id nominis acceperit ex Saxonum prouocatione, Francke furt, furt.

Anno sequenti maiore apparatu in Saxoniam ipse uenit, & arces Sigiburg & Heresburg, à Saxonibus receptas & munitas, expugnat, & Heresburg præsidio firmat: ac inde ad arcem Bronsperg ad Vuisurgum exercitum ducit, eamq; obsidet. Erat autẽ in ea Saxonũ præsidium. Ad ripam fit cõflictus, in quo Saxonibus cæsis et fugatis, Franci erant superiores. Carolus relicta una parte exercitus ad obsidionẽ, alteram secum ducit ad Obacium fluuium: & Orientales Saxones Osthphalos dictos, cogit cum duce suo Hassinone pacem petere, & obsides dare. Idem Bruno regulus Angriuariorũ, seu Vuesthphalorum Anglariorum facit in pago Buki. Interea Saxones ad Vuiseram sese miscentes, pabulantibus Francis, castra eorum ingrediũtur, & noctu magnam stragem inter eos edunt. Verùm illi excitati somno, strenuè sese defendunt, & plures ex Saxonibus interficiunt: reliquos tamen necessitate compulsi dimittũt. Carolus ea re cognita, Vuesthphalos grauius affligit, & prædas facit: sed tamẽ datis obsidibus, placatus in Franciam reuertitur, anno Domini 775. Annales Francici, Regino libro 2. Sigebertus.

Saxones uerò statim ad ingeniũ redeunt, & collecta manu recuperare amissa conantur. Arcem igitur Siborg oppugnãt, uerùm ea à præsidio Caroli defenditur. Quare ea relicta, ad Heresburg in ripa Lupiæ sitam mouent, idq; expugnant, iuxta Auentinum libro quarto: licet alij negent esse captum. Inde ad castrum Desuburg tendunt, sed ab oppidanis repelluntur, & ad Lippam usq; cæduntur. Carolus uerò indignè ferens Saxonum toties iteratam perfidiam, è Vuormacia in Saxoniam iratus festinat: & uelut ingens tempestas, munitiones eorum perfringit, & passim obuios prosternit: eoq; impellit, ut missis legatis, se & patriã suam ei dedant: et datis obsidibus, Christianam fidem, à qua tertiò & quartò iam antè defecerant, se amplexuros spondeant. His actis ad Lupiam fluuium, & multis baptizatis, rex castrum Heresburg instaurat, atque præsidijs urbes munit, & in Franciam redit: & decem millia obsidum in Franciam transtulit, ex quibus Brabantij & Flamingi prognati dicuntur. Robertus Ganguinus libro quarto de rebus gestis Francorũ, anno Domini 776. Regino libro 2. Aemylius libro secundo de gestis Francorũ, folio trigesimonono. Heinricus de Erphordia capite sexagesimo septimo. Cranzius in Saxonia libro 2. capite 11. Sigebertus.

Cùm Luitprandus ab obsidione Romæ recessisset, aliquãdiu res inter Romanos & Longobardos tranquillæ erant: uerùm insatiabile pontificum desiderium, & studiũ potiundi regnis huius mundi, nõ siuit eos quiescere. Quare cum Trasemundus eis spem faceret de Ameria, Orta, Polimartio & Blera, quæ à Luitprando erant ijs erepta: Godeschalci Beneuentani ducis auxilio, per Stephanum ducem suum Romani Trasemundum in patriam, unde eiectus erat, restituũt. Sed Luitprando copias suas adducente, Romani & Trasemũdus intercepti cæduntur, & Stephanus Romam redit: Luitprãdus uerò ducatũ Spoletinum occupat, & sese parat ad Romam obsidendã. Interea Gregorius pontifex moritur, & succedit Zacharias. Is autem cum uideret se uiribus Longobardo esse imparem, astu rem aggreditur: & more proditorũ, pacem ei defert: et auxiliũ contra Trasemundum, quem antea iuuerat, pollicetur: ea tamen conditione, si sibi restituat ciuitates illas de ducatu Romano abreptas. Lõgobardus cõsentit, et iũctis copijs suis et Romanorũ, Trasemundũ et Godeschalcũ ad deditionẽ cogit, et Spoletano et Beneuẽtano potitur ducatu. Zacharias instat de promissa restitutione: et impatiens moræ, Narniam ad Luitprandũ excurrit, eumq; longa oratione adeò demulcet et commouet, ut non modò quatuor illas petitas ex fœdere ciuitates reddat, sed etiam Sabinense patrimonium, quod annis antè triginta tenuerant Longobardi, & ipsam Narniam, & in Picentibus Anconam et Humanã ciuitates, magnamq; uallem

uallem Sutrini agri B.Petro & Pontifici donet:& cũ Romano ducatu pacé ad 10,aut(ut Sigebertus habet)ad 20 annos faciat, captiuosq; Romanos,Rauénates & Italos ex carceribus dimittat,anno 742.Sigebertus:Blõdus decad.1.lib. 10. Luitprandus paulo pòst Rauennã obsidet.Eutychius exarchus à Zacharia petit,ut Luitprandum sibi recõciliet. ille uerò ad eum accedit,& ab eo (si credere fas est:nã Italicis artib. falsò ista facilè tũ potuerũt iactari,post paucos dies mortuo Luitprando)dono accipit omnia quæ de Aemylia & de Rauennatibus intra biennium ab illo erant occupata,excepto Cæsenate oppido.Blondus libro eodem.

Luitprandi successor Rachisius,à põtifice oratus,pacé cum Romanis & Rauennatensibus in annos 20 facit.Sed post annos 7 eam dissoluit:& agros Rauénatis exarchatus depopulatur,Perusiamq; obsidet. Zacharias aũt ad eum profectus,persuadet ipsi sua falsa doctrina,ut nõ modò ab obsidione discedat: sed etiã abdicato regno, Romã cum uxore eat,& clericus ac monachus fiat, magna efficacia mysterij iniquitatis : anno Domini 749.Sigebertus & Blondus.

Aistulphus rex Longobardorũ,cum exarchatũ ab Imperatore Constantino quasi negligi,& Romanos pont.ad eum sibi rapiendũ uideret attentos esse,cogitabat & ipse de suis cõmodis:& nescio qua occasione,fortè offensus mendacio,quo Romani nugabantur, Luitprandũ sibi multas urbes & regiones largitũ esse,agros Italiæ Romanarũ partium,rapinis & incursionib.infestat,& Rauénam Exarchorum sedé occupat.Gregorius tertius pontifex,iuxta Blondũ: seu Stephanus,iuxta Sigebertũ & alios, per munera & oratores eum ad pacé in annos 40 inducit. Verùm ille animaduersa fraude, cũ intelligeret Romanos tributum,quod Imperatori debebatur,inhibere,ipse sibi iubet singulos aureos in capita collatos à Romanis dari, si fœdera pacis uelint obseruari. Pontifex ad Cõstantinũ scribit,quo in statu res Romana & omnis Italia sit:protestatus fore ut,nisi subueniat, Roma & omnis Italia ueniat in Aistulphi potestaté. Imperator ad Aistulphũ legatos & literas mittit,sed pręter aspera uerba nihil reportant:& paulo pòst per nũcios pontifici & populo Romano interminatur, nisi sese & urbé dedant, fore ut ui redacti in potestatem suã, ad unum omnes iugulẽtur. Romani re deliberata,à Pipino Francorũ rege cõstituunt petendum esse auxilium contra Aistulphum,idq; primùm per literas faciunt:quarum summa erat,ut quoniam Lõgobardus nec pacta cum Romanis seruaret fœdera, nec exarchatum Rauennatem & alia de Romanis capta , ut prece precio ue redderet,adduci posset, opem ipse Christianissimus afferret. Pipinus papam Gregoriũ seu Stephanum ad sese euocat. Cum autem Carolomannus,Pipini frater,qui in Cassinẽsi cœnobio monachum agebat, cognosceret quid Romanus pontifex moliretur,siue spõte sua, siue ab Aistulpho missus,ad Pipinum abit,eiq; disuadet ne patrocinum Romanorum suscipiat. Verùm pontifex interea Pipinum in regem unxerat, filiosque Carolum & Carolomannũ:& spé ei de imperij Romani trãslatione fecerat,quę ille pluris faciebat quàm Carolomanni admonitioné: qué etiam propter illam ipsam causam in Viennense monasterium relegat: & ad Lõgobardum oratores mittit, eiq; suadet,ut Romano pontifici pacis fœdera seruet, & contra ius & fas capta in integrum restituat. Quod ubi recusauit,bellum ei indicit:& in Italiam ingressus,cum Lõgobardo confligit,& uincit.Victus, conditiones pacis de restituẽdis ablatis Romano pontifici accipit, anno Domini 753:iuxta Sigebertum, & Reginonem libro 2. Cum autem Pipinus reduxisset exercitum in Franciam, Aistulphus fœdere rupto,Romam obsidet,& agros atq; suburbana omnia uastat. Sed Pipinus re cognita, exercitum reducit. Ei autem occurrunt legati Constantini Imperatoris,qui etiam Romæ fuerant:& muneribus oblatis rogant,ut Rauennam,& exarchatum eius Imperio,cuius iure esset,& non Romano pontifici à Lõgobardis reddi curet. Verùm ille respondet,se propter animæ suæ salutem, & promissionem Romano pontifici iureiurando confirmatam,uelle Longobardos delere,& Romano põtifici atq; Romanæ ecclesiæ illa omnia tradere posidenda.ac progressus, Papiæ obsidet Aistulphum,eumq; inuitum cogit priores pacis conditiones seruare,& exarchatum & alia, quæ Romanis eripuerat, restituere. Ad id uerò expediendum, Fulcadum abbaté cum una cohorte ibi relinquit, ut reddenda capiat,& Pontifici tradat. Catalogum autem urbium traditarum, ex Petro Bibliothecario Blondus decadis 2 libro 1, pagina 152 refert in hunc modum: Prænominatus aũt Fulcadus abbas Rauénatũ partes cũ missis Aistulphi regis perueniés, p singulas ingressus ciuitates tã Pentapoleos quàm Aemylię, easq; recipiés,& obsides de unaquaque tollés, atq; primates unà secũ cũ clauib. portarũ ciuitatum ducés,Romam peruenit. Quòd auté Pétapolis cõplexa fuerit quinq; ciuitates, uerbi ꝓprietas arguit:easq; Rauénã,Cęsareã, Classem, Forũiulij, & Forũpopilij fuisse cõstat. Secunda est exarchatus potissima pars Aemylia, uetusti & celebrati in Romanis historijs uocabuli Italiæ regio: quæ à Forocornelio, nũc Imola, qcquid uia

eiusdem nominis omnium Italiæ celeberrima per Bononiam, Mantuam, Rhegium, Parmam,& Placentiam,ad Padum usque habet,complectebatur.Placētinos autem,Parmenses,Rheginenses, Mutinenses, Bononienses & Imolenses,agrorum fines à summis Apennini iugis ad Padum protendi, etiam ætate nostra uidemus: ut Rauennæ agrum pariter ab ipso Apennini iugo,per Fauentinos eius agri partē ad Padum,& Cæsenates, Ceruiensesque, sui itē agri portionē à summo Apennino ad Adriaticum pertinere, certissima habeantur documenta. Id etiam uel terræ,uel paludis, quod intra Mincium Padumq; à Veronensis Vicentiniq; agrorum finibus in Venetorum stagna Adriaticumque uergit,agrum fuisse Rauennatem, cùm cæteri scriptores,tum omnia ostendunt monumenta: ut non minus tunc Rauennę iuris cēserentur Ceruia,Cæsena, Fauētia,Comaclū, quàm illæ quatuor ciuitates uocabulo Pentapolis appellatæ: ut ipsa exarchatus appellatione contineretur, quicquid à Placentinis agri Papiensis finibus Padum inter Apēninū, paludes stagnaq; Venetorum,& Adriaticum pertinet ad Ariminum, quā ciuitatē, & qcquid intra Isaurū, cui fluuio nūc Folia est nomē,& Adriatico cōtinetur, exarchatū ad ditū fuisse,ostendit consuetudo iuris ab exarcho dicendi usq; ad hæc tempora obseruata. Alia uerò loca, quæ idem dicit Bibliothecarius,à Pipino rege pontifici Romano dono concessa fuerunt: Ariminum,& ab illo distans duodecimo milliario Concha, pridem mari submersa, Pisaurum, Faunum, Vrbinum, colles Luceoli,Eugubium,Vrbina urbs, & Narnia: & in Picentibus, Esis,& Serra.Fuerunt quoque oppida Boibi numero ad uiginti,à Boijs olim dicta:quorum Sarsina Plauti patria est,caput Mōsferetri: quo nomine alia item ad uiginti censentur castelle,castellum sancti Martini,à libertate diu cō seruata clarum,tunc Acer mons dictum,Acerra,& Monslucati.

Digresso Pipino, Aistulphus Fauentiam de Pentapoli,& Ferrariam reddere cunctatur, & rebellare instituit.Verùm apoplexia in uenatione perit,anno Dñi 756. Sigebert. Regino lib.2,unū annum minus numerat.

Cum autem Desiderius Longobardorū regnum sibi occuparet,Rachisius ex monasterio egressus,contra eum arma capit.Quare ille Romanum Pontificem per legatos exorat,ut sese iuuet in adipiscendo regno:& promittit,& iuramēto cō firmat, se ad omnia ei fore obsequentissimum. Pontifex Folcadi consilio ei assentitur, & Longobardos compescit,atque præmij loco Fauentiam cū castello Tyberiaco accipit.Blōdus libro eodem.Desiderius pacem colit cum Romanis, per annos circiter undecim,usque ad mortē Pipini & Pauli Pōtificis.Sed postea cū Constantino Imperatori faueret,& probaret sententiā illā imagines non esse adorādas: per Tothonē Nepesium ducē,Cōstantinum fratrē suum curat pontificē desig nari:quicum esset sua dignitate spoliatus à Stephano & concilio sacerdotum, defendentium imaginum cultum,Paulum Affiartam Constantini cubicularium,qui ducatum Romanū adhuc,licet ægrè,administrabat nomine Imperatoris instigat, ut quosdā ciues Romanos relegaret, quosdam incarceraret.Et ipse Desiderius prætextu religionis Romam ueniens, nobiles quosdam Romanorum capit, oculisque priuat:anno Domini 769. Sigebertus. Adrianus uerò papa de carcere ciues liberat, & exules reuocat, fretus Francorū præsidio. Desiderius ab eodem petit,ut secum de pace fœdus ineat:sed pontifex id recusat, propter non seruatam fidem suis maioribus.Id Longobardus indignè ferens,Rauennatium fines ingreditur.Leo episcopus, & Iulianus,& Petrus, qui exarchatum pontificis nomine administrabant,à Romanis petunt auxilium. Pontifex eos ad Desiderium ablegat, ut pacem ei deferant, cum conditione, si ablata restituat. Verùm ille eos & Pontificē ludificatur,& interea omnia occupat,seque ad obsidionem Romæ parat. Pontifex urbem munit : & ad Carolum oratores mittit, ut imminenti rerum Ecclesię excidio auxilium ferat.Desiderius ea re cognita,cum Bertha Carolomanni uxore & filijs eius Romam pergit,petiturus ut pontifex eos in reges ungat.Sperabat enim hoc modo inter Francos posse excitari ciuile bellū, quo Carolus impeditus, minus Pōtificem iuuaret. Sed Romanus fraude intellecta,tres episcopos ei obuiam mittit: eique sub anathematis pœna edicit,ne Romani ducatus terram ingrediatur. Ille ergo Papiam sese recipit. Carolus legatos ad eum mittit: & monet, ut ea quæ de exarchatu Rauennate & Romano solo occupasset, restituat: quod cum denegasset, iterum ei offert quatuordecim millia aureorū pro restitutione.Verùm cum id quoque recusaret, Carolus exercitum per Alpes in Italiam ducit, & Desiderium Papiæ obsidet. Romamque adiens,ab Adriano consensu totius concilij accipit ius eligendi Pontificem, & ordinandi Apostolicam sedem,& dignitatē principatus, atque episcopos & archiepiscopos per singulas prouincias cōfirmādi:ita ut nisi à rege laudetur & inuestiatur episcopus, à nemine consecretur: anno 773. Sigebertus. Blondus decadis 2 lib. 1 narrat, postulante Adriano Carolū donationē, quam Pipinus & Carolomānus Gregorio tertio fecissent, confirmasse.

confirmasse. Interea uerò Spoletini & Reatini & Picẽtes, Firmani, Auximani, & Anconitani, sese Rom. põtifici dedũt. Carolus Veronã & omnem Transpadanam regionẽ occupat: & tandem Papiã expugnat, & Desideriũ cum uxore sua & filia, & principib. atq; thesauris palatij capit, & ipsum regẽ in perpetuum exilium ad Gallias Lugdunum per Gilfredum Laodicẽsium episcopũ deportari curat. atq; ita regno Longobardorũ, quod annos 204 durauerat, sub XXII regibus (licet alij, ut Schedelius, 230. & alij 224, ut Iohãnes de Oppido) destructo, tota Italia iuri Francorum subiecta est, & præsidia Germanorũ Mediolanum, Papiã & Veronam, & in alia oppida collocata sunt: anno Dñi 774, iuxta Sigebertum, & Reginonẽ lib. 2. Ado. Platina numerat 776, in uita Adriani. Bergomensis lib. 10. pag. 255. Blondus decad. 2. lib. 1. Bonfinius decad. 1. lib. 9 rerũ Vngaricarum: Hermãnus Mutius lib. 7 de Germania: Leo Hostiensis lib. 1. cœnobij Cassinensis cap. 4. Vnde Otho Phrysingensis lib. 5. cap. 23 inquit: Merouingorũ regno finito, Pipinus Carolingorũ, per quod etiã Constantinopolitanũ minuẽdum erat, cæpit. Ex hoc Romani pontifices regna mutandi autoritatem trahunt.

Cum aũt Rotgandus, quẽ ipse Foroiuliensib. dederat ducẽ, seditionem concitasset, & plurib. sibi adiũctis in Italia tumultuaretur: Carolus post bienniũ cum copijs reuersus, Taruisiũ oppidũ capit, & rebellẽ illum capitali supplicio affici iubet. Sigebert. Regino, Ado, Heinricus de Erphordia: Auent. lib. 4.

In Gallijs Hunaldus dux Aquitaniæ, quẽ à Carolo Martello subactũ diximus suprà, à fide Pipini deficit: & pro reparanda libertate arma capit. Sed Pipinus & Carolomannus exercitũ contra eum ducunt, & castrũ Lucas nomine expugnant, ac regnum Francorũ inter sese partiũtur: anno Dñi 742. Regino & Sigebertus. Carolomanno postea monasticã uitã ingresso, Pipinus rex Francorũ cõstituitur, & à Bonifacio Mogũtino episcopo inauguratur, anno Dñi 750. & post biennium à Stephano papa renouatur seu confirmatur illa inauguratio. Regino libro 2.

Dum Pipinus in Saxonia bellũ gerit, Vuaifarius filius Eudonis, dux Aquitaniæ, in Frãcia turbas excitat, & ecclesias aliquas spoliat. Pipinus ergo Aquitaniã ingressus, cogit eum pacẽ petere, & obsides dare: anno Dñi 758, iuxta Sigebertũ: aut 760, iuxta Reginonem. Heinricus de Erphordia ad 19 annum Cõstantini refert. Sed ille neglecto iuramẽto & obsidibus, anno sequenti colligit exercitũ, & usq; ad Cabillonem omnia uastat. Pipinus aũt reductis copijs in Aquitaniã, multas urbes expugnat, & Aruernũ cum Blãdino comite capit. Regino & Sigebertus. Tertiò uerò reuersus, Bituricensiũ urbem expugnat, & captã munit, & castrũ Toarcis: anno 762. Regino. Sigebertus 760 numerat. Chilpingus Aruernensis & Amingus Pictauiensis comites, congressi cũ exercitu Pipini, cæduntur, cũ multis alijs, anno 761. Vuaiferus aũt suis rebus diffidens, muros urbiũ Aquitaniæ solo æquat: quos restaurat Pipinus, & suis præsidijs munit, anno 762. Et Lemouicinã regionem cæde & incendio uastat, anno 763. Sigebertus. Et Agennum, Petragoram, Engolismam expugnat, & maximã Aquitaniæ partem sibi subijcit, anno 765. Sigebertus. Et Remistanum Vuaiferi patruum transfugam, à suis captum, de cruce suspendit: anno 766. Et Santonas capit, & Vuaiferi matrem, sorores & neptes secũ ducit, 767. Et tandem Vuaifero à suis malorum pertæsis interfecto, tota Aquitania potitur, cũ octo æstatib. in ea laborasset subigenda: anno Domini 768. Blondus decadis 2 lib. 1. Sigebertus: Regino lib. 2. Heinricus Erphordiensis cap. 67. Adon Viennensis ætate 6.

Saracenos clades acceptas ulturos, tertiũ in Franciam redijsse, & à Pipino trans Pyrenęos montes repulsos esse, communi limite constituto, ne sese ultra illos montes effunderent, Aemylius libro secundo de rebus gestis Francorum refert.

Pipino mortuo, Hunaldus ad Aquitaniã recuperandam animũ adijcit: sed Carolus maturè eius machinationes destruit, Aquitanis & Vasconibus per deditionẽ receptis: & Hunaldo à Lupo Tasconum duce, ad quẽ confugerat, tradito & abducto, anno Dñi 769 Regino & Sigebertus.

In Hispanias reliquiæ de exercitu Maruthæ Saracenorũ regis, qui Damascum obtinuerat, uenerũt, & duces Aquitanos Pipino rebellantes iuuerũt: sed repressi sunt, & rex eorũ Amirmonus per legatos & munera amicitiam Pipini sibi comparauit, anno Domini 766. Sigebertus.

In Anglia Bernredus Merciorũ regnũ inuadit, occiso Edelbaldo. Sed paulo pòst & ipse ab Offa interficitur. Polydorus lib. 4 Anglicæ historiæ. Regni Northumbrici inclinationem ad annum Domini 757 refert Fũccius. Et Offa Merciorum rex ad exemplum Inæ regnum suum Romano pontifici tributarium fecit, anno Dñi 775, iuxta Fũccium.

DE MOTIBVS ET MVTAtionibus *sub Leone Copronymo.*

LEo annos quinq; præfuit Imperio, qđ quidẽ uix nomine adhuc uigebat. Nam illud in Oriente barbari continuè occupabant, Romani uerò ad Gallos respiciebãt. Bergomẽsis lib. 10. folio 255, & Hartmannus Schedel ætate 6. pagina 184. Et Martinus in Chronico, sub Constantino.

IN ASIA.

Cum Irthumas apud Daberhum seditionem contra Madaij Arabũ regem mouisset, occasionem arripuit Leo: atq; in Syriã exercitum centũ millium, in quinq; duces distributum, mittit, qui in Germanicia Isbaal filiũ Madaij obsident. sed munerib. acceptis inde recedunt, & prædas per regionẽ faciunt. Interea Irthumæ præfecti copijs adductis, conserunt manus cum Romanis, sed uincũtur. Romani reuersi, Syros hæresi Iacobitarum pollutos, in Thraciam transferũt: anno Leonis 2. Paulus Diaconus lib. 23.

Madaij uerò anno sequenti usq; Doryleũ excurrit, cum numeroso exercitu: & postea Amoriũ. Sed cum Romani pabula equorũ, & ad uictũ necessaria passim remouissent, coacti sunt hostes re infecta discedere. Lib. eod.

Anno uerò altero reducit exercitũ, & usq; ad Damascũ ecclesias populatur: & Irthumã in Asiam cum 50000 excurrit. Sed Michael Lachanodraco eum uincit, & fratrem eius occidit, paulo ante obitum Leonis. Paulus ibidem. Domini, 781.

IN EUROPA.

Bulgarum rex Telericus, ad Leonem fugit, à suis malè tractatus, anno 778.

In Italia Longobardorum regnum, anno eodem uastasse Carolus scribitur, in Schaffnaburgensi Chronico.

Hildebrandum Spoletanorum ducẽ, Carolo regi sese subiecisse, eiusq; gratiam multis muneribus redemisse, anno Domini 779. Sigebertus & Regino, & Annales Francici annotant: & Auent. lib. 4. Annal. pag. 325.

Post bienniũ, ultimo Leonis anno, Carolus Romã ueniẽs, curat à pontifice Pipinũ filium suum, in regem Italiæ inungi: & Ludouicum in regem Aquitaniæ. Sigebertus.

Thassilo dux Bauarorum, hortatu uxoris suæ, quæ Desiderij filia erat, arma contra Carolum parat, anno 780. Sigebertus. Sed Adriano papa autoritatem suã interponente, Vuormaciæ sibi inuicem reconciliantur, anno sequenti. Sigebertus, & Regino lib. 2.

Cum Saxones, ut suprà diximus, à Carolo uicti, fidem Christi & baptismum susciperẽt: Vuittekindus dux eorum in Normanniam fugit, anno 777. Sigebertus & Regino. Inde reuersus anno sequenti, cum Carolus in Hispanijs cũ Saracenis pugnaret, sollicitat Saxones, de morte Caroli falso rumore persuasos, ad defectionem, & ducit eos contra Francos: & usq; ad Duriam castrum, Coloniæ ciuitati contiguum, cum Rhenum transire nõ posset, omnia cædibus, rapinis & incendijs infestat, usq; ad Mosellam fluuiũ. Sed cũ cognouisset Carolum incolumẽ reuerti, & exercitum eius ex Oriẽtalibus Francis & Alemannis, Sueuis & Bauaris & Thuringis aduentare, recedit. Franci uerò Saxones prosequuntur usq; ad fluuium Adarnam, seu Adranam: & in Lihesi pago Hassionum cum ijs congressi, uictoriam, pluribus cæsis, & ampla spolia assequuntur, anno 778. Regino, Sigebertus: Crantzius in Saxonia lib. 2. cap. 2 & 11. Auentinus lib. 4 folio 325. Aemylius lib. 2 de gestis Francorum: Annales Francorũ, 3 anno Leonis: Heinricus Erphordiẽs.

Carolus uerò per Rhenum & Lupiã omnes copias suas in Saxoniam traijcit. Occurrunt aũt ei Saxones: & in loco qui dicebatur Bucholtz, ei aditum præcludere conantur, sed frustra. nam uictis illis, ad Visurgin castra locat: & Angriuarios & Vuestphalos Saxones ad obsequium redigit, accepta fide & obsidib. Contumaces uerò fugauit: qui transeuntes Vueserã, sedes sibi fecerunt inter Vuãdalos, pulsis illis antiquis habitatoribus: & nomen Ostphalorum acceperunt, respectu eorum qui in patria manserũt, qui Vuestphali sunt dicti, quòd Occidentaliores essent. Crantzius in Saxonia libro 2. cap. 9. & Annales Francorum: Auent. lib. 4. folio 325. Anno Domini 779. Sigebertus, & Regino: Aemylius de gestis Francorum lib. 2. pagina 42.

Altero anno, cum Vuormaciæ comitia celebrasset, in Saxoniã redit, & per Hersburg transit ad Lippam. Inde ad Orientem itinere uerso ad Obacium, & postea ad Albim, & quidem ad eum locum ubi Iora in eum confluit, Bardagauenses & Norduitæ non modò sese ei dedunt, sed etiam fidem Christi suscipiunt: & Saxones & Sclaui ultra & citra Albim habitantes, paulatim ei subijciuntur, anno Domini 780. Regino libro 2. & Sigebertus. Et Magdeburgum capit & ampliat, anno 781. Funccius ex Chronico Saxonico: Crantzius in metropoli lib. 1. cap. 9.

In Occidentali Galliæ parte, Britones ex Anglia egressi consederant ad littus. Eos, cũ imperio suo parère nollent, Carolus aggressus est anno 777. iuxta Marianum Scotum: ac annos integros decem in eis domandis consumpsit. nec tamen eos potuit subijcere, sed pacem & fœdus cum eis facere coactus est. Blondus decadis 2. lib. 1. Bonfinius lib. 9. decadis 1 rerum Vngaricarum. Antoninus titulo 14. cap. 2. §. quinto.

Tres præfecti Saracenorum, Isnalach, Deuizes, & Alter, à rege suo deficiẽtes, cum suis uiribus diffiderent, ad Carolum ueniunt Padebrunnam, & auxilium ab eo petunt, muneraq; & Vasconiam atq; citeriorem Hispaniam ei offerunt, anno Domini 777. Regino, & Annales Francorum. Ille ergo conscripto exercitu transit mõtes Pyrenæos, & Põpelonem Nauarrorum oppidum capit, atq; Cæsaraugustam destruit, & duos Saracenorum regulos sibi subijcit. Inde autem regrediens,

diens, in summitate Pyrenęorum montium à Vasconũ insidijs eius exercitus atteritur: & multi præstãtes duces pereũt, inter quos numerantur Rolandus Caroli ex sorore nepos, Britannici limitis præfectus, miles audacissimus: Anshelmus Palatij comes, & alij, anno Domini 778. Regino & Sigebertus, & Annales Francorum: Auent. lib. 4 Annal. Sabellicus Enneadis 8 lib. 8. Ganguinus lib. 4 de reb. gestis Francorũ: Antoninus in Chronico: Blõdus decadis 2 lib. 1. Annonius de gestis Francorum lib. 4. cap. 71. 72.

DE MOTIBVS ET MVTATIONIBUS *sub imperio Irenes & Constantini.*

IRenes & Cõstantini imperiũ cœpit anno Dñi 782, iuxta Sigebertũ: aut 784, iuxta Paulũ Diaconũ lib. 23. rerũ Roman. & durat annis 20. usq; ad annũ Dñi 802. Sigebert. Quo tempore hæc accidisse cõmemorãtur.

IN ASIA.

Romani, Arabes apud Miliũ cædunt primo anno Constantini. Paulus Diaconus lib. eodem. Helpidius ex Sicilia profugus, ab Arabibus suscipitur, & per ludibrium ut Imperator Romanus coronatur, ocreis & diademate indutus. Maday Asiam ingressus, Lachanodraconem ad Darinum uincit. Antonius contra eum cum copijs ab imperatrice missus, cum spe de pace facta ad Maday uenisset, priusquã ei de securitate satis cautum esset, capitur unà cum Stauratio & Petro: nec prius dimittuntur, quàm Irene pacis conditiones ab Arabe præscriptas (inter quas etiã erat, ut tributum annuatim penderet) cõsentiret, anno 2 Constantini. Paulus Diaconus libro eodem, & Zonaras tomo 3.

Post annos 8. Arabes pace dissoluta in Cyprum cum classe ueniunt: sed imperatrix omnia Romana nauigia bellatoribus onusta contra eos mittit. Illi uerò recedunt, & Theophilum prætorem insectantem capiunt, & interficiunt: anno Irenes 10. Domini 791.

Exercitus Romani in Armenia, cum cognouissent, Irenem filium suum Constantinum ab Imperio remouisse: suam autoritatẽ interponunt: & cogunt eam, ut magistratu deposito, filium solum sinat imperare, anno Domini 792. Funccius, & Paul. Diaconus. Anno uerò sequenti, cum Constantinus partem Imperialis dignitatis matri suæ restituisset, Armeniacus exercitus id adeò tulit indignè, ut de Alexio cogitaret Imperatore creando: sed Constantinus copijs missis, Armeniorum quorũdam proditione illos uincit, & seditionis illius authores interficit, reliquos proscribit: mille uinctos in urbem ducit, eorumq; faciebus inscripsit atramento ARMENIACVS INSIDIATOR.

Cum aũt Arabes uiderent, Romanum imperatorem in illis locis suum ipsius exercitum concidisse, haud segnes aduolant. Proditores autẽ illi Armenij, cum mercedẽ nullam accepissent à Constantino, animo erant alieniore ab illo: & in eius odium Arabibus castrum Amachan tradebant, anno Domini 794. Arabes progressiq; Sebasan capiunt per deditionẽ: sed occurrit eis imperator, & ad Amusan eos uincit, anno imperij 6, Domini 797. Ac cum sequenti anno iterum esset in expeditione aduersus Arabes, in itinere à coniuratis, iussu & consilio matris suæ, priuatur oculis. Sed cum Arabes interea Cappadociam & Galatiã popularentur, Irene per legatos pacem petit, sed non impetrat: anno Domini 798, iuxta Funcciũ. Paulus Diaconus 791 habet. Progressi ergo, equos Imperatoris stabulo occupato in Malagma capiunt, & usq; ad Liliam prædas colligunt atq; abducunt. Paulus Diac. lib. eod.

Fasciculus tẽporum, cuius autor Vuernerus Rolefinck perhibetur, narrat: Carolũ Magnum circa hæc tempora Hierosolymam & totam Palæstinam, pulsis Saracenis, recuperasse. Sed Robertus Gãguinus de gestis Frãcorum lib. 4. negat id cum ueritate consentire: cum autor uitæ Seruatij neget, Carolum ullam in Saracenos expeditionem suscepisse; & alijs bellis in Europa occupatũ, minimè in Asiam potuisse ire, maximè cum ea etiam ad limites imperatoris Cõstantinopolitani pertinuerit.

IN AFRICA.

De Africanis motibus nihil annotatum circa hoc tempus reperitur, nisi quòd Elpidius ex Sicilia in eam ad Arabes confugerit, anno primo Constantini. Paulus Diaconus lib. 23. Aigolandum ex Africa Saracenos in Hispanias duxisse, Heinricus Erphordiensis ex Turpino refert, & Sabellicus Enneadis 8. libro 8.

IN EVROPA.

Thessaliam & Græciam, & Peloponesum Slauini tenebant, quos Irene pace cum Arabibus facta, sibi tributarios fecit, multis cæsis, & spolijs amplis receptis, anno Constantini 3. Paul. lib. codẽ, Domini 784. Fũccius.

In Thraciam quoq; excurrit, & Berœam ædificat, & Anchialum, anno 4 Cõstantini. Mutius lib. 7 rerũ Germanicarum, folio 56. dicit Imperatorem Constantinopolitanum propemodum solam Thraciã retinuisse: sed tamen ita, ut plus Turcis tributorũ dare annuatim coacti sint, q̃ inde fructuũ perceperint.

Cum Constantinopoli in Synodo tractaretur de imaginum adoratione, illi qui sentiebant imagines non esse adorandas, animaduertentes suos episcopos & doctores non æquè audiri, ut alios qui superstitioni erant dediti, concursant, & cum præsidibus expostulant: sed concitato tumultu, Synodus

dus dissoluitur. Quare Irene populum illũ quem Constantinus in urbẽ receperat, simulans expeditionẽ in Arabes, educit, & spolia tum armis in exilium mittit, quo possent idola sanctorum tutius in urbe coli: anno 7 Constantini. Paulus lib. eodem.

Irene Constantino filio suo despondet filiã Caroli regis Francorũ: & dũ illa Gręcè discit apud patrem, mater uariabilis & inconstans mulier, quãdam Mariam ab Amnia, ex Armenia, ei inuito obtrudit, spreta Caroli filia: & filium imperio priuare nititur, sed impeditur ab exercitu. A filio autem iterũ ad societatem Imperij assumpta, persuadet ei, ut Maria uxore in monasterium relegata, Theodatam cubiculariam Augustam creet, & uxorem ducat. Ac paulo pòst ipsum Imperio, & oculis, & uita priuat: & filijs eius oculos eruit, & nuptias Caroli repudiat. Sed tandẽ à Nicephoro in monasteriũ reconditur, exuta omni dignitate & bonis. Paul. Diac.

Bulgares rege Cardano Thraciam incurrentes uastabãt. quare Constantinus contra eos arma capit, & cũ ijs prælium init: sed utriq; pari marte pugnãt, & neutris uictoria cessit: anno 1 Constãtini, Dñi 792. Sigebert. Anno sequẽti Imperator persuasus ab astrologo Pancratio de uictoria, in Bulgariã mouet: & fretus uaticinio, nulla cura nec diligẽtia acies instruit. Cardanus ergo in eũ irruens, stragẽ magnã edit: & præcipuos duces, inter quos etiã erat astrologus Pãcratius, interficit: & Imperatore uix fuga elapso, pecuniã, equos, aulęa, & omnẽ regiũ apparatũ capit, anno 2 Cõstantini. Paulus Diac. Heinricus de Erphordia: Antoninus titulo 14. cap. 2.

Pannonia etiam turbis & bellis satis est afflicta, & prorsus in alium statum mutata. Nã cum Thassilo Francis sese opponeret, ab Hũnis seu Vngaris superiorẽ & inferiorem Pannoniam & insulas Danubij obtinentib. petit auxiliũ. Illi uerò prædæ cupidi, bipertita acie Francorũ fines incurrunt. Pars Venetiã & Forumiulij, pars in Boiariam & ad Anassum amnem uenit. Carolus Gramatiũ & Odoacrem duces in Bauariam mittit, qui collecto exercitu eos excipiunt, & ad Danubiũ repellunt: quem cum natando transire conarentur, multi submersi sunt. estq; semel atq; iterum pugnatũ inter Bauaros & Auares, & inter Francos & Auares: sed Auares seu Hũni semper uicti sunt, anno Dñi 787, & 788. Regino lib 2, & Sigebert. Auentinus lib. 3 & 4 Annalium Boiorum: Ado ætate 6.

Cum autem non cessarent Hunni seu Auares molesti esse Francis, & quidem Christianos passim malè tractarent (nam ipsi adhuc erant gentiles) Carolus duplici exercitu in eos irruit, & utramq; Danubij ripã occupat: atq; ad Anasum fluuiũ, qui limes est Pãnoniç & Bauarię, castra ponit: ac progressus, castra eorũ ad Arabonem seu Rabam flumen expugnat, & fugientes ad montes Budæ insequitur, & interceptos ad dies 32 obsidet, inediaq; confectos ad deditionẽ cogit: & suscipientibus religionem Christi, uitam & libertatem donat: respuẽtibus uerò eam, uitam relinquebat, bonis eorum direptis.

Deinde castra mouet ad Budam ueterem, quã Sicãbriam prius appellabant, ubi erat aula Chabæ regis Vngarorum, & eã oppugnat à Danubio nauib. ab altera parte acie instructa ex Vngaris iam captis. Cum autem oppidani in suos uererentur tela mittere, Franci propius ad muros tutiores accedunt, & conscendentes urbem capiunt, atq; supplicibus parcunt. Chabas in uincula coniectus, sibi mortem consciscit. & Carolus priuatas opes militibus distribuit: thesauros uerò Chabæ, ab Vngaris multis annis spoliatiõe plurimarum gentium collectos, sibi adscribit; atq; ita Franci, qui hactenus pauperes fuerant, facti sunt hac præda opulentissimi: & Pannonia populi Romani prouincia ab extera gente usurpata, ad Romanũ principẽ reducta est, paucis ex Francorũ exercitu desideratis, sed Hunnorũ nobilitate propemodum prorsus deleta: ac Carolus per Syrmium seu Sabariã, & traiecto Danubio per Daciã, & Iazyges & Metanastas, ad insulam cum classe rediit, in quam Vngari cum liberis & uxoribus cõfugerant: & per triduum oppugnatam cæpit, anno Dñi 791 & 792. Regino lib. 2 Sigebert. Ado ætate 6. Bonfinius decad. 1 lib. 9 rerum Vngaricarũ, Auent. lib 4. Saxonia Crantzij lib. 2. cap. 16. Annales Francor. Blond. decad. 2 lib. 1. Vrspergensis, & Antoninus tit. 14. cap. 2. § 5. Heinricus de Erphordia cap. 69.

Post annos 5, cum iterũ Hunni, qui ultra Rabã ad Eutum habitabãt, tumultuarẽtur: Pipinus Caroli filius copijs suis cum Heinrici ducis Forijulij coniunctis, eos inuadit, & Iringũ & Iugurium regulos eorũ interficiũt: & Rhingum castellũ munitissimum, ubi thesauri regij erant, diripiunt, atq; Carolo mittunt, arcemq; solo æquant. Auentinus lib. 4 Annal. & Sigebert. Et Thudunus Auarum princeps se & populũ suum Carolo tradit, & cum subditis suis baptizatur, atq; in Huniã infra Arabonẽ remittitur: uerùm non multo pòst fidem frangit, copiasq; colligit ad iugũ excutiẽdum. Sed Pipinus & Boij, qui firmis præsidijs prouinciã tenebãt, eum statim aggressi interficiunt. Auares reliqui Chaiam regem creant: sed etiam ille à Pipino & Geroldo præside interficitur, exercitu eius dissipato. Pipinus omnia ab Arabone & Peisone usq; ad Draui fluẽta occupat. anno Dñi 796 & 797. Regino lib. 2 & Sigebertus.

Auares post annos 3 iterum armis correptis,

ptis, sese in libertatem uindicare conantur. In eo uerò tumultu, Heinricus dux Venetiæ & Histriæ, hostium insidijs à suis perimitur: & Geroldus Bauariæ præfectus, dum aciem instruit aduersus Hunnos, sagitta, incertum à quo missa sit, traijcitur. Pipinus autē iussu Caroli eos aggreditur, & gentem illam propemodū delet, finesq; Boiariæ usque ad Draui flumē prorogat: eoq; colonias Boiorū & Venedorū deducit, circiter annū Dñi 800. Sigebert. in Chronico. Auentinus lib. 4 Annal. pag. 341. Saxonia Crātzij lib. 2. cap. 6. Heinricus Erphordiens. cap. 69. Annal. Frāc.

In Bauaria Thassilo iterū à Carolo deficit, & Hūnos atq; Bohemos contra eū euocat, promisso stipendio. Cum aūt eos uno atq; altero mense aluisset, & necessaria deficerēt, Vngari & Bohemi in patriā reuolabāt. Desertus igitur Bauarus, cum uideret se à Carolo & Pipino quasi interceptū esse, & suos magis hosti quàm sibi fauere, ad Carolū proficiscitur, ueniamq; petit, & ducatum Bauariæ ei tradit: quem ipsi reddit, acceptis obsidib. Sed cum ille ad suos reuersus, in cōuentu orationē minus cōmodam habuisset: Carolus eum accersitū coram tota nobilitate, in consessu publico criminis læsæ maiestatis reū agit, capitisq; condemnat. Eā pœnam cū supplex deprecatus esset, cum filio suo Theodone in monasterium relegatur, anno Domini 787. Regino lib. 2. Sigebertus unum annum addit. Auentinus libro 3 Annalium.

Anno sequēti, Hunni & Auares in Bauariam irruentes, ab ipsis & Caroli ducib. cædūtur. Sigebertus, & Auentinus lib. 10. Et Bauaria tota Carolo fidē iurat, & Geroldo administranda conceditur. Tandem bello Hunnorum aliquandiu attrita, uictis & profligatis illis, ampliatur usq; ad Draui flumen, ut paulo antè diximus.

Ducibus Sueuorū, circa annum Domini 780, priuilegium primorum ordinum in expeditionibus Germanici regni cōcessum esse, Achilles Gassarus refert.

Bohemicū bellum per Carolū filiū iuniorem, interfecto Lecho finitū est. Antoninus tit. 14. cap. 2. §. 5. Robertus Ganguinus lib. 4 de gestis Francorum, & Cario in Chronico.

Saxonia etiā hoc tempore plena turbis & motibus fuit. Nam cū Sorabi incolæ inter Albim & Salam, in fines Thuringorum & Saxonū incurrissent, & quædam loca direptionib. atq; incendijs uastassent, Carolus iubebat Adalgisum & Geilonem Francorum & Saxonum copijs eos oppugnare: qui cū essent in expeditiōe, interea Vuittekindus Saxones impellit, ut ad recuperandam libertatem arma sumant. Quod cum cognouissent Caroli duces, Sorabis seu Slauis neglectis, ad seditiosos Saxones cōpescēdos sese accingunt. Sed Vuittekindus in monte Suntal cum illis congressus, exercitum illū ferè totum concidit, cum quatuor ducibus. Carolus eo cognito, festinat cū exercitu in Saxoniam: & usq; ad locū ubi Alara influit in Vuiseram perueniens, illos uincit; & 4500 uiros seditionis istius autores, capitali supplicio afficit, obsidesq; accipit, anno Dñi 782. Regino, Sigebertus, Chronicū Quedelburgense, Auent. lib. 4 Annal. Erphordiēsis cap. 69. Æmylius lib. 2 de gestis Francorū, fol. 42.

Anno sequenti, iterum Saxones rebellāt, & à Carolo atq; Francis primùm ad Thiermallum cæduntur, deinde ad Hasam flumē in finibus Vuestphaliæ: & usq; ad Visurgim & Albim omnia uastantur, Regino, Sigebertus, & Auentinus.

Saxones uero Frisonum auxilia sibi comparant, & contra Francos sese parant, atq; ad Lippam castra locāt. sed Carolus iunior eis occurrit, atq; ad Dragū inito prælio uincit. Parens uero per Thuringiam in Saxoniam excurrit, & ad Albim uenit, & depopulatur Orientalium Saxonum agros & uillas usq; ad Tanginofurtum, & Scammingam, anno Dñi 784. Regino, Sigebert. Auent. Erphord.

Anno seqventi maiorib. copijs Saxones infestat, castraq; eorum capit, & passim omnia uastat: & ad Bardengunum progressus, Vuittekindum & Albionem Saxonum duces ad se euocat, & ut baptismum suscipiāt persuadet. atq; hoc modo ad aliquot annos Saxonia quietem recuperat, anno Domini 785. Regino libro 2 Sigebertus, annales Francorum. Adon ætate 6.

Apud Austrasios seu in Frāconia, Hardericus & alij nobiles indignè ferētes, quòd rex exteros sibi præferat, & nimium suæ uxori imperiosæ permittat, seditionē contra Carolum moliuntur: sed ea detecta, coniurati illi partim supplicijs, partim exilijs afficiuntur, anno 788. Sigebert. Auent. lib. 4. Annalium.

Idem postea Pipinus gibbosus Caroli nothus, & natu maximus filius, facit, anno Dñi 792. nimirū cōiurat cum quibusdā procerib. Francorum, contra patrem suum. Sed ea coniuratione à Fardulpho monacho prodita, ille quidē in monasteriū relegatur: sed autores istius sceleris supplicijs afficiuntur. Sigebertus, & Auentinus lib. 4 Annalium.

Sclaui quos Venedos appellant, Abroditas, qui trans Albim in ora sinus Codani sedebant circa Vuismariam & Mechelburgiū, & Francis & Saxonibus confœderati erant, infestant. Carolus ergo contractis copijs, ex Colonia transito Rheno ad Albim uenit: & duobus pontibus extructis, ductore Bizone Abroditarum principe, in Vilizorū seu Vuilsorum fines irruit, agros uastat, & uicos & ędificia incendit, & cum Vilizis & Bohemis signa

signa cōfert,et uincit:&Dragouito rege Sclauorū sese ultrò illi subijciente, cęteri Venedi omnes usq; ad Vistulā amnē subiugātur.anno Dñi 789.Sigebert.& Regino lib.2.Eginhardus in uita Caroli:Adon ætate 6. Auent. lib.4.pag.331.Crantzius in Saxonia lib.2.capite 5 & 16.& in Metropoli lib.1.cap.10. Et in Vandalia libro 2. cap.23.Annonius de gestis Francorum libro 4.cap.81.

Post annos 4, Saxones,in loco quem alij Suntfelt,alij Finisfelt,in cœtum coeūt,& arma capiunt pro iugo seruitutis excutiendo: sed cū cognouissent Carolū per Thuringiā, filium uerò eius per Coloniam adducere exercitū,abiectis armis pacē petūt,& obsides tradūt.Regino & Sigebert. & Annales Frāc. & Vrspergensis:itē Auent.lib.4.fol.338. sed cum Carolus recessisset,& ipsi à fide resiliūt: & Bizonē,seu Vuithan,seu Virtzam Abroditarum principē (quem Megapolensiū ducē fuisse quidā tradūt)cū ad Carolum ad aquas Graneas contenderet,interficiūt.Quare Carolus in eundē locum, quē Regino Hliunū uocat, copias reducit,& Saxoniā depopulatur usq; ad Oceanum,& Hadeleros subigit, anno Dñi 795 & 796 & 797. Regino lib.2.& Sigebert.Crantzius in Saxonia lib.2. cap.17. Ptolemęus Lucensis in Rudimento,17 annū Constantini,Irenes filij,assignat.

Saxones,quos alij Nordolitos,alij Nordlingos,alij Transalbianos uocant, concitati à quibusdā qui ex Dania uenerāt à rege Godefredo,mouent seditionē,& præfectos suos atq; præsidiarios milites Francorū cōprehendūt,& in uincula cōijciunt: quosdā etiā interficiunt,inter quos erat Godescalcus,ad Danorū regē ablegatus.Francus ergo motis castris ex Hęristallo ad Vuisurgim amnē sito, bellū & arma in illos fert,nil intactum ferro & igni citra Albim relinquēs. Vltra uerò Trasacho Abroditarum regulus, ex Nordolitis 4000 trucidat,anno Dñi 798.Regino,Sigebert.Auent.lib.4 Annal. Crātzius in Metropoli lib.1.cap.12.Adon,Annales Francorū,& Annonius lib.4.cap.86.Chronicū Holsatię.

Circa hoc tēpus Carolū Hāburgū cœpisse ædificare,Chron.Saxo.ex Helmoldo refert.

Lydricus Lebacensis, seu Harledecensis, Flādriam uacuā & incultam & nemorosam occupat, primusq; in ea comes existit, anno Constātini 12,iuxta Heinricum Erphordiensem,Domini 792.Sigebertus.

In Italia Carolus Hæregisum Beneuentanū ducem,quod sibi & Romanis pontificib. uidebatur obstare,& partib. Constantini fauere,bello petit. Sed ille suis uirib. diffisus, pacē petit:quā non prius impetrabat, quàm tota sua ditione Carolo subiecta,& datis obsidib.12.filioq; Grimoldo:& insuper tributū annuū 25000 nummū aureorū pactus esset, anno Dñi 787.Regino lib.2.Sigebert. Adon Leo Hostiensis in Chron.Casinensi cap.14. Annales Francorum:Auētinus lib. 4 Annal.

Constantinus,siue ob denegatā filiam Caroli,siue ob occupatū exarchatū & regnum Longobardorū iratus, cū bello Bauarico & Vngarico Carolū uexari intelligeret,Gręcos qui Apuliā,Calabriam & Siciliā incolebant, & suo adhuc erant imperio subditi,iussit Beneuentanū ducatum infestare. Id cum Theodorus præfectus in actū perduceret,& Beneuentanorū & Spoletanorū fines incurrisset, ab Hildebrando Spoletano duce,& Grimoldo Beneuentano,& Vuinigiso legato Caroli cæditur in Calabria,ac Longobardorū regno eijcitur,anno 788.Sigebertus, Regino, Blondus decadis 2 lib.1.Auentinus lib.4.Bōfinius libro 9.decadis primæ.

Eodem anno Auares, qui à Thassilone euocati Venetiam & Forumiulij incursabāt, à Francis uicti sunt in Italia. Sigebertus, & Regino:Auentinus libro 4.

Capto Desiderio,Adelgisus filius eius ad Gręcos confugerat.is iam contractis copijs, Constantini consensu & auxilio in Italiā redit,ad recuperandū regnū Longobardorū, & ulciscendum hostes suos,atq; Beneuentanū ducatū deuastat.Sed Frāci cū eo cōgressi, exercitum eius propemodū delēt, ipsumq; multis supplicijs afflictū perimūt,anno 7 imperij Constantini.Antoninus tit.14. cap.2.§ 6. Anno Domini 789.Sigebertus.

Irene cum filiū suum priuasset imperio & uita, legatos ad Carolū misit de pace,anno Dñi 798.Regino. Sed quia fortè non impetrauit quod uoluit:milites suos in Beneuentanum agrum immisit,quos Pipinus & Ludouicus filij Caroli uicerunt,& ex Italia expulerunt.Auentinus lib.4.pag.335. Bonfinius decadis primæ libro 9.

Irenem cum Carolo Italiā diuisisse,eamq; partē quę ad dexterā Neapolis incipiat,&ad sinistrā Manfredonia,quæ cū infero & supero mari claudatur,& Siciliam accepisse:reliqua uerò omnia Carolo ex fœdere obtigisse.Bergomensis annotat lib.10.pag.256.

Leo pōtifex à Romanis propinquis & amicis Hadriani,propterea quòd acta eius rescinderet,malè tractatus,ad Carolum confugit Padebrunnā.Carolus eū Romā curat per suos reducit & ipse Romā cum exercitu properat,causamq; Leonis & aduersariorū eius examinat,et reos dānat,ac motus illos Romæ cōponit & sedat,anno Dñi 799 & 800. Regino lib.2, & Sigebertus. Auentinus lib. 4.Iacobus Meyer in Chronico Flandriæ.

In Sicilia turbas excitauit Irene.Nam cum intellexisset Elpidium,quē eò miserat prætorem, Nicephoro fauere,eumq; in acquirēdo imperio iuuare:misit Theophilum præfectum,

fectum, ac postulauit à Siculis, ut eũ sibi traderent captum. Quod cum Siculi detrectassent, Theodorus exercitũ contra eos ducit: & prælijs aliquot cõmissis, Elpidius & Nicephorus fugam capessunt, anno 2 Constantini. Paulus Diaconus lib. 23. Cuspinianus de Imperatoribus. Domini, 783. Funccius.

Britones, quos suprà ex Anglia in Gallias uenisse, & Carolo tributarios factos diximus, à pactis recedebant, resq; nouas moliebantur: sed ab Adulpho Cacorũ principe uicti, ad iugum seruitutis reducuntur, autoribus eius seditionis partim oculis, partim patria priuatis, anno 786. Regino libro secũdo. Sigebertus, Annales Francorum.

Saraceni fines Septrimanorũ (quæ etiã Gothia appellatur, pars Narbonẽsis Galliæ, ubi Rhodanus cum mari cõfluit) incursant, cęsis limitum ducibus: multisq; Francorũ interemptis, uastata regione, cum ingenti præda domos redeũt. Auent. lib. 4 Annal. pag. 337.

Interea Britones ad rebellionẽ sese parãt. sed Vuido dux Britannici limitis eos opprimit, & ad seruitium redigit. & nõ ita multo pòst Carolus ipse omnem Gallici Oceani oram circuit & perlustrat, anno Domini 800. Sigebertus: Auentinus libro quarto Annalium, pagina 342.

In Hispanijs Saraceni, hinc ex Barchinone, inde ex Vlisippone Christianos accolas incursionib. infestabant. Carolus Haldefondo Asturiæ & Galatię regi Christiano mittebat auxilia ex Aquitanis, & rogat ut Lusitaniæ & Bœticæ Saracenos comprimat. Interea Zatus, seu Zatunus, seu Thatin, præfectus Saracenorum, ad Carolum uenit, & eã urbem ipsi offert. Ludouicus ergo cum exercitu in Hispanias contendit, & Oscã obsidet atq; capit, anno Domini septingentesimo nonagesimoseptimo. Regino: Sigebertus, anno 798. Blondus decad. 2 lib. 1.

Haldefonsus, ut amicitiam cũ Carolo testetur, Papilione preciosæ artis aulęa, apud Frãcos incognita, donat, aliaq; munera mittit. Interea Mauri & Saraceni Baleares insulas, quas Maioricas Minoricasq; uocant, fœdè & crudeliter depopulãtur. Sed Haldefonsus Vlisipponem, nunc Lisibonam uocant, capit: atq; Maurorũ ad 70000 cecidit, qui fines Asturum ferro igniq; depopulabantur: & de præda loricas, mulos & Mauros Carolo mittit, anno 798. Regino, Adon: Auent. libro 4. pag. 340. Ritius de regibus Hispanię.

Saraceni Barchinonã recuperant: sed Frãcorum copiæ urbem obsidẽt, et Baleares insulas contra Saracenos tutantur, anno Domini 799, et 800. Regino, Sigebertus.

De bello Hispanico à Carolo cum Agilando gesto, ex Turpino multa refert Sabellicus Enneadis 8. libro octauo. & Heinricus de Erphordia capite sexagesimooctauo. Sed Robertus Ganguinus libro quarto de gestis Francorum, censet uero dissimilia esse.

In Anglia Daci prædones incursantes, à Bitricho rege Occidentalium Saxonum repelluntur, anno Domini 784. Sed illi cognita soli ubertate, haud multo pòst reuersi, cũ Anglis de possessione certãt, bonamq; partem eius terræ occupant. atque ita regnum Northumbriæ à 785. triginta & amplius annis, tam finitimorum quàm barbarorum iniurijs expositum fuit. Polydorus libro quarto Anglicæ historiæ, folio 87.

Regino narrat, à Vuidone totã Britanniã esse Francis subiectã, anno Domini 799. Sed pleriq; Scriptores intelligunt, eam regionem, quam in Gallijs Britones occuparant.

FINIS OCTAVAE CENTVRIAE.

RERVM ET VERBORVM IN OCTAVA ECCLESIASTICAE HISTORIAE CENTVRIA præcipuè memorabilium INDEX.

Cæsar

Chriſti

comitatcr-

D

Eanbaldus

Eudo

F

Hessi

Laurea-

Mariæ

peccatoris

S

Saletij

Tarasij

V

Venefri-

Vuilfridus